Digitized by Google

a

7
1-a
40

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
7
9 E
3

7. 4. 2. 40.

Digitized by Google

IV. 3. 8.
E.E. 9.

Digitized by Google

9th

Digitized by Google

DE
MYSTICIS
GALLIÆ
SCRIPTORIBVS

MVLTIPLICIQVE IN EA
CHRISTIANORVM RITVVM
ORIGINE.

SELECTÆ DISSERTATIONES,
in ſingulas Eccleſiæ ætates digeſtæ.

Quarum primæ Centuriæ, vice coronidis, acceßit polemicus de Apoſtolatu Gallico SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ *Tractatus.*

Authore ANDREA DV SAVSSAY Pariſino, S.R.E. Protonotario, Concionatore Regio, necnon Eccleſiæ Sanctorum Lupi & Ægidij in vrbe Paſtore.



BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

PARISIIS,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Typographi Regij ordinarij, viâ Iacobæâ, ſub Ciconiis.

M. DC. XXXIX.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

ROMA
VITTORIO EMANUELE



EMINENTISSIMO PRINCIPI
ARMANDO
CARDINALI DVCI
DE RICHELIEV,
Ineluctabili Liliorum Vindici;
MAGNANIMO
Orbis Gallici priſcæ amplitudinis
INSTAVRATORI;
Orthodoxæ Patrum fidei, quam adamantino
calamo tutatus eſt,
ASSERTORI
PRÆPOTENTI, PIO, INCLYTO.
Sacra hæc Chriſtianiſſimæ Eccleſiæ
PRIMORDIA
Myſtarúmque eiuſdem Sanctiſſimorum
PRÆCLARA INSTITVTA:
Vnà cum Gallici Apoſtolatus
SANCTI DIONYSII AREOPAGITÆ
pia æquè ac neceſſaria Defenſione,

ANDREAS DV SAVSSAY Protonotar. Apoſt.
ad promerendum auitæ traditionis præſidium,
teſtandúmque
perpetuæ venerationis & obſequij
VOTVM
DAT, DICAT, CONSECRAT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

B. FVLBERTVS EPISCOPVS CARNOTENSIS, in Epiſtola ad Finardum, ordine 2. paulò poſt initium.

STET Regina Eccleſia, à dextris Regis ſui, in veſtitu deaurato, circundata varietate. Nos verò trita & peruulgatâ Patrum viâ incedentes, Patrum memoriam in rationali pectoris noſtri, id eſt, præcedentium Patrum exempla, præ oculis habeamus. Et quæ rationabiliter eos egiſſe cognouimus, teneamus. Ea verò quæ ſpirituali conſilio ab iis ordinata ſunt, etiamſi infirmitatis noſtræ ignorantiâ ad plenum videre non poſſumus, temerariæ cauillationis dente non rodamus. dum tamen à fide hæc nequaquam exorbitare ſentimus. Dicit ſcriptura. Audi fili mi diſciplinam patris tui: & ne dimittas legem matris tuæ.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

SCITE quidem, rectéque admodum, ſcripſiſſe mihi videtur magnus ille Picus Mirandulæ Comes; *nihil aliud eſſe titulum libri, quàm breue proœmium, ſiue delineationem paruam operis: viciſſimque proœmium ipſum, titulum eſſe diffuſum.* Quę ſummi viri ſententia, in inſcriptione huiuſce lucubrationis, locũ vti habeat (erudite Lector) prográma ipſum ſatis indicat, quo texturæ opuſculi totius, nitidum patet ſpecimen, meúmq. expreſſum, tã breui quàm genuina epigraphe, conſpicitur inſtitutum. Prænotatur enim hic liber, DE MYSTICIS GALLIÆ SCRIPTORIBVS, &c. Quia ex ſuſcepto opere tractat, de primis Galliæ Myſtis, qui ſalutari præconio illam in Chriſti cultu erudierunt, ſacratáſque eiuſdem theorias, myſticáſque praxes præclaris ſuis documentis atque inſtitutis tradidêre. Subinde verò de iis etiam agit authoribus, qui per ſuccedanea temporum curricula, ipſam religionis Chriſtianæ cæremoniarum diſciplinam, ad hanc vſque ætatem illuſtrauerunt: atque plurimùm itidem, quà ſacrorum morum inſtitutionibus, quà eximiis diuinorum officiorum, ac Eccleſiaſticorum rituum incrementis, condecorârunt. Denique eum ad ſplendorem quo mirè promicat ipſa Catholica religio, magna ex parte prouexêre. Ea etenim laude di-

In reſp. pro Ente & vno.

BIBLIOTECA N. Z. ROMA

gna profectò noſtra eſt Gallia, quæ ex quo ſemel veram pietatem agnouit atque profeſſa eſt: ipſam & votis, & ſanctitate, religioſiſſimiſque moribus atque diſciplinis excoluit: quin & armis exertóque pro Chriſti aſſerenda fide & gloria, robore, ceteris queiſque gentibus longè præcelluit. Adeovt illa certè vna extiterit quæ exemplum pietatis heroica virtute tuendæ, religioniſque ſpecioſis quibuſque inſtitutionibus, ac Chriſtianis verè cæremoniis exornandæ, mortalibus princeps præſtiterit: quo quicquid deinde ſanctæ æmulationis apud exteras gentes inoleuit, id illi ſanè vni ferre acceptum, iure conueniat. Quamobrem Gregorius IX. ſcribens ad Henricum Archiepiſcopum Remenſem meritò aſſerebat, recognoſcere ſe vltróque fateri, *Eccleſiam Gallicanam poſt ſedem Apoſtolicam, eſſe immotum fidei fundamentum, & ſpecioſum quoddam ſpeculum totius Chriſtianitatis.*

Et verò quàm inconcuſſa ſemper fuerit iſta Eccleſia, Chriſtianæ fidei colũna, abũdè omnino in Martyrologio Franciæ ex ipſa noſtratiũ Sanctorum inuicta fide, patefecimus. Vt autem omnis Chriſtianæ pietatis perlucidũ ſit ſpeculum, toto hoc in opere propatulo exponimus: quo præclariorum ferme Catholicæ Eccleſiæ rituũ origines, è Chriſtianiſſimæ Eccleſiæ fontibus (poſtquã ipſa ſuſcepit ex Apoſtolicæ ſedis vitali ſcaturigine, prima Chriſtianæ inſtitutionis profluuia) limpidiſſimo fluxu manâſſe indicantur: Authoréſque eorumdem ſua ſinguli ætate, qua ab Apoſtolicis ipſis temporibus ipſa in Gallia floruerunt, propriis colluſtrati elogiis recenſentur. Hoc igitur ſingulari pollet decore Gallia, hoc præeminet ſpecialis laudis honore: vt de ea Catholicæ Eccleſiæ primogenita, meritò hæc vox gratulabunda ſponſi, vſurpari poſſit. *Multæ filiæ congregauerunt diuitias, tu ſupergreſſa es vniuerſas.* Nec enim inter omnes filias matris Eccleſiæ, ſeu *gentium* (vt vocat propheta) *familias*, vlla ei poteſt æquiparari. Nulla etenim vnquam reperta eſt quæ inſignioribus veræ fidei dotibus præeminuerit, fulgentio-

Prouerb. 31. 29.
Pſal. 21. 28.

ribúſque Chriſtianæ ſapientiæ ſideribus irradiata, præclariora religioni ſanctiſſimæ ornamenta præſtiterit, atque indiderit.

Habet argentum venarum ſuarum principium, omníſque ille fermè decor Catholicæ religionis, quo ornatum nitet Sanctuarium Dei (in vno ineluctabili Apoſtolicæ petræ fundamento collocatum:) apparatus inquam ille ſacer, quem attoniti ſtupent ipſi Catholicæ Eccleſiæ hoſtes; porrò eius filij tantopere prædicant & mirantur, ſuas origines, ſuos fontes, ſuos auctores, ab vnius ferè Gallicanæ Eccleſiæ ſinu prodeuntes exuberantéſque accepit. Id verò tum facilè cognoſcet atque fatebitur, quiſquis ſedulò hancce collectionem perluſtrauerrit. In qua cernere eſt propriis adſcriptos ordinibus, ſuíſque ſingulos præconiis conſignatos, ducentos pluſquam auctores myſticarum theoriarum, praxeωn, cæremoniarum, rituúmque ſacrorum & obſeruationum, quas ipſa Catholica, Apoſtolica, & Romana Eccleſia (quæ magiſtra prima religionis, eiuſdem inſtituta cæteris omnibus quarum mater eſt præſtitit; dogmatúmque puræ fidei certas regulas præfixit, vnáque cum præcipuis diuini cultus formulis & diſciplinis tradidit:) magno applauſu ſuſcipiens, comprobauit; quæ haud minùs quàm propria inuenta atque inſtituta reputans, læta de primogenitæ filiæ tam ſpectabili ſolertia; ſibi ipſíque affatim gratulando admiſit, ac ſuos in cenſus tranſcripſit. Quin & velut *argentum ſepties probatum*, aurúmque puriſſimum, quo ceteras Eccleſias ditaret atque decoraret, toto orbe larga manu diffudit: atque virenti etiamnum vſu retinens, perenni obſeruantia omnibus populis Chriſtianis, ſuomet imperio ac exemplo, commendauit. Iob. 28. 1.

Hanc eximiam Gallicanæ Eccleſiæ gloriam (quam inter inſigniora eiuſdem decora ſapiens quiſque æſtimator, iure connumerabit) cùm deprehenderem in antiquis eius Patrum monumentis abditam: elicere ex

ſacræ vetuſtatis penu, in lucémq. educere, nō ſegni manu neq. inani, vt reor, propoſito iam ante aliquot annos cōſtitueram. Cùm enim Martyrologium Sanctorum Galliæ nuper excuſum contexerem, commentariiſque in ipſum adornandis neceſſariam ſupellectilem appararem: obſeruationes ea de re magis inſignes ſepoſui: quib. ſubinde quaſi in faſciculum collectîs, proprium hunc tractatum aliquando ordiri atq. conſtruere poſſem. Eo ſcilicet fine, vt antiquam Catholicæ religionis formam, qualis Patrum memoriâ floruit, hoc expreſſam ſyntagmate ſegregibus, ſeu nouis (vt Apoſtolus loquitur) *ſubtractionis filiis* obiicerem, quatenus illa diuina ſpecie conſpectâ, exitioſæ ſuæ defectionis à veræ & antiquę Eccleſiæ communione, ipſos puderet atque etiam pœniteret. Dúmque pios quos rident & contemnunt eiuſdem Eccleſiæ ritus, à tantis auctoribus prodiiſſe aduerterent, hácque intelligerent ratione, quid myſterij complectantur, quid ſpirent ſanctitatis, ſacri ferant decoris & diuinæ conferant gloriæ: ita demum eaſdem pias cæremonias & maiorum venerāda inſtituta, quæ hactenus iniuriâ abiecerunt; meliùs edocti vltro reciperent, atque quá par eſt reuerentia proſequerentur. Scilicet vt ſancti Remigij Francorum in Chriſto Pædagogi, monitum egregium * feliciori vice exequentes, quæ errorum phantaſmata hactenus adorauerunt, de cetero execrari incipiant: quæ verò Chriſtiana dogmata atque Catholica myſteria impiè aſpernati ſunt, iam profiteri & colere haud inpoſterum vereantur.

[Margin: Heb 10.39.]

[Margin: * *Mitis depone colla Sicamber: incende quod adoraſti: adora quod incendiſti.*]

Inſuper operæprecium cenſui hunc faſciculum conſerere in ſacrorum aliquot hominum gratiam atq. ſubſidiū. Videlicet vt nonnulli minus periti diuinorum Officiorum ac rituum: *ſcientiam tabernaculi* hinc faciliori methodo addiſcerent; ex iiſque rudiores qui penitiora Sanctuarij nondum introſpexerunt (nimirum qui minimè callent myſticam Eccleſiaſticorum officiorum œconomiam) quaſi in promptuario haberent, quid de diuinorum myſteriorum tractatione, ſacrarum cæremoniarū

ritu

ritu atque ſignificatione, præconiorum Eccleſiaſticorũ auctoribus, de quibus frequenter, atque vt plurimùm nimis curioſè à nonnullis interrogantur, quo ad ſatis ſit, doctis ac indoctis reſpondeant. Qui verò venerando ex hoc ordine, negligentiùs ipſa myſteria tractant quàm poſtulat Dei O. M. cui ſeruiunt numen & maieſtas, ipſorum officiorum quæ obeunt dum aris miniſtrant præſtantia & dignitas, Eccleſiæ Catholicæ decus, & communis omnium pro quibus ipſa ſacra fiunt, ſalus & incolumitas: quâ reuerentiâ & honore hæc ſint à ſe exercenda, edoceantur; atque ſic ab ipſis ſacro ſuo munere piè, ſenſatè, ac congruè perfungentibus, in hominum animis pietas atque religio efficaciùs excitentur.

Denique ad ſpecialem Galliæ laudem & commendationem, opus hoc myſticorum Rituum concinnare aggreſſus ſum. Tametſi enim plurimi præſtantis doctrinæ ac pietatis Scriptores, hactenus de Eccleſiaſticis ritibus diſſeruerint, de iiſque tractatus pleroſque multiplici refertos qua pollebant eruditione in lucem emiſerint: potiùs tamen diuinorum officiorum rationes myſticas expoſuerunt: quam rituum ipſorum ortus, auctores, & litteralem ſenſum attigerunt. quin & magis theorias quàm praxes ſacras ſunt interpretati: porrò nonnullas prætermiſerunt intactas, quæ etiamnum vigent in vſu, arcanas obſeruationes. Galliæ verò noſtræ, quæ in myſticæ huhuius panopliæ inſtruendo apparatu maximam laudis partem promeruerat, ſpecialem haud habuerunt rationem: vt inſtitutionum ſacrarum quas religioſâ ſolertiâ illa adinuenit, ſuóſque per alumnos inuexit, origines ipſimet natiuas vindicarent; eóque titulo (quę ipſi debetur) Chriſtianæ pietatis atque prudentiæ commendationem eidem referrent; ſícque promeritis tam felicis induſtriæ zelíque exornandæ religionis præconiis, illam proſequerentur. Hæc autem affatim exhibentur in hoc volumine, quo cãdelabrum luminis (cuius fulgentibus adeò lucernis Dei tabernaculum, Eccleſia nimirum Chriſti Catholica irradiatur) liliis cernitur vndequaq. adornatũ:

cùm ex Gallicanæ Eccleſiæ religioſis inuentis, ipſa diuini cultus œconomia, & religionis Catholicæ pretioſa quæque ſupellex, illuſtrata conſpicitur. Magiſque longè fulget vniuerſalis Eccleſia, horum liliorum ſuorum exornata candore, quam Salomon ſpecioſus dudum enituit in omni ſuo decore, ac regij apparatus tam ſtudioſè exquiſita gloria.

Et mihi equidem primùm in animo fuit (quemadmodum huius operis ipſum inſtitutum exigebat) integram hanc collectionem multiplicis in Gallia originis Chriſtianæ pietatis rituum, & myſticorum Scriptorum, qui eoſdem vel tradiderunt vel elucidârũt abſolutam recenſionem, vnũ in codicem cõgeſtam expromere. Sed à ſcopo parumper deflectere, ſecare opus, & duas in partes illud diſcernere, mihi ſanè tametſi inuito neceſſe fuit. Cogente ſcilicet illa ipſâ pietate, qua hunc colligendo faſciculum, deſudabam. Tractandum enim mihi cùm eſſet de ipſius Gallicanæ Eccleſiæ primordiis ac inſtitutionibus: itidem de eius Apoſtolis & primis præceptoribus myſtiſque ſanctiſſimis diſſerere, vnà opus erat. Quorum etſi elogia in Martyrologio Galliæ propriis locis prætexuiſſem: tamen quia non ex profeſſo de illorum inſtitutis quib. religionem Chriſti celebrandam, exornandúmque Dei cultum tradidêre, eo in opere pertractaſſem; ſupereſſe hoc videbatur, vt iam de ipſorum traditionibus, ſtatuto ex fine ſcribens, veneranda illorum nomina, ſpeciali cum laude, commemorarem, ac proprium ſub titulum reuocarem. Neque enim æquum fuiſſet illorum theoremata deſcribere, ſine ipſorum aliqua honorificatione, qui tantæ lucis radios, eamdem in Galliam, (immò vniuerſam Eccleſiam) præclaris hiſce ſuis adinuentionibus profuderunt.

At id præſtare ſine pugna, nõ licuit. Obſtiterũt enim mihi pacificè progredienti, infeſta æmulorum ſigna, qui antiquitatis primæuæ gloriã, Gallicanæ ipſimet Eccleſiæ pro virib. detrahunt: dũ magno æſtu cõtendunt, Apoſtolorum eiuſdem Galliæ primas miſſiones, ad ſera nimis tempora deducere. Hoc vnum videlicet nitentes, vt pa-

rentes Eccleſiarum Galliæ non tam nobiles quàm hactenus habiti ſunt, impoſterum exiſtimentur: nec tales amodo cenſeantur, quales ipſos eſſe, Maiores crediderunt & prodiderunt. *Apoſtolorum diſcipuli* (inquit præcipuus paradoxorum illorum ſator & aſſertor*:) *ij qui Eccleſias noſtras fundauerunt, vulgo aſſeruntur. Paucorùmque apud Gallos nomen in fama fuit, quos credula nimiùm poſteritas, ad Apoſtolorum tempora non retulerit, Petri & Clementis diſcipulos illuſtriores ab ipſis Romanis Epiſcopis primos fidei Chriſtianæ auctores, ſe accepiſſe* GALLIA PRÆDICAT. In quo nupero ſcriptore, eſt merito quòd plus modeſtiæ deſideremus. Si enim ipſe Gallus eſt, Galliæ communem fidem, antiquam perſuaſionem, perpetuam aſſertionem de primorum ſuorum Euangeliſtarum ætate Apoſtolica, dignitatéque primaria, quo pacto audet impetere, auctoritatem Patrum ſpernere, auitam ſynceritatem irridere? dum nimiæ credulitatis Maiores arguere non dubitat, quos incertis & fabuloſis monimentis deceptos, inſano amore horridæ & dedecoroſæ traditionis deluſos: quin & priſcos Galliæ venerandos Antiſtites iis de rebus tractantes in ſynodicis conſeſſibus deceptos, errores cœco intuitu, vel monoculo iudicio confirmâſſe, ſcibere non veretur: adeóque ipſos nuncupare haud illum pudet *auctores* quidem *probos & ſanctos, ſed imperitos?*

* Author *Hiſtoriarũ* (quas inſcribit) *Gallicanæ Eccleſia.* At reuerà, farraginum ſuarũ, veræ hiſtoriæ Galliarum Eccleſiæ aduerſarum, lib. 1. cap. 25. & 26. pag. 59.

Idem parte 2. pag. 91.

Idem eadem parte p. 62.

Quia verò DIONYSIVS Pariſienſis Eccleſiæ Pater, Galliæq. vniuerſalis Apoſtolus, inter Euangelicos nuntios, nominis famâ, & Apoſtoli Pauli magiſterio illuſtris, præ ceteris enituit: quódque ipſius & aſſeclarum in Galliam miſſio & acceſſus, prædicatio & triũphus longè celebrior adoreis ceterorum fuerit: & quia de ipſo Dionyſio Gallia potiſſimũ gloriatur, ſuæq. ingenitæ ab ætate Apoſtolorum nobilitatis, fundamentum in eius titulis ipſa reponit: ideo id euertere fulcrum ac columen, quibúſque artibus aut arietibus poteſt, nuperus ille diſputator enititur. Qui certè omnes ingenij ſui neruos in hunc ſcopum intendit, vt deiecto hoc ex faſtigio Apoſtolicæ ætatis & gloriæ DIONYSIO, illum ipſo glorioſo Areopagitæ

titulo abdicet, gregalem fuiſſe Chriſtianæ militiæ pugilem, non ducem primarium exercitus, innuat; poſteri agminis nuntiorum fidei qui ſub Decio vel etiã Diocletiano, in Galliam demum miſſi ſunt, Legatum, ſuadeat. Hinc enim ſeſe prorſus efficere quod maximè ſatagit arbitratur. videlicet Gallicanę Eccleſię cunabula Apoſtolicæ gloriæ ſplẽdore minimè enitere; at exordia eius admodum exiliora eſſe ac recentiora, quàm ipſa prædicet. Cùm neq. ab aliquo Apoſtolorum, neq. ab vllo ex illorũ diſcipulis, minus autem ab ipſo Dionyſio (cuius nomine, inani nobilitatis typho, illam ſeſe extollere criminatur) progenita ſit: ſed poſterioribus longè temporibus ab inferioris claſſis myſtagogis, Chriſtianæque doctrinæ præconibus procreata fuerit. Tardè ſcilicet in Galliis, & poſtquam iam Scytæ, Mauri & Sarmatæ Chriſto Seruatori crediderant, religione ſuſcepta. Quod certè ſi ita ſit, exuat iam oportet Gallicana Eccleſia inclytum illũ titulum *filiæ Primogenitæ* Cathol. Apoſtol. & Romanæ Eccleſiæ: quo natalium iure ornata & prædita ſemper vſq. modò, ceteris Occidentis Eccleſiis præcelluit. Quæque nunc vſque capiti vt proximius inſitum membrum, eo potita eſt honore, vt à ſummis ipſis Pontificibus prædicata ſit, ſancti Petri prima ſoboles: iam ad caudam ex vertice deiecta; * non apex Chriſtianorum gens Gallica nominetur, ſed prærogatiua excidat illa natiua, poſtremáque habeatur neceſſe eſt, & non prima. Cùm tamen Stephanus III. PP. ipſiuſmet *ſancti Petri nomine declaratum* eſſe aſſeueret*, *ſuper omnes gentes quæ ſub cælo ſunt, gentem noſtram, Apoſtolo Dei Petro* PRIMAM *exiſtere.*

* Vide Teſtam. S. Remigij apud Flodoard. & Briſſonium.

* Apud Baron. Tom. 9. ad an. 755. n, 28.

Concuſſus igitur ipſo amore patriæ, cuius per propudioſa illa molimina, non exteri quidem hominis, ſed alumni Galliæ proprij, honorem temerari, imminui gloriam, & titulos præcipuæ nobilitatis, quæ ex Chriſto eſt obſcurari: antiquitatis reuerentiam lædi, Patrum memoriam dedecorari, traditionis auitæ concuti firmitatem, animaduertebam: contra tantos auſus has tam pias quàm neceſſarias vindicias natalium Gallicanæ Eccleſiæ

aggreſſus ſum; quas tamen non minimùm doleo feſtinanter ac præmaturè nimiùm, ſolis in aſpectum prodire. Has enim quas ſimul & texere & cudere oportuit, ob inſtantem cauſæ publicæ (quæ prompta fortíque nihilominus defenſione indigebat) periclitationem: accuratiùs aliquando exequi, congruentioríque loco exponere conſtitueram. Nempe illas intexere meis ad Martyrologiũ Galliæ Commentariis, vbi ſub propriis titulis de cuiuſque Galliæ Apoſtoli, Didaſcali, Tutelaris, ætate, dignitate, doctrina, agonibus, & meritis, ex profeſſo mihi iuſta incumbit occaſio diſſerendi.

Sed quia officij parœcialis continua inſtantia, ac aliorũ pondus laborũ ſtudiorúmq. varietas, mihi impedimento fuerunt, quominus ipſos Martyrologij commentarios tã citò ac deſiderabam, atq. etiam quàm auidè expetuntur à pleriſq. gloriæ Sãctorum Galliæ amatoribus, in publicos vſus expromerem. Interim verò æmuli nos perpetuo æſtu inceſſerent, quaſi promiſſi oblitos cui ſoluendo impares nos eſſe, immò quoſcumq. alios qui primas Apoſtolorũ Galliæ miſſiones, iuráque Areopagitica Eccleſiæ Pariſiẽſis protomyſtæ, tueri vellent, paſſim proclamabãt. Fabulã enim eſſe exploratam, quicquid de Apoſtolatu Gallico Dionyſij Areopagitæ, Gallia ipſa hactenus crediderat, vbiq. diſſeminabant. Quoniam verò paternam illam traditionem, in textu Martyrologij mei ſum complexus, me quaſi commẽtorum anilium aſſertorem perperàm criminabantur: atq. ita opus gloriæ Sanctorum patriæ conſecratum, magno conatu in contemptum traducebant. Tametſi quod ad me attinet, æquè potuiſsẽ illorũ hũc impetũ hac ratione reprimere, quòd præmaturè me vrgebãt, cúm edendorum commentariorum quos fueram pollicitus, fidẽ, (auxiliãte CHRISTO) prope liberaturus eſſem: cuius ſpem præſtituendæ effluxum à textus ferè adhuc madenti editione, temporis breue interſtitium nequaquam ſuſtulerat. Maximè cùm conſtruendo tam arduo copioſóq. operi, exiguæ quib. me arctabant moræ impares eſſent. Typis interim agnoſcerẽt paratum eſſe magna

ex parte ipſum opificium noſtrum; cuius primi voluminis prælo committendi iam opportunitatem ipſe opperior: in quo eorum argutiis ac criminationibus potiori ex parte ſatisfacio. Quamobrem ipſos parumper expectando conquieſcere, æquum eſſe. Id ſi nollent: me illos meritò poſſe iniuſtæ ac importunæ exactionis arguere: quin & eorum inſectationem non curare, & conuicia quæ ingerunt immerenti, fas eſſe aſpernari. Ita inquam iure poteram me ex illorum eiuſmodi impetitione acriori ſubducere. Idque vt iuſtè, ſic fortè non illibenter feciſſem, ſi mea tantum res hac in cauſa interceſſiſſet. Verùm quia eiuſmodi importunis aduerſariorum clamoribus, erebris querelis & ſcriptitationibus, auitæ traditionis veritas vndique laceſſita, apud pleroſque periclitabatur, patriæ lædebatur honor, Maiorum fides, ſacræque omnis traditionis auctoritas concutiebatur. Gallicanæ Eccleſiæ antiqua dignitas, & priſtinus religionis ſplendor obſcurabatur: nonnihilque etiam apud exteras nationes, regni huius Chriſtianiſſimi (cuius Apoſtoli, toto orbe percelebris, nobilitas, à ſolis Galliæ alumnis ô pudor! iam impetitur) minuebatur exiſtimatio, atque præcipuum decus gloriæ offundebatur. Non potui equidem ſine graui reatu diutiùs conticere. Pariſienſis ſum enim. Fas mihi non erat Eccleſiæ cuius ſum filius, impugnatam natiuam gloriam non tueri; ac iniuriâ eidem illatum tantum dedecus, quod amoliri poteram, pro virili non repellere. Omnem igitur remoram excutere mihi neceſſe fuit, vt iis molitionibus, adeo patriæ exitioſis, quin & Gallico nomini dedecoroſis, ocyus occurrerem. Aduerſarij fulcra euellere conantur antiquæ traditionis, qua nonnihil nititur ſuſcepta ab Apoſtolorum diſcipulis in Gallia religio. Operæprecium igitur erat, quæ fundamenta quatiunt, quantocyùs communire: atque contra ipſorum inſultus principia quæ nutare volunt Eccleſiaſticæ noſtræ gentis hiſtoriæ, & Apoſtolicæ Eccleſiarum Galliæ originis exordia, obfirmare neceſſario propugnaculo oportebat. At quoniam Commentariorum

quos ordior in Gallicani Martyrologij (quo antiqua traditio vndequaque ſtabilitur) fulcimentum, ea eſt moles, quæ vt opus fuiſſet, breui educi manu in aciem non poterat: reprimenda interim ocyus erat violenta æmulorum incitatio, promptioris machinæ oppoſitione: libri ſcilicet iſtius Apologetici, quaſi clypei fortiſſimi, prætento ipſis obice; quo donec pleno inſtructi apparatu aduerſus eos progrediamur, iacula quæ emittunt contra Patrum titulos, maiorúmque ſcita, auſpicatò refringantur, vel in ipſos impetitores retorqueantur.

Eo igitur fine atque conſilio hocce opus texui, quo non modò contra nuperos criticos, Myſtarum antiquiſſimorum Galliæ ſacra canities & dignitas vindicatur: ſed præterea aduerſus Catholicæ Eccleſiæ perduelles (profanæ ſcilicet nouitatis in fide inuentores, qui Apoſtolorum Galliæ doctrinam deſeruerunt, ab illíſque traditam regni huius populis, religionis œconomiam euertunt, legéſque eorum ac mores aſpernantur) ipſorummet Galliæ Patrum præclara inſtituta aſtruuntur, formatáque ab iis diuino afflatu ſic approbatur Catholica ipſa religio, vt *à capite vſque ad oram veſtimenti* eius panoplia oleo gratiæ delibuta, nonniſi à Spiritu ſancto diſpoſita, ordinata (etiam quoad minimos ornatus qui in apparatu myſtico filiæ Regis renident) demonſtretur. Hinc autem eliciant Catholici, quo maiori pietatis æſtu, in obſeruantia paternarum traditionum inflammentur: & dum pulchritudinem Càtholicæ Eccleſiæ, cuius (munere diuinæ gratiæ) ſunt filij, ſuſpiciunt, cultus diuini quem illa docet & exequitur ſplendorem mirantur: ſeſe *in intellectibus manuum* ſuperni Paſtoris dirigi animaduertant, & fidem cuius dogmata intemerata tenent, religionem cuius grata decora vident, myſteriáque reſerata perſpiciũt: ampliori complectantur pietatis ac deuotionis affectu, impenſioríque officio feruidæ obſeruantiæ & operationis comitentur. Etenim hoc illos docebit iſte liber, qui licèt intereiſus ſit neceſſaria illa digreſſione, de Apoſtolicis in Galliam primo ſæculo factis miſſionibus: po-

tiſſimum verò ſubiunctâ illa Apologiâ pro Gallico beati Dionyſij Areopagitæ Apoſtolatu, quaſi diſſectus videatur; continuus tamen plena reddita operis totius ſerie comparebit. His enim difficultatum ſuperatis vorticibus reliqua ipſa tractatus connexio, viuus quaſi amnis à ſuo fonte decurret, & placido, leni limpidóque ſuo ipſo decurſu, tumores quibus per obuios ſcopulos inflata, exundare viſa eſt, ſenſim conſtringens; vndas ſuas tranquillas ſpectantibus, ſitientibúſque ſuaues, fauente ſuperno Nauclero, qui ſolo nutu *procellam mutat in auram*, gratiſſimè exhibebit.

Ceterùm ſatis ſupérque mihi præfatus videor de tractatus huius mei inſtituto: in cuius ſeriem ſi quæ irrepſerint grauiora errata, precor te enixè, ERVDITE LECTOR, vbicumque deprehenderis pro tua ſolertia vt emendare; vel mihi quæ leuiora videbuntur, pro tua benignitate, condonare velis. At memineris quæſo, in controuerſiis, quas hoc in codice expendo, dirimendis, multiplices occurriſſe rerum difficilium anfractus: quos vt omnes tranſilirem, perarduum fuerat nullum in ſcopulum impingere: támque longam ſine contracto puluere excurrere palæſtram; aut ex acri adeo pugna, vndequaque redire illæſum. Pro tanto ſudore mihi tamen ſatis omnino erit, ſi palma victoriæ, veritati & patriæ pro qua decertaui adſcribatur. Quin & B. DIONYSIO AREOPAGITÆ, noſtro Apoſtolo, hoc ex certamine, etiã cum aliquo vulneris mei pretio, recens laurea comparetur: quâ de gloriæ ſuæ æmulorum deuicta pertinacia triumphans, perpetuum, ob hanc victoriam, quam propriis ſuis titulis reuexit, demum, auſpice Rege gloriæ CHRISTO (cui pridem Galliam tam fortiter quàm feliciter ſubegit) trophæum obtineat.

SVMMA

SVMMA PRIVILEGII.

CAVTVM *eſt* LVDOVICI XIII. *Chriſtianiſſimi Franciæ & Nauarræ Regis priuilegio, ne quis in Regnis ipſius intra ſeptem proximos annos ab hac impreſſione numerandos, excudat, vendat, aut excudendum curet librum, qui inſcribitur* De Myſticis Galliæ Scriptoribus, *&c.* Authore ANDREA DV SAVSSAY Pariſino, S. R. E. Protonot. Concionatore regio, necnon Eccleſiæ SS. Lupi & Ægidij in vrbe Paſtore. *Præter Sebaſtianum Cramoiſy Typographum Regium ordinarium, Bibliolam Iuratum, ac Ciuem Pariſienſem. Ne quis item ex Regis ſubditis librum eundem extra Regni fines excudendum inſtiget, ſine conſenſu dicti Sebaſtiani Cramoiſy, ſub pœna confiſcationis librorum & aliis contra delinquentes expreſſis in diplomate, dato Pariſiis die* 15. *Februarij* 1639.

Signatum, CEBERET.

APPROBATIONES OPERIS.

EGo Doctor Theologus ſacræ Facultatis Pariſienſis, polliceor & teſtor legiſſe ſtudioſè, & recenſuiſſe librum hunc doctiſſimi viri Domini DV SAVSSAY, in ſacro iure Doctoris & Parochi Eccleſiæ ſanctorũ Lupi & Ægidij. *De Myſticis Galliæ ſcriptoribus*. In quo myſticam polymitã & admirabilem animaduerti texturam *θείων εἰκόνων*, hoc eſt, diuinorum virorum Eccleſiæ noſtræ, opere pluſquam Phrygionico confectam & acupictam. Vidi & areolas aromatum à Pigmentario elegantiſſimè conſitas, quas & irrorant & irrigant aquæ viuentes, quæ fluunt impetu de Libano Apoſtolicæ Eccleſiæ: atque imprimis docibilem Dei Sanctum Dionyſium noſtrum vindicatum Areopagitam, cui vincta & vindicata eſt Regum noſtrorũ purpura ſtlataria. Atque hæc eſt authoris operoſa induſtria & argumentoſa opera certè *δυσμάχως*. Lutetiæ Pariſiorum apud Cardinetum S. Nicolai noſtri 25. die Ianuarij 1639.

G. FROGER.

EGo Doctor Theologus ſacræ Facultatis Pariſienſis legi ſingulare opus D. ANDREÆ DV SAVSSAY, *De Myſticis Galliæ ſcriptoribus*, in quo doctiſſimus author, pro aris & patria pugnans, accuratiſſimam operam ponit in aſſerendo & vindicando Galliæ DIONYSIO AREOPAGITA: atque adeò in erudita hac & laborioſa appendice Martyrologij ſui totam litem ad vltimos apices exigens multa delibat, quæ antiquitati Eccleſiaſticæ & veteris diſciplinæ Ritibus facem præbent. In omnibus purè & orthodoxè & ad regulam Catholicæ Eccleſiæ. Scripſi Pariſiis 29. Ianuarij 1639.

CHAPELAS. C. S. IACOBI.

SYNTAGMA
HVIVS OPERIS DE MYSTICIS GALLIÆ SCRIPTORIBVS, &c.

SÆCVLVM I.
Ab anno Domini 35. ad 100.

S. PAVLVS APOSTOLVS
Galliæ conſecrator. *à pag. 1. ad 149*

I. RITVS CHRISTIANÆ PIETATIS.
Nimirum ordo Miſſæ *à ſancto Paulo Apoſtolo diſpoſitus.* *à pag. 10. ad 15. incluſ.*

II. RITVS.
Portare myſterium fidei in conſcientia pura; ſpeciale Diaconorum ex diſpenſatione Apoſtolica munus eſt. à pag. 16. ad 22.

III. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Expurgatio animæ, neceſſaria ad diuinam ſynaxim diſpoſitio. *à pag. 22. ad 29. incluſ.*

IV. RITVS A S. PAVLO APOSTOLO PER per ſcripta traditus,
Vt obſecrationes ſolennes fiant pro Regibus, in ſacra Liturgia.
Quo ſub titulo agitur de ſpeciali pro Rege Chriſtianiſſimo oratione. *à pag.30. ad 36*

V. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Sedium Epiſcopalium, ac Parœcialium Eccleſiarum inſtitutio. *à pag. 36. ad 49*

VI. RITVS A S. PAVLO APOSTOLO traditus.
Nominis Dei inuocatio in omni fidelium actu. à p. 49. ad 51

VII. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Menſæ benedictio, & de ſumptis inde cibis gratiarum actio.
Quo ſub titulo de myſticarum aliarum luſtrationum origine, recta linea diſſeritur. *à pag. 51. ad 53*

VIII. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Martyrologij conſcriptio. *à pag. 53. ad 57*

IX. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Veneratio Apoſtolicæ coronæ. *à pag. 57. ad 62*

X. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Vt mulier velato capite in Eccleſia oret. *à pag. 62. ad 70*

XI. RITVS A S. PAVLO TRADITVS.
Qui eſt de officiis & iudiciis Eccleſiaſticis; necnon de ſacra generali politia. *à pag. 70. ad 128*
§. 1. *De ſacris Cancellariis.* *à pag. 75. ad 80*

DIGRESSIVNCVLA.
De Vicecancellario S. R. E. *à pag. 80. ad 89*
§. II. *De Suffraganeis.* *à pag. 89 ad 95*
§. III. De Officialibus, ſeu Eccleſiaſticis iuridicis. Subiunctímque & obiter,
1. *De vtroque Epiſcopi foro.* 2. *De praecelſiori eius throno.* 3. *De Presbyterorum ſedilibus circumpoſitis.* 4. *De Pœnitentiarij Cathedratici inſtitutione.* 5. *Sacri denique iuridici, quem Officialem iam vocant, initio antiquiſſimo.* *à pag. 95. ad 108*
§. IV. *De Archidiaconis & Protodiaconis.* *à p. 108 ad 128*

XII. RITVS.
Seu doctrina generalis à ſancto Paulo tradita, de Cæremoniis ſacris, & myſtica Chriſtianæ religionis panoplia, ac Eccleſiæ Catholicæ honeſta piáque in omnibus diſpoſitione. *à pag. 128. ad 149*

S. LVCAS EVANGELISTA.
Imaginum Saluatoris & glorioſæ eius Genitricis inuentor. *à pag. 149. ad 154*

S. LINVS SEQVANORVM APOSTOLVS.
exque ſancti Pauli aſſecla, beati Petri Vicarius, primúſque eius ſucceſſor in ſumma ſede Romana.

CAPVT PRIMVM.
Diſſertatiuncula admodum neceſſaria de Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſalutifero curſu, necnon

concurſu triumphali. à pag. 154. ad 161

CAPVT SECVNDVM.

Conciliatio binæ ſententiæ, quarum altera Linum facit Pauli ſectatorem: altera Petri Vicarium, & deinde ſucceſſorem aſtruit. à pag. 161. ad 168

CAPVT TERTIVM.

De tempore quo venit Biſontium ſanctus Linus, miſſus à S. Petro. à p. 169. ad 176. excluſ.

CAPVT QVARTVM.

I. RITVS A S. LINO TRADITVS.

Baptiſterij in Gallia prima conſtitutio. p. 176. & ſeqq.

II. RITVS A S. LINO TRADITVS.

Vt mulier, nonniſi velato capite, Dei templum ingrediatur. à pag. 181. ad 184. incluſ.

III. RITVS A S. LINO TRADITVS.

Sanctorum vitæ conſcriptio: documento piæ poſteritatis plurimùm profutura. à p. 185. ad 188

IV. RITVS A S. LINO TRADITVS.

Pallium Pontificale. à p. 188. ad 279

LIBELLVS DE PALLIO SACRO.

CAPVT I. *De auctore Pallij Pontificalis.* p. 188 ad 192

CAP. II. *De origine Pallij.* à p. 192. ad 199

CAP. III. *De materia & forma Pallij.* à p. 199. ad 203

CAP. IV. *De Pallij tam vocali quàm myſtica ſignificatione.* à pag. 203. ad 211

Cap. V. *De petitione Pallij,* *à p.211. ad 220*
Cap. VI. *De Pallij conceſsione.* *à p.120. ad 226*
Collationis Pallij Pontificalis factæ illuſtriſsimo primo Archiepiſcopo Pariſienſi, litteræ Apoſtolicæ, à p.226. ad 228
Reſcriptum Apoſtolicum ad reuerendiſsimos Epiſcopos Carnotenſem & Aurelianenſem, vel eorum alterum: de collatione prædicta efficaciter exequenda. à pag.228. ad 229
Forma dandi Pallij, præſcripta ab Apoſtolica ſede. à pag. 229. ad 230
Forma iuramenti pro Pallio præſtandi, ſecundum vigentem Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem. à pag.230. ad 231
Solennis aſsignatio, ſeu traditio Pallij, facta illuſtriſsimo Archiepiſcopo primo Pariſienſi, per reuerendiſsimum Epiſcopum Carnotenſem executorem mandati Apoſtolici. à pag.231. ad
Cap. VII. *De auctoritate Pallij.* *à p.233. ad 246*
Cap. VIII. *De defectu Pallij.* *à p. 246. ad 258*
Cap. IX. *De ordinario Pallij vſu.* *à p.258. ad 363*
Cap. X. *De extraordinario vſu Pallij.* *à p. 263. ad 269*
Cap. XI. *De multiplicitate Pallij.* *à p.269. ad 272*
Cap. XII. & vltimum. *De Pallij ſingularitate. à p. 272. ad 279*

S. SAVINIANVS CELTICÆ Galliæ Apoſtolus, Senonenſium Protomartyr ac Antiſtes primus.

Anno Chriſti 44.

SYNTAGMA

Solennitatis Natalis Domini apud Gallos inſignis initiator, necnon mirificus trophæi Dominicæ crucis impreſſor. *à p.279.ad 300*

Eodem tempore.

S. POTENTIANVS SECVNDVS Senonenſium Antiſtes.

S. Sauiniani ſocius, B. Petri miſſus, Chriſtique purpuratus teſtis: necnon incruenti ſacrificij quotidianus immolator. *à p.300.ad 302*

Anno Chriſti 44 excurrente, ſeu ineunte 45.

S. MARTIALIS AQVITANIÆ vtriuſque Apoſtolus.

Pontificalium benedictionum in ſacris Myſteriis inuentor. *à p.302. ad 341*

S. DIONYSIVS AREOPAGITA Galliæ Apoſtolus, Lutetiæ Pariſiorum primus Epiſcopus.

Necnon primus diuinorum officiorum ac myſticorum rituum, in Gallia, Dictator & Interpres. *à p.343. ad 1199*

PRÆFATIVNCVLA.

APOLOGIA

Pro Hilduino San-Dionyſiano Abbate Areopagiticarum vindiciarum ex iuſſu Ludouici Pij Imperatoris ac Regis Chriſtianiſſimi conditore.

PRÆ-

Præfatiuncula ſuper hac tractatione

Cap. I. *Areopagiticas vindicias ab Hilduino fuiſſe tam piè quàm neceſſariè initas.* à p. 346.

Cap. II. *Nec deceptum fuiſſe Hilduinum in Areopagiticarum vindiciarum collectione: neque deceptorẽ in earumdem editione conuinci poſſe.* à p. 354. ad 370

Cap. III. *Errare potiùs qui criminantur Hilduinum: cuius Areopagitica plerique non legerunt: ceteri non hactenus refutârunt.* à pag. 370. ad 374

Cap. IV. *Sententiam ſuam validis argumentis & probationibus legitimis Hilduinum confirmâſſe; háncque neque confictam, neque nouam, ſed perantiquam & ſynceram indicâſſe.* à p. 374

Cap. V. *Ex intima Galliæ conteſtatione Hilduinum oſtendiſſe aſſertionis ſuæ de identitate Dionyſij Athenienſis, cum Pariſienſi, veritatem.* à p. 374. ad 405

Cap. VI. *De Græcæ Eccleſiæ, cui inhæſit Hilduinus, teſtificatione.* p. 405. & ſeqq.

Cap. VII. De atteſtatione Apoſtolicæ Sedis. *Cuius traditione ſuffultus Hilduinus, Dionyſium Galliæ illuminatorem à S. Clemente miſſum, fuiſſe ipſum quam Athenis Paulus Apoſtolus conuertit, tinxit, & ſacrauit Dionyſium Areopagitam, aſſeruit.* à pag. 439. ad 507.

Art. 1. *Dionyſium primum Epiſcopum Pariſienſem, eſſe vnum eumdémque cum Athenienſi, ex Romanæ Eccleſiæ doctrina & traditione, quæ ex ſacris eius antiquis tabulis, etiam à Beda tranſcriptis elicitur, apertè demonſtrari.* à p. 455. ad 470

Art. 2. *Idem probari ex ſummorum Pontificum epiſtolis Innocentij, Gelaſij, & Gregory Magni ad Pari-*

ſienſem Eccleſiam directis: inſupérque ex alio inſigni documento ipſius S. Gregorij. à p. 470. ad 479

Art. 3. *Aliorum Pontificum Hilduini ætate antiquiorum tam factis quàm ſcriptis, eamdem quam ille aſſeruit de B.* DIONYSIO *ſententiam confirmari.*

§. 1. *Stephani III. Papæ hac de re illuſtri teſtimonium, tam Apoſtolicis litteris, quàm opere memorabili declaratum.* à p. 479. ad 484

§. 2. *Pauli Papæ I. adſtipulatio inſignis, quæ facto eius atque ſcripto conſpicuo probatur, ſuffragióque munitur Pipini Regis Chriſtianiſsimi.* à p. 484. ad 493

§. 3. *Sequentium ſummorum Pontificum ad tempora vſque Ludouici Pij (ſub quo demum Areopagitica ſua Hilduinus ſcripſit) continuus ea de re conſenſus.* à p. 493. ad 496

Art. 4. *Hinc colligi Romanam Eccleſiam antiquis ſuis monumentis ſuis inſtructam, eadem quæ nunc vſque ſentit de Dionyſio noſtro, ante Hilduni ætatem cenſuiſſe & docuiſſe.* à p. 496. ad 507

CAP. VIII. *Priorem probationum, quæ Hilduini Areopagitica muniunt, ſupplementi proferens partem. Nempe ea complectens teſtimonia & argumenta, quæ Hilduinus vel non aduertit, vel non notauit, aut induxit, in vindiciarum ſuarum collectione: tametſi illa ipſimet Hilduino, (vt ſcriptis eius antiquiora) non potuerint ignota eſſe.* à p. 507. ad

Art. 1. Primum Hilduino afferens ſubſidium. *Ex ſanctorum Martyrum S.* DIONYSIO *Areopagitæ cohærentium, actis germaniſsimis.* à p. 512. ad 552

§. 1. *Ex paſsione ſeu actis S. Luciani Martyris Bellouacenſium Apoſtoli germaniſsimis, à Iacobo Fabro*

Stapulenſi, in lib. de AGONIBVS *Martyrum menſe Ianuario, ex peruetuſtis Codd. adeóque primæua exceptorum collectione, ſine vllo additamento, vel ſtyli alteratione, editis Baſileæ an. 1527.* à p. 516. ad 519

§. 2. *Ex actis S. Ionij, aliàs Ionæ Presbyteri & Martyris natione Græci, ex MSS. Codd. & antiquis auctoribus collectis, editiſque Lutetiæ, operâ & ſtudio Henrici le Maire Doctoris Theologi facultatis Pariſienſis, apud Franciſcum Huby an. 1612.* à p. 519. ad 523

§. 3. *Ex actis S. Cauranni, ſeu Carauni Martyris Carnotenſis, quæ ex antiquis MSS. Codicibus elicita, Boninus Mombritius tom. 1. de Sanctorum geſtis in lucem prodidit.* à p. 523. ad 525

§. 4. *Ex actis, quæ Metropolica Rotomagenſis Eccleſia in antiquiſſimis Codd. deſcripta habet, S. Nicaſij Epiſcopi & Martyris S.* DIONYSII *Areopagitæ Apoſtoli Galliarum diſcipuli, primique Lugdunenſis ſecundæ deſignati Pontificis, in Vulcaßino coronati, & apud Meulantum in aſceterio ſui nominis quieſcentis & celebrati.* à p. 525. ad 530

§. 5. *Ex actis S. Eugenij primi Epiſcopi Toletani, & Martyris diſcipuli S.* DIONYSII *Areopagitæ, in Concilio Leodienſi celebrato ſub Stephano Antiſtite ante annos 700. lectis & approbatis.* à p. 530. ad 541

§. 6. *Ex actis S. Eutropij primi Epiſcopi Santonenſis & Martyris.* à p. 542. ad 552

Art. 2. *Quo nouæ Hilduino ſuppetiæ tranſcribuntur ex diuerſis Patrum Galliæque Regum, qui antequam Hilduinus ipſe Areopagiticã lauream Pariſienſi* DIONYSIO *vindicaret, floruerunt, ſelectis teſtimoniis* 5:6

§. 1. *Teſtimonium ipſius S.* DIONYSII *Areopagitæ*

primi Pariſiorum Pontificis: non chartarum leuiſſimis codicibus, ſed ſolidis admodum monimentis ab eo exaratum, & æternæ memoriæ fidelium conſignatum: Necnon ab Antonio Monciaceno Demochare Reſſoneo, doctore Sorbonico, in hiſtorica propugnatione Chriſtianæ religionis, inſtitutioniſque D. N. Ieſu Chriſti, & Apoſtolicæ traditionis aduerſus Miſſoliturgorum blaſphemias, graui notatione obſeruatum Tom. 2. de ſacrificio cap. 18. quo Catalogum exhibuit Epiſcoporum (deinde Archiepiſcoporum) Pariſienſium numero 1. à p. 566. ad 575. excluſ.

§. 2. *Teſtimonium S. Eugenij Toletani Epiſcopi & Martyris, diſcipuli beati* DIONYSII *Areopagitæ, ab ipſo in Hiſpaniam ad propagandum Chriſti regnum directi, hincque plantata fide reducis, coronati glorioſo occubitu in agro Pariſienſi.* à p. 575. ad 580

§. 3. *Teſtimonium Geneſij Presbyteri qui ante annos* 1100. *claruit, ſcripſitque vitam ſanctæ Genouefæ Virginis.* à p. 580. ad 585

§. 4. *Teſtimonium ſancti Cerannij Epiſcopi Pariſienſis & Confeſſoris, qui ante mille annos Regiæ vrbis ſacerdotalem thronum illuſtrauit.* à p. 585. ad 590, incluſ.

§. 5. *Teſtimonium B. Venantij, Honorij, Clementiani, Fortunati Epiſcopi Pictauienſis.* à p. 591. ad 595 incluſ.

§. 6. Teſtimonium Dagoberti Regis Chriſtianiſſimi, præcipui cultoris ſancti Martyris DIONYSII, ciúſque auguſtiſſimæ baſilicæ fundatoris.

Ex charta Aurelianis edita, atque à Dadone Cancellario recognita, quam Dubletius aſceta DIONYSIANVS, *Monaſteriíque illius inclyti Chartularius ex autographo tranſcripſit, typiſque expreſſam primus pro-*

didit lib. 3. c. 5. Antiquitatum Abbatiæ S. Dionyſij in Francia. *à p. 596. ad 600. incluſ.*

Excerptum ex geſtis Domni Dagoberti Regis Francorum, filij Clotharij II. ſcriptis à Monacho Cœnobij S. Dionyſij, anonymo quidem, ſed contemporaneo.

Quæ ex Bibliotheca viri Cl. Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis deprompſit, ac præfixo ſub titulo edidit Andreas du Cheſne Geographus Regius, Tom. I. hiſtoriæ Francorum p. 574. & ſequentibus. à p. 601. ad 615

§. 7. Teſtimonium Clodouæi ſecundi Francorum Regis filij Dagoberti.

Ex charta eiuſdem Clypiaci edita anno 7. regni eius. à pag. 615. ad 616

Ex eiuſdẽ Conſtitutione facta itidem Clypiaci, anno regni ſui 16. quâ libertatem quam ipſius flagitatione S. Landericus Pariſienſis Antiſtes, Monaſterio S. DIONYSII *conceſſerat, ratam habet, atque cum Synodico conuentu approbat & confirmat. à p. 616. ad 619. excl.*

§. 8. Teſtimonium valde inſigne Pipini Regis, progenitoris ſecundæ ſtirpis Regiæ.

Ex eius diplomate confecto in Monaſterio S. DIONYSII, *eodem anno, quo fato functus, ipſo in templo Apoſtoli Galliarum, ſicut optauerat à filiis, pio funere conditus eſt.* *à p. 619. ad*

§. 9. *Teſtimonium S. Caroli, cognomento Magni Francorum Regis Chriſtianiſſimi, & Romanorum Auguſti Imperatoris.* *à p. 630. ad 644*

§. 10. *Teſtimonium Ludouici Pij, filij Caroli Magni, Regiſq; Chriſtianiſſimi ac Imperatoris. à p. 644. ad 648*

CAP. IX. *In quo poſteriores Hilduino probationes eius*

ſententiæ, de vno eodémque DIONYSIO *Athenienſi & Pariſienſi, perſpicuè ordinatéque depromuntur. quámque tuemur poſt ipſum Hilduinum auitam traditionẽ, fuiſſe ab eius ætate, vt antea recta ſerie ad nos vſque deductam, per illuſtrium ſcriptorum cuiuſque ſæculi teſtimonia, quin & grauiſſimorũ auctorum iudicia, aliáque præclara veritatis comprobatæ indicia, demonſtrantur.* à p. 648. ad 825

Art. 1. Sæculi noni proferens teſtimonia, quorum authores ſunt.

§. 1. SIMEON *Metaphraſtes.* à p. 649. ad 653

§. 2. *Anaſtaſius Bibliothecarius.* à p. 653. ad 655

§. 3. *Suidas Græcus Hiſtoricus.* à p. 655. & 656

§. 4. *Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis.* à p. 657. ad 660. incluſ.

§. 5. *Carolus Caluus Imperator.* à p. 661. ad 671

§. 6. *Patres Synodi Piſtenſis.* à p. 671. ad 677

SÆCVLI X. TESTIMONIA. quod effluxit ab anno 900. ad 1000.

§. 1. *Synodus Leodienſis.* p. 677. & 678

§. 2. *Franco Archiepiſcopus Rotomagenſis.* p. 678

§. 3. *Harigerus Abbas Lobienſis.* p. 678. & 679

§. 4. *S. Majolus Abbas Cluniacenſis.* p. 681. & 682

SÆCVLI XI. QVOD EXCVRRIT AB ANNO Domini 1000. ad 1100. teſtimonia.

§. 1. *Sanctus Leo IX. Papa.* p. 683. 684. & 685

§. 2. *S. Robertus Francorum Rex.* p. 686. 687. & ſeqq.

§. 3. *B. Fulbertus Epiſcop. Carnotenſis.* à p. 689. ad 692

§. 4. *S. Odilo Abbas Cluniacenſis.* p. 692. & 693

SÆCVLI XII. AB ANNO 1100. AD 1200. profluentis teſtimonia.

Digitized by Google

§. 1. *Sigebertus Monachus Gemblacenſis.* p.694. & 695
§. 2. *Ludouicus VI. cognomento Craſſus.* à p.696. ad 700
§. 3. *Bartholomæus Epiſcop. Laudunenſis.* p. 700. & 701
§. 4. *Sugerius Abbas S. Dionyſij.* à p. 702. ad 706
§. 5. *Petrus Abaillardus.* p. 706. & 707
§. 6. *Hugo à S. Victore.* p. 707. & 708
§. 7. *Ordericus vitalis Angligena Vticenſis Monachus.* p. 708. & 709
§. 8. *Eugenius III. Papa.* p. 710. & 711
§. 9. *Sanctus Bernardus.* p. 712. & 713
§. 10. *Galtherus Epiſcopus Laudunenſis.* p. 713
§. 11. *Petrus Comeſtor.* p. 713. 714. & 715
§. 12. *Adam à S. Victore.* p. 715. & 716

SÆCVLI XIII. TESTIMONIA.

ab anno 1200. ad 1300.

§. 1. *Robertus Monachus S. Mariani Autiſsidorẽſis.* 717
§. 2. *Anonymus deſcriptor hierogazophylacij S. Dionyſij* p. 718. & 719
§. 3. *Helinandus Monachus frigidi montis.* p. 720
§. 4. *Conradus Abbas Vrſpergenſis.* à p. 721. ad 724
§. 5. *Rigordus Hiſtoriographus natione Gothus.* p. 724.
§. 6. *Vincentius Bellouacenſis.* à p. 726. ad 729
§. 7. *Matthæus Paris Sanct-Albanus aſceta Anglus.* à p. 729 ad 734
§. 8. *Sanctus Ludouicus Rex Francorum cognomine nonus.* à p. 735. ad 738
§. 9. *Guilelmus de Nangiaco.* p. 739

SÆCVLI XIV. TESTIMONIA.

ab anno 1300. ad 1400.

§. 1. *Nicephorus Calliſtus.* p. 739. & 740
§. 2. *Nicolaus de Lyra.* p. 741

§. 3. *Yuo Mena hus.* p. 741. & 742
§. 4. *Ioannes Rex Francorum.* p. 742 & 743

SÆCVLI XV. TESTIMONIA
ab anno 1400. ad 1500.

§. 1. *Ioannes Charlierius dictus de Gerſon Cancellarius Pariſienſis.* à p. 743. ad 745
§. 2. *S. Antoninus Archiepiſcopus Florentinus.* p. 746
§. 3. *Primus Cabillonenſis Epiſcopus.* p. 747
§. 4. *Dionyſius Rickelius Monachus Carthuſianus.* p. 747. & 748
§. 5. *Ludouicus XI. Francorum Rex.* p. 749. & 750
Carolus VIII. Rex eius filius. ibid.
Ludouicus XII. Rex. à p. 750. ad 753
§. 6. *Harmannus Schedel Germanus doctor.* p. 753. & 754

SÆCVLI XVI. TESTIMONIA.
ab anno 1500. ad 1600.

§. 1. *Baptiſta Hiſpariolus Mantuanus Carmelita* p. 755
§. 2. *Ioan. Clicthouæus Neoportuenſis.* à p. 756. ad 758
§. 3. *Ioannes Trithemius Abbas Spanhemenſis.* à p. 759 ad 761
§. 4. *Petrus Epiſcopus Exquilinus, cognomine à Natalibus.* p. 762. 763. & 764
§. 5. *Iacobus Faber Stapulenſis.* p. 765. 766. & 767
§. 6. *Zacharias Patriarcha Conſtantinopolitanus.* p. 767. & 768
§. 7. *Guillelmus Budæus.* 769
§. 8. *Aloyſius Lippomanus Epiſcopus Veronenſis.* p. 770. 771. & 772
§. 9. *Antonius Demochares.* p. 772. & 773
§. 10. *Claudius Eſpencæus.* p. 774. & 775
§. 11 *Arnoldus Mermannius Aloſtanus.* p. 775. & 776

Ioan.

§. 12. *Ioan. Molanus Doctor Louaniẽſis.* p. 776. & ſeqq.
§. 13. *Stephanus Luſignanus Cyprius.* p. 778. & 779
§. 14. *Gilbertus Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis.* p. 779. & 780
§. 15. *Henricus Magnus Rex Chriſtianiſsimus.* à p. 780. ad 782
SÆCVLI XVII. INCIPIENTIS ANNO DOMINI 1600. & hinc excurrentis Teſtimonia.
§. 1. *Cæſar Cardinalis Baronius.* p. 789. & ſeqq.
§. 2. *Robertus Cardinalis Bellarminus.* à p. 786. ad 788
§. 3. *Armandus Eminentiſſ. Cardinalis, Dux de Richelieu.* à p. 789 ad 792
§. 4. *Ludouicus Seruin Aduocatus Regis primarius in Senatu Pariſienſi.* p. 792. & 793
§. 5. *Papirius Maſſonus in Senatu & Regia Patronus.* p. 794. & 795
§. 6. *Nicolaus Oudaert Bruxellenſis.* p. 796
§. 7. *Iacobus Galtherus Soc. Ieſu Theologus.* p. 797. & 798
§. 8. *De Crypta Montis-Martyrũ.* p. 799. 800. & 801
§. 9. *Stephanus Binet Soc. Ieſu Prouincialis in Franciæ Prouincia.* à p. 802 ad 808
§. 10. *Claudius Robertus Presbyter Lingonenſis.* p. 808. & 809
BREVIS CATALOGVS TESTIVM aſſertæ à nobis veritatis de DIONYSII Athenienſis cum Pariſienſi indiuidua vnitate per proprias eorum claſſes digeſtus, quarum
1. *Eſt ſummorum Pontificum.* 2. *Conciliorum.* 3. *Regum Chriſtianiſsimorum & Auguſtorum Imperatorum.*

4. *Regum Hiſpaniæ.* 5. *Regum Angliæ.* 6. *Eminentiſsimorum S. R. E. Cardinalium.* 7. *Patriarcharum.* 8. *Archiepiſcoporum & Primatum.* 9. *Epiſcoporum.* 10. *Theologorum.* 11. *Hiſtoricorum & Chronologorum Eccleſiaſticorum, Græcorum & Latinorum.* 12. *Iuriſperitorum.* 13. *Poëtarum ſacrorum.* à p. 813. ad 825

CAP. X. *Diſcutiens aduerſariorum argumenta, tam recentia, quàm vetera.* à p. 825. ad 1184

Argumentum I. *Ductum ex ipſis quæ Boſquetus germana natiuáque dicit* B. DIONYSII I. *Epiſcopi Pariſienſis. Actis.* à p. 831. ad 847

Arg. II. *Depromptum ex actis S. Marcelli Martyris à Boſqueto productis lib. 1. hiſtoriarum ſuarum cap. 25. p. 50.* à p. 847. ad 857

Arg. III. *Ex actis ſanctorum Martyrum Fuſciani & Victorici, à Boſqueto inductis 1. parte hiſtor. ſuarum lib. 4. c. 10. & parte 2. p. 68.* à p. 857. ad 865

Arg. IV. *Ex actis S. Juliani I. Cenomanenſis Epiſcopi à Lethaldo Monacho deſcriptis, eductum à Boſqueto, hiſtoriarum ſuarum lib. 1. c. 34. p. 56. 1. part.* à p. 856. ad 872

Arg. V. *Sumptum ex controuerſia de tempore Martyrij S. Dionyſij.* à p. 871. ad 903

Arg. VI. *Ex auctoritate Seueri Sulpicij, ſcribentis, ſub Marco Aurelio Antonini filio, primùm intra Gallias martyria viſa.* à p 902. ad 920

Arg. VII. *Teſtimonio innixum Gregorij Turonenſis, quo ille Dionyſium alióſque Eccleſiarum Galliæ Apo-*

ſtolos ſub Decio tantùm miſſos fuiſſe Româ, in Galliam inſinuauit lib. 1. hiſtor. Francorum cap. 30. à p. 920. ad 980. incluſiuè.

Arg. VIII. *Depromptum ex Martyrologio Romano veteri dicto, quòd eo ſub titulo Heribertus Roſueydus edidit Antuerpiæ anno 1623. in quo ſancti Dionyſij natalis geminus Octobri menſe conſignatur. Vnde eliciunt nonæ ſententiæ defenſores, duos diſtinctos Dionyſios olim in Eccleſia, eodem menſe, ſeorſim cultos fuiſſe: nempè Dionyſium Areopagitam Athenis 3. Octobris, & Dionyſium Pariſienſem die 9. eiuſdem menſis. à p. 981. vſque ad 1020. incluſiuè.*

Arg. IX. *Petitum ex Vſuardi dicto Martyrologio. à p. 1021. ad 1056. incluſiuè.*

Arg. X. *Deſumptum ex ſententia Ioannis Erygenæ, Monachi Scoti, Hilduini aſſertionem de nouitate, vt aduerſarij volunt, ſugillantis. à 1057. ad 1073*

Art. XI. *Quod ex interpontificio aduerſarij deſumunt, nimiùm, vt aiunt, producto, in Eccleſia Pariensi, à Dionyſij Areopagitæ, ſub Hadriano Martyris laureati paſſione, ad ea vſque tempora, quibus Eccleſiæ Chriſtianæ pax affulſit, cœpitque Pariſienſis Sedes continuo Epiſcoporum conſeſſu in Gallia ſplendeſcere. à p. 1074. ad 1106*

Art. XII. *Ductum ex iactata conuenientia fabulæ de Ioanna Papiſſa, cum Dionyſij Pariſienſis (quem perſonatum aduerſarij volunt eſſe Areopagitam) conficta vt aiunt hiſtoria. à p. 1106. ad 1144*

Arg. XIII. Ex tranſitus S. Dionyſij Areopagitæ è Græcia in Galliam, neglecta, vt vult Boſquetus ab Hiſtoricis commmemoratione.
Vbi etiam tractatur de illius tranſmigrationis cauſa, tam pia quàm neceſſaria. *à p.* 1145. *ad* 1160
Arg. XIV. *Deſumptum ex ipſo cognomine Areopagitæ, quòd aliqui auctores ſancto Dionyſio Pariſiorum protomyſtæ, diſertè non tribuunt. à p.* 1160. *ad* 1170
Art. XV. & vltimum. *Ex eo elicitum, quòd ex vnius Dionyſij aſſertione Eccleſiæ tam ſupernæ quàm ſubcœleſti, minus decus, quàm ex aßignatione duorum obueniat.*
Hoc penè libro iam publicum in conſpectum prodeunte: nobis occurrit noua aduerſariorum obiectio, ſumpta ex Martyrologio Pariſienſi. Cuius diſcußio addita cernitur, ad extremam oram huius opuſculi, immediatè poſt indicem rerum & verborum inſignium, ſub titulo Moniti ad Lectorem.

DE

DE MYSTICIS GALLIÆ SCRIPTORIBVS

MVLTIPLICIQVE, IN EA, CHRISTIANORVM RITVVM ORIGINE.

SECVLVM I.

Ab anno Domini 35. ad 100.

S. PAVLVS APOSTOLVS.

VAS electionis, Prædicator veritatis, Doctor gentium in fide, Magiſter & præcipuus pædagogus Galliæ in iuſtitia & ſanctitate : quam diuini ſplendore Euangelij, tam ipſe illuminauit, quàm per delectos à ſe diſcipulos, illu-

Anno Chriſti 35. vocatus, eiuſdem anno 60. ineunte, venit in Galliam.

ſtrauit. Vnde & Viennæ Allobrogum peruulgatus iamdudum fertur verſiculus hic rythmicus.

PAVLVS præco crucis,
Dat tibi primordia lucis.

Nam vt habet ipſius vrbis elogium, in frontiſpicij domus Conſularis tabula ænea, fuſilibus prominentibúſque litteris exaratum.

Paulus & hanc docuit Chriſtum, CRESCENTE *relicto.*

Qui vnus ex ſuis aſſeclis, adeóque (ſi Hippolyto, Dorotheo, aliíſq. priſcis miſſorum à Chriſto præconum gratiæ, ex vtraq. claſſe nomenclatoribus, credimus) ex 72. ipſius Domini diſcipulorum ordine vnus fuit, non poſtremus. Hunc enim Paulus cùm comitem peregrinationis habuiſſet, Româ in Galliam è primis ſuis vinculis ablegauit: quemadmodũ indicat ad Timotheum ſcribẽs ep. 2. c. 4. vbi ait Creſcentem abiiſſe in Galliam: quamuis enim communis Latina editio habeat, in Galatiá, Græcâ tamen fert antiquiſſima, in Gallias: Κρήσκης ἐπὶ τὰς Γαλλίας, vti Euſebius Cæſarienſis lib. 3. hiſtor. cap. 4. legit & tranſcribit. quin & S. Epiphanius in Panario hæreſ. 51. diſertè monet, mendosè legi à quibuſdam *in Galatiam:* etenim *in Galliam* prorſus legendum eſſe, *In epiſtolis ſuis* (infit) *idem Apoſtolus dicit: Creſcens in Galliam: non enim in Galatiam, vt quidam decepti putant, ſed in Galliam, legendum eſt.* Quod etiam Theodoretus in eundem locum obſeruauit. Teſtatur verò Clemens, Pauli quoque cooperarius, Creſcentem miſſum à Paulo in Galliam, illic myſterium ſalutis propagaſſe

& creſcentis illic Eccleſiæ fouiſſe cunabula lib. 7. conſt. cap. 46. Idque etiam Nicephorus è Græcorum Latinorúmque monimentis (ex quibus narrationes ſuas præcipuas concinnauit) apertè teſtatur lib. 3. cap. 4. Hiſtor. Eccleſ. quin & Chronicon Alexandrinum, Creſcentem in Galliam amandatum ab Apoſtolo, ad extremum vſque agonē in hoc ſtudio perſeueraſſe, ibidémque ſub Nerone demum, deſudantem in labore pietatis expiraſſe poſt promulgatum ſtrenuè Euangelium, commemorat. Expendere impræſentiarum nolim hoc vltimum aſſertum, quod alibi, ſcilicet in Synopſi 72. Domini diſcipulorum num. 16. (vbi de ipſo Creſcente diſſerimus ex profeſſo) ponderamus. Sat fuerit hîc obiter tanta præeunte nube teſtium, & Græcorum quidem, ac primariorum, aſſerere, Paulum Apoſtolum per Creſcentem Galliæ primum inuexiſſe lumen Chriſtianæ pietatis: cùm in primis vinculis Romæ defixus, hinc ipſum Creſcētem, à ſe miſſum vtique, veniſſe in Galliam ipſe Paulus ſcribens de ſtatu ſuo, Euāgeliíque progreſſu per Occidentem, & diſcipulorum ſuorum diſperſione, ad chariſſimum ſymmyſtam Timotheum, clarè teſtificatur; ſcripta eſt enim hæc epiſtola, vt demonſtrat Card. Baron. anno Chriſti 59. qui Neronis erat vel 2. impletus, vel 3. inchoatus. Nec enim audiēdi ſunt qui è ſecundis vinculis ſcriptam volunt hanc epiſtolā, anno ſcilicet Chriſti 69. qui Neronis fuit 13. Nam S. Paulus eâdem epiſtolâ, adeóque ipſomet cap.

quo de agitur, ſcribit diſertè, tum prima ſe defenſione perfunctum, deſertum quidem ab omnibus; at fuiſſe confortatum à Domino, atque ab eodem liberatum ab ore Leonis, hoc eſt Neronis ſæuitia, vt per ſeipſum *prædicatio impleretur, & omnes Gentes audirent*, cæleſtis ſcilicet veritatis præconium. Ab his igitur primis vinculis liberatus vt prædicationem Euangelicam impleret, & Gentes, quæ à ſe edocendæ erant, inſtrueret: mox in Galliam venit, dehinc tranſiit in Hiſpaniam, in quam Româ ſe profecturum, pollicitum ſe meminerat, in ea Epiſtola quam ad Romanos Corinthi ſcripſit anno Domini 56. Profectionem verò eius in Hiſpaniam aſſeuerant plerique Patres, cùm Græci, tum Latini. Nimirum è Græcis S. Athanaſius in Epiſt. ad Dracontium. S. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 17. S. Epiphanius in Panario hæreſ. 27. S. Chryſoſtomus hom. 7. de laudibus Pauli, Theodoretus in Comment. 2. Epiſt. ad Timoth. cap. 4. E Latinis verò S. Hieronymus in Iſa. cap. 11. & in Amos cap. 5. S. Gregorius Papa lib. 31. Moral. cap. 22. in fine. S. Iſidorus de vita & obitu Sanctorum cap. 17. præter recentiores Eſpencæum, Genebrardum, Baronium, qui ad annum 61. inſuper aſſerit, ſe in Bibliotheca Cardinalis Sirleti legiſſe libellum Hippolyti Martyris de 12. Apoſtolis, in quo author firmiter aſtruit, Paulum in Hiſpania prædicaſſe. Qua aſtipulatione præfixa, Adonis Viennenſis, qui ſcribit in Chronico ætate 6. ſub anno Chriſti 59. Paulum

Eſpen. in poſt. ad Timoth. cap. 4. Geneb. li. 2. Chro. Ado in Chron. æt. 6. anno 59. (nimirum excedite, aut ordiente 60) ita ſcribit & notat.

proficiſcentem in Hiſpaniam per Galliam tranſiiſſe, Viennæque prædicaſſe, & abeundo proprium Eccleſiæ huic Paſtorem reliquiſſe Creſcentem, admodum confirmatur teſtificatio. Quæ tamen non ſolùm hac ex inſinuatione vires habet, ſed multiplici inſuper fulcitur & teſtium auctoritate, & rei actæ variis declaratur veſtigiis. Præter auctores ſiquidem probatiſſimos ac antiquiſſimos, qui ſupra teſtati ſunt ex Pauli ipſius ſententia, Creſcentem *ab eo in Gallias* miſſum, nuncium ſalutis illic attuliſſe: alij eundem à Paulo ipſo ordinatum Viennæ ſediſſe primum Antiſtitem, præterea graui relatione prodidêre. Sanè venerabilis Beda id in Martyrologio ſuo ſatis perſpicuè indicat, ad 4. Kalend. Ianuarij, vbi ſic ait. *Hac die S. Creſcentij, Apoſtoli Pauli diſcipuli, Viennenſis Eccleſiæ primi Doctoris.* Cui Vſuardus ſuccinit, eadem die. Porrò Ioannes VI. Papa in reſcripto ad Edoaldum Metropolitem Viennenſem, quo Pallium ei Apoſtolico munere tranſmittit, idcirco capillos aliquot S. Pauli adiunxit, vt eius patrocinio muniret Viennenſem Eccleſiam, quam ſciret eius auſpiciis fundatam, atque ab ipſius diſcipulo Creſcente decoratam *primo*, vt ait, *religionis honore.* Ita & Paulus I. ſummus quoque Pontifex ſcribens ad Carolum Magnum pro vindiciis priuilegiorum & facultatum ipſius Eccleſiæ Viennenſis, quam ipſi Sedi Apoſtolicæ aſſerit ſemper fuiſſe venerabilem, notat imprimis ad pium affectum inclyti huius Principis, præſi-

Quo tempore creditur Paulus ad Hiſpanias perueniſſe, & Arelate Trophimũ, Viẽn Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicãdum reliquiſſe.

gnatæ Eccleſiæ conciliandum, illam Apoſtolico munere (hoc eſt operâ B. Pauli) exaltatam, cuius diſcipulum, (quem Apoſtolorum vocat collegam) Creſcentem, meruerit ſuſcipere Magiſtrum : ideóque à recto tramite pietatis nunquam extitiſſe deuiam, *ſed & de integritate fidei aſſerit meritò poſſe gloriari*. Fauet huic aſſeuerationi Chronicon Iuonis, & Autiſſiodorenſe, cum Alexandrino, in quibus proditur, Creſcens Gallicanæ Eccleſiæ prouexiſſe crepundia. Inſuper & ille vetuſtiſſimus codex confirmabat, quem Petrus ſan-Iulianus dudum Decanus Cabilonenſis, vir ſi quis alius inter emunctæ naris ſcriptores grauiſſimus ac ſagaciſſimus, lib. 2. antiq. Matiſcon. p. 268. Lugduni in Eccleſiæ S. Irenæi ſcriniis (antequam hæc à ſegregibus vaſtaretur) teſtatur ſe legiſſe, in quo ſcriptum erat, Paulum dum ex Italia in Hiſpaniam progrederetur, Lugdunum cum copioſa diſcipulorum turba veniſſe, hícque de Galliarum ſalute ſollicitum, multos ex ſuis ſequacibus, varia per loca ablegaſſe, nec modò Creſcentem Viennæ ordinaſſe Epiſcopum, ſed & Arelate præfeciſſe Trophimum, Auenioni Rufum, Narboni Paulum, alióſque circumquaque animarum primos paſtores inſtituiſſe. Et certè vetuſtiſſima illarum Eccleſiarum diptycha hoc perſpicuè indicant, quæ fermè Paulum etſi vniuerſalem Gentium doctorem, ſpecialem tamen fundatorem, & protoparentem ipſarum matricum Eccleſiarum, ſuorúmque primorum Præſulum

initiatorem affirmāt ſe recepiſſe, déque ipſius manu eos conſecratos, affatim gloriātur. Viſitur etiā-num Arelate S. Pauli vicus, ſic nuncupatus, quòd dum ea in vrbe ageret in trāſitu beatus Apoſtolus, ibidem hoſpitio exceptus in domuncula dehinc ſacram in ædem commutatâ, iam abhinc commemoretur. Viēnæ itidem cernitur etiamnum capella ſub Machabæorum titulo conſecrata, in qua idem Apoſtolus Chriſtianam hoſtiam primò immolaſſe recolitur. Narbone alia indigitantur S. eiuſdem Apoſtoli non minus clara veſtigia: aliáque plurima in hoc eodem tractu, quæ vel ſola ad ſuadendum valent plurimum æquè mentis hominibus: cùm ſint rei actę manifeſta prorſus indicia: adeóque venerandæ antiquitatis, quæ id ab initio credidit, immò vidit, & tradidit quaſi per traducem ad poſteros, manifeſta teſtimonia. Ceterùm his motiuis quibus non temere affici quiſque poſſit., accedit Occidentalium Eccleſiarum perpetua hac de re conſenſio, Romanæ Eccleſiæ, quæ in ſacris ſuis tabulis hoc conſcriptum prodit, auctoritas: Orientalium aſſenſus, nec modò Latinorum ſcriptorum communis relatio, ſed & Græcorum inſuper auctorum aſtipulatio perſpicua. Quæ validiſſima aſſertionis huius fulcimenta breuitatis causâ hîc compreſſimus: at fusè expoſita demonſtrauimus in prædicta noſtra Synopſi 72. D. Domini, tam in Trophimo, nu. 68. quàm in prædicto Creſcente, num. 16. vbi facta non incongrua digreſſione, *De*

B. Pauli in Gallias tranſitu, ex inſtituto diſſerimus.

Verùm hîc operæprecium fuit, huiuſmodi diſſertatiunculam perſtringere, atque præfigere glorioſo Pauli Apoſtoli titulo, quo iure illum in Gallicanæ Eccleſiæ ſacrarium, vt Protomyſtam, ac diuinorum myſteriorum non modò præconem, ſed diſpoſitorem ac exaratorem ſacrarum theoriarum & πράξεων vendicaremus. Profectò nemo inficiabitur, quibus Apoſtolus Euangelium prædicauit, iiſdem Liturgiæ Chriſtianæ ritum tradidiſſe, cùm Euchariſtiam *magnum* appellitaret, *pietatis ſacramentum*, crucis Chriſti, triumphantis de morte per vitam, præconium perenne, & eius poſtremi aduentus continuum prænuncium. *Ego enim*, inquit, *accepi à Domino quod & tradidi vobis.* 1. Corinth. c. 11. Nec enim id præſtitit Corinthiis & ceteris populis, quibus intulit *fidei myſterium*, denegauit. Quamobrem ſicut ipſis Corinthiis dum abeſſet mandabat; *cetera cùm venero diſponam*: ea nimirum iis præſcribere pollicitus, non quæ ſpectabant ad fulciendum (quod ex ſe æternum ac immobile perſtat Domini teſtamentum:) ſed ad ritum & morem eiuſdem myſterij celebrandi rectè tradendum & ritè ordinandum. Certè cùm Gallis prædicauerit incarnati Verbi myſterium, conſentaneum eſt credere iiſdem, quà voce, quà factis, quà depoſito diuino, ſacris, quos præficiebat huic genti hominibus, demandato; myſticas theorias & praxes, quibus Euchariſtica Liturgia, redemptio-

1. Tim. 3. 16. *Infrà oſtendatur.*

demptionis humanæ memoriale perenne, atque religionis perpetuum ſacrificium, peragendum erat, certa lege modóque inuariabili, at ſixo ritu præſtitiſſe: *vt* (ſicut poſtmodum aliquis dixit ex Galliæ antiquis Myſtis) *iugiter coleretur per myſterium, quod ſemel oblatum fuerat in pretium: & quia quotidiana & indefeſſa currebat pro hominum ſalute redemptio, perpetua eſſet redemptionis oblatio; & perennis illa victima viueret in memoria, & ſemper præſens eſſet in gratia.* Euſeb. dictus Emiſſ. homil 5. de Paſcha. At reuera fuit Gallus, vt in eius ſcriptis patet, aſcetáque extitit Lerinenſis.

Vox Pauli adhuc tonat in eius ſcriptis, (ſicut Chryſoſtomus ſecunda eius anima egregiè admonuit) ſed non tota ſonat ipſis in ipſis eius litteris. Præfatione in epp S. Pauli tom. 4. Etenim aliqua per depoſitũ traditionis conſignauit paſſim fidelibus, at præſertim diſcipulis, quos ad cuſtodiam dominici gregis afflatu ſuperno deputabat. De traditione extra ſcriptum, credentibus qui ſe audierant conſignata, idem Apoſtolus eſt teſtis: vbi eos hortatur *vt ſtent, & teneant quas ipſis dedit traditiones, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam.* 2. Theſſ. 2. 15. De depoſito: dum ad chariſſimum ſcribit diſcipulum, *vt depoſitum cuſtodiat, & mandatum immaculatum*: nec illud conſignet, niſi *fidelibus hominibus, qui idonei ſint alios docere*, qualis erat ipſe Timotheus, Titus & Dionyſius, ceteríque eiuſmodi, quibus idem depoſitum conſeruandum Apoſtolus commiſerat. 1. Timoth. 6. 14. 20. Id Ep. 2. 2. *Sancta enim ſanctis committenda erant;* aiebat ea de re præſignatus Dionyſius in limine ferè lib. de diuinis nominibus, quem Timotheo ſuo inſcripſit. San-

ctus autem Baſilius libro de Spiritu ſancto, cap. 27. per depoſitum illud, cenſere ſe inſinuat *arcana illa verba*, quibus Euchariſtia conſecratur; & myſticos ritus, quibus Chriſtiana peragitur Liturgia. Hæc enim ab Apoſtolis tradita fuiſſe ſubindicat ſolis ſacris viris, quibus obire tam diuinam actionem competebat, ab iiſque ita abhinc conſeruata, & quaſi per manum ſymmyſtis ſacris viciſſim tradita, vt tùm à promiſcua multitudine nequaquam cognoſcerentur.

I. RITVS
CHRISTIANÆ PIETATIS,
Nimirum,
Ordo Miſſæ, ab Apoſtolo Paulo diſpoſitus.

GENERALIA tamen quædam præcepta Apoſtolum Paulum ſcripto tradidiſſe, de diuini muneris tam celebratione, quàm ſuſceptione, liquidùm fit ex eius venerandis epiſtolis. At in iis hoc vtitur diſcrimine, vt dum ſcribit ad Corinthios, plebem doceat de iis quæ ad omnes ſpectabant, circa congruam ſalutarémque Euchariſtiæ ſacramenti venerationem & communicationem. Porrò ad Timotheum qui ſummo ſacerdotio Epheſi fungebatur, dum ſacros dirigit apices, vbi de diuina ſynaxi tractatio occurrit: potiſſimum agit de ſacrificio eiúſque myſtico ritu, & modo ac forma legitimæ illius celebrationis. Quæ diuina theoria arcanáque praxis

1. ep. c. 10. & 11.

propria Sacerdotum erat. Ideóque hanc præſcribens normam, & breui eloquio, & myſticæ phraſis voculis de induſtria vſus eſt. *Obſecro*, inquit, *primum omnium* (nam Liturgiæ Euchariſticæ celebratio, eſt ſacræ religionis præcipua actio*, diuiníque cultus traditi per Euangelium anacephaleoſis, & Eccleſiæ Catholicæ perpetuum fulcimentum) *fieri orationes, obſecrationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus*. Hunc eſſe porrò locum Apoſtoli, de altaris Chriſtiani ſacrificio intelligendum, quod breuiter ibi deſcribitur, ſanctus Auguſtinus expreſsè docet epiſt. 59. ad Paulinum noſtrum, origine Aquitanum, Nolanum verò Epiſcopali honore, q.5. ex iis quas ſibi ille propoſuerat. *Eligo* (inquit reſpondēs Paulini poſtulatis, ipſe Auguſtinus) *in his verbis hoc intelligere, quod omnis, vel penè omnis frequentat Eccleſia, vt precationes accipiamus dictas, quas facimus in celebratione ſacramentorum, antequam illud quod eſt in Chriſti menſa incipiat benedici. Orationes cùm benedicitur & ſanctificatur, & ad diſtribuendum comminuitur; quam totam actionem* (hoc eſt canonem, dictum ab Optato Mileuitano*, *legitimum Chriſtianum*) *ferè omnis Eccleſia dominica oratione concludit*, &c. *Interpellationes, ſiue vt veſtri codices habent, poſtulationes fiunt cum populo benedicintur. Tunc enim Antiſtites velut aduocati ſuſceptos ſuos per manus impoſitionem, miſericordiſſimæ offerunt poteſtati. Quibus peractis, & participato tanto ſacramento, gratiarum actio cuncta concludit: quam etiam in iis verbis vltimam*

1. Tim. 2. &c.

* Hinc in canone titulus *infra actionem*. De qua voce vide Vualfridū c. 22. Bern. Augienſ c. 1. & Microlog c. 12. de diui, off. & obſer. Eccleſ. ſed eo nomine, diu ante eos deſignauit ſacrificium tremendū S. Dionyſ. de Eccleſ. Hierarch. c. 1.

* Lib. 2. & 3. contra Parmen. Porrò *canonis* nomine vſus eſt S. Greg. l. 7. ep. 73. *Regula* autem vocabulo S. Ambroſ. ſcribens in locum Apoſt.

in textu citatum. *Secretum* dicunt S. Clem. cõſt. l 8. c 12. & S. Baſil. l de Spiritu ſancto c 27 Hinc dictę quædam collectæ, in Miſſa, *ſecretæ*.

* Id infrà inſinuabitur ſub ipſius Dionyſij titulo.

commendauit Apoſtolus. Ita S. Auguſtinus ex mente Apoſtoli, vniuerſalíſque Eccleſiæ fermè iam tunc œcumenica obſeruatione. At ſic præ cæteris orbis Doctoribus antiqui etiam intellexerunt Galliarum myſtæ, proculdubio Apoſtolica traditione, ſibi per B. Pauli diſcipulos, v. g. Linum, Dionyſium, alióſque tranſmiſſa edocti. Præter ea enim quæ hac de re ipſe Dionyſius diuinis in codicibus, quos potiſſimúm exarauit in Gallia,* prodidit: Sanè S. Proſper cognomento Aquitanicus Regienſis in Phocenſi prouincia Epiſcopus, qui ferè ante 1200. annos claruit, temporéque extitit, S. Leoni magno coæuus, cuius & in ſcriptis Eccleſiaſticis ſubſidiarius fuit, *in primo lib. de vocatione gentium c. 4.* ſupraſcriptum Apoſtoli theorema, de Miſſæ ſacrificio, eodem ſenſu, perſimilíque intelligentiæ tenore, interpretatus eſt. *Quam* LEGEM SVPPLICATIONIS (infit) *ita omnium Sacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi ſit, in qua huiuſmodi orationes non celebrentur à populis Chriſtianis.* Anteà vocauerat hanc præceptionem S. Pauli, *Apoſtolicam regulam quâ vniuerſa imbuitur Eccleſia.* Ita & Gennadius Maſſilienſis presbyter, dehíncque Antiſtes, qui ſub Gelaſio I. Papa florens ſacræ eruditionis decore, librum *de dogmatibus Eccleſiaſticis* conſcripſit, eiuſdem opuſculi cap. 30. appellat Liturgicas has, quas memorauimus preces, *obſecrationum ſacerdotalium ſacramenta*: hæcque ab Apoſtolis tradita in toto mundo, adeóque in

omni Eccleſia Catholica *vniformiter* aſſerit *celebrari: vt legem credendi lex ſtatuat ſupplicandi.* qua fungentes ſacra legatione *Sacerdotes, apud diuinam clementiam, humani generis cauſam agere* ſubiungit! Diu poſtquam traditam ac propagatam ſacrificij Chriſtiani formam, S. Anſelmus Beccenſis in Gallia Lugdunenſi 2. Ætheriarcha, deinde Metropolites Cantuarienſis, præcitatum textum Apoſtoli hoc breui elucidario explicauit, *Ordo Miſſæ*, inquit, *in his verbis oſtenditur*, &c. Hæcque tam veterum quàm neotericorum, tam Gallorum quàm exterorum Patrum & DD. communis interpretatio eſt. Igitur deſcriptum compendioſa ſerie totius Miſſæ ordinem * à S. Paulo Apoſtolo Galliæ illuminatore, certa ex eius ſyngrapha habemus: qui aliis in ſuis diuinis monimentis non modò ritus ſacrificij, at ſubſtantiæ eius & panopliæ quoque luculenter meminit. Nam hoſtiam huius ſacrificij docet eſſe verum corpus Chriſti, ſub forma panis incruentè immolatum, & ſanguinem eius in calice benedictionis myſtica effuſione propinatum: Ipſiúſque iuſſu aſſerit myſterium hoc in diem vſque glorioſi eius aduentus frequentandum, in eóque, vtpote verò & perenni paſſionis ipſius Chriſti Domini memoriali, mortem eius annuntiandam eſſe. Veram eius carnem ibi appoſitam, non modò affixam in cruce, recolendam: ſanguinémque exhibitum in calice, non tantùm cruenta illa in ara effuſum

* Hunc in Paulo ſuo prædicante, ex iis eius dictis ſolerter notauit, ac quàm genuinè expreſſit Illuſtriſſ. 2. Lugdun. Metropolites, vbi ſic cecinit.

Ad ſacra Timotheum quarto vocat ordine Paulus, Diſcipulum paſtorem Epheſi inſtituitque monendo. Huic celanda aperit ſacra myſteria menſæ. Quatuor in partes demonſtrans obſecret, oret, Poſtulet & gratias agat, à quo myſtica nomen, Illa ſacramenti donatrix actio ſumpſit. Sicque Corinthiaca immortalia ſymbola cœna Haud procul apparent veris pia victima ſacris, Tramite ſi recto inſiſtas, ſi apte ſequare, &c.

in remiſſionem peccatorum, commemorandum, ſed vt verè ſumendum, ſic dignè ac purè recipiendum. Prædicat admirabile hoc myſterium eſſe pretioſum munus diuinæ gratiæ, ac pignus eximium vitæ & felicitatis æternæ, quod ideo vo-
Heb.6.4. 1.Tim.3. 16. cat *cæleſte donum, & magnum pietatis ſacramentum.*
Heb.13.10. Altaris inſuper commeminit Euangelici, in quo tam grande ſacrificium offertur, corpus nempe
1 Cor.5. 7. 8. Chriſti, quem noui fœderis paſchalem agnum appellat, pro iugi noſtra alimonia puriſſimè immolatum, eſſéque ait omnino diſtinctum à legali ara, carnalium victimarum ſanguine cruentata, & incredulis Iudæis pro nihilo derelicta. *Habe-*
Heb 13.10. *mus enim altare de quo edere non habent poteſtatem,*
1.Cor.10. 21. *qui tabernaculo deſeruiunt.* Nec enim aram Domini, dæmoniorum tantùm aræ ſeu menſæ opponit diuinus hic Apoſtolus: at etiam aræ Leuiticæ. Siquidem altaris Moſaïci victimis, vnicam ho-
Ib.ver 6.& 11.& Heb. 10.1.18. ſtiam Chriſtianam vt rem ſignatam, ſigno multiplici, ac figuræ: vmbræ corpus, & imagini ſubſtantiam docet (vt monent Patres, ex eius dictis) longè anteferendam eſſe. Quapropter pulchrè ac eleganter Sugerius Abbas Sandionyſianus, egregius baſilicæ nobilis illius monaſterij inſtaurator: cùm fabricam illam omni decore adornaret, pulcherrimiſq. vitreis circumquaque illuſtraret, Paulum in vna depingi ſtuduit, frumentum à Moſe & ceteris Prophetis præparatum, & ſibi exhibitum, molâ terentem, farinámque à furfure ſecernentem, de qua panis verus formaretur. Myſticæ

cuius figuræ ſenſum vt ipſemet piiſſimus Abbas ſpeculatoribus promeret, diſtichum hoc ſubtus fecit adſcribi,

Tollis agendo molam de furfure, Paule, farinam
Moſaïcæ legis intima nota facis.
Fit de tot granis, verus ſine furfure panis
Perpetuóque cibus noſter & Angelicus.

eadémque in feneſtra vbi Moyſis faciem, ablato velamine, idem Paulus, cum aliis ſacris myſtis, præbet apertam; binum hunc verſiculum (ſenſu quàm texturâ comptiorem) ipſemet Sugerius appoſuit:

Quod Moyſes velat, Chriſti doctrina reuelat:
Denudant legem, qui ſpoliant Moyſen.

Ceterùm præter hanc œconomiam Apoſtoli Pauli circa myſterium Chriſtiani ſacrificij; eiúſque rem, actum, finem ac effectum; traditámq. in ſcriptis ſacratiſſimis doctrinam & diſpoſitionem: alios inſignes ritus ex ipſius Apoſtoli actis, aut ſcriptis elicimus, quos ideo hîc annotare ad tanti Apoſtoli, Galliæ præcipui in Chriſto magiſtri ac Doctoris laudem, piorúmque Lectorum, qui ſacras origines Eccleſiaſticarum inſtitutionum auidè ſciſcitantur, proprium nec inane oblectamentum, operæprecium fore exiſtimamus.

II. RITVS

Portare Myſterium fidei in conſcientia pura; *ſpeciale Diaconorum, ex diſpenſatione Apoſtoli munus eſſe oſtendit.*

S. PAVLVS igitur non modò de myſteriis diuinis præcepta tradidit præclariſſima, ſed etiã de Eccleſiaſticis miniſteriis, ſacrorúmque Myſtarum, tam dotibus quàm officiis leges ſanctas, ac congruas perſcripſit: vt de ordinandorum quidem qualitatibus, notiſſimum eſt, quas ad percharos ſuos diſcipulos Timotheum ac Titum ſcribens commendauit. De officiis autem præter ea quæ B. Dionyſius ex eius doctrina & myſtagogia minutim recenſet: profectò ipſemet Apoſtolus nonnulla ſuis in epiſtolis à ſe ordinata inſinuat. Et ſanè aliqua competunt ſacris miniſtris ratione ordinis, quæ ab ipſo Domino peculiariter cuique ſunt gradui attributa. Conſtat imprimis quòd ſacrificium peragere, ſoluere vel retinere peccata, Epiſcoporum ſit proprium munus ac presbyterorum, ex inſtitutione ipſius Seruatoris. Alia rurſus ſolis Epiſcopis competunt, vt ordinatio ſacerdotum, & miniſtrorum; impoſitio manuum (maximè in confirmatione:) conſecratio chriſmatis, &c. Præter prærogatiuas quæ ad eos pertinent, ex poteſtate iuriſdictionis. Sed præter hæc, alia quædam ſunt munia, ita Epiſcopis vel

vel ſacerdotibus propria, vt etiam diaconis fieri poſſint, participatione communia. Nonnulla eiuſmodi vetus Eccleſiæ politia, vel ex neceſſitate, vel alia occaſione aut intuitu, diaconis commiſit, immò & Apoſtolica diſpoſitio (cum decenti ſubordinatione) ipſis diaconis permiſit, vel conceſſit.

Idcirco hîc operæpretium referre iuuat quid ex ipſa conſtitutione diuina, adeóq. ex ipſo ordinis ſacri iure diaconis congruebat. Paucis verbis eminentiſſimus Bellar. rem conficit, vbi agens de diaconorum honore. *Sextus ordo*, inquit, *diaconorum eſt, quos oblationibus colligendis & opibus Eccleſiæ adminiſtrandis præpoſitos fuiſſe inter Catholicos & hæreticos conſtat: id enim teſtantur acta Apoſtolorum c. 6. &c. Sed præter hoc officium, habebant etiam diaconi alia nonnulla, quæ aduerſarij non agnoſcunt:* Lib. 1 de clericis cap. 13. nervosè verò ipſe Bellar. hæc ibidem confirmat; innuit etiam, nixus auctoritate multiplici. *Primò*, nimirũ, *diaconorum fuiſſe Sacerdoti ſacrificanti aſſiſtere, ac miniſtrare, & populo diſtribuere Euchariſtiam. Secũdò, Diaconorum erat officium, tempore ſacrificij Euangelium legere. Tertiò, Diaconorum erat baptizare, prædicare, reconciliare publicos pœnitentes, Euchariſtiam deferre & præbere laicis infirmis, ac præter ea, omnia facere quæ Epiſcopi & Presbyteri faciunt, excepta conſecratione corporis Domini, & ordinationes clericorum, & aliis officiis, quæ requirunt poteſtatem ordinis.* In quam magni certè viri ſententiam, facilè prorſus concederem, niſi tribuiſſet diacono in pleriſque ex officio quæ ipſi competunt ex mera diſpenſatio-

ne. Nam vt de baptiſmo nihil dicam: vult munus prædicationis ad Diaconos ex officio pertinere, ſed id dum probat, potiùs ex facto quàm iure demonſtrat, ſufficit enim contra eum obiicere quæ ſequenti §. ipſemet ſubnectit, *officium prædicandi præcipuè inter cetera, proprium Epiſcoporum eſſe vt ne presbyteris quidem liceat, niſi ex Epiſcoporum mandato aut conſenſu.* Si enim actus prædicationis ad presbyterum ex officio non pertinet, quantò minùs ſpectat ad natiuam diaconi functionem? Ita arguere licet maximè de publica pœnitentium reconciliatione. Si etenim hæc ex iure ipſo, mero Sacerdoti ſemper prohibita fuit: quomodo diacono ex officio attributa? Sic prorſus de eo, quod addit, concludere licet, de Euchariſtiæ miniſtratione ac diſtributione & delatione. Vt enim fateamur quod ipſe probat, diaconũ primis Eccleſiæ ſæculis, ſic cæleſte donum diſpenſaſſe (vnde S. Balſemius diaconus Aquitanus & Trecenſis martyr, quòd calicem myſticum miniſtraret, in ſuis actis aptè concinnéque appellatur, *Pincerna Chriſti.*) inde tamen non ſequitur diaconum hoc ipſum munus iure ſuo, vtque loquendi iam vſus eſt, *ex officio*, eiuſmodi actiones frequentaſſe: Theologorum enim commune eſt placitum, ab eorum coryphæo Angelico doctore pronunciatum, adeóque Eccleſiæ præconio iam vbique celebratum, tam Euchariſtiæ diſtributionem, quàm conſecrationem, ſacerdotibus ipſa ex Domini inſtitutione (quamuis iſtam primariò &

proprijſſimè: illam ſecundariò & ex conſequenti, (immò & adiuncto myſtico muneri iure) competere. Ita enim ex rythmica proſodia S. Thomæ in diuinis huius ſacramenti ſolenniis Catholica Eccleſia canit, de ipſius Domini ſancito in ipſo mortis aditu teſtamento.

Dedit fragilibus corporis ferculum,
Dedit & triſtibus ſanguinis poculum,
Dicens accipite, quod trado vaſculum;
Omnes ex eo bibite.
Sic ſacrificium iſtud inſtituit,
Cuius officium committi voluit,
Solis presbyteris, quibus ſic congruit,
Vt ſumant & dent ceteris.

Diaconis igitur dare fidelibus munus iſtud cæleſte ex officio non congruit, ſed ex Apoſtoli Pauli, Gentium Doctoris primique Galliæ Myſtagogi licentia ac diſpenſatione. Petis vnde id approbem? ex ipſius teſtificatione. Sic enim ad Timotheum ſuum ipſe ſcribit, poſtquam graphicè expreſſerat formam legitimam Epiſcoporum ac presbyterorum. *Diaconos ſimiliter pudicos* (quo iure enim ſacerdotes eſſe volebat cœlibes, eodem intuitu Leuitas Euangelicos caſtos exigit) *non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum ſectantes* (periculum enim erat ne in adminiſtrandis Eccleſiæ facultatibus, ipſarum opum copiâ, vel in delicias ſoluerentur, vel de earum faſtu intumeſcerent) HABENTES MYSTERIVM FIDEI IN CONSCIENTIA PVRA. Hoc 1. Tim. 3.

ſiquidem vltimum eſt præ ceteris Apoſtoli dictis hîc perpendendum. Quid enim per *myſterium illud ſingulare fidei* intelligit, niſi Euchariſtiam, omnium fidei arcanorum compendium? Sanè S. Dionyſius à B. Paulo edoctus, immò SS. Baſilius, Chryſoſtomus, Cyrillus ſacram Euchariſtiam vocant paſſim non modò *myſterium fidei*, ſed antonomaſticè *Myſterium*. Ceteri autem Patres *tremendum* appellitant *myſterium*. Quin & Eccleſia in ſolo hoc ſacramento conficiendo, verba hæc, ipsâ in formâ exprimit.

At vnde expreſſit tam ſingulare conſpiciendúmque prorſus epithetum? Dicit Bellarminus *has particulas ex traditione ſancti Petri haberi*. Et reuera non multùm refert fueríntne ex traditione Petri, vel Pauli. Sed quia traditioni non ſcriptæ ſegreges moderni minimè acquieſcunt, & ex dictis S. Pauli in eius indubitatis ſcriptis expreſſis, legitur aperta ſerie, vbi agitur de diaconis hæc myſtagogica regula: *Habentes (ſeu cuſtodientes) myſterium fidei in conſcientia pura*. Conſtat autem hunc titulum propriè de ſacramento diuinæ ſynaxis hîc accipi, cuius cuſtodes erant diaconi, atque ex diſpenſatione, ipſis Apoſtolico indulto credita, diſpenſatores. Rectè illuſtres hinc Theologi arguerunt, per Myſterium fidei apud Paulum Apoſtolum, ſacramentum Euchariſtiæ propriè intelligi. Hinc enim infert poſt Salmeronem in comment. ad 1. Timoth. c. 3. Gregorium de Valentia, Tom. 4. diſp.

Lib. 4. de ſacram. Euchariſt. c. 24. §. vltimo.

9. q. 2. puncto 1. Alióſque præclaros Theologos, Ioannes Lorinus com. in Act. Apoſt. c. 6. v. 3. magis credibile eſſe, *Eccleſiam in forma conſecrationis calicis, hæc verba*, MYSTERIVM FIDEI, *ex Apoſtolo Paulo mutuatam.* Qui hoc ſcilicet, ad fidelium tam commoditatem & ſolatium, quàm ſacerdotum ſubſidium diaconis indulſerit. Iam enim ipſo Pauli tempore, hac diſpenſatione perfunctos ipſoſmet diaconos liquet ex teſtimonio Clementis ipſius Pauli diſcipuli, & Petri ſucceſſoris, qui lib. 8. conſt. c. 20. refert ex vſu recepto Chriſti ſanguinem miniſtratum fuiſſe à diacono. Quod & S. Hieronymus ep. 1. aſſerit, immò Iuſtinus Martyr, qui vicinus admodum Apoſtolis ætate, diaconos commemorat Euchariſtiam non modò pro parte crediti diuini muneris pœnitentibus miniſtraſſe; at detuliſſe etiam ad abſentes. In Apol. 2. extre.

Porrò obſeruare iuuat cùm S. Laurentius apud S. Ambroſium, Sixto Papæ ad Martyrium properanti, gratias de credito præſtantiſsimo religionis munere, referret, hincque nouum ab eo ſibi, ob fidelitatem miniſterij, deferri piè ambiret honorem (ſcilicet ſicut adeptus fuerat ſacramentorum conſortium, ita & martyrij demum ſocietatem conſequeretur:) illum omnino prudenter & limatè locutum, nec enim ad ſe iure officij ſpectaſſe aiebat calicis Chriſti propinationem, ſed fatebatur dũtaxat creditũ ſibi hoc opus à Sixto ex diſpenſatione gratuita. *Vide S. Pater*, inquit, *vtrùm miniſtrum elegeris, cui commiſiſti domi-*

nici ſanguinis diſpenſationem. Ideóque & Concilium Nicenum can. 14. dum decreuit diaconos Euchariſtiam laicis poſſe miniſtrare: ſignanter adiunxit, modò presbyteri nō adeſſent; vt innueret ipſis diaconis munus hoc non iure proprio conuenire, ſed conceſsâ propter ſolam neceſſitatem licentiâ committi, non diuina quidem inſtitutione, ſed Eccleſiaſtica conſuetudine, non certè recèns orta, ſed ab ortu ferè religionis vigens, adeóque ab Apoſtolo Paulo (præcitatis ad Timoth. verbis) initiatâ.

III. RITVS

A S. PAVLO TRADITVS.

Expurgatio animæ, neceſſaria ad diuinam ſynaxim diſpoſitio.

CORPVS Chriſti factum de virgine, venerabilis ille decurio Ioſeph *inuoluit ſyndone munda*, pro mundi peccatis cruentiſſimè, in ara crucis
Luc. 23. Ioan. 19. immolatum: nec ſepeliuit, *niſi in monumento nouo, quod exciſum fuerat in petra, vbi nondum quiſquam poſitus fuerat*. Abhorret enim ab omni immunditia, IESVS agnus immaculatus & incontaminatus. Vnde in primitiua Eccleſia dum populus fidelis ad ſacra tremendáque corporis eius myſteria ſuſcipienda accederet; Diaconi alta voce intonabant, procul vt hinc abirent, qui peccati ſor-

dibus eſſent inquinati, adeſſent ſoli verò fideles, puræ conſcij animæ; *Sancta ſanctis.* Hæc pulchrè ſanctus Cyrillus Alexandrinus, ad illud adaptans Chriſti, Ioan. 20. 17. *Noli me tangere;* teſtatur & enuntiat. *Accedentibus ad benedictionem myſticam* (ait lib. 12. in Ioan. c. 50.) *myſterij miniſtri, magna voce clamant,* τὰ ἅγια τοῖς ἁγίοις, *ſolis ſpiritu ſanctificatis, ſalutaris Chriſti corporis tactum, communionem, ſanctificationémque congruere ſignificantes.* Idem elegantiſſimè ſuo more ſanctus Chryſoſtomus hom. 61. ad Popul. & 17. in cap. 3. epiſt. ad Epheſ. commemorando inculcat. Diaconum enim innuit in Eccleſia, ſub articulo diuinæ ſynaxis, id terribili clamore, perſonare, è ſublimi loco; vocéque ipſa magis quàm manu, indignos à ſacro edulio arcere, ſacro ex munere ſolitum.

Trinæ autem claſſis) præter infideles) excludebantur à menſa Domini homines. Scilicet Catechumeni, ob non adeptam diuinam regenerationem. Energumeni, propter obſidentis, vel poſſidentis eos dæmonis immunditiam. Pœnitentes ob culpæ reatum, & non adhuc abſterſam peccati publici labem. Ij enimuerò dicebantur, qui pœnitentiam quidem inierant, ſed nondum reconciliati erant; nedum ſacramentaliter abſoluti: Quo ex more ſuccenſebat plurimùm aliquot diuini muneris diſpenſatoribus S. Cyprianus, querulis vocibus iiſdem improperans, quòd lapſis nō expiatis, ex præſcripto Eccleſiaſticæ diſciplinæ, non exhorruiſſent diuinum xenium contradere.

lib.3.ep.14. *Nondum,* inquit, *pœnitentia acta, nondum exomologeſi, nondum eis manu ab Epiſcopo & clero impoſita, Euchariſtia eis datur. Cùm ſcriptum ſit, qui ederit panem, aut biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini.* Hoc enim ab initio fidei nefas fuerat grauiſſimum. Quamobrem fortiter piéque admodum feciſſe legitur Fabianus Papa & Martyr *, qui ambos Philippos Imperatores prochriſtianos, ad ſynaxim diuinam in Paſchate accedentes, ſacerdotali vigore, à Chriſti ara repulit, donec ſceleribus, quibus impliciti erant, expurgati eſſent, ideóque reiectos inter pœnitentes, morémque gerentes, humiliatos, confeſſóſque more Chriſtiano peccata, ritè expiauit, & ſic, ad participationem myſticæ Domini menſæ, demum admiſit.

* Apud Euſeb. l. 6. c. 27. aliôſque.

Ritus hic inuiolabiliter in Eccleſia cùm antè, tum poſtea ſeruatus eſt. Cuius obſeruantiæ teſtes, non modò priuatos habemus, ſed publicos, omníque exceptione maiores. Nam Patres in ſcriptis id indicant, ſcilicet Iuſtinus martyr Apol. 2. S. Baſilius lib. 2. de Bapt. cap. 3. S. Ambroſius (qui aduerſus Theodoſ. Imp. factum Fabiani Papæ pleno pietatis ſpiritu imitatus eſt) lib. 6. in Luc. c. 37. & lib. 7. cap. 66. Paulinus Diaconus in eius vita. Theodoretus actum ipſius Ambroſij repetens lib. 5. cap. 7. B. Hieronymus in cap. 1. ad Titum. S. Auguſt. tract. 26. in Ioan. Leo Magnus ſerm. 2. de reſurrectione, aliíque plerique. Quid quòd etiam in Synodis Patres hunc Chriſtianum morem pro lege tradunt, & di-

?& decernunt? Videlicet in Concilio antiquiſſimo Ancyrano can. 4. 5. 6. & 7. Nicæno I. can. 11. & 12. Eliberitano in plurib. can. Arauſicano c. 3. Arelat. II. c. 29. Epaonenſi c. 23. Aurel. III. c. 25. Qua de re ſic ſcribebat, magnifica elocutione Leo Magnus ep. 10. directa ad Theodorum Foro-Iulienſem Epiſcopum. *Mediator Dei & hominum, homo Dominus Ieſus Chriſtus, hanc Præpoſitis Eccleſiæ tradidit poteſtatem, vt & confitentibus actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione purgatos, ad communionem ſacramentorum, per ianuam reconciliationis admitterent.* Inſtituiſſe igitur Dominum, videtur B. Leo aſſerere, vt omnes qui diuinis myſteriis, ad aram vellent communicare, priùs peccatorum ſordes pœnitentiâ abluerent: ſic vt reſeratis ſacerdotibus, in confeſſione piaculis, ab iíſque abſolutione recepta, ad cæleſtium ſacramentorum participationem, per ſacerdotale miniſterium, ex supernè credita poteſtate erigerentur atque exciperentur.

Ceterùm hac à ſententia S. Leonis nonnihil deflectere viſus eſt Eminentiſſ. Card. Bellar. qui lib. 4. de ſacram. Euchariſtiæ c. 25. vbi diſputat cum Kemnitio hæreſeωn nouarum tam turpi auctore, quàm propudioſo inertíque antiquarum propugnatore: Ritum ineundæ ante ſumptionem Euchariſtiæ ſacramentalis confeſſionis, pro legitima neceſſariáque ad tantum myſterium præparatione, primùm ab Apoſtolo Paulo inuectum ordinatúmque cenſuit. Cùm enim Kemnitius in

2. parte examinis p. 541. non erubuiſſet ſcribere, Paulum Apoſtolum nihil auſum fuiſſe, in ſacramentorum vſu percipere. Bellarminus ſic ei reſpondet, *Falſum eſt Paulum nihil fuiſſe auſum præcipere circa vſum tanti ſacramenti. Illud enim 1. Corint. 11. probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat: præceptum Pauli eſt, nec in Euangelio legitur.* Si enim res ita ſe habet (vt reuera ſe habet,) quomodo videtur (inquiet quiſpiam) quaſi ex oppoſito docuiſſe Leo Magnus citato loco, Chriſtum inſtituiſſe, vt per confeſſionem, lapſi primùm expurgati, ad communionem ſacramentorum per ianuam reconciliationis, à ſacerdotibus admitterentur? At verò facilè vtique poteſt, hoc diſſidium conciliari, ſi dicamus à ſimili, de inſtitutione ſacramenti extremæ vnctionis, nihil expreſsè in Euangelio legi: ſed de hac teſtimonium euidens, à ſancto Iacobo in ſua epiſt. perhiberi. Conſtat tamen illum non potuiſſe vllum ſacramentum inſtituere; cùm hæc poteſtas competat ſoli Chriſto, cui clauis excellentiæ propria eſt. Non dubium igitur quin Chriſtus, vt S. Ambroſius bene docet, omnium ſacramentorum auctor ſit ſingularis. Proinde quod extremæ quoque vnctionis, ab illius inſtituto, manauerit ſacramentum. Cuius tamen in Euangelio, cùm nulla mentio exprimatur, ex teſtimonio S. Iacobi ſatis veritas propalatur eiuſdem originis. Fuit igitur Chriſtus auctor illius inſtitutionis, Iacobus tuba promulgationis. Ita hic licet dicere, atque à fortio-

C. 5. v. 14.

Lib. 4. de ſacram. c. 4.

ri argumento. Nam patet quidem ex Euangelio Matth.16. & 18.
quòd ſacerdotibus ſuis Chriſtus, poteſtatem re- Ioan.20.
mittendi peccata pœnitentium conceſſerit; quòd
purificari deberent fideles accedentes àd tremenda corporis ſui myſteria, per lotionem pedum
ſuorum diſcipulorum palam indicauerit. Quod Ioan.13.
auté præcisè decreuerit, exomologeſin eſſe ſumptioni Euchariſtiæ præmittendam, vt diſpoſitionem tantæ actioni propriam vnicéque cógruam, ac lapſis, prorſus ad hoc neceſſariam: id licet quidem non exaratum cernatur conſpicua ſerie in Euangelio: attamen ex Pauli, præconis Domini gratiæ & gloriæ, documento, manifeſtum eſt ipſius ex afflatu & nutu Chriſti prodiiſſe. Nam Paulus clarè id teſtatur in ipſo limine promulgatæ à ſe myſticæ huius legis. *Quod*, inquit, *accepi à Domino, hoc & tradidi vobis.* 1.Cor.11. 23.
Enimuero tametſi hoc, in cœnaculo non viderit, in Euangelio non legerit, tamen raptus didicit in cælo, & primus ſcriptô in terra prodidit. Chriſtus igitur decreti huius auctor eſt natiuus iure ſuo, Paulus enuntiator primus, ex credito ſibi ſoli, huius legis cæleſtis præconio. Et quia præco vel præſes iubet vice principis: non dubium quin vice Chriſti, Paulus legem hanc è ſupernis latam, ſolenni more promulgando, præcepto verè vſus ſit: ſuſceptámque ideo ex ore eius illam legem, Eccleſia, pro mandato authentico acceperit, atque hinc in perennem ritum, praxímque inuiolabilem ad nos vſque deduxerit, tam perſpicua vbique ob-

ſeruantiâ, quàm expreſſo, ex ſyngrapha ipſius Apoſtoli Pauli, theoremate. Hoc ſiquidem ita animaduertit dudum S.Cyprianus ſerm.de lapſis, & S. Auguſt. ſerm. 252. de tempore, necnon Leo Magnus ep.91. Theophylact. in locum ſignatum Apoſtoli: nupérque declarauit œcumenica Synodus Trident. ſeſſ.13.c.7. Inde enim hunc ſacroſanctum morem & ritum acceptum vbi inſinuaſſet, continuò ſubiunxit. *Eccleſiaſtica autem conſuetudo declarat eam probationem (quam iniungit Apoſtolus) neceſſariam eſſe, vt nullus ſibi conſcius peccati mortalis, quantumuis ſibi contritus videatur, abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione, ad ſacram Euchariſtiam accedere debeat.* Quo acerrimo telo deprompto ex Pauli potentiſſimi Chriſti ſagittarij, aculeata pharetra, vt Catholica mater Eccleſia hæreticam transfodit perfidiam: ita & ſibi armis Pauli victoriam parat inſignem, Pauló-que ipſi honorem, à quo tantum accepit ſubſidium, iure meritò rependit.

Sed ex præcepto B. Pauli mos alius fluxit, nimirum vt non ſolùm confeſſio peccatorum connecteretur Euchariſtiæ ſacramenti ſumptioni, vt formæ diſpoſitio per ſe cohæret, ſed vt eſſet quoque confeſſio, Iſagoge ſacrificij Chriſtiani. Enimuerò ſacerdos Miſſam celebraturus, in ipſo ingreſſu altaris cum miniſtris confeſſionem facit: ſicut Damaſus Papa, vt Platina vult, ſeu Pontianus (vt cenſet, Berno Abb. Augienſis) ordinauit. Sed in hac confeſſione, vt monet Innocen-

tius III. lib.1.myſteriorum Miſſæ, c.13.non in ſpecie, ſed in genere peccata enumerantur: quia iſta confeſſio non eſt occulta, ſed publica. Ideóque illa non ſufficit, ſed hanc præcedere debet ſacramentalis, in illis quos lethalis conſcientiæ grauat reatus, quibus nefas eſt, quantumlibet ſibi contriti videantur, ſine expiatione ſacramentali diuina myſteria conficere, vel ſumere, modò non deſit illis copia ſacerdotis, vt docet S. Thomas 3.p.q.80.a.4. & Gloſſ. *ſingul.* in c. *de homine. de celebratione Miſſarum.* Idque diſertè etiam Concilium Trid. definiuit loco ſuperiùs ſignato: vbi hæc verba digna notatu ſubnectit. *Quod à Chriſtianis omnibus, etiam ab iis ſacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare: hæc ſancta Synodus perpetuò obſeruandum eſſe decreuit: modò non deſit illis copia confeſſoris.* Et can. 11. eiuſdem ſeſſ. *Et ne tantum ſacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem ſumatur, ſtatuit atque declarat ipſa ſancta Synodus, ab eis quos conſcientia peccati mortalis grauat, quantumcumq. ſe etiam contritos exiſtiment, habitâ copiâ confeſſoris, neceſſariò præmittendam eſſe ſacramentalem confeſſionem: Si quis contrarium docere,* &c. At de hoc Apoſtolico, immò diuino ritu ſatis ſupérque, pro noſtri operis inſtituto.

IV. RITVS,

A S. PAVLO APOSTOLO PER SCRIPTA traditus, vt obſecrationes ſolennes fiant pro Regibus in ſacra Liturgia.

Quo ſub titulo, etiam agitur de ſpeciali, pro Rege Chriſtianiſſimo, oratione.

SVPRA apertè demonſtrauimus Apoſtolum, per ſolennes quas ante omnia religionis officia, fieri à ſacerdotibus pro populo fideli requirit & commendat obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones, de quotidiano (quod Miſſam dicimus) ſacrificio, in quo ſumma ſita eſt religio Chriſtianæ pietatis, intelligendum eſſe. Has autem generaliter fieri non modò exigit pro omnibus hominibus, ſed ſpecialiter etiam pro Regibus frequentari iubet. Hócque ex eius præcepto, ritum hinc deriuaſſe, quo in 1. parte canonis poſt obſecrationem pro Eccleſia & pro Papa, atque diœceſano Antiſtite diſtinctè oratur pro Rege, tam veteres, quàm neoterici interpretes inſinuauêre. Bellarminus obiter de hoc ritu diſſerens lib. 2. de Miſſa cap. 22. *Nomen Regis* (inquit) *rectè adiungitur, in his locis, quæ*
1.Tim.2. *Regibus ſubſunt. Nam,*&c. *omnes Liturgiæ id ſeruant, & ex Apoſtolo id colligunt Ambroſius lib. 4. de ſacram. cap. 4. & Auguſt. epiſt. 59. ad Paulinum,*&c. Sed reſtrictionem iſtam non legimus apud illos Patres, ce-

teróſque qui de ſolenni hac prece meminerunt. Siquidem vbi etiam Reges non imperant, pro Regibus orandum apertè liquet, ex abſoluto præcepto Apoſtoli, & deducta inde per illos Patres alióſque Eccleſiaſtica regula. Certè S. Cæleſtinus Papa I. epiſt. 1. ad Epiſcopos Galliæ. *Obſecrationum*, inquit, *ſacerdotalium ſacramenta inſpiciamus, quæ ab Apoſtolis tradita, in toto mundo, atque in omni Eccleſia* VNIFORMITER *celebrantur.* Subnectítque ſacerdotes *non pro vna tantùm* gente, *legatione fungi* ad altare, *ſed apud diuinam clementiam humani generis agere cauſam.* Et S. Chryſoſtomus ad locum Apoſtoli citatum docet: *Quaſi communem totius orbis patrem, ſacerdotem eſſe: dignum eſſe igitur, vt omnium curam agat, omnibúſque prouideat*, &c. *Atque id nouerunt fideles, quomodo pro omni mundo & Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt poſiti, obſecrationes ab Eccleſia fiant.* Quam obſecrationum legem, vbique obſeruatam atque obſeruandam, ſine vllo diſcrimine politici regiminis, Gennadius innuit Maſſilienſis lib. de dogmatibus Eccleſ. cap. 30. idipſúmque Proſper Aquitanicus lib. 1. de vocat. Gentium, cap. 4. diſertè profitetur. vbi notanter ait. *Nihil dubium eſſe poterit in præcepto, ſi obedientia concordet in ſtudio. Præcipit itaque Apoſtolus, immò per Apoſtolum Dominus, &c. fieri orationes, obſecrationes, &c. pro Regibus: quam legem ſupplicationis ita omnium ſacerdotum & omnium fidelium deuotio concorditer tenet, vt nulla pars mundi ſit in qua eiuſmodi orationes non celebrentur à populis Chriſtianis.*

Orare igitur ex hac Apoſtolica regula omnes indifferenter Chriſtiani, pro Regibus, etiã in iis locis vbi Regibus nõ ſubſunt, obſtringuntur. Nam hoc pertinet ad ſtatum vniuerſalem Eccleſiæ Dei, pro cuius vnitate, pace & tranquillitate primariò ac præcipuè in canone ſacrificij à ſacerdote, quocumque ſit loco oratur: & ſic ita ſentire ac velle Eccleſia ſatis prodit Catholica. Vbi enim Rex non denominatur, monet hîc orandum eſſe pro Imperatore: porrò vbi Rex imperat *, iubet ſingulariter pro Rege orandum, non autem pro Cæſare. Quæ regula iampridem in Gallia ſeruata eſt, *vbi alium non habemus Cæſarem, niſi Regem.*

*Ita ſtatuit antiquus ſacramentorum liber. Et ordo Rom. in offic. Feriæ 4. hebd. Maioris.

Mitto Clementem adiutorem Pauli, Petríque heredem, qui lib.8. conſt. Apoſtolic. cap.12. orandum eſſe monet pro Epiſcopis & Principibus, quia eorum perſonæ tanti ponderis ſunt, vt ex eorum incolumitate ſubditorum communis pendeat ſalus. Prætermitto etiam veterum Chriſtianorum teſtimonia, qui in ſummis preſſuris pro perſequentibus ſe, immò Chriſti fidem oppugnantibus ſummis Principibus, & orârunt in ſacrificio & priuatis in precibus; ſéque orare profeſſi ſunt, & orandum ſeriò docuerunt. Ad Galliæ Patres totus me cõuerto, qui ſpecialiter pro Rege Chriſtianiſſimo, filio Eccleſiæ Catholicæ primogenito, qui paſſim in ſacro iure *Rex* ſingulari titulo deſignatur, in quóque regiæ maieſtatis honor præcipuè conſideratur, ſtatus Eccleſiæ, quantum ad protectionem ſe ſiſtit, & ſedis Apoſtoli-

Vide Apologiam inſignem Athanagoræ pro Chriſtianis. Apologeticum Tertulliani li. 7. Arnobij contra Gẽtes. & dialogum Minutij Felicis, &c.

cæ

cæ conſiſtit præcipua tutela, orandum, cùm ſemper tum præſertim tremenda in actione decreuerunt, támque factis, quàm dictis commendarunt. Citat Eſpencæus hanc in rem Sanctiones Conciliorum Arelatenſis III. ſub Carolo Magno c.2. ſubſequentíſque Cabilonenſis II. can. 66. Remenſis c. 40. & Moguntiaci II. c. 40.

In Commentariis ad Tim. c. 2.

Iſta verò hîc nos congeſſimus, non vt aduerſaremur inclyto Eccleſiæ Catholicæ propugnatori, immò ineluctabili Apoſtolicæ ſedis cardini, Bellarmino: quem admodū ſpectabilem, in prima acie poſitum militantis Eccleſiæ, rutilantem in armis conſpicimus, quin miramur admodum victorem, & colimus; ſępéque infrà contra iuratum eius hoſtem Ameſium vindicamus. Sed vt Maieſtati Regiæ, quæ ſuum in Liliis, *pluſquam Salomon in omni decore ſuo*, ſplendorem habet, ſimúlque Monarchiæ, (ob præcellentem regiminis ſtatum, è quo potiſſimum pendent humanæ res) tam iuſta præconia, quàm neceſſaria obſequia rependeremus. Sapientiſſimi ſanè ſcriptoris, ac religioſiſſimi, verba, ſenſum ſanum admittunt, ex quo etiam ſyncerè dictata percipimus. Verum eſt enim quòd liberi ſtatus, nominatim pro Rege aliquo orare, niſi ex voto ſpeciali, non tenentur. Sed verendum erat, ne, quæ ſano intellectu ſcripta erant, ob ſtrictam nimis texturæ ſeriem, non ea vena limpida qua prodierunt, exciperentur. Quilibet etenim & quocumque ſub regimine viuant, vel degant loco, Sacerdotes vel populi, pro Re-

gibus, in quibus rei humanæ cardo ſitus eſt, ſaltem in ſacrificio preces fundare generales, ex Apoſtoli mandato obligantur: ſi ſartam tectam ſeruari velint *in plenitudine corporis Chriſti* Eccleſiæ vnitatem ac incolumitatem. Nec enim à particulari Magiſtratu exilis Reipublicæ, vel Principis prouincialis dominatu, pendet ſalus vel ruina Chriſtiani nominis: ſed à regij imperij & potentatus gloria ac robore. Vnde vox illa diuini

Pſal. 19.

pſalmographi, *Domine ſaluum fac Regem, & exaudi nos in die qua inuocauerimus te.* Quæ vota (omiſſo Cæſare Romano, quem vbi Reges non imperant, ob ſpeciem vniuerſalis nominis, ac commodi pietatis Chriſtianæ ſuffragiis, Eccleſia Catholica fidelibus commendauit) maximè in Regem auguſtum ipſa reflexit Galliarum. Enimuerò quoniam imperialis culminis, è Francorum Regum virtute ac meritis in ipſam Chriſti Eccleſiam editis, orta eſt celſitudo: nec eo robore conſtat Germanorum imperium (id enim compagibus ipſis quibus necti deberet, crebris vicibus, nutat) quô Francorum Chriſtianiſſimum regnum. Quod fultum ſtabili omnium corporis membrorum nexu, inconcuſſóque ſucceſſionis nixum fundamento, ſemper inuiolabile, ac intemeratum perſtat; ſuáque ideo perpetua ac ineluctabili firmitudine, ſuſtentat perpetim Catholicam ipſam Chriſti Eccleſiam. Inde Paulus Papa I. pronuntiare non dubitauit, *Regnum Francorum à Deo benedictum eſſe fundamentum, & caput Chri-*

Ex antiquo Rituali lib. in off. Paraſc.

Vide liminarem noſtram epiſt. ſuper Mar-

ſtianorum. Subiunxítque Innocentius III. ab eodem regno propriè *pendere ſublimationem Apoſtolicæ ſedis*, & robur potiſſimum Reipublicæ Chriſtianæ. Ex cuius regni ſtabilitate etiam Mauritius Imperator ante mille annos dicebat *Chriſtianitatem maiora fundamenta recipere.* Ideóque publicam Eccleſiæ ſalutem, in Chriſtianiſſimi Francorum Regis potentia & felicitate, ſitam, ſummi Pontifices cùm intelligerent: ac inſuper attenderent Pauli Apoſtoli mandatum, propriè ad ipſum Regem, ex omni Eccleſiæ vtilitate ſpectare, non ſatis eſſe cenſuerunt, ſi Franci pro Rege ſuo ſpeciali officio iuſtitiæ ac pietatis in publica litatione precarentur. Prouidere etiam curauerunt ſummi illi humani generis Paſtores, vt ceteri omnes Chriſti cultores, pro ipſomet Chriſtianiſſimo Francorum Rege præcipuo fidei tutore ambitioſo æſtu pias orationes funderent. Nec enim paternis monitis tantùm, ſed xeniis quoque religioſis quóſque fideles, ad orandum pro Chriſtianiſſimo Rege, tam in communi obſecratione Liturgica, quàm priuatis deuotionibus excitarunt. Etenim orantibus pro Rege Francorum, Innocentius IV.[a] decem dies veniarum indulſit. Clemens V.[b] 100. dies conceſsit. Leo X.[c] annum, *toties quoties* id facerent, adiecit.

Ceterùm de oratione pro Papa Chriſti vicario, vniuerſalíſque Eccleſiæ paſtore alibi diximus. tam in libro noſtro de Epiſcopali Monogamia parte 2. cauſa 8. quàm in Apparatu in noſtrũ Mar-

tyrol Gallic. editione.

[a] Gloſſ. Prag. ſanctio in Procem. 3. verbo *tueretur.* De Selua in in tract de benef. q 23.

[b] Ioannes Ferral priuil. 3. Regis Franc.

[c] Benedictus Rainutius in verbo *ſi abſque liberis.*

tyrologium Gallicanum c. 8. inſcripto, *de ſacris Diptychis*: infráque dicturi ſumus, vbi de Patrum Vaſionenſis Concilij ea de re, ſpeciali decreto.

V. RITVS

A S. PAVLO TRADITVS.

Sedium Epiſcopalium, ac Parœcialium Eccleſiarum erectio.

Vbi de ordinatione Eradij Preſbyteri.

PRESBYTERATVM *eſſe opus Dei*, grauiter ac verè aſſeruit S. Auguſtinus. Nemóque ſanè id inficiabitur: cùm ordinem presbyteratus conſtet eſſe propriè ac verè ſacramentum: Ita liquet de Epiſcopatu, qui presbyteratum includit, eíque nonnihil ſuperaddit myſticæ poteſtatis. Et ſic quoad ordinem nemo in controuerſiam vocat num à Deo prodierit. De iuriſdictione Epiſcopali ſeu ſpeculatione & poteſtate paſtorali diœceſeωn, nullum etiã dubium eſſe poteſt, quin à Deo, non ab hominibus, prodierit: dicente B. Paulo, *quòd, Spiritus ſanctus poſuerit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſiuit ſanguine ſuo*, vnde eos admonet, *vt ſibi & vniuerſo gregi attendant, in quo* Spiritus ſanctus illos paſtores conſtituit. Vbi certè reſtrictiua clauſula de induſtria vſus eſt. (Act. 20.)

Neque enim dixit abſolutè, eos conſtitutos eſſe *ad regendum Eccleſiam Dei* vniuerſalem (hoc enim Petri ſucceſſorúmque eius proprium eſt (Ioan. vlt.)

ius atque officium) ſed vt vigilantiâ inſtanti proſpiceret paſtoralis ſolicitudinis, vniuerſo illi gregi, cui ſinguli diuinitus, quaſi tutores ac rectores præfecti ſunt. At quamuis Epiſcopatus ſit à Deo, aſſignatio tamen particularis gregis, & terminatio propriæ diœceſis, ab Eccleſia pendet: primúmque à Petro tamquam œcumenico paſtore & ſummo vicario Chriſti ordinario: ſubindéque à ceteris Apoſtolis, vti extraordinariis Chriſti legatis, tam Epiſcopi ſunt certis in locis conſtituti, quàm præfiniti iiſdem ad gubernandum proprium populum, certæ notæque terminationis limites. Id verò præclarè innuit, S. Leonis hoc inſigne admodum documentum. *Inter beatiſſimos Apoſtolos* (inquit) *in ſimilitudinem honoris, fuit quædam diſtinctio poteſtatis, & cùm omnium par eſſet electio, vni tamen datum eſt, vt ceteris præmineret, de qua forma Epiſcoporum quoque orta eſt* DISTINCTIO, &c. *& rurſus, quidam in matricibus vrbibus conſtituti ſolicitudinem ſuſciperent ampliorem*, &c. *per quos ad vnam Petri ſedem vniuerſalis Eccleſiæ cura conflueret.* Sic verò Paulus ordinauit Titum Cretæ Centurbiæ dudum inſulæ Archipræſulem, eíque totius huius regionis, generalem curam attribuit, à quo & ceteros Antiſtites voluit locis congruis conſtitui. *Huius rei gratia reliqui te Cretæ, vt ea, quæ deſunt corrigas, & conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego diſpoſui tibi.* Subiunctíſque dotibus, quas in ordinandis illis ſacris præfectis requirit: poſtea apertè prodit, non de mi-

Ep. 84. ad Anaſtaſ. Epiſc. Treſſ.

Tit. 1.

noris ordinis ſacerdotibus, ſed de maioris gradus rectoribus, ſcilicet Epiſcopis, hoc illi præceptum ſe tradere: ſubnectit enim verſu proximè ſequenti. *Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem.* Et tales quidem Epiſcopos ipſe Paulus, dum per Galliam tranſiret (vt ſupra demonſtratum eſt) inſignibus locis attribuit, ordinato Viennæ Creſcente protopræſule, apud Arelaté Trophimo, Narbonam Paulo, Ruffo Auenionem, &c. ſicque Hierarchiæ Gallicanæ forma, Pauli Apoſtolicis manibus fuit initiata atque conſecrata.

Verùm mos Apoſtolicus hic erat, Epiſcopos non conſtituere niſi in conſpicuis ſedibus. Sed ne in vicis plebs paſtorali ſolatio careret, preſbyteros qui curam agerent particularis ouilis, vel ordinabant, vel iubebant præfici paſtores. Ex qua traditione illud decretum Sardicenſis antiquiſſimi Concilij emanauit can. 6. *Licentia ne ſit Epiſcopos paſſim ordinandi, aut in vico, aut in ciuitate modica, cui ſatis vnus poſſit eſſe presbyter.* quod & Laodicenum antea etiam ordinauerat c. 57. Et ſubinde Leo Magnus epiſt. 87. c. 2. diſtrictè cauens ne Epiſcopi ibi conſtituantur, vbi minores ſunt plebium cōuentus, cùm ibi *Presbyterorum* CVRA SVFFICIAT. Ex qua ſententia illud ſingulare elicitur, quod non ad ſolum Epiſcopatus honorem, *ne frequentiâ vileſceret venerandum Epiſcopi nomen*, Patres Epiſcopos collocari in vicis & minoribus oppidis vetuerunt; ſed etiam propter curam & ſola-

rium plebis, & Epiſcopi ipſiuſmet neceſſarium, (cùm par non eſſet ſingulis locis intentam ſolicitudinem exhibere, oneríſque paſtoralis omnem ferre molem) ſubſidiũ; presbyteris curam eiuſmodi cum parte regiminis ſubordinatè demandatá. Neceſſe enim erat, aucto grege, cuſtodiá augere, & perexcreſcente meſſe idoneos cultores deſtinare, cùm paſtor vnicus nequiret ſingulorum *inſpicere vultum*, & omnes vndequaque boni paſtoris adimplere partes. Hoc decerni ſacris Canonibus patentiſſimum eſt: ſed quando cœperit Curatorum illorum ſacerdotum creatio, ſæpè & à pleriſque dubitatum. Sunt enim qui putent ex mero id Epiſcoporum placito, ac gratuita diſpoſitione, quam *beneficium* vocant, nudáque, quam etiam dicunt, *commiſſione*: id muneris paſtorales Preſbyteros obtinere. Quoad loca ſignata, & perſonas ſpecialiter his muneribus honoratas, id non inficior. Sed munus ipſum à mera Epiſcoporum gratia & beneplacito deriuare, vix poſſum, niſi Eccleſia iubeat, (cuius vertex eſt Pontifex ſummus, cui ſenſa prorſus ſubiicio) aſſentiri. Enimuerò res ſi ita ſe haberet, poſſent efficere Præſules vt nulli eſſent Curati, vel etiam Eccleſiæ parœciales. Sícque videretur Dominus fruſtra, quoad exercitium inſtituiſſe preſbyteros: quos tamen Concilia vetant *ordinari abſolutè*, ipsíque Antiſtites inanes Deo gratias agerent, dum ordinant ſecundi gradus ſacerdotes: profitentur enim ſe iis tanto magis quàm Moyſen

Prouerb. 27. 23.

Vide Cõc. Chalced. can. 6. & poſteriora Concilia.

Pontificalia MSS. & edita. ſeptuaginta Senioribus, & Apoſtolos ſeptuaginta duobus diſcipulis indigere: quantò iiſdem ſunt Moſe & Apoſtolis infirmiores. Nec *ordinis ſui coadiutores* coram Deo appellarent, quos mero nutu, quaſi famulos (quos tamen Chriſtus longè maiori loco habuit) traxiſſent tenui conductos mercede in obſequium. Abſit vt hoc de ſanctiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus ac Patribus ſuſpicemur, qui iis adiuti auxiliariis, Chriſti regnum ab eius primordiis, tanta felicitate prouexerunt. Nec enim verebor aſſerere ab ipſis Apoſtolis ortum preſbyterorum, qui plebibus ſub Epiſcopis præſunt (nam præſunt etiam teſte Apoſtolo, be-
1.Tim.5. 17. nè quidem omninò, *quando laborant in verbo & doctrina:* quin & hoc iure *duplici, digni ſunt honore* preſbyteri) ſancti muneris officium. Extat enim locus inſignis, indéxque Apoſtolicæ huius praxis, quæ dubio procul auctore Domino, (cuius ſpiritum habebant Apoſtoli) orta eſt, in fœderis noui ac æterni codicillis. Præterquam enim ip-
Luc.10. ſe Dominus Iudeæ & Samariæ *circuiebat ciuitates ac caſtella; præmittebátque binos quoſque, ex ſecundaria claſſe diſcipulos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus.* Petrúſque
Act.9.32. eius amoris vicarius, luſtrata Samaria vniuerſos fideles, circumquaque tranſiens perſpiciebat, eos vt curaret. Nam vrbes non modò ſed & vicos perluſtrabat hic Apoſtolorum princeps: Sanctíſque, hoc eſt, Chriſti cultoribus, non ſolùm corporalia ſolatia, ſed ſpiritualia magis, per ſe & ſummiſſos

miſſos operarios impertiebatur ſubſidia: quo & piiſſimo affectu Paulus credentes viſitare percupiebat, *ad eos confirmandos, vt aliquid eis gratiæ ſpiritualis communicaret.* Hæc porrò ſolatia exilia quidem fuiſſent, ſi iis duntaxat in tranſitu, opem aliquantulam corporalem vmbratilē ſanè & euaneſcentem præbuiſſet vas ipſe electionis: ceterùm abeundo, ſine ducibus ac paſtoribus vllis deſeruiſſet, qui iis opem neceſſariam, porrexiſſent ad ſalutem. Sanè ex nobili eiuſdem, Barnabæque eius collegæ exēplo habemus, eoſdem, plebib. in vicis & pagis, modicíſque oppidis degentibus; preſbyteros paſtores ſecundarios, ac proprios rectores, ſpecialéſque (in magis vrgentibus obſequiis profuſioribúſque myſteriis) miniſtros diuinæ gratiæ aſſignâſſe, atque religioſo ritu conſecrâſſe. Sic enim teſte Luca Chriſti Euangeliſtâ notiſſimo ac chariſſimo Pauli auditore & adiutore, ipſis in codicillis Apoſtolorum actuum legere eſt c. 14. v. 20. & ſequentibus. *Cúmque Barnabas & Paulus euangeliſaſſent apud Derben* (ciuitatula eſt Lycaoniæ) *& docuiſſent multos, reuerſi ſunt Lyſtriam & Iconium, & Antiochiam; confirmantes* (dum ſcilicet has per oras tranſirent) *animas diſcipulorum, exhortantéſque vt permanerent in fide, & quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, & cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiuniis, commendauerunt eos Domino in quem crediderunt. Tranſeuntéſque Piſidiam, venerunt in Pamphyliam,* &c. Quæſo enim qui qualéſ-

Rom. 1. 11.

que erant illi presbyteri, quos cum ieiuniis & orationibus ordinant Apoſtoli? (nec enim leuis res eis eſſe poterat humanæ cura ſalutis, præſtandúmque, etſi ab inferiori claſſe Myſtarum diuini muneris, gratiæ ſanctificantis opus) Certè non erant Epiſcopi, nam ex Paulo ad Titum ſcribente, Epiſcopi *per ciuitates* conſtituebantur. Igitur erant preſbyteri, nam ij ſoli ſecundarij paſtores per *ſingulas Eccleſias* ordinari debent. Quamobrem in actis S. Dionyſij, ipſius Pauli Apoſtoli auditoris, presbyteri *ſecundi ordinis honore decorantur*, dicuntúrque ab Optato *in ſecundo ſacerdotio conſtituti*. Ab Auguſtino *Epiſcopali ordini proximi*. & à Sidonio noſtro *ordinis ſecundi Antiſtites*.

c. 1.

Ideo Vigilius PP. ep. 1. ad Auxanium Arelat. Epiſc. preſbyteratum appellabat *Sequentem ſacerdotij ordinem*.

Hinc tamen non eſt quòd parœciales ſuperbiant presbyteri, ſuúmque in Epiſcopum quaſi à pari ſe erigant. Pulchrè S. Auguſtinus docebat atque verè, *non vnum à multis eſt, ſed multa ab vno*. Pendent ab Epiſcopo ſuo tam in ordinatione ſuſcipienda, quàm in ſuo actuali vtriuſque officij miniſterio, presbyteri. Quíque benedicit, ait Paulus tuba Chriſti, *iis quibus ab illo benedicitur profectò maior eſt**. Epiſcopus presbyteros ſolus ordinat: ſolúſque parœcos (quamuis neceſſario ſibi ſolatio) conſtituit. Solus in throno ſedet, ac vniuerſo gregi præſidet ſuæ terminationis, concurrítque per ſe cum presbyteris parœciarum rectoribus, in omnibus functionibus, quæ crediti ipſis muneris ſunt: adeóque vt ipſe præcellat, *in omnibus*, ſicut caput inter membra,

Serm 27. de verbis Domini.

Hebr. 7. *Sine vlla cōtradictione quod minus eſt, à meliore benedicitur.*

etiam præſtantiſſima, *primatum tenens*. Certè enim ſi Epiſcopus cum ſummo Chriſti Vicario confeːratur, ſortitur Apoſtoli dignitatem. Si cum preſbyteris ſuæ terminationis, ipſum tenet locum Domini. Immò ipſam Chriſti ſummi ſacerdotis atque paſtorum principis & animarum Epiſcopi, præfert imaginem, vt Ignatius Martyr egregiè philoſophatus eſt; Nicænúmque protoœcumenicum Concilium ſolenni præconio conteſtatur. Vnde eſt quo explodas putidum, impiúmque Ameſij miniſtri perditionis, paradoxum. Qui errorum magiſter, in Fráckeranæ Academiæ cathedra aſſerere non erubuit, *Diœceſanos nullos à Deo inſtitutos Epiſcopos fuiſſe, ſed parœciales duntaxat presbyteros: quos ſolos paſtores Epiſcopóſque aſtruit, in quantum ſcilicet ſunt ſingularium cœtuum (quamquam exilium) rectores*. Nec profert authoritates vllas ſacrás, è quibus id queat elici, ſed aſſertiones tantùm pro argumentis intrudit. Quæſo vnde toto ex nouo teſtamento inſinuet, vicanæ Eccleſiæ presbyteros ſeu rectores Epiſcopos appellari? ad Eccleſiarum principes ſcribit Apoſtolus, ſed qui, non pagos, at vrbes regerent: eáſque inſignes, quin & integras prouincias Epiſcopali titulo ac honore moderarentur, ſicut ex litteris eius ad Titum & Timotheum directis perſpicuum eſt.

Col. 1.

Vide Gelaſ. Cizic. lib. 2. actor. Concil. Nicæn. c. 30. § 3. ſermonis de Diatypoſibus Eccleſiaſticis.

Medullæ Theolog. lib. 1. cap. 39. pag. 181. 183.

1. Tim. 3. Tit. 1.

Certè magnis iis in vrbibus, vbi permulti erant fideles, vnum duntaxat fuiſſe parœcialem preſbyterum, ratio credere non permittit. Quorſum

enim vnus tantam multitudinem ſuſtentaſſet? Habebat igitur vnus hierarcha alios pleroſque ſacri ordinis myſtas ſibi ſubſidiarios, quorum caput erat: iíſque vt dux militibus vtebatur, per hóſque ſuffragantes, plebem quantumuis numeroſam, (vt olim Moſes Iſraëlitas, in deſerto, per ſeniores) gubernabat, omnium ſcilicet illorum princeps atque vertex. Et inde eſt quòd Apoſtolus Epheſios, in quibus plerique erant ſacerdotes per Timotheum ſolum Epiſcopum (directis ad illum tantùm ſacris apicibus) erudit, Cretenſéſque docet vnicum inſtruendo Titum. Deni-

Col. vlt. v. 17. que ſcribit ad Coloſſenſes, ſolúmque mandat, prætermiſſâ ſacerdotum turbâ, Archippum moneri præſulem, vt miniſterium quod accepit à Domino compleat. *Dicite Archippo,* inquit, *vide miniſterium quod accepiſti à Domino, vt illud impleas.* Et quod omnibus maius eſt argumentorum ponderibus, Chriſtus Ieſus filius Dei, & omnium Dominus, dum ſua ſcita & placita Aſiæ ſeptem Eccleſiis notificari præcipit, per Ioannem dilectum ſuum diſcipulum, ac myſticum amanuenſem: non ad presbyteros, qui plures erant illarum Eccleſiarum inſignium, ſed ad proprios illarũ paſtores & Epiſcopos mãdata ſua diri-

Apoc. 2. 1 git. *Angelo,* inquit, *Epheſi Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in manu ſua,* &c. *Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit primus & nouiſſimus,* &c. *Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit qui habet rõphæam vtraq. parte acutam.* Ita & ceteris loquitur

aliarum ciuitatum Aſiæ Epiſcopis, quos ideo de erratis ſubditorum arguit, ac corrigit, quod plebem ſimul cum presbyteris ipſis, eorum vnuſquiſque, ſeu paſtor & Iudex in ſua poteſtate haberet. Quapropter B. Paulus etiam Timotheum ſuum admonebat, ne leuem contra presbyterum reciperet accuſationem. Futile enim Ameſij* effugium eſt, hoc ad Timothei non *vt Epiſcopi*, *ſed Euangeliſtæ officium pertinuiſſe*. Quid enim ad Euangeliſtæ partes accuſationis contra presbyterum ſuſceptio? Cùm Euangeliſtæ munus potuerit etiam diaconus egregiè obire, ſicut reipſa Philippus diaconus hoc officio functus eſt, à quo etiam *Euangeliſtæ* cognomentum eſt adeptus. Monebatur igitur Timotheus ex Epiſcopi officio, qui presbytero ſolus dignitate ac poteſtate, in Eccleſia maior eſt.

* Bellarm. eneruati Tom. 2. p. 114. c. 4. de clericis quod de diſtinctione Epiſcopi & preſbyteri prænotatur. §. 13.

Act. 21. 8.

At de Epiſcoporum ſuper ſacerdotes hierarchico primatu, ſummi Pontificis inter Epiſcopos ipſos *potentiori principalitate*, presbyterorum ordine parœciali iure ac titulo, & ſubordinatione qua Præſulibus ſubſunt, & inferioribus myſtis Eccleſiaſticis præſunt, ſatis ſupérque in libro de Epiſcopali Monogamia diſſeruimus parte 2. cauſa 4. quæ prænotata eſt *de Eccleſiaſticæ vnitatis inuiolabili ſacramento*. Vnde foret ſuperuacaneum hæc proprio loco luculenter iam tractata, obiter hîc, & quaſi *extra oleas*, vt Tertullianus ait, vagando refricare. Sat fuerit quoniam ſatis vindicata eſt Epiſcoporum auctoritas, qua parœcis ſu-

Matt. 10. Iren. l. 3. c. 3.

perno iure præcellunt, hic parœcialium ſacerdotum (quos præſidétes ſub Antiſtitibus Epiſcopis, Tertullianus ipſe, ſacros cœtus regere & paſcere commemorat) originem Apoſtolicam indicaſſe. Sunt enim qui Clementi, ſúntque qui Anacleto, alij qui Euariſto, Higinóque alij parœciarum diſtinctarum vt ortum tribuunt; ita adſcribant quoque Presbyterorum illorum præcipuorum, quos & Cardineos ſuis in titulis veteres vocitarunt, natiua primordia. Iniuriâ ſanè. Antiquiora eſſe eorum cunabula (ne ad Euangelium recurramus, quo habetur expreſſa ſecundariæ claſſis diſcipulorum Christi ab ipſo ſubordinariè facta deſignatio & miſſio) ſaltem liquet, ex relatione S. Lucæ in actis Apoſtolicis c.14. Paulũ & Barnabam presbyteros per ſingulas Eccleſias, cum ieiunio & orationibus inſtituiſſe: haud ſanè ſine diuino afflatu vel mandato. Eſpencæus quidem dum tractat præceptum Pauli ad Titum, putat iſtum ex iniuncto munere, accepiſſe iuſſionem ordinandi, non modò per ciuitates Epiſcopos, ſed etiam, vbi opus erat, presbyteros. *Epiſcoporum*, inquit, *& presbyterorum electiones diſcipulo permittebat, de quibus ſequitur: Et conſtituas per ciuitates (κατὰ πόλιν in ciuitate) id eſt in ſingulis ciuitatibus, ſiue oppidatim. Hæc enim inſula dicta quondam ἑκατόμπολις, quòd centum habuerit oppida.* Clarè ex hoc titulo eliciens centum Epiſcopos ibi conſtitui non decuiſſe, ſed presbyteros qui Epiſcoporum vicem, ad quam ordinarentur, ſacra ex

Luc. 10. 1.

C. 1.

regula ſupplerent. Presbyteros hos diſtinctos ab Apoſtolis & Epiſcopis, in epiſtola ad Epheſios Paulus ipſe appellat *paſtores & doctores*, vt Cornelius notat. Idémque Paulus gradu poſt Apoſtolos præcelluiſſe, quem non omnes haberent, indigitat. Lorinus autem in com. ad act. Apoſtolorum ad cap. 14. ſatis clarè docet Parœcos illos extitiſſe, quos Paulus & Barnabas antequam ipſi ordinati fuiſſent, non aggreſſi ſint ordinare. Nec conſtituere quidem in iis locis, niſi procul ab Hieroſolymis (vbi conſidebant Apoſtoli, iiſque aſſiſtebant fixo gradu ſeniores) conſtitiſſent. Quam obſeruationem non inducerem niſi primariò iure cenſeretur S. Chryſoſtomi ac Oecumenij. Quorum ex dictis elicit idem Lorinus, his in locis remotioribus, à Paulo & Barnaba hos ſacerdotes conſtitutos apud Gentiles, *quoniam hic præſertim opus erat doctrinâ & coſolatione*. Vnde in vicis & pagis duntaxat, non eſt quòd exiſtimes presbyteros ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, collocatos. Quoniam etſi ob abſceſſum longinquioré Epiſcoporum, in pagis & caſtellis preſbyteros fateamur ab ipſis Apoſtolis ordinatos fuiſſe: etiam in vrbibus, vbi ſedebant Epiſcopi, ob grauitatem oneris, plebíſque multitudinem ſtatutos fuiſſe proprio loco presbyteros ânteceſſores, neceſſe eſt aſſerere. Cùm conſtet non à lineis ad cétrum, ſed à centro ad circulum progreſſum factum eſſe. Priúſque Apoſtolos, ac viros Apoſtolicos vrbes cùm Chriſto ſubigerent, hinc

c.4.11. &c.

ad pagos & villas proſpexiſſe, ſubſidiariorum operâ ſacerdotum, quos ad hoc munus, creſcente meſſe, ordinarent ac ablegarent. Occupatis iam primoribus presbyteris, ſuis aſſeclis, qui vrbes ipſas cum illis coniuncta ſubſidiariæ manus opitulatione, iugo Chriſti ſubderent perſuaui.

Quam operam Lutetiæ Pariſiorum ſub Dionyſio beatiſſimo Pontifice & Martyre præſtitit presbyter Ruſticus: in agro autem, apud Caſtrenſem pagum, Ionius. Híncque ciuitatenſis & ruſticani presbyteri diſcrimen inoleuit, vrbicíque presbyteri dicti ſunt iam olim proprio ſub titulo *ſacerdotes Cardinales*, cùm alij per diœceſim diffuſi appellarentur pagenſes ſeu vicani. At hoc nihil ad ordinem refert, ſed ad dignitatem duntaxat, quàm in vrbicis parœcis, loci non tam ſplendor, quàm laboris primatus, oneríſque grauitas, & propinquior Epiſcopo ſitus ac collaboratio; quin & ſtatuta ſynodica, ac collaudata longo temporum vſu conſuetudo; Eccleſiæ maieſtas, & praxis œcumenica, legitimè firmauerunt. Quem etiam morem ab Apoſtolis non dubitarem profectum aſſerere, apud quos Hieroſolymitanos presbyteros Epheſióſque, longè pluris habitos legimus, quàm ceteros, qui in pagis degerent, vel oppidis, aliíſque non inſignitis locis, Apoſtolico conceſſu, aut ſaltem Epiſcopali ſede. Sat fuerit parœcos innuiſſe ab Apoſtolo Paulo eiúſque collega Barnaba

Ita demõſtrauimus in lib. de Epiſc. Monog. part. ex peruetuſto Cod. MSS. Iura ſacra ciuiliáque recenſente Magnæ Eccleſiæ Pariſ.

Act. 15. & 20.

naba conſecratos: quod & relatione S. Lucæ teſtatum ſupra oſtendimus, & in Eccleſia S. Pauli Pariſiis hoc ex loco obſeruauimus vitreis in Iconibus, quæ cœnaculum paſchale ornant, ipſis ex Apoſtolorum Actis graphicè depictum*.

* *Sub qua pictura leguntur expreſſi hi vulgares verſus.* *Et pour les maintenir en chacun lieu leur donne, Auant les partemens des Paſteurs qu'il ordonne Paſteurs du ſecond ordre, & les fait leurs Curés.*

VI. RITVS

A S. PAVLO APOSTOLO TRADITVS.

Nominis Domini inuocatio in omni fidelium actu.

MOS iſte Eccleſiaſticus ſummopere celebris ac commendabilis eſt, quo in quibuſque piorum actis, atque inſtrumentis, nomen Domini prænotatum inſcribitur, vel inuocatum recolitur, quod ita fieri debere, ex more non tantùm Eccleſiaſtico, ſed norma quoque canonica, ſacri iuriſperiti eliciunt *ex can.* IN NOMINE DOMINI, qui eſt Nicolai Papæ diſt. 23. ſicut obſeruauit Stephanus Daoylus Pampilonenſis parte 1. concluſionum iuris Pontificij, tit. *Nomen*. Sed vnde fluxerit primùm iſte ritus non indicat. Ego verò manaſſe ex inſtituto Pauli Apoſtoli, perſpicuum exiſtimo, cuius in ſcriptis legimus ad Coloſſ. c. 3. 17. ſacroſanctam hanc legem proditam. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* (facite) *gratias agentes Deo & patri per ipſum*. Siue enim hoc fuerit conſilium, ſiue præceptum, hinc li-

Pontificalia MSS. & edita. ſeptuaginta Senioribus, & Apoſtolos ſeptuaginta duobus diſcipulis indigere: quantò iiſdem ſunt Moſe & Apoſtolis infirmiores. Nec *ordinis ſui coadiutores* coram Deo appellarent, quos mero nutu, quaſi famulos (quos tamen Chriſtus longè maiori loco habuit) traxiſſent tenui conductos mercede in obſequium. Abſit vt hoc de ſanctiſſimis Eccleſiæ Antiſtitibus ac Patribus ſuſpicemur, qui iis adiuti auxiliariis, Chriſti regnum ab eius primordiis, tanta felicitate prouexerunt. Nec enim verebor aſſerere ab ipſis Apoſtolis ortum preſbyterorum, qui plebibus ſub Epiſcopis præſunt (nam præſunt etiam teſte Apoſtolo, be- 1.Tim.5.17. nè quidem omninò, *quando laborant in verbo & doctrina:* quin & hoc iure *duplici, digni ſunt honore* preſbyteri) ſancti muneris officium. Extat enim locus inſignis, indéxque Apoſtolicæ huius praxis, quæ dubio procul auctore Domino, (cuius ſpiritum habebant Apoſtoli) orta eſt, in fœderis noui ac æterni codicillis. Præterquam enim ip- Luc.10. ſe Dominus Iudeæ & Samariæ *circuiebat ciuitates ac caſtella; præmittebátque binos quoſque, ex ſecundaria claſſe diſcipulos ante faciem ſuam in omnem ciuitatem & locum, quo erat ipſe venturus.* Petrúſque Act.9.32. eius amoris vicarius, luſtrata Samaria vniuerſos fideles, circumquaque tranſiens perſpiciebat, eos vt curaret. Nam vrbes non modò ſed & vicos perluſtrabat hic Apoſtolorum princeps: Sanctiſque, hoc eſt, Chriſti cultoribus, non ſolùm corporalia ſolatia, ſed ſpiritualia magis, per ſe & ſummiſſos

miſſos operarios impertiebatur ſubſidia: quo & piiſſimo affectu Paulus credentes viſitare percupiebat, *ad eos confirmandos, vt aliquid eis gratiæ ſpiritualis communicaret.* Hæc porrò ſolatia exilia quidem fuiſſent, ſi iis duntaxat in tranſitu, opem aliquantulam corporalem vmbratilé ſanè & euaneſcentem præbuiſſet vas ipſe electionis: ceterùm abeundo, ſine ducibus ac paſtoribus vllis deſeruiſſet, qui iis opem neceſſariam, porrexiſſent ad ſalutem. Sanè ex nobili eiuſdem, Barnabæque eius collegæ exéplo habemus, eoſdem, plebib. in vicis & pagis, modicíſque oppidis degentibus; preſbyteros paſtores ſecundarios, ac proprios rectores, ſpecialéſque (in magis vrgentibus obſequiis profuſioribúſque myſteriis) miniſtros diuinæ gratiæ aſſignâſſe, atque religioſo ritu conſecrâſſe. Sic enim teſte Luca Chriſti Euangeliſtâ notiſſimo ac chariſſimo Pauli auditore & adiutore, ipſis in codicillis Apoſtolorum actuum legere eſt c. 14. v. 20. & ſequentibus. *Cúmque Barnabas & Paulus euangeliſaſſent apud Derben* (ciuitatula eſt Lycaoniæ) *& docuiſſent multos, reuerſi ſunt Lyſtriam & Iconium, & Antiochiam; confirmantes* (dum ſcilicet has per oras tranſirent) *animas diſcipulorum, exhortantéſque vt permanerent in fide, & quòd per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei, & cùm conſtituiſſent illis per ſingulas Eccleſias presbyteros, & oraſſent cum ieiuniis, commendauerunt eos Domino in quem crediderunt. Tranſeuntéſque Piſidiam, venerunt in Pamphyliam,* &c. Quæſo enim qui qualéſ-

Rom. 1. 11.

que erant illi presbyteri, quos cum ieiuniis & orationibus ordinant Apoſtoli? (nec enim leuis res eis eſſe poterat humanæ cura ſalutis, præſtandúmque, etſi ab inferiori claſſe Myſtarum diuini muneris, gratiæ ſanctificantis opus) Certè non erant Epiſcopi, nam ex Paulo ad Titum ſcribente, Epiſcopi *per ciuitates* conſtituebantur. Igitur erant preſbyteri, nam ij ſoli ſecundarij paſtores per *ſingulas Eccleſias* ordinari debent. Quamobrem in actis S. Dionyſij, ipſius Pauli Apoſtoli auditoris, presbyteri *ſecundi ordinis honore decorantur*, dicuntúrque ab Optato *in ſecundo ſacerdotio conſtituti.* Ab Auguſtino *Epiſcopali ordini proximi.* & à Sidonio noſtro *ordinis ſecundi Antiſtites.*

c. 1.

Ideo Vigilius PP. ep. 1. ad Auxanium Arelat. Epiſc. preſbyteratum appellabat *Sequentem ſacerdotij ordinem.*

Hinc tamen non eſt quòd parœciales ſuperbiant presbyteri, ſuúmque in Epiſcopum quaſi à pari ſe erigant. Pulchrè S. Auguſtinus docebat atque verè, *non vnum à multis eſt, ſed multa ab vno.* Pendent ab Epiſcopo ſuo tam in ordinatione ſuſcipienda, quàm in ſuo actuali vtriuſque officij miniſterio, presbyteri. Quíque benedicit, ait Paulus tuba Chriſti, *iis quibus ab illo benedicitur profectò maior eſt**: Epiſcopus presbyteros ſolus ordinat: ſolúſque parœcos (quamuis neceſſario ſibi ſolatio) conſtituit. Solus in throno ſedet, ac vniuerſo gregi præſidet ſuæ terminationis, concurrítque per ſe cum presbyteris parœciarum rectoribus, in omnibus functionibus, quæ crediti ipſis muneris ſunt: adeóque vt ipſe præcellat, *in omnibus*, ſicut caput inter membra,

Serm. 27. de verbis Domini.

Hebr. 7. **Sine vlla cōtradictione quod minus eſt, à meliore benedicitur.*

etiam præſtantiſſima, *primatum tenens*. Certè enim ſi Epiſcopus cum ſummo Chriſti Vicario conſecratur, ſortitur Apoſtoli dignitatem. Si cum preſbyteris ſuæ terminationis, ipſum tenet locum Domini. Immò ipſam Chriſti ſummi ſacerdotis atque paſtorum principis & animarum Epiſcopi, præfert imaginem, vt Ignatius Martyr egregiè philoſophatus eſt; Nicænúmque protoœcumenicum Concilium ſolenni præconio conteſtatur. Vnde eſt quo explodas putidum, impiúmque Ameſij miniſtri perditionis, paradoxum. Qui errorum magiſter, in Fráckeranæ Academiæ cathedra aſſerere non erubuit, *Diœceſanos nullos à Deo inſtitutos Epiſcopos fuiſſe, ſed parœciales duntaxat presbyteros: quos ſolos paſtores Epiſcopóſque aſtruit, in quantum ſcilicet ſunt ſingularium cœtuum (quamquam exilium) rectores*. Nec profert authoritates vllas ſacras, è quibus id queat elici, ſed aſſertiones tantùm pro argumentis intrudit. Quæſo vnde toto ex nouo teſtamento inſinuet, vicanæ Eccleſiæ presbyteros ſeu rectores Epiſcopos appellari? ad Eccleſiarum principes ſcribit Apoſtolus, ſed qui, non pagos, at vrbes regerent: cáſque inſignes, quin & integras prouincias Epiſcopali titulo ac honore moderarentur, ſicut ex litteris eius ad Titum & Timotheum directis perſpicuum eſt.

Col. 1.

Vide Gelaſ Cizic. lib. 2. actor. Concil. Nicæn. c. 30. § 3. ſermonis de Diatypoſibus Eccleſiaſticis. Medullæ Theolog. lib. 1. cap. 39. pag. 181. 183.

1. Tim. 3. Tit. 1.

Certè magnis iis in vrbibus, vbi permulti erant fideles, vnum duntaxat fuiſſe parœcialem preſbyterum, ratio credere non permittit. Quorſum

enim vnus tantam multitudinem ſuſtentaſſet? Habebat igitur vnus hierarcha alios pleroſque ſacri ordinis myſtas ſibi ſubſidiarios, quorum caput erat: iiſque vt dux militibus vtebatur, per hóſque ſuffragantes, plebem quantumuis numeroſam, (vt olim Moſes Iſraëlitas, in deſerto, per ſeniores) gubernabat, omnium ſcilicet illorum princeps atque vertex. Et inde eſt quòd Apoſtolus Epheſios, in quibus plerique erant ſacerdotes per Timotheum ſolum Epiſcopum (directis ad illum tantùm ſacris apicibus) erudit, Cretenſéſque docet vnicum inſtruendo Titum. Deni-
Col. vlt v. 17. que ſcribit ad Coloſſenſes, ſolúmque mandat, prætermiſſâ ſacerdotum turbâ, Archippum moneri præſulem, vt miniſterium quod accepit à Domino compleat. *Dicite Archippo,* inquit, *vide miniſterium quod accepiſti à Domino, vt illud impleas.* Et quod omnibus maius eſt argumentorum ponderibus, Chriſtus Ieſus filius Dei, & omnium Dominus, dum ſua ſcita & placita Aſiæ ſeptem Eccleſiis notificari præcipit, per Ioannem dilectum ſuum diſcipulum, ac myſticum amanuenſem: non ad presbyteros, qui plures erant illarum Eccleſiarum inſignium, ſed ad proprios illarũ paſtores & Epiſcopos mãdata ſua dirigit.
Apoc. 2. 1 *Angelo,* inquit, *Epheſi Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit qui tenet ſeptem ſtellas in manu ſua, &c. Et Angelo Smyrnæ Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit primus & nouiſſimus, &c. Et Angelo Pergami Eccleſiæ ſcribe. Hæc dicit qui habet rõphæam vtraq. parte acutam.* Ita & ceteris loquitur

aliarum ciuitatum Aſiæ Epiſcopis, quos ideo de erratis ſubditorum arguit, ac corrigit, quod plebem ſimul cum presbyteris ipſis, eorum vnuſquiſque, ſeu paſtor & Iudex in ſua poteſtate haberet. Quapropter B. Paulus etiam Timotheum ſuum admonebat, ne leuem contra presbyterum reciperet accuſationem. Futile enim Ameſij * effugium eſt, hoc ad Timothei non *vt Epiſcopi, ſed Euangeliſtæ officium pertinuiſſe.* Quid enim ad Euangeliſtæ partes accuſationis contra presbyterum ſuſceptio? Cùm Euangeliſtæ munus potuerit etiam diaconus egregiè obire, ſicut reipſa Philippus diaconus hoc officio functus eſt, à quo etiam *Euangeliſtæ* cognomentum eſt adeptus. Monebatur igitur Timotheus ex Epiſcopi officio, qui presbytero ſolus dignitate ac poteſtate, in Eccleſia maior eſt.

* Bellarm. eneruati Tom. 2. p. 114. c. 4. de clericis quod de diſtinctione Epiſcopi & preſbyteri prænotatur. §. 13.

Act. 21. 8.

At de Epiſcoporum ſuper ſacerdotes hierarchico primatu, ſummi Pontificis inter Epiſcopos ipſos *potentiori principalitate*, presbyterorum ordine parœciali iure ac titulo, & ſubordinatione qua Præſulibus ſubſunt, & inferioribus myſtis Eccleſiaſticis præſunt, ſatis ſupérque in libro de Epiſcopali Monogamia diſſeruimus parte 2. cauſa 4. quæ prænotata eſt *de Eccleſiaſticæ vnitatis inuiolabili ſacramento.* Vnde foret ſuperuacaneum hæc proprio loco luculenter iam tractata, obiter hîc, & quaſi *extra oleas*, vt Tertullianus ait, vagando refricare. Sat fuerit quoniam ſatis vindicata eſt Epiſcoporum auctoritas, qua parœcis ſu-

Matt. 10. Iren. l. 3. c. 3.

perno iure præcellunt, hic parœcialium ſacerdotum (quos præſidétes ſub Antiſtitibus Epiſcopis, Tertullianus ipſe, ſacros cœtus regere & paſcere commemorat) originem Apoſtolicam indicaſſe. Sunt enim qui Clementi, ſúntque qui Anacleto, alij qui Euariſto, Higinóque alij parœciarum diſtinctarum vt ortum tribuunt; ita adſcribant quoque Presbyterorum illorum præcipuorum, quos & Cardineos ſuis in titulis veteres vocitarunt, natiua primordia. Iniuriâ ſanè. Antiquiora eſſe eorum cunabula (ne ad Euangelium recurramus, quo habetur expreſſa ſecundariæ claſſis diſcipulorum Christi ab ipſo ſubordinariè facta deſignatio & miſſio) ſaltem liquet, ex
Luc. 10. 1. relatione S. Lucæ in actis Apoſtolicis c. 14. Paulũ & Barnabam presbyteros per ſingulas Eccleſias, cum ieiunio & orationibus inſtituiſſe: haud ſanè ſine diuino afflatu vel mandato. Eſpencæus
C. 1. quidem dum tractat præceptum Pauli ad Titum, putat iſtum ex iniuncto munere, accepiſſe iuſſionem ordinandi, non modò per ciuitates Epiſcopos, ſed etiam, vbi opus erat, presbyteros. *Epiſcoporum*, inquit, *& presbyterorum electiones diſcipulo permittebat, de quibus ſequitur: Et conſtituas per ciuitates (κατὰ πόλιν in ciuitate) id eſt in ſingulis ciuitatibus, ſiue oppidatim. Hæc enim inſula dicta quondam ἑκατόμπολις, quòd centum habuerit oppida.* Clarè ex hoc titulo eliciens centum Epiſcopos ibi conſtitui non decuiſſe, ſed presbyteros qui Epiſcoporum vicem, ad quam ordinarentur, ſacra ex

regula ſupplerent. Presbyteros hos diſtinctos ab Apoſtolis & Epiſcopis, in epiſtola ad Epheſios Paulus ipſe appellat *paſtores & doctores*, vt Cornelius notat. Idémque Paulus gradu poſt Apoſtolos præcelluiſſe, quem non omnes haberent, indigitat. Lorinus autem in com. ad act. Apoſtolorum ad cap. 14. ſatis clarè docet Parœcos illos extitiſſe, quos Paulus & Barnabas antequam ipſi ordinati fuiſſent, non aggreſſi ſint ordinare. Nec conſtituere quidem in iis locis, niſi procul ab Hieroſolymis (vbi conſidebant Apoſtoli, iíſque aſſiſtebant fixo gradu ſeniores) conſtitiſſent. Quam obſeruationem non inducerem niſi primariò iure cenſeretur S. Chryſoſtomi ac Oecumenij. Quorum ex dictis elicit idem Lorinus, his in locis remotioribus, à Paulo & Barnaba hos ſacerdotes conſtitutos apud Gentiles, *quoniam hic præſertim opus erat doctrinâ & coſolatione*. Vnde in vicis & pagis duntaxat, non eſt quòd exiſtimes presbyteros ab Apoſtolis, eorúmque ſucceſſoribus, collocatos. Quoniam etſi ob abſceſſum longinquioré Epiſcoporum, in pagis & caſtellis preſbyteros fateamur ab ipſis Apoſtolis ordinatos fuiſſe: etiam in vrbibus, vbi ſedebant Epiſcopi, ob grauitatem oneris, plebíſque multitudinem ſtatutos fuiſſe proprio loco presbyteros ânteceſſores, neceſſe eſt aſſerere. Cùm conſtet non à lineis ad cétrum, ſed à centro ad circulum progreſſum factum eſſe. Priúſque Apoſtolos, ac viros Apoſtolicos vrbes cùm Chriſto ſubigerent, hinc

c.4.11. &c.

ad pagos & villas proſpexiſſe, ſubſidiariorum operâ ſacerdotum, quos ad hoc munus, creſcente meſſe, ordinarent ac ablegarent. Occupatis iam primoribus presbyteris, ſuis aſſeclis, qui vrbes ipſas cum illis coniuncta ſubſidiariæ manus opitulatione, iugo Chriſti ſubderent perſuaui.

Quam operam Lutetiæ Pariſiorum ſub Dionyſio beatiſſimo Pontifice & Martyre præſtitit presbyter Ruſticus: in agro autem, apud Caſtrenſem pagum, Ionius. Hincque ciuitatenſis & ruſticani presbyteri diſcrimen inoleuit, vrbicíque presbyteri dicti ſunt iam olim proprio ſub titulo *ſacerdotes Cardinales*, cùm alij per diœceſim diffuſi appellarentur pagenſes ſeu vicani. At hoc nihil ad ordinem refert, ſed ad dignitatem duntaxat, quàm in vrbicis parœcis, loci non tam ſplendor, quàm laboris primatus, oneríſque grauitas, & propinquior Epiſcopo ſitus ac collaboratio; quin & ſtatuta ſynodica, ac collaudata longo temporum vſu conſuetudo; Eccleſiæ maieſtas, & praxis œcumenica, legitimè firmauerunt. Quem etiam morem ab Apoſtolis non dubitarem profectum aſſerere, apud quos Hieroſolymitanos presbyteros Epheſióſque, longè pluris habitos legimus, quàm ceteros, qui in pagis degerent, vel oppidis, aliíſque non inſignitis locis, Apoſtolico conceſſu, aut ſaltem Epiſcopali ſede. Sat fuerit parœcos innuiſſe ab Apoſtolo Paulo eiúſque collega Barnaba

Ita demõſtrauimus in lib. de Episc. Monog. part. ex peruetuſto Cod. MSS. Iura ſacra ciuiliáque recenſente Magnæ Eccleſiæ Pariſ.

Act. 15. & 20.

naba conſecratos: quod & relatione S. Lucæ teſtatum ſupra oſtendimus, & in Eccleſia S. Pauli Pariſiis hoc ex loco obſeruauimus vitreis in Iconibus, quæ cœnaculum paſchale ornant, ipſis ex Apoſtolorum Actis graphicè depictum*.

* Sub qua pictura leguntur expreſſi hi vulgares verſus. *Et pour les maintenir en chacun lieu leur donne, Auant les partemens des Paſteurs qu'il ordonne Paſteurs du ſecond ordre, & les fait leurs Curés.*

VI. RITVS

A S. PAVLO APOSTOLO TRADITVS.

Nominis Domini inuocatio in omni fidelium actu.

MOS iſte Eccleſiaſticus ſummopere celebris ac commendabilis eſt, quo in quibuſque piorum actis, atque inſtrumentis, nomen Domini prænotatum inſcribitur, vel inuocatum recolitur, quod ita fieri debere, ex more non tantùm Eccleſiaſtico, ſed norma quoque canonica, ſacri iuriſperiti eliciunt *ex can.* IN NOMINE DOMINI, qui eſt Nicolai Papæ diſt.23. ſicut obſeruauit Stephanus Daoylus Pampilonenſis parte 1. concluſionum iuris Pontificij, tit. *Nomen.* Sed vnde fluxerit primùm iſte ritus non indicat. Ego verò manaſſe ex inſtituto Pauli Apoſtoli, perſpicuum exiſtimo, cuius in ſcriptis legimus ad Coloſſ. c. 3. 17. ſacroſanctam hanc legem proditam. *Omne quodcumque facitis in verbo aut in opere, omnia in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti* (facite) *gratias agentes Deo & patri per ipſum.* Siue enim hoc fuerit conſilium, ſiue præceptum, hinc li-

quet in vſum fidelium perennem deriuatum. Sumpſit hinc etiam fortè S. Ignatius hoc regulæ & ſocietatis ſuæ, quæ in nomine Ieſu conſecrata eſt, actionum perpetuum primordium, *ad maiorem Dei gloriam*. Quin & hinc ſignaculi crucis efformationem apud fideles, ante omnem actum, in Eccleſiæ cunabulis iam ſolennem, vt Tertullianus teſtis eſt lib. *de corona militis*, & lib. 2. *ad vxorem*, prodiiſſe, non ambigo, cùm in cruce Domini Apoſtolus præcipuè gloriaretur Gal. 6. quæ inſignis eſt exaltati eius nominis gloria & victoriæ memoriale perenne. Vtrumque Reges Chriſtianiſſimi in ſuis numiſmatibus piè vſurpârunt: in quibus expreſſa nitet Crux Chriſti: cuius in figuræ peripheria hæc inſcriptio legitur verè regia; *Sit nomen Domini benedictum*. (Ex Pſalm. 112. 2.) In hoc igitur ſigno ſalutari & adorando nomine illi triumphant: à quo & regnum ſe recepiſſe indicant, & omnem quâ præfulgent auguſti ſplendoris gloriam. In vetuſtis conſpicimus numiſmatis, Carolum Magnum morem hunc primum vſitaſſe, quem poſteri Chriſtianiſſimi Reges ab hinc, religioſa obſeruatione, propagârunt.

VII. RITVS
A S. PAVLO TRADITVS.

Menſæ benedictio & de ſumptis inde cibis gratiarum actio.

Quo ſub titulo de myſticarum aliarum luſtrationum origine rectâ lineá diſſeritur.

MENSA (inquit S. Chryſoſtomus homil. 79. ad populum) ab oratione initium ſumere debet, & in oratione deſinere. Quem morem à primis fidelibus ſeruatum liquet, non modò ex dictis Ioſephi de Eſſenis lib.2.c.7.Bell.Iud. & Philonis lib. de vita contemplatiua, ſed magis ex teſtimoniis Prudentij *in hymno ante cibum.* SS. Baſilij in regulis breuioribus cap. 130. Auguſtini lib.10. conf.c.31. & lib. 18. de Ciuit. Dei c.16. & 17. Gregor. lib.1. dialog. c.4. Verumetiam hunc traditum ab Apoſtolo, ex documento eius ad Timotheum ep. 1. c. 4. v. 3. 4. & 5. tam citati, quàm alij ſacri Interpretes manifeſtè deducunt. Hîc enim Apoſtolus vbi aſſeruiſſet contra futurarum hæreſeωn deliria, *Cibos Deum creâſſe ad percipiendum cum gratiarum actione à fidelibus, & iis qui cognouerunt veritatem.* Subnectit; *quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur; ſanctificatur enim per verbum*

Dei & orationem. Vbi per *ſanctificationem* S.Chryſoſtomus intelligit *purificationem*, quæ fit per efformationem Dominicæ crucis, cum eius nominis inuocatione. Idémque notant S. Auguſt. & S.Gregor.locis ſignatis,aientes, *crucem & inuocationem Domini, eſſe aduerſus veneficia diaboli medicinam efficaciſſimam:* verbum, eſſe lectionem ex Dei verbo deſumptam, quæ quoniam *non ex ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo quod de ore Dei procedit,* Matth.4. in menſa quoque fidelium, iam ab exordiis Euangelij conſueuerat, adhúcque ſolet adhiberi: ſcilicet vt etiam diſcumbentes in menſa, *operemur cibum qui non pereat, ſed permaneat in vitam æternam*, Ioan.6. Denique gratiarum actio,laus ipſa Dei ſit, quam ſumptis eduliis Chriſtiano ex more Deo referimus. A Chriſto enim fidei noſtræ auctore, benedictionem ciborum, cum gratiarum actione, auſpicatam,teſtibus Euangeliſtis* didicimus. Sed in morem ex Apoſtoli præcitato documento traductam inde colligimus.

* Matt.14. 19.26.26. Marc.6. 41.8.7. Luc 9 16. 24 30.51.

At verò non ſolùm eſcarum in menſa appoſitarum ad ordinariam refectionem elicimus, hinc ortam benedictionis obſeruationem: ſed morem etiam myſticæ luſtrationis omnium alimentorum, quæ quicquam conferunt humanæ vitæ ſuſtentationi. Leguntur enim in Miſſali & Manuali Romano, *benedictiones ad omne comeſtibile:* ínque antiquiſſimis ſacerdotum ritualibus libris, variæ eiuſmodi benedictiones * deſcriptæ

* Qua de re priſcus

reperiuntur, quæ etiamnum fiunt pleriſque in locis ſolenni ritu in quibuſdam celebritatibus, vt in die Paſchatis, benedictio agni, lactis, mellis, ouorum, panum, pernarum, &c. In die S. Marci ſegetum. In die ſancti Ioannis benedictio vini. In die S. Stephani, paſcuarum. In die Aſſumptionis glorioſiſſimæ Virginis Deiparæ, fructuum, radicum, herbarum, plantarum, arborum: vt eis adſit vis diuina. Etenim, vt ait Apoſtolus, *Omnis creatura ſanctificatur verbo Dei & oratione.* Quo ex axiomate Apoſtolico iam naſcente Eccleſia manaſſe, indéque pullulaſſe ritum benedictionis, aquæ, ſalis, olei, palmarum, cinerum, nauium, armorum, domorum, imaginum, &c. conſentaneum eſt credere, quæ in ſacerdotalibus libris perſcribuntur, & vſu adhuc ſeruantur in Catholica Eccleſia.

extat libellus MSS. anonymi præſignatus, *De myſterio ſymbolorum Eccleſiæ.*

1. Timoth. 4. 5. &c.

VIII. RITVS

A S. PAVLO TRADITVS.

Martyrologij conſcriptio.

SANCTORVM nomina, quæ in cælis decernente Domino ſcripta ſunt, non debuiſſe in terris deleri, ſed æternæ memoriæ commendari: cùm ad gloriam Dei, cuius gratiâ tot magnas res peregerunt, ádque tam ſublimia præmia peruenerunt, tum ad fidei confirmationem (quam ore

Luc. 10. 20.

& moribus prædicauerunt) tum denique ad virtutum, quibus præfulſere commendationem, fideliúmque tam præſentium excitationem, quàm inſtructionem poſterorum; S. Paulus ſcribens ad Hebræos inſigni prorſus monimento commendat c. vltimo; vbi tametſi potiſſimùm dignos perenni recordatione indicat fidei protomyſtas, Apoſtolos Chriſti, vel ipſorum diſcipulos; Eccleſiarum Patres, Antiſtites, protopreſbyteros ſacróſq. fidelium primarios præceptores: tamen eadem analyſi recenſendos, illũ docuiſſe, quotquot fuerant, eodem tramite ad regnum Dei progreſſi, ex ipſius verbis licet eruere. *Mementote*, inquit, *præpoſitorum veſtrorum, qui vobis locuti ſunt verbum Dei. Quorum intuentes exitum conuerſationis, imitamini fidem*. Quaſi diceret. Recordamini ſedulò quales fuerint primi veſtri Doctores, Apoſtoli, Epiſcopi, Sacerdotes, Diaconi; quàm fuerint in fide conſtantes, quàm caſti in moribus, quàm rerum periturarum contemptores, ac æternarum cupidi, quàm purè Deum coluerint, quàm ardenter amauerint, quàm conſtanter pro eius fide & gloria martyrium obierint: Quàm pulcher denique fuerit eorum exitus, quàm pretioſa mors & glorioſus triumphus; vt fidem æquè immaculatã teneatis, próque eius confeſſione, quæuis parati ſitis perpeti, quib. cæleſtem lauream cum illis valeatis adipiſci. Idcirco breuiter antiquiorum Sanctorum agones præclaros & trophæa in eadem epiſt. c. 11. deſcripſerat. Antiqua ſcilicet ex ob-

Heb. vlt.

ſeruatione. Nam apud Iudæos Ieſus filius Syrach*, auctor Eccleſiaſtici, *glorioſos viros laudauerat*, epiciniiſque decorauerat, ad perpetuam commendationem conſpicuis. In Euangelio Chriſtus ipſe Dominus beatos tam præſentes, quàm futuros, ſigillatim per claſſes, & propriis cuiuſque gratiæ prædicamentis, clarificauerat; ſpecialiáque iiſdem adſcripſerat præmia perpetuæ gloriæ & felicitatis. Paulus verò cæleſtis eius diſcipulus, (in paradiſo vtique edoctus) cùm militantis Eccleſiæ agmina deſcripſiſſet, triumphantis choros, quos fuerat ſpeculatus, multa correptus admiratione celebrans: ad eorum ſocietatem vt concupiendam agoniſtas fideles excitaret, non ſatis duxit, eorum gloriam magnificare; perſuaſum eſſe volens credentibus (niſi per ipſos penitus obſtaret) iam per fidem ſcilicet & ſpem, non certè inanem, *eos acceſſiſſe ad Sion montem cæleſtem, & ciuitatem Dei viuentis Ieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitiuorum, qui conſcripti ſunt in cælis, & iudicem omnium Deum, & ſpiritus Iuſtorum perfectorum*, &c. Sed iis (vt ait) *excellentiſſimam* voluit *viam* demonſtrare: nempe quam appellat *Sanctorum viam*, Heb. 9. 16. *in Chriſti ſanguine initiatam*, Ibid. 10. 19. Iter ſcilicet charitatis & patientiæ, aliarúmque præcellſarum virtutum, quarum tramite, Sancti, *fide roborati*, vt ait, *vicerunt regna, operati ſunt iuſtitiam, adepti ſunt repromiſſiones. Nam per multas tribulationes introierunt in regnum cælorum. Hæc anguſta quidem,*

* In Eccleſiaſt. à cap. 44. incluſ. ad 51. excluſ.
Matth. 5.
1. Cor. 12. 28.
Epheſ. 4. 11.
Heb. 12. 22. &c.
1. Cor. 12. 31.
Act. 14. 22.

Matth. 7. 13. ait Dominus, *eſt via, qua pauci ſaluantur*: quandoquidem *per latam* plures longè dum incedunt pereunt. Ideóque Paulus vt hâc in cælum iri, fideles edoceat, ſemitam eiuſmodi felicem, quamuis arduam, vocitat diuina phraſi: INTROITVM SANCTORVM. At Spiritus ſanctus in Canticis nuncupat, *aſcenſum purpureum, media charitate conſtratum*. Sicut igitur Iacob *decorticatis virgis*, (Geneſ. 30.) portantibus obiectis ouibus, fœcũdas eaſdem effecit, iiſque (quoniam cupiebat ſuas effingere) coloribus tinxit, quibus eas ſuum in ius propriis velut traduxit indiciis. Ita planè diuinus Apoſtolus, quò æternitatis cupido æſtu, redderet animas fidelium fœtas, atque deſideriis ſupernis prægnantes, iiſdem glorificatorum Sanctorum triumphales titulos voluit obiici, nomina commemorari, & non natalium quidem terreſtrium ortus (quos Diodorus refert lib. 2. priſcos etiam Ægyptios, in laudibus defunctorum contempſiſſe) ſed cæleſtium auſpicia, hoc eſt, heroicos ſudores & præclaros exitus certaminum prædicari, vt iis pellecti tam ſuauibus, quàm fauſtis illecebris, viam cæli intrepidè, quin & auidè captent: hócque feliciſſimo tramite incedendo, beatas in ſedes percurrant, ac inter eos quos laudabili ambitu æmulati fuerint, demum, ſummo Rege Chriſto remunerante, cooptentur. Hac enim intentione primigenam Eccleſiam Martyrum dies natales annotaſſe, anniuerſaria pro triumphali eorum tranſitu ſacrificia celebraſſe,

Heb. 10. 19.

Cant. 9. 10

ſacros

ſacros conſcripſiſſe faſtos, & cenſus Eccleſiaſticos (qui ſenſim, creſcente Sanctorum meſſe, aucti ſunt) vbique conſcripſiſſe, atque religiosè in ſacris conuentibus recitâſſe, tam celebri quàm fructuoſo ritu, moréque omnium antiquiſſimo, *noſtro in Apparatu*, ad Martyrol. Gallicanum nuper editum, abundè inſinuauimus, atque probauimus clarâ ſolidáque diſſertatione.

IX. RITVS

A S. PAVLO TRADITVS.

Veneratio Apoſtolicæ coronæ.

QVI regnum turbare volunt, omnem, ſi poſſunt, euertunt poteſtatem. Si quiſque eſt Regis vicarius, hunc non acerbè minus inſectantur, quàm ipſum Regem oderunt. Familiare fuit hæreticis, per quos Antichriſtus* præludia ſuæ tyrannidis orditur vt regnum Chriſti euertat; Chriſti Vicarij, ſucceſſoris Petri, Epiſcoporum* Patriarchæ, dignitatem aſpernari, principatum inficiari, poteſtatem conuellere. Inde aduerſus Petilianum S. Auguſt. diſcutiens eius litteras lib. 2. c. 51. *Cathedra quid tibi fecit Eccleſiæ Romanæ, in qua Petrus ſedit, & in qua nunc Anaſtaſius ſedet? Cur appellas cathedram peſtilentiæ, ſedem Apoſtolicam?* Ita & contra Parmenianum Optatus lib. 2. Immò antiquiores Irenæus; Tertullianus ceteríque. Nem-

* 2. Theſſ. 2. 7.

* Apud Caſſiod. PP. non ſolùm dicitur Patriarcha: ſed & *Patriarcharum Epiſcopus.*

pe hic euenit, quod dixit & prædixit Chriſtus. Ioan. 15. *Non eſt ſeruus maior domino ſuo, ſi me perſecuti ſunt, & vos perſequentur: ſi ſermonem meum ſeruauerunt, & veſtrum ſeruabunt. ſed omnia facient vobis, propter nomen meum, quia neſciunt qui miſit me.* Sanè Iudæi ſe iactabant verum Deum colere, & tamen filium eius vnigenitum, vſque ad acerba funera perſecuti ſunt. Ita hæretici gloriantur de Chriſti fide, cuius tamen proprium miſſum, ſingularémque, quin & generalem vicarium Petrum, eiúſque ſucceſſores, vnitatis quam Pontifices ipſi intemeratam tenent, maleuolentiâ, & veritatis (quam ipſimet PP. tuentur perpetuo zelo fidelitatis illæſam) innato ſibi odio, perpeti impugnatione perſequuntur. *Petrus* (inquiunt) *non fuit ſpecialis Chriſti Vicarius. Nihil ipſe habuit auctoritatis vel poteſtatis ſuperioris inter Apoſtolos. Ergo neque Papa quamuis ſucceſſor eius, hoc titulo quicquam habet ſuperioritatis inter Epiſcopos.* Malignè vtique: nam ſublato Petri imperio, vt euellunt Papam: ſic Papâ euerſo, Epiſcopos deiiciunt, quibus pares presbyteros quoſque aſſerunt; presbyteris autem laicos omnes. Nam nihil Presbyteris ipſis tribuũt, niſi paucula, quæ obire nequeunt, ſine iuſſione politici * Magiſtratus: pendere autem illos ita à multitudine (cui inſit omnis, ſi qua eſt apud eos, ſacra poteſtas) volunt, vt pro nutu plebis ** miniſtrent, vel repellantur; & vt de priſcis hæreticis querebatur Tertullianus * apud eos *hodie ſit clericus, qui cras laicus*, &c. In hoc ſitum eſt

* Brentius in Prolegom. & Melãcthõ in locis tit. *de Magiſtratu.*
** Kemnitius in Exam. diſputat. de ordin. Sacram. Et Magdeb. Cent. 1. lib. 2. col. 391. Quos ſequitur Caluin. lib. 4. Inſt. c. 3. §. 15. &c.
* In Præſcript.

myſterium iniquitatis, quo erectis cornibus draco rufus tabernaculum Dei, & thronum eius euertere contendit, Apoc.12.13. Deſtructo enim vinculo Eccleſiæ vnitatis, corruit in mundo regnum ipſius diuinæ veritatis.

Virus inde igitur oritur & ſerpit, vt ait S. Cyprianus, *quòd Petri primatus denegatur.* Si enim ſemel Petrus Apoſtolorum princeps, vicéq. Chriſti paſtor Eccleſiæ agnoſcitur, mox primatu ſtabilito, ſchiſmatis occaſio ſubmouetur, & per vnam cathedram, vna Chriſti Eccleſia demonſtratur. Non autem fert libelli huius exiguitas, vt de Petri primatu ex profeſſo diſſeramus: de quo Eminentiſſimi ſcriptores * ante nos luculenter ac magnificè tractauerunt: nóſque poſt eos fortè non inaniter, in libro de *vnitate Eccleſiaſtica* diſſertauimus. Locus hic exigit duntaxat vt iudice Paulo, hîc oſtendatur quid de Petri, inter Apoſtolos, prærogatiua ſit principali ſentiendum. Sic Paulus ſcribit ad Galatas, cap.1. *Poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum, & manſi apud eum diebus quindecim. Aliorum autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini.* Quare hoc fecerit Paulus, ego non dixero, res ipſa loquitur: attamen maioris perſpicuitatis causâ, Patres antiquiſſimi, qui dicta Pauli & facta ſapientiſſimè expenderunt, reſerabunt hîc coniunctis ſuffragiis, qua de cauſa ad videndum Petrum ſingulariter, Paulus Hieroſolymam, datâ operâ, aſcenderit. S. Chryſoſtomus homil. 87. in

Lib. de vnit Eccleſ.

* Cardd. Hoſius, Baron. Bellar. Perronius, iiſque multis nominibus maior Richelius.

Ioannem. *Petrus os erat Apoſtolorum & princeps, propterea & Paulus eum præter alios viſurus aſcendit.* Et poſt eum Theodoretus epiſt.ad Leonem. *Paulus præco veritatis, tuba Spiritus ſancti ad magnum Petrum cucurrit, vt iis qui Antiochia, de legalibus inſtitutis contendebant, ab ipſo adferret ſolutionem.* híque è Græcis: è Latinis verò, S. Ambroſius in cap. 1. ad Gal. *Dignum fuit vt cuperet videre Petrum, qui primus erat inter Apoſtolos, cui delegauerat Saluator curam Eccleſiarum.* Sanctus Hieronymus in epiſt. ad S. Auguſt. 89. *Tantæ Petrus auctoritatis fuit, vt Paulus in epiſtola ſua ſcripſerit, deinde poſt annos tres veni Hieroſolymam videre Petrum.* Luculentiùs verò idem in cap. 1. epiſt. ad Galat. ſic ea de re diſſerit. *Venit Paulus videre Petrum, non vt oculos, genas, vultúmque eius aſpiceret, vtrùm macilentus, an pinguis, adunco naſo eſſet, an recto: & vtrum frontem veſtiret coma; an (vt Clemens in periodis eius refert) caluitiem haberet in capite. Nec puto Apoſtolicæ fuiſſe grauitatis, vt poſt tantam triennij præparationem, aliquid humanum in Petro voluerit aſpicere, his oculis Paulus vidit Cepham, quibus nunc à prudentibus quibúſque, Paulus ipſe conſpicitur, &c. Nam quod viſus ſit ire Hieroſolymam; ad hoc eſſe, vt videret Apoſtolum; non diſcendi ſtudio (qui & ipſe prædicationis eundem haberet auctorem) ſed honoris priori Apoſtolo deferendi.* Ita ille, Patréſque alij grauiſſimi conſentiunt: Eraſmúſque, ipſe in hunc locum, lubens hæc pluráque concedit, textus euidentiâ & Pauli auctoritate compulſus.

Porrò eſt quòd verear ne Paulus Apoſtolus ob hoc factum malè apud Nouatores audiat, quod fuerit nimium cæremonioſus & vrbanus; illâque quâ detulit Petro ſingulari honorificatione, Antichriſto ianuam aperuerit: ritúmque induxerit ſuæ perſuaſioni ad modum contrarium indicans ſuo facto, quod ſcilicet Petrus Apoſtolorum princeps fuerit: in quo Paulus ipſe coronam Apoſtolatus, iſta ſolenni viſitatione, fuerit impenſiùs veneratus. Inferant ſuo damno quicquid volent. At conſtat, quòd hoc actu Paulus, Petrum vt magiſtrum Apoſtolorum & verticem adierit, huícque Apoſtolicos, quos è cælo tulerat ipſe ſummiſerit faſces: ſícque exemplum dederit Epiſcopis, Petri ſucceſſorem, vt principem Epiſcopalis coronæ (ſic enim à priſcis * Galliæ myſtis ſalutabatur) omni veneratione vt colerent, eóq. fine & ſimul Petri limina viſitarent, & Papæ, ſinguli, ſtatutis temporibus honoris ſummi redderent obſequia. Qui mos perantiquus etiam in legem tranſiit. Nam ex quo Polycarpus Romam venit vt videret Anicetum, & Irenæus Eleutherium Epiſcopi ſui nomine adiit (ſicut Paulus ipſe aſcenderat dudum Hieroſolymam videre Petrum) concurſus fuit Epiſcoporum ad ſedem Apoſtolicam ordinarius. Et lex viguit vt tranſalpini Epiſcopi de quinquennio in quinquennium Romam venirent: Ciſalpini annis ſingulis. At deinde Apoſtolica benignitas, rigorem huius obligationis, ſpeciali indulgentia relaxauit.

* In epiſt. Epp. Arelat. Prouinciæ ad S. Leonem. Vide etiam epiſt. Ennodij ad Symmachum PP. l. 4 ep 22. & obſeruationes doctiſſ. Sauaron. in ep. 3. Sidonij lib 6.

X. RITVS

A S. PAVLO TRADITVS.

Vt mulier velato capite in Eccleſia oret.

TRIA Apoſtolus, in moribus mulierum præſertim exigebat. Nimirum vt ſilerent, diſcerent, ſubeſſent. I. *Mulieres*, inquit, *in Eccleſiis taceant, non enim permittitur eis loqui*, 1. Cor. 14. 34. *Docere enim mulieri non permitto*, 1. Timoth. 2. 12. *Turpe enim eſt mulieri loqui in Eccleſia*; ad Cor. ſuprà. II. *Diſcat igitur in ſilentio.* III. *Cum omni ſubiectione, neque dominetur in virum.* ad Timoth. ſuprà. Nempe per quæ, quis peccat, per hæc punietur. Mulier loquacitate, præſumptione, appetitu dominationis peccauerat: & ſe virúmque perdiderat. Ideo Apoſtolus, vel per Apoſtolum Spiritus ſanctus, illam regeneratione Chriſtiana reformatam, ne rurſum in ſuam & noſtram perniciem corruat & labatur, trino illam conſtringit nexu: ſilentio, diſcipulatu, ſubiectione; ſed hoc illam fræno magis arctè coërcet. Vnde rurſus ad Corinthios ſcribens, præcipit vt in ſignum ſubiectionis, velamine caput obumbret. *Mulier habere debet poteſtatem ſupra caput ſuum propter Angelos.* alij legunt *velamen*. Ita ſanctus [a] Chryſoſtomus, qui ait *ſignum illud eſt muliebris ſubiectionis* [b]. Tertullianus, *humilitatis ſarcinam*. Concilij [c] Gangren-

1. Cor. 11. 10.
a In hunc locum.
b de corona militis c. 14.
c can. 17.

ſis Patres, *ſubiectionis memoriam.* Illius ſcilicet iugi quod ei Deus in pœnam peccati impoſuit, cùm ait, *Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.* Sed duplex eſt muliebre velamentum. Naturale de quo inquit idem Apoſtolus; *Turpe eſt mulieri decaluari*, 1. Corinthiorum 11. 5. & verſu 15. *Mulier ſi comam nutriat, gloria eſt illi.* Artificiale alterum, de quo idem ait eod. c. *Omnis mulier orans, non velato capite deturpat caput ſuum.* At tametſi antiqua Eccleſię politia trinum velamentum muliebre diſtinxerit, virginum, viduarum, & coniugatarum: tamé aliquo ſemper velo obnubendam quamcumque fœminam, ex Chriſtianæ pietatis diſciplina, ac decore religioſæ honeſtatis, iudicióque ſubiectionis, ita ſatis perſpicuè docuit, quemadmodum tomo 1. commentarior. noſtrorum in Martyrologium Galliæ, ad 3. nonas Ianuarij, ſub elogio S. Genouefæ (vbi *de triplici tractamus velamine*) nitidè declaramus. Gen. 3.

At vna eſt, præter inſtitutas rationes, cauſa cur Apoſtolus, velamine mulierem omnem (vt ait) exigit obumbrari, *Propter Angelos* inſit, & maximè dum *orat in Eccleſia.* Prima enim mulieris virtus, præſertim in loco publico, at magis plurimùm in ſacro (templo nimirum) modeſtia eſt, non ſolùm in verbo & geſtu: ſed etiam in cultu corporis; quâ ſi ibi caret, & Deum ad iram prouocat, & Angelos offendit, & homines lædit. Quoad Deum bene illam interpellat Chryſoſtomus, ex eóque Theophylactus, hâc aculeata ob-

In 1 ad Timoth. c. 2. iurgatione. *An ſaltatura*, inquit, *ad Eccleſiam pergis, nunquid hic nuptias, & laſciuiæ oblectamenta conquæris? Num vt tui ſpectaculum præbeas aduenisti? Num tibi nunc inſtruendus eſt thalamus? Non iste ſupplicis eſt habitus. Acceſſiſti vt Deum pro peccatis tuis depreceris, vt cum gemitu & lachrymis veniam petas. Quid teipſam ornare improbo labore, intempeſtiuóque ſtudio contendis?* Porrò quoad Angelos, quos Dionyſius Pauli explanator extremi ordinis, id eſt, propinquioris nobis, aſſerit Eccleſiaſticæ præeſſe Hierarchiæ, & ſacrorum comminiſtrationi: non dubium quin diſcooperta mulier iis afferat iniuriam, quibus velata defert reuerentiam. Mulieres enim Angelos teſtes habent honeſti pudoris, vel inuerecundiæ, pietatis, vel irreuerentiæ. Angeli ſiquidem templum oberrant, & ſingulorum habitum, geſtus & vota explorant, maximè verò horrendi ſacrificij tempore. Hinc illud Tertulliani de oratione lib. 1. c. 13. *Siquidem irreuerens eſt aſſidere ſub conſpectu, contráque conſpectum eius, quem maximè reuerearis. Quantò magis ſub conſpectu Dei viui, Angelo adhuc orationis aſtante? factum iſtud irreligioſiſſimum eſt, quaſi exprobremus Deo, quod nos oratio fatigauerit.* Ceterùm quod ſpectat ad homines, petulantia muliebris (etiam extra templum ſacrificiiq. horrendam horam) veſtiúmq. luxus & geſtus procax & laſciuus, certum illis infert exitium. Vnde ſanctus Cyprianus lib. de diſcipl. & habitu virginum. *Si tu te precioſiùs comas, & per publicum notabiliter incedas, oculos in te iuuentutis illicis,*

licis: etſi ipſa non pereas, alios tamen perdis, & velut gladium atque venenum te videntibus profers. Excuſari ſanè non potes, quaſi mente caſta ſis & pudica; redarguit te cultus impudicus, & habitus improbus. At verò in loco ſacro atque præſertim ſub hora tremendi ſacrificij, vrget (vt mulieres cogat in honeſtiſſimam diſciplinam) S. Ambroſius, non hominis intuitum, non pręſentiam Angeli, ſed aſpectum Dei, in c. 1. S. Lucæ loquens de Angelo qui Zachariæ apparuit in altari. *Vtinam quoque*, ait, *nobis adolentibus altaria, ſacrificium deferentibus aſſiſtat Angelus, immò ſiſtat ſe videndum. Non enim dubites aſſiſtere Angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, Chriſtus immolatur.* Immò ſanctus Chryſoſtomus homilia de ſacra menſa, non vnum cum Chriſto Angelum, ſed cæleſtes etiam primores choros ibi adeſſe affirmat. *Ad hanc menſam*, ait, *aſſiſtunt Cherubini, deſcendunt Seraphini, qui ſenis alis præditi vultus demittunt; vbi omnes Angeli cum ſacerdote, pro te obeunt legationem.* Pulchrè igitur piéque & locum & horam & myſterium ſtupendum perpendens Tertullianus, Chriſtianas mulieres vt ſe tunc, ibi præſertim, caſtè, modeſtè, & timoratè (ſicut docet diuinus Apoſtolus) haberent, cohortabatur, cùm lib. *de velandis virginibus*, cap. 15. tum potiſſimùm tractatu inſigni *de cultu fœminarum*. *Prodite vos* (progrediẽdo ſaltem ad domum Dei) *medicamentis & ornamentis inſtructæ Apoſtolorum, ſumentes de ſimplicitate candorem, de pudicitia ruborem, depictæ oculos verecundiâ, & ſpiritus tacitur-*

nitate, inſcribentes in aures ſermonem Dei, annectentes ceruicibus iugum Chriſti. Caput maritis ſubiicite & ſatis ornatæ eritis, &c. *Veſtite vos ſerico probitatis, byſſino ſanctitatis, purpura pudicitiæ. Taliter pigmentatæ Deum habebitis amatorem.* Ita ſeuerus ille mollitiei & luxus muliebris caſtigator, at ſyncerus morum cenſor Tertullianus; congruenter locutus Apoſtolo, qui cùm ſemper, tum maximè in templo, in oratione, præſertim tremendâ illâ horâ ſacrificij, modeſtiam eximiam in fœminis exigit. Nam ſi tunc ſe inuerecundè mulier habet, Dei iram acriùs prouocat, Angelicos ſpernit, & in ſe exaſperat ſpeculantes choros, hominéſque (præſertim diuinorum munerum miniſtros, qui caſtiſſimi eſſe debent,) tam exitioſo obiecto, quàm ſpecioſo, inquinat ac lædit. Sed vix poteſt mulierum verbis coërceri immodeſtia, luxus & inuerecundia etiam in domo Dei, ipſa in horrenda ſacrificij redemptionis hora: virorúmque libido tanta eſt, vt neque tunc eóque loco poſſit, vibrantibus fœmininæ ſpecioſitatis radiis, fræno vllo diuini timoris, Angelicæ venerationis, & ſacerdotalis reuerentiæ, ne exardeſcat cohiberi. Aptè omninò ad hæc S. Chryſoſtomus in 1. ad. Timoth. c. 2. *Cùm precandi, non ſaltandi cauſa huc accedas* (ait mulierem affatus Apoſtoli dictis immorigeram) *cur caput accuras, crines comis, gemmis interplectis, corpuſculo circumponis, pedibus demittis? An non ſummæ ſimplicitatis, immò veſaniæ, ad veniam peccatis petendam, animíque ob delicta compun-*

ctionem, quaſi ad theatrum & nuptias, comptam, tumentem, iactabundam progredi. Porrò deinde in viros ſimul ac fœminas laſciuientes in Eccleſia ipſa; hæc pio eiaculatur furore fulmina, at potiùs feruore ſanctiſſimo tela intorquet obiurgationis acerrima. *Non*, ait, *miraris, non vndique fulmina deferri? Non omnia funditus euerti? proſtibulum ne tibi videtur Eccleſia, & foro ignobilior? Nam & hic etiam erubeſcis & times, ne quis te videat, mulierem ſequi. Oportebat interno vos pariete à mulieribus ſeparari, quod quia non vultis animo, patres noſtri ligneis ſaltem parietibus ſecreuerunt, quod à ſenioribus audiui initio Chriſtianiſmi non fuiſſe. Quo tempore legimus viros cum mulieribus vno cœnaculo congregatos orauiſſe, Act.1. nunc verò mulieres meretricum mores aſſumunt, viri autem equorum furorem imitantur.* At magis quàm vnquam eiuſmodi deplorabili querimonia opus eſt, cùm videmus omnia longè in deteriùs collapſa. Vtinam ſaltem in Eccleſiis vbi palam cum fœminis viri laſciuiunt habitu, geſtu, ſitu, aſpectu, verbis, nutibus, affectibus nimis conſpicuis in ipſo ſanctuario Dei, ſub horrendo tremendi myſterij articulo, mutis ſacerdotibus, vel loqui non audentibus, paries eiuſmodi non ligneus quidem (qualem Pariſiis ſtruxit iamdudum B. Dionyſius Antiſtes primus, vt depictum in templo S. Benedicti, ex antiquis imaginibus expreſſum adhuc ſpecimen conſpicitur.) At lapideus, imò, ſi ſtatui poſſet æneus, mulieres inter ac viros conſtruentur, ne alter ſexus

Tabulatũ eiuſmodi hodie adhuc cernitur in oratorio Græcorum, Venetiis.

alterius offenderetur aſpectu, conſortióque impiè affectato contaminaretur. Aut vtinam linguas igneas ſacerdotes haberent, qui effrontes vultus copioſo fumo offunderet, vel repentina cæcitate percuteret, impudicis oculis, figẽtes muliebres in formas obtutus: Seu ſaltem ea velamenta fœminæ, honeſtiſſimâ cautelâ geſtarent, quæ nullus laſciuus oculus penetraret. Obtineret quod iuſſit Apoſtolus. Nam vt Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi c. 10. obſeruat, præcepit in Chriſti nomine S. Paulus, vt non tantùm caput tegerent mulieres piæ, ſed frontem vultúmque ſaltem in templo, vbi orandum & adorandum eſt, obumbrarent; ne virorum, qui debent ad ſacram aram fixi eſſe, aſpectus in ſe aciem conuerterent, exitialíque reflexione ipſæ in eos coniicerent corruptos obtutus. Sed dixi apud veteres Chriſtianos tria fuiſſe velamenta fœminarum diſtincta, ſcilicet virginum (quod flammeum dicebatur) viduarum alterum; alterúmque coniugatarum. At quartum data opera prætermiſi, nempe *Dominicale*, cuius nunc explicandi neceſſaria ſeſe prodit occaſio. Notandum itaque morem hunc extitiſſe apud Patres, diúque in Gallia noſtra viguiſſe, quo tam viri quàm fœminæ communicantes, ſacroſanctum corpus Domini manibus ſuis lotis ſuſciperent, vt diuinũ ſibi traditum à ſacerdote munus. Mulieres autem non ſuſciperent niſi manu velata mundo linteo, quod Dominicale vocabatur. Huc pertinet, qui

morem illum indicat can. 36. Concilij Autiſſiodorenſis, quo decernitur, *Non licere mulieri nuda manu Euchariſtiam ſumere.* & can. 39. *vnaquaque mulier quando communicat Dominicale ſuum habeat, quod ſi non habuerit, vſque in alium diem dominicum non communicet.* Ita ibi. Sed cùm in Chriſto non ſit mas neque fœmina. Cur priſcus mos Eccleſiaſticus (inquies) inter virum & mulierem, in re cuius pari ſunt iure participes, ita diſtinxit? An quod manus virorum puræ ſint, & fœminarum immundæ? Neutiquam. Sola enim culpa, non differentia ſexus, vt cor inquinat, ſic contaminat manus & mentes ſexus vtriuſque. Ratio igitur inde ducitur, ex quo Apoſtolus velari caput mulieris, præſertim in oratione, præcepit, *propter Angelos*, hoc eſt propter Sacerdotes & Epiſcopos, qui Angeli in ſcriptura vocitantur: ne ſcilicet mulieres non velatæ (vt exponit S. Ambroſius) forma ſua Angelos illos myſticos, ſacerdotes vtique qui infirmi ſunt (homines nempe natura fragiles, & cœlibes) pelliciant, atque abductos à diuinæ actionis intentione, rapiant in impuros aſpectus & affectus. Nudæ autem manus fœminarum, exhibitæ ſacerdoti ſacram impertienti ſynaxim; ad ſumendum cæleſte pignus, æquè ac illarum vultus & facies, poterat illius appetitum accendere. Sapientiſſimè igitur Patres noſtri decreuerunt non ſolùm, vt omnis mulier in Eccleſia orans (ſecundum quod præcepit Apoſtolus) faciem ſuam obuelaret: ſed ducto hinc

Gal. 3. 28.

à maiori argumento, ſtatuerunt; vt volas etiam extenſas, ſuperiecto velamento, quod *dominicale* vocandum cenſuerunt (ob dominici corporis, cui parabatur, ſuſceptionem) religioſa obſeruantiâ operiret, eáque eſſet munditiâ, quà de cordis puritate maiori commonefierent, tam presbyteri dantes diuinum pignus, quàm fœminæ ſuſcipientes. Accedit alia ratio cur Patres ſtatuerunt, mulieres dum communicant manus ſuas velamine operire: vt ſcilicet eſſent peccati primæ ſuæ matris memores, quæ manu vetitum fructum arripuit, viro dedit, ſícque illi ſibíque & omni poſteritati mortem conciuit. Quam vt deſtrueret Chriſtus ipſe pro nobis omnibus mori dignatus eſt, vtque venenati mortiferíque fructus perniciem tolleret, ſeipſum in panem vitæ & poculum immortalitatis, per carnis & ſanguinis ſui immolatam hîc hoſtiam, myſtico ritu, at reali dono nobis exhibuit.

Gen. 3.

XI. RITVS

A S. PAVLO TRADITVS.

Qui eſt de officiis & iudiciis Eccleſiaſticis; necnon de ſacra generali politia.

QVÆ *à Deo ſunt* (ſcribebat ad Romanos Apoſtolus cap. 13.) *ordinata ſunt*. Cùm itaque Eccleſia ſit regnum Dei, ipſe Apoſtolus ordine

omnia in ea fieri, ſummopere cupiebat. Quàm cordi ei fuerit, vt congruus ordo in Eccleſia, etiam in rebus minimis & adiaphoris ſeruaretur: patet ex eius hac de re præclaris, iíſque iteratis monimentis. Scribens ſanè ad Coloſſenſes c. 2. admodum ſanctè ſe affici, perfundíque gaudio præcordiali ſignificabat, quòd ordinem decorúmque maximè pium atque aptum in iis obſeruari (non carnis quidem oculis, ſed mente ſupernè irradiata) intueretur. *Nam etſi abſens*, ait, *corpore, ſed ſpiritu vobiſcum ſum. Gaudens & videns ordinem veſtrum, & firmamentum eius, quæ in Chriſto eſt, fidei veſtræ.* Quaſi ſacroſanctum Eccleſiæ ordinem reputaret, religionis eſſe totius fundamentum. Vnde ad Corinth. ſcribens, apud quos Eccleſiam dum fundaret, multa decenti ordine diſpoſuerat, circa ipſa ſacramenta: cetera quæ ad religionis exercitium, Eccleſiæ decorem, diſciplinæque ſacræ œconomiam ſpectabant mandabat apto congruóque ordine conſtitui. *Omnia*, 1. Cor. 14.
inquit, *honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* 40.
Ordo enim perturbationem excludit, vnitatem ſtringit, pacem producit & conſeruat, ſua venuſtate omnia decorat, fideles connectit & lætificat, infideles ipſos ædificat, ac dæmones vincit, ac longè profligatos abigit. Hinc eſt quòd dæmones vt Eccleſiam ipſis *terribilem, ſicut caſtrorum* Cant. 6. 3.
aciem ordinatam; quaſi æquo agmine oppugnent, tametſi omnis ordinis tantùm ſint oſores, quantùm diuiſionis & turbationis cupidi, durante ta-

men militantis Eccleſiæ contra ſe pugnâ, ordinem aliqualem inter ſe ſtatuerint. Poſuerunt enim inter ſe principatus & poteſtates, quas ne cæleſtes putes, Apoſtolus appellat *rectores tenebrarum harum.* Quos aſſerit, Dominum, demum cùm in gloria venerit, ſublaturum ac deſtructurum, vt pacatum regnum reddat Deo & patri. At horum interim Eccleſiæ militantis exercitus à Deo ordinatus, infelicia agmina tumultuariè * ordinata, perpetim repellit ac exturbat. Pulchrè S. Bernardus in Apologia ad Guillel. Abbatem ex diuino eiuſmodi ordine corporis Eccleſiæ non modò huic ineſſe robur oſtendit, ſed omnem etiam ſpeciem & decorem. At verò ordo duplex eſt, quo Eccleſia ** ſuſtentatur & decoratur, nempe regiminis, & ſacrorum rituum. Quoad primum, in eo præſertim myſticæ compaginis, corporis Eccleſiæ, firmitudo conſiſtit. Ideóque ſancti Patres maximè populo commendant, vt quaſi oues paſtoribus ſuis (ſicut conſtituit Dominus) ita Epiſcopis & Sacerdotibus obediant. Ex hac enim ſubordinatione vnitatem & pacem Eccleſiæ omnino pendere. Quin & priſci Imperatores etiam ſuis conſtitutis id profitentur, vt videre eſt in lege Theodoſij & Valentiniani Augg. ad Verum præfectum prætorij. *Audemus*, inquiunt, *ſermonem facere, ſolitò plus timore correpti de ſanctis & venerabilibus ſacerdotibus, & ſecundis ſacerdotibus, vel etiam leuitis, & eos cum omni timore nominare, quibus omnis terra caput inclinat, &c. Quoniam*

Epheſ. 6. 12.
1. Cor. 15. 24.

* Legēdus S. Hieronymus in c 6. ep. ad Epheſ ad v. 12. & S. Auguſt. lib de agone Chriſtiano c. 3. S. Chryſoſt. in locum ad Epheſ. cit. hom. 22. quin & Scholaſticos in 1 p. q. 109

** Vide can. fin. & ib. gloſ. 2. diſt 89. & can. *peruenit.* 11. q. 3. & gloſ. cur gradatim in canonē *In Chriſto*, de Cōſecr. d. 2.

Matth 18.
Luc. 10. 16.
1. Theſſ. 4. 8.

in

in ſacerdotibus Eccleſia conſtat. Ita & Carolus Magnus cap. 170. declarat. *Quia conſtat* (inquit) *religionem Chriſtianam, per ſucceſſores Apoſtolorum ſalubriter adminiſtrari, populiſque ad vitam æternam ducatum exhibere debere: primò neceſſarium indicauimus omnibus, præcipere vt honorem debitum venerabiliter Epiſcopis, abſque vlla ſimulatione, impendant, iiſque in omnibus obediant, &c.* Nam Dominus ait, *qui vos audit me audit.* Luc. 10. 16. Apoſtolus autem hanc diſtrictè præcipit populo ſubiectionem. *Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete illis. Ipſi enim peruigilant* Heb. 13. 17. *quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri: vt cum gaudio hoc faciant & non gementes. Hoc enim non expedit vobis.* Nam Chriſtiani, niſi ſacris Eccleſiæ ductoribus morem gererent, *euaderent* (ait S. Ignatius Martyr, Apoſtolis proximus, eorúmque ſpiritu plenè imbutus ſcribens ad Tralliſes) *deteriores infidelibus*: quin & Eccleſia collapſa rueret; etenim ipſo ſuo ordine conſtat, qui certè ipſius Eccleſiæ rectoribus (vt ſcribit ad Ruſticum S. Hieronymus) prorſus innixus eſt. Nempe Chriſti Vicario vt capiti, deindè Epiſcopis qui locum tenent Apoſtolorum vt fulcris præcipuis: ſacerdotibus demum inferioribus vti plantis, qui 1. Cor. 12. 21. molem impoſitam ſicut pedes corpus ſuſtinent, & gregis ſuæ curæ creditam ferunt, non ſine ſudore, portionem.

Præter Papam verò, Epiſcopos & parœcos, alia ſunt in Eccleſiæ corpore ſacrorum munerum officia, quæ inſtituta ſunt propter ordinem & fa-

K

ciliorem multitudinis, tum Cleri, tum populi gubernationem. Hos non minus, quàm illos ſublatos vellent ſegreges, quo vnitas Eccleſiæ, ſibi admodum exoſa & formidabilis diſſolueretur. Faciliùs enim his ruptis nexibus, corporis myſtici poſſent compaginem diſcerpere. Ameſius ſupra inductus, has Eccleſiaſticas dignitates non ſecùs ac poteſtates, impotentiſſimè impetit, atque indigniſſimè, ne dicam prorſus impiè vituperat, ac traducit hac fœda & virulenta iniuriarum congerie. *Introduxerunt ſecum* (ait de Epiſcopis, quorum appellat faſtigia, tranſcendentia nomina) *tanquam caput Antichriſtum Romanum: & quaſi caudam eiuſdem farinæ Cancellarios, Suffraganeos, Archidiaconos, Officiales & ſimilia Hierarchiæ fulchra: quorum nomina ipſa ſunt prorſus apocrypha, & Eccleſiis primis ignota, ad Eccleſias Dei penitus opprimendas.* Hæc ille. Cuius quoad atrociſſimam iniuriam, qua Chriſti vicarium onerat, & ludibria, quibus Apoſtolorum ſucceſſores impetit: non eſt quod in præſentiarum duriùs in eum animaduertam. Satis ſit illum admonuiſſe, hoc ipſo flagitio turpiſſimo, ſeipſum omnino ex eorum exitiali ſecta eſſe prodere, quos Apoſtoli venturos in extremis, quibus viuimus, temporibus, prædixerant, qui Maieſtatem blaſphematuri eſſent, & contempturi dominationem, ad ſectas perditionis inducendas audaciſſimi (*2. Petr. 2. 10. Iudæ 8.*) Ad Eccleſiæ inferiores dignitates, quas ferino dente diripit, tuendas contra eius impotentiſſi-

Medullæ Theolog. lib 1. cap. 39. p. 183.

mam rabiem, (nam ſuperiores ſuapte vi conſiſtunt, ſiquidem diuinitus ſibi inſito, ineluctabiles perſtant,robore) parumper digrediemur.

I.
De ſacris Cancellariis.

DE Cancellariis Eccleſiaſticis loco opportuniore pleniùs, ipſóque ex inſtituto diſſeremus. Interim paucis hîc perſtringemus eorum defenſionem. Munus enim illorum in vniuerſalem Eccleſiam haud inuectum (quemadmodum Ameſius falsò & ludibriosè ait,) ad Eccleſias opprimendas, ſed fulciendas fuiſſe conſtat. Iuuandis etenim Epiſcopis in chartis Eccleſiaſticis, erudiendis clericis, ſcholíſque in eum finem dirigendis ſacri illi proceres ſuo ab ortu fuere præfecti. Quamobrem etſi nomen fortè non ſit à prima Eccleſiæ origine vſu inductum, munus tamen reipſa à religionis Chriſtianæ primordiis extitiſſe, non dubitauerim aſſerere. Et verò quoad primum officium pertinet, conſtat Paulum ipſum Apoſtolum, cuius de inſtitutis exemplíſque agimus, amanuenſem habuiſſe, Tertium ſcilicet nomine, qui ſub eo dictante exarauit epiſtolam ad Romanos. vnde ipſemet Pauli ſcriba in calce ferè epiſtolæ ante Apoſtoli ſubſcriptionem, hæc interiicit cap. vlt. v. 22. *Saluto vos ego Tertius, qui ſcripſi epiſtolam, in Domino.* De hoc Sixtus Senenſis, ex Diodoro Tarſenſi Epiſc. & Theodoro presbytero Cœleſyrienſi interpretibus epi-

Tom. 3. Commentariorum Apodict in noſtrum Gallæ Martyrolog. ad 5. Nonas Augusti.

ſtolæ ad Romanos (quibus conſentit Dorotheus in ſynopſi) ita ſcribit. *Tertius Epiſcopus Iconij, Pauli diſcipulus & amanuenſis, ſcripſit dictante Apoſtolo eam quæ ad Romanos eſt epiſtolam, in cuius fine ſalutationem quoque ſuam apponens ait, Saluto vos ego Tertius qui ſcripſi epiſtolam in Domino.* Subnectit verò Theodorum præſignatum, hic in autographo pro *Tertium*, *Terentium* legiſſe. Iconij autem coronatus eſt, vt habent Martyrologia die 21. Iunij. Porrò in ſcribendis epiſtolis alios Apoſtolos miniſterio cuiuſdam amanuenſis, vel ſcribæ, ex adiutoribus ſuis vſos fuiſſe cùm opus eſſet, hinc conſentaneum eſt colligere. Petro, crediderim quòd Marcus, qui Euangelium prout *ex eius ore referentis audierat*, Romæ literis conſignauit (vt teſtatur S. Hieronymus in Catalogo, vbi idem à Luca refert Paulo dictante effectum) in epiſtolarum etiam miniſterio ſcribendarum ſuffragatum: quem ideò fortè ad cal-
Ep.2. 5.13. cem poſterioris epiſtolæ multa cum dilectionis ſignificatione commemorat. Quidquid ſit, certum eſt Apoſtolos & Seniores, qui erant Hieroſolymis, ex Concilio, cùm Paulum & Barnabam,
Act 15. Syllámque & Iudam, qui Barſabas dicebatur, delegarunt, cum litteris ad gentes: Synodicam iſtam per aliquem delectum ad acta mandatáque Concilij deſcribenda, exaraſſe, & ſigillo etiam aliquo, quo epiſtolæ ſemper conſueuerunt muniri obſignaſſe. Hic verò quiſquis fuerit non dubium quòd Cancellarij Eccleſiaſtici munus pri-

marium naſcente Eccleſia peregerit: fortè is Clemens erat, qui Apoſtolorum conſtitutiones perſcripſit, & epiſtolam Pauli ad Hebræos ex Hebræo Græcè reddidit, teſtibus [a] S. Epiphanio, & [b] S. Hieronymo. Cùm autem Irenæus miſſus fuit à Potino Epiſcopo & Eccleſia Lugdunenſi, propter quaſdam elucidandas quæſtiones ad Eleutherium ſedis Apoſtolicæ Præſulem, *cum honorificis ſuper nomine ſuo litteris*. Haud credibile eſt Potinum nonagenario maiorem, tractatorias has litteras ac honorificas concinnaſſe, Irenæúmque qui mittebatur ab eo Encomiaſticam de ſeipſo ſcripſiſſe illam epiſtolam. Veriſimilius eſt igitur aliquem ex ſacris miniſtris, magis idoneum ad hoc officium delectum, quem in eiuſmodi functioné adhibere mos fuiſſet. Sed ab eiuſmodi exéplis ſuperſedeo lubens, vbi addidero, Paulinum vitæ S. Ambroſij ſcriptoré eiuſdem quoq. amanuenſem fuiſſe; Proſperú quoq. Aquitanicú S. Leonis fuiſſe in ſcripturis Eccleſiaſticis adiutoré. Nec verebor aſſerere S. Hieronymum. *Cùm Damaſum Papam in chartis Eccleſiaſticis iuuaret*, & reſponſiones ſub eo cóſcriberet *ad cóſultationes Synodicas Orientis & Occidétis* (ſicut ipſe teſtis eſt in epiſt. ad Ageruchiam) Cancellarij Romanæ Eccleſiæ officio, certè tam honorabili quàm neceſſario inſigniter perfunctum, nec tamen caudam Antichriſti effectum. Qui cùm longè degeret à Roma, ipſe Apoſtolicam ſedem de dogmatibus præcipuis fidei conſulebat, Damaſúmque Pontificem, *ita piſcatoris*

[a] Hæreſ. 76.
[b] In Catal.

Idem S. Hieron. in Irenæo.

ſucceſſorem ſuſpiciebat, vt tanquam Chriſti vicarium impenſe veneraretur. Quem tantum abeſt vt Antichriſtum crederet, quin eos, qui ſe ab eius ductu & imperio ſegregarent, Chriſti inimicos & *aſſeclas Antichriſti pronuntiaret.

* In ep. ad Damaſ. de nomine hypoſtaſis. *Qui tecum non colligit ſpargit: hoc eſt qui Chriſti non eſt Anti-Chriſti eſt.*

Quoad ſecundum quod ſignauimus Cancellariorum officium, ad eos aſſerẽdo ſcilicet ſpectaſſe clericos erudire: tertiúmq. adiũctum, quod fuerit ſcholæ ſacræ, eo fine præeſſe: ſicut Alexandriæ legimus pridem feciſſe recta viciſſitudinis ſerie Pantenum, Clementem & Origenem: facilè eſſet etiam antiquiorem extitiſſe huiuſmodi officij in Eccleſiis ſaltem principalibus, originem propalare, niſi breuitas hìc neceſſaria nos conſtringeret. Meminerit Ameſius ſacram Academiá fuiſſe Hieroſolymis ante promulgatum per orbem Euangelium. In qua Paulus adoleſcens eruditum ſe gloriatur ad pedes Gamalielis. Act. 22. *Iuxta paternæ legis veritatem.* Princeps enim ſcholæ Hieroſolymitanæ erat Gamaliel, vt colligunt ſacri plerique interpretes ad Act. c. 5. At de Academiis non vacat hìc fuſius dicere, de quibus & Iacobus Medendorpius *lib. de Academiis orbis* copioſè tractauit, & nos iterum in notationibus ad Martyrologium noſtrum ad diem 28. Ianuarij, vbi de S. Carolo Magno agitur, ex inſtituto (Chriſto auſpice) ſtatuimus diſſerendum. Itémque de Eccleſiarum coniunctim atque Academiarum (has illæ etenim generarunt, atque ideo iampridẽ gubernarunt) Cancellariis; quorum ipſius Caroli

Magni ætate, nomen iam aſſuetum in Gallia fuiſſe, ſacrúmque officium coniectari licet, ex can. 44. 2. Concilij Cabilonenſis, quod ſub eodem Principe conſedit. Ibi enim Patres dum diſtinctè vetant, presbyteros fieri *Cancellarios publicos:* profectò ſatis patenter ipſoſmet ſacros, ac Eccleſiaſticos fieri, ſubindicarunt ſeſe non prohibere. Quos habere Chriſtianos Pontifices, non minus conuenit, quàm olim Romanis fuiſſe conſuetum, auctor eſt Liuius lib. 22. Immò ſi Apoſtoli habuerunt ſcribas aut amanuenſes, ſicut probauimus; licere inde ſatis patet, habere huiuſmodi adiutores in epiſtolarum Eccleſiaſticarum confectione, Epiſcopis, qui Eccleſiis Apoſtolorum loco præſunt, & ad quos ſacra quæque confluunt negotia; æquum eſt arbitrari. Cancellarios enim non alios à primigena origine extitiſſe quàm ſelectos literarum exceptores, poteſtatúmque actuarios aut ſecretarios, ex Caſſiodoro liquet lib. 11. variarum, vbi non *à Cancellando* dictos innuit, ſed *à Cancellis*, quod *Conſiſtorij principis cancellos, fideli* (vt ait) *integritate cuſtodirent*, cuius ſcilicet arcana ſcirent. Qui etiam *protoſcriniarij* apud antiquos Papas dicti ſunt, quibus erant ſcriniarij duodecim. Itémque *Bibliothecarij Apoſtolicæ ſedis*, non ad opprimendas Eccleſias inſtituti, vt imperitè, quin & impiè prorſus blaterat Ameſius, ſed ad tuendam fidem, procurandam cum Pontifice, (cui in literarum formatarum, tractatoriarum, ſynodicarum, aliarúmque expeditionibus, ſuffraga-

bantur) Reipublicæ Chriſtianæ vtilitatem, & reprimendas emergentes hæreſes (quas Paulus appellitabat *profanas vocũ nouitates*) : ſcrinia ſacra ſeruáda, ac vbi opus fuiſſet reſeranda, & antiqua hinc monimenta Patrum, acta ſcilicet Conciliorum, & Doctorum veterum ſcripta euoluenda, proferenda, pro Catholicæ fidei comprobatione, ac defenſione. In aliis autem Eccleſiis pro parte ſolicitudinis Epiſcopis commiſſæ; iiſdem in ſacris tam epiſtolis conficiendis, ſcribendis obſignandíſque inſtrumentorum Hierarchicorum titulis, quàm ſacræ militiæ Cleri obeunda ſpeculatione, ſtudiorúmque gubernatione, obſequerentur : magno Eccleſiarum decoro pariter ac commodo conſtitutos, iámque ab Apoſtolis in propriis amanuenſibus initiatos, ab eorum ſucceſſoribus retentos, óbque accrementa religionis palam eſt, iure hactenus prorogatos fuiſſe.

1. Timoth. 6. 20.

DIGRESSIVNCVLA

De Vicecancellario S. R. E.

Qua diſcutitur, cur ac quando Romæ deſierit, Cancellarius Apoſtolicæ ſedis nominari?

IBI verò dicet fortaſſis Ameſius: cur non igitur in Romana Eccleſia cæterarum habita principe, ad hos vſque dies conſeruatum eſt Cancellarij munus? Diu enim eſt, ex quo Cancellarij nomen

nomen à Romana Eccleſia exoleuit. In ea enim qui diplomatibus Pontificiis præeſt, vel præeſſe ſolet aut debet, non iam nominatur Cancellarius, ſed Vicecancellarius tantùm appellatur. Et tamen in Eccleſia Pariſienſi (quæ diu Epiſcopalis tantùm fuit, nupérque Archiepiſcopalis ſeu Metropolitana*, decernente Gregorio XV. effecta eſt) Cancellarius eſt Cathedraticus, idémque & Academicus, qui tam in Eccleſia quàm in Vniuerſitate, antiquam, maiori ex parte, auctoritatem retinet, & magno refulget nonnullis in rebus & nominis & poteſtatis ſplendore. Immò in pleriſque Galliarum Eccleſiis, etiam vbi Academiæ non exiſtunt, Cancellarij dignitas conſpicua perſeuerat. Incongruum autem videtur vt Cathedraticæ Eccleſię Cancellarium proprium habeant, hócque fulgeant non dimidiato ſidere. Cùm Romana Eccleſia, cui illæ cæteræque ſubiacent omnes, Vicecancellario tãtùm multis iam ab hinc annis vtatur, plenámq. huius nominis dignitatem cùm nulli conferat, eo ipſo abrogaſſe videatur. Reſpõdeo, verum eſt, quòd in Eccleſia Romana omnium matre ac magiſtra, iamdiu extincto Cãcellarij nomine, Vicecancellarij titulus munúſque hactenus prorogatur. At cùm conſtiterit de tempore, etiam de cauſa patebit, eáque rationabili & conſentanea, cur ita factum perinde fuerit. Quæſtio igitur in eo verſatur, *quando & qua de cauſa deſierit ille Cardinalis, qui præeſt Cancellariæ Papæ, Cancellarius dici, cœperítque nominari*

*Lege de hac erectione libellum à nobis editum ſub titulo *Metropolis Pariſienſis*.

haberíque duntaxat Vicecancellarius? Reſpondent DD.Canoniſtæ *in Clement. Romanæ de Electionibus* quadruplici aſſignata ratione. Prima eſt, quòd olim ille qui ſcrinio & diplomatibus Pontificiis præerat, poſtquam extinctum fuit *Protoſcrinarij* nomen, reuera *Cancellarij* geſſit plenum nomen vt & honorem habuit. Sed quia pedetentim plus ſibi iuris & poteſtatis quàm par eſſet cœpiſſet arrogare, & Pontifici Romano in pleriſque auderet refragari, eò depreſſus eſt, vt modeſtiæ cauſa illi incutiendæ, *Vicecancellarius* ſolùm fuerit deinceps Apoſtolica iuſſione nuncupatus. Ratio iſta videtur accuratiùs examinanda. Quia conſtat quidem de tempore, quo cum honore magno, Cancellarij Romæ vigebat dignitas & titulus: non ita autem perſpicuè de eius ſuppreſſionis occaſione. Nam explorata eſt omnibus Alexandri III. hiſtoria, qui ex Cancellario S. R. E. & presbytero Card. tit. S. Marci, Pontifex Maximus poſt Adrianum IV. creatus eſt. Contra quem conflato ſchiſmate ſucceſſiuo Victoris, Caliſti & Paſchalis à Frederico Ænobarbo Imperatore, ob eam cauſam quòd ex Cancellarij dignitate, fretus (vt aiebant) Magiſtratus auctoritate, ad ſummi Pontificatus faſtigiũ perueniſſet, per cõtemptum ſemper ab iis appellabatur *Rolandus Cancellarius*. Quod maximè videre eſt in Imp. & Pſeudopontificum actis, & Arnulphi Lexouienſis Epiſcopi, qui contra eos, partes Alexandri Catholici Papæ tuebatur, epiſtolis. Creatus

autem fuerat ille Cancellarius Apoſtolicæ ſedis, vnáque Cardinalis, ab Eugenio III. Ipſe verò factus Pontifex, Cancellarij dignitatem contulit Hermanno, quem poſtea Senonis agens in Gallia, ſecunda in promotione, presbyterum Cardinalem S. Suſannæ creauit. Huius autem Hermanni nomen ſubſignatum cernitur paſſim in Bullis ipſius Alexandri III. Papæ: ſpeciatímque in diplomate pro Monaſt. S. Crucis in Hieruſalem an. 1166. Poſt hunc ſub Lucio tertio Alexandri ſucceſſore Cancellarius erat Romanæ Eccleſiæ Albertus de Mota Beneuentanus, presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina. Cancellariíque etiam nomen & munus ſub Vrbano tertio pertulit, poſt quem etiam ex presbyterorum Priore, Papa factus, Gregorius VIII. dictus eſt. Ad hunc vſque Pontificem qui Petri Cathedram an. 1187. conſcendit, Cancellarij nomen R. in Eccleſia viguit, qui Cancellarij munus, factus Pontifex Moyſi cuidam Lateranenſi Canonico regulari ac S. R. E. ſubdiacono non Cardinali demandauit. Putat Azorius part. 2. Inſt. moralium lib. 5. c. 37.* poſt hunc quotquot Cancellariam Apoſtolicam rexerunt vſque ad tempora Honorij III. non fuiſſe Cardinales. & ideo vices agentes Cancellarij dictos, vſquequo Reynerius Prior S. Iuliani in Lucenſi diœceſi: íſque non Cardinalis, regimen Cancellariæ ab ipſo Honorio accepit. Hunc enim primum fuiſſe qui commodiore vocabulo, *Vicecancellarius* dici cœpit. Hæcque eſt

* Idem habet ad verbum ex Azorio La Cerda aduerſar. ſacr. c. 184. b.

ſecũda ratio à pleriſq. DD. communiter aſſignata, huius mutationis. Sed mihi non videtur ſolida. Nec enim verò conſentaneum, quòd à Greg. VIII. ad Honorium III. nullus Cardinalis, Cancellariæ Apoſtolicæ præfecturam geſſerit, hanc enim habuit & obiuit ſub Cœleſtino III. Cencius Sabellus diaconus Cardinalis S. Luciæ in Orthea, dictus quidem non Cancellarius, neque Vicecancellarius, ſed Procancellarius. Vnde liquet quòd defectus Cardinalatus, Vicecancellarij nomen non inducebat; cùm qui Cardinalis eſſet Procancellarius nihilominus vocitaretur. Quid quod ſub Innocentio III. Cancellarij abſolutum titulum & dignitatem vigentem denuò in S. R. E. repetio? Sub hoc enim Pontifice Ioannes Comes Anagninus eius affinis, Diaconus Cardinalis creatus S. Mariæ in Coſmedin: etiam *Cancellarij Apoſtolicæ ſedis* dignitatem obtinuit, & peregit. Quod autem addunt iſti Doctores, Cancellarij nomen ex eo ſublatum & ſuppreſſum, quod de certo gradu honoris cum Papa auſus fuiſſet congredi, vix admitto, nullibi enim lego. Nec iſti indicant diem vel Conſulem, quo hæc quam ſupponunt conflictatio euenerit, cæteroqui notanda admodum, ſi vnquã contigiſſet. Tertia igitur accedit opinatio, quę rem longè altiùs repetit. Dicunt quidã DD. S. Laurẽtium Martyrem fuiſſe primum S. R. E. Cancellarium, & vt debitus illi honor ſeruaretur, qui poſtea in officio Cancellarij ſucceſſerunt, dictos eſſe tantùm Vicecancel-

larios quaſi vices agentes S. Laurentij, cuius officio fungebantur. Sed futilis eſt iſta prorſus ratio, cùm conſtet ex dictis, & oſtenſis ſuprà, annis ferè nongentis poſt S. Laurentij Martyrium, *Cancellarij* nomen cum officio in Romana Eccleſia perſeueraſſe. Quòd ſi fuerit S. Laurentius Apoſtolicæ ſedis Cancellarius, hoc non obſtaret, quin qui obeunt idem munus, eodem nomine vocarentur. Nam fuit, vt omnes norunt, Archidiaconus S. R. E. & nihilominus hic titulus cum ipſa dignitate ab hinc vſque viget, & geritur Romæ, à Cardinalium diaconorum Principe, cuius etiam è manibus ſolet Pontifex accipere ante valuas ſancti Petri, ſummi Pontificatus inſignia. Quartam igitur rationem adducit Gomeſius in procemio regul. Cancell. Apoſtolicæ: Papam ſolum ſcilicet eſſe *Dei Cancellarium*, proinde Cardinalem illum qui præficitur Cancellariæ Apoſtolicæ, vicem gerere Cancellarij Dei, id eſt Papæ. Idcirco iure congruéque non dici *Cancellarium*, ſed *Vicecancellarium*. Verùm vmbratilis eſt etiam hæc cauſa: nam ſemper Papa, in Chriſtiana Eccleſia Dei geſſit vices, & nihilominus plurimis ſæculis, extiterunt ſub Papa Cancellarij: ex quo munere, ſuſcepto ſummo Pontificatu, Alexander III. mox creauit Hermannum S. R. E. Cancellarium, quia officium hoc ordinarium erat, nullóque modo Pontificatui adiunctum.

Dico itaque ceſſationem tituli Cancellarij in Romana Eccleſia minimè ob faſtum & contu-

maciam Cancellariorum obtigiſſe, ſed ex occaſione peruicaciæ Romanorum, qui ſæpè ab Imperatoribus concitati contra ſummos Pontifices; Cancellario Papæ*, Cancellarium vrbis oppoſuerunt, à ſe in eiuſmodi rebellione conſtitutum, qui eorum partes ageret, atque Papæ, & Cancellario eius (qui potiorem habebat ab eo authoritatem in negotiis & tractationibus) quaſi pari poteſtate aduerſaretur. Talis fuit vrbis Cancellarius tempore Gregorij IX. Petrus Fregepanis, potentiſſimus ciuis Romanus, quem, plurimóſque nobiles, Fredericus II. Imperator aduersùs Pontificem (odio infeſtiſſimo hunc perſequebatur) concitauit, vt eum Româ exturbaret. Hinc enim Cancellarij nomen inuidioſum effectú eſt, quódque ſub eiuſmodi anteſignano ciues Romani, Cæſaris Germanici fautores, multas aduersùs Pontificem & ſedem Apoſtolicam tragœdias excitaſſent, quò faſtum vrbici illius Magiſtratus tumultuoſi Papæ deprimerent, vnáque ſenſim ſucciderent & tollerent exitioſam tituli ipſius ac muneris æmulationem, Præfecti Cancellariæ Apoſtolicæ, viſum eſt, ſplendorem dignitatémq. imminuere: vnde vocitari illum placuit deinceps *Vicecancellarium*, quaſi munus ipſum non ex officio gereret, ſed per modum commiſſionis extemporaneæ, ad beneplacitum merum Pontificis interim adminiſtraret, proinde plenam præfecturæ huius non obtineret poteſtatem, vti neque præ ſe ferebat integram ipſo

*Nota.

ex nomine dignitatem. Deinceps enim in Romana Eccleſia abſolutum Cancellarij vocabulum non fuit auditum: ſed continuò Pontificum more, inuectum Vicecancellarij nomen, ſenſim inoleuit, hactenúſque retentum eſt. Habet hinc Ameſius quo demum quieſcat, ſacrorúmque Cancellariorum, qui Eccleſiæ fidelia ſemper obſequia præſtiterunt, dignum laude nomen & veneratione officium, tam in ſe pium quàm Religioni neceſſarium, non eſſe apocryphum, nec Antichriſtianum (vti ſcribere non veritus eſt) ſaniori recepta aliquando mente, fateatur. Indéque etiam peruium eſt cuique dignoſcere vnde ortum diſcrimen, quòd ea in re cernitur vt Pariſiis, immò Mediolani, aliíſque in antiquis occidentis Eccleſiis ſacri Cancellarij priſcum officium cum ipſo nomine permaneat: in Romana autem ſumma Eccleſia, Vicecancellarij tantùm iamdiu ſimplex titulus ſit in vſu; cuius Cancellariæ Apoſtolicæ præfecti fuerit nomen imminutum, ſine culpa antiquorum Cancellariorum: at non ſine cauſa, quæ Romæ, vt patet ex dictis, ſpeciali occaſione ſuborta eſt.

Sed alia mihi inſuper videtur addi poſſe ratio. Nimirum modeſtiæ ſtudium in Romanis Pontificibus & humilitatis cultus, quæ eſt (aiebat S. Bernardus ad Eugenium) *ſplendidior gemma in ornatu Pontificis*, Vicarij Saluatoris. A quo humilitatis exemplum & documentum ſibi traditum, cùm ſummi illi Eccleſiæ, ſub eo, Paſtores atten-

derent, illúdque animo voluerent quod Apoſtolis ſuis commendauit, vt *qui maior foret inter eos, quaſi minor fieret*, Regúmque ſæculi faſtum minimè æmularentur: cùm primos ſeſe cernerent in Apoſtolatus dignitate, primi etiam eſſe voluerunt in humilitate. Ideóque & ſi Petri ſucceſſor reuera ſit quod dicebat ipſe Bernardus l. 2. de Conſid. *Sacerdos magnus, ſummus Pontifex, princeps Epiſcoporum, heres Apoſtolorum*, &c. *poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus*. Nihilominus Papæ ad repræſentandam in ſe Chriſti cuius vices gerebant humilitatem, à titulis ſublimibus abſtinuerunt, (etſi legitimis) ſeſéque duntaxat *Epiſcopos*, &, *Dei ſeruos* inſcripſerunt. Cúmque Imperatores *Archicancellarios* tres habere cœpiſſent, Moguntinum, Treuirenſem, Colonienſem Archipræſules: & diplomata *aureis ſigillis* obſignarent, ſericeíſque funiculis bullas aureas appenderent, viſum eſt ſummis Pontificibus magis Apoſtolicam Maieſtatem humilitatis & modeſtiæ cultum decere, quàm faſtuoſum hunc nimis imperialis gloriæ apparatum, atque indicium ſummæ ſæcularis illius dignitatis, at euanidæ reuerà magnificentiæ. Itaque plumbeo ſigillo duntaxat, diplomata Apoſtolica ſua muniri voluerunt, atque bullam eiuſmodi, canabeis ſolùm filis appendi. Nec ſummæ Cancellariæ ſacræ præfectum, Archicancellarium (qui iure ita poterat dici) appellandum, immò neque Cancellarium, at tantummodo Vicecancellarium cenſuerunt: cùm

Luc. 22.

nihilo-

nihilominus Cancellarij nomine in inferioribus ſedibus, ex antiquo more, non incongruè permaneret. Quæ modeſtia Pontificia reuerà Apoſtolica, quàm remota ſit ab Antichriſti moribus, quæſo Ameſium (ſi palam deſipere nolit) tandem vel coactum fateri.

II.

De Suffraganeis.

IAM de Suffraganeis, quos Ameſius æquè dirè inſectatur, antequam reſpondeam, operæ-precium eſt præſuponere, *Suffraganeorum* nomine, paſſim in iure Eccleſiaſtico, intelligi diœceſeωn ſingularium ſpeciales Epiſcopos, qui in eiuſdem prouinciæ terminatione conſtituti (hoc eſt ſub vnius metropolicæ vrbis ac ſedis ſacra ditione) dicuntur cum Archipræſule ſuo, *Epiſcopi comprouinciales C. Metropolitanum*, 2. q. 7. gloſſ. *obedientiæ* in cap. *antiqua de priuilegiis*. & cap. 1. de *poſtul. Prælatorum*. Híque dicuntur *Suffraganei*, quoniam in cura paſtorali prouinciæ, Metropolitano ſuo ſuffragantur, atque quando res grauis poſtulat, in ſacrum conuentum coeuntes, Archiepiſcopo, ſynodo præſidenti, ſuffragia conferunt in iis decernendis, quæ ſpectant cùm ad doctrinam, tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam. Proprij autem ſunt iſti, Eccleſiarum ſuarum patres, paſtores & Epiſcopi; de quibus eorúmque ad ſuum Metropolitanum habitudine, ipſorúmque

propria in diœceſi ſua, pontificali, ordinaria, ſpecialíque iuriſdictione & poteſtate, aliàs cumulatè ſcripſimus. *Iſtos non intendit præſules, hîc Ameſius (quos alibi tragicè habet) impetere. Quibus ait Apoſtolus Act. 20. *Vos poſuit Spiritus ſanctus Epiſcopos, regere Eccleſiam Dei.* Neque ipſe Ameſius ignorat eoſdem principatum ſacerdotij in ſuis Eccleſiis gerere, & hoc titulo Cancellarios habere. Quamobrem illos, vtpote longè maiores, Cancellariis non potuit ſubiicere Eccleſiaſticis. Adde quod, ab ipſis Præſulibus, hos, quos ſuffraganeos deſignat, introductos fuiſſe innuit. Quapropter opus non fuerit in hoc ſignificatu, Suffraganei nomen acceptum, hîc vindicare. Verùm ſunt inferioris longè gradus Suffraganei, vtpote qui licèt ordine Epiſcopi ſint, iuriſdictione tamen nulla actuali *potiuntur, ſícque diſtinguuntur ab Epiſcopis diœceſanis & cathedraticis, qui proprias ſedes ac Eccleſias habent. Velut vicarij enim iſtorum ſunt, in pontificalibus officiis, quæ ſpectant ad ordinem, non autem ad iuriſdictionem. Enimuero ſuffragio Epiſcopis ſunt diœceſanis vel infirmantibus, vel ætate grauatis, aut aliàs legitimè occupatis in chriſmatis ſanctificatione, ſacerdotum ac clericorum ordinatione, dedicatione Eccleſiarum, conſecratione virginum, ſolennique pontificali ſacrificio, ac aliis muneribus merè Epiſcopalibus, quæ presbytero ſimplici committi de iure non poſſunt. Sunt igitur *ſuffraganei*, hoc eſt, *adiutores Antiſti-*

*Lib de Epiſcopali monog. part. 2. cauſa 5. & 8.

*Virtualē enim habent, in locis, quibus præficiuntur, per titulum ſuæ creationis.

ium ordinariorum, quales Linum & Cletum fuiſſe ſub Petro Romæ, tradunt probati quique ſcriptores. Nam Irenæus quidem ſcribit, Linum ab Apoſtolis Petro & Paulo factum Epiſcopum l.3. c.3. At Cletum cum Lino, viuente Petro, & pontificiam ſedem Romanã tenente, Epiſcopum quoque ordinatum, Epiphanius refert hæreſ. 27. vbi narrat Clementem à Petro deſignatum ſucceſſorem, noluiſſe tamen eo mortuo, in Apoſtolicam cathedram aſcendere, donec vixerunt Linus & Cletus, quos Petrus, coadiutores in officio Epiſcopali ſuos creauerat. Porrò Leo Papa II. in ſua decretali id ita explicat, vt adiutores ſibi adſciuerit, & quaſi Chorepiſcopos Linum & Cletum Petrus, ſed non cum plenitudine poteſtatis. Quod ita deinde verè cecinit aliquot ab hinc ſæculis Gofridus Witerbienſis, rudi tametſi carmine.

Linus erat viuente Petro, viuente Nerone
Namque vices eius geſſit, Tuſcus regione, &c.
Et Cletus viuente Petro, Lino ſociatur,
Qui ſimul exteriùs curabant Pontificatum.
Sed dabat interiùs dogmata ſacra Petrus.
Tradita non erat his Papalis plena poteſtas.
Non ligat aut ſoluit Linus Cletúſque. ſed extant
Sub vice Pontificis pondera ferre Petri.

Erant igitur ij propriè Petri ſuffraganei. Sed tamen non prorſus inuicem à paribus. Licet enim præſente Petro ambo externa curarent: tamen Petro abſente, Linus Epiſcopatum vrbis adminiſtrabat, dum extra in ſuburbiis Cletus vicariam

interim gereret præfecturam; vt Ciaconius rectè notauit in Lino, ex probatiſſimis Eccleſiæ Romanæ monimentis, ſolertioribúſque indagatoribus ſucceſſionis Apoſtolicæ cathedræ. Nec Petrus modò coadiutores ſibi adlegit, ob immenſam grauitatem oneris: ſed Paulus quoque Coapoſtolus eius, qui ſæpè eorumdem meminit. Etenim ſcribens ad Romanos, c. vlt. *Timotheum adiutorem ſuum* appellat: eiuſdémque nomine, Chriſtianos qui Romæ erant (conuerſi ſcilicet ore Petri ad fidem) eius ex nomine ſalutat. Item in epiſtola ad Philippenſes c. 4. iubet ſalutari *Clementem cum ceteris adiutoribus ſuis, quorum nomina ſcripta aſſerit in libro vitæ.* Iam olim verò, adeóque ab ortu pene Euangelij, in Gallia Epiſcopos eiuſmodi fuiſſe auxiliares, conſtat ex actis Auſtremonij primi Aruernorum Epiſcopi, & (vt fert traditio perantiqua) Petri ipſius diſcipuli & legati, qui cùm veniſſet in Aruerniam, maiorémque meſſem, quàm ferre poſſet eo in agro patentem ſibi aſpiceret; Claromontanæ vrbis illuſtrationem, quæ apex erat regionis, per ſe curauit. Nectarium verò, Antonium, Marium aliόſque coadiutores adlectos in opus ſalutis, circumquaque miſit; quorum felici ſuffragatione, ampliſſimi huius tractus incolas, collectis diuina ope, copioſis myſticæ frugis manipulis, in dominica horrea feliciter aduexit*. Idem verò cùm ad Heduos tranſmigraret, vt Niuernis Chriſtum ſitientibus fluenta ſalutis largiretur;

*Vide Martyrol. noſtrum Gal. 1. Nouẽb. 17. Ianuarij, 16. April & 16. Febr.

Vrbicum interim, qui vice ſua Aruernenſi in vrbe, Epiſcopalem curam adminiſtraret, ſuffraganeum vel coadiutorem ordinauit: quem expertus fidelem, poſt reditum ſibi collaborare præſenti voluit, & iam ſenio fatigatus, ſolitudinis cupidus (ob æternarum rerum tranquiliorem meditationem) cùm apud Icciodorum ſecederet: ſuam iuſſit, & quoad viueret obire vicem, & poſt obitum ſuum plenam Epiſcopatus ſuſcipere adminiſtrationem. Simile de Iuliano Cenomanorum Apoſtolo legimus, cuius ita Thuribius Coepiſcopus ac demum ſucceſſor fuit. Sic & Claudianus Viennæ ſub S. Mammerto *, & Claromonte S. Tygridius ſub S. Illidio. At ſaltem Ameſius negare non poteſt, ſine deplorata audacia, S. Auguſtinum ex presbytero, à Valerio Epiſcopo, qui impeditioris erat linguæ, coadiutorem ſeu ſuffraganeum factum, qui viuentis iam ſenis vicem in prædicatione & tutela fidei atque gregis cuſtodia ſuſtinuerit, póſtque legitimam Epiſcopatus ſub eo adminiſtrationem, ipſius defuncti locum prorſus demũ impleuerit. Nec excipere poteſt Ameſius, futuram ſucceſſionem ex hodierno vſu ſimplicem Suffraganeum non facere: ſed vmbratile nomen, cum impoſitione oneris, ad pontificalia tantùm, ſine vlla ſucceſſionis expectatione. Id enim vt ſit, dico rem apud Patres exemplo non carere. Nam nec Pauli coadiutores fuerunt eius ſucceſſores in Apoſtolatu. Nec Petri auxiliarij quique, tametſi Epiſcopali eſſent or-

* Vide origines Claromontij doctiſſ. Sauaronis, & libellos binos ab ipſo editos de Claromõtis SS. & Eccleſiis ex antiq. MSS. eundémque, in Sidonium, &c.

dine inſigniti, ſucceſſores ipſius in vrbico vel vniuerſali pontificatu. Certè in antiquis Galliæ Conciliis conſpiciuntur Epiſcopi ſubſcribentes, ſub hac epigraphe. *Epiſcopi qui ſedes non habent.* Igitur non erant Epiſcopi, vt ait Sidonius, *cathedratici*, ſed meri cathedraticorum auxiliatores, ſeu ſuffraganei. Ex quibus notationibus profectò habes, Suffraganeos eiuſmodi, ſpurios à vero Chriſtianiſmo non eſſe, neque eoſdem deprimendos ad *caudam Antichriſti* (quod Ameſius impiè prorſus calumniatus eſt) nec introductos ab Hierarchis, per tyrannidem ad opprimendum Dei Eccleſias; ſed ab ipſis Apoſtolis, adeóque ab Apoſtolorum Principibus Petro & Paulo primùm excitatos; deinde à ſanctiſſimis eorundem diſcipulis, ac ſubſequentibus Eccleſiarum Apoſtolis ac patribus continuatos, vſúque (etiam in Conciliis priſcis approbato) ad hæc vſque tempora prorogatos, vbi priuata Epiſcoporum neceſſitas, vel publica Eccleſiarum vtilitas poſtulauit. Quamobrem *non ad Eccleſiarum oppreſſionem*, ſed commodum, Præſulúmque fatiſcentium, vel ex ætate, vel oneris grauitate, ſolatium & leuamen, iure congruéque, adeóque ritè & canonicè. (immò etiam ex Apoſtolico exemplo & Eccleſiaſtico antiquiſſimo ritu, ac probatiſſimo more) introductos fuiſſe. Plura de iis dicturi ſumus in commentariis noſtris ad Martyrologium Gallicanum, vbi de Chorepiſcopis ex inſtituto, fauente Chriſto tractaturi ſumus. Maximè vbi de S. Vrbico 1. Nouemb. Tom. com. apud 4.

III.

DE OFFICIALIBVS SEV ECCLESIASTICIS Iuridicis.

Subiunctimque & obiter. I. De vtroque Epiſcopi foro. II. De præcelſiori eius throno. III. De preſbyterorum ſedilibus circumpoſitis. IV. De Pænitentiarij cathedratici inſtitutione. V. Sacri denique Iuridici, quem Officialem iam vocant, initio antiquiſſimo.

SED verò pugnandum nobis eſt etiam contra Ameſium pro Officialibus, ſeu ſacris Iuridicis, qui Epiſcoporum vice lites fidelium, quæ ad Eccleſiaſtici tribunalis examen ac diſquiſitionem ſpectant, etiamnum diſcutiunt ac dirimunt. Horũ etiam auctor mihi videtur fuiſſe Apoſtolus, quando Corinthios corripiens, quòd lites inſtituerent inter ſe frequentes, & coram iudicibus fidei non domeſticis 1. epiſt. cap. 6. *Neſcitis*, ſubdit, *quoniam Angelos iudicabimus, quantò magis ſæcularia, ſæcularia igitur iudicia ſi habueritis, contemptibiles qui ſunt in Eccleſia, illos conſtituite ad iudicandum. Ad verecundiam veſtram dico. Sic non eſt inter vos ſapiens quiſquam, qui poſſit iudicare inter fratrem ſuum?* Hinc enim factum vt antequam Chriſtum colerent ſæculi poteſtates, iudicia etiam rerum ſæcularium fideles ad paſtores ſuos, Antiſtites & Sacerdotes deferrent. Vbi verò Magiſtratus

ſæculi facti ſunt fideles, tum Epiſcopi cognitionem rerum ſæcularium, ad ipſos (vt ſpectabant ex iure legitimæ poteſtatis) remiſerunt: ſacrarum autem diſceptationem ſibi ſuiſque vices agentibus integram reſeruarunt. Quamquam & ægrè Epiſcopi ſemper de litigiis ſæcularibus cognouerunt, & nihilominus poſt Magiſtratuum ad Chriſtum acceſſum, aliquam de iis habuerunt vel inuiti, ex ſanctione Imperatorum Theodoſij, immò & Caroli Magni diiudicationem, ſicut liquet C. Theodoſ. l. 16. de Epiſcop. iudicio l. 1. §. *quicumque*, & Capit. lib. 6. c. 281. Sancti tamen non probauerunt eiuſmodi cauſarum delatam Epiſcopis à ſæcularibus Principibus diſquiſitionem. Attendentes enim illud Pauli Apoſtoli 2. Timoth. 2. *Nemo militans Deo implicat ſe ſæcularibus negotiis:* Epiſcopum noluerunt iis immiſceri. Idcirco diu ante Pauli ſectator Clemens ep. 1. ad Iacobum Epiſcopum Hieroſolymæ. *Nec* (ait) *iudicem, aut cognitorem ſæcularium negotiorum, hodie te ordinatum vult Chriſtus, ne præfocatus præſentibus non poſſis verbo Dei vacare, & ſecundum veritatis regulam ſecernere bonos à malis. Siquidem habent iſta litigia iudices ſuos* (aiebat eodem ſpiritu, tametſi diu poſtea, ad Epiſcoporum principem Eugenium S. Bernardus, lib. 1. de Conſideratione:) *nam in criminibus, non in poſſeſſionibus poteſtas veſtra, quoniam propter illa, non propter iſtas accepiſtis claues regni cælorum.* Inde tamen non ſequitur, quòd Epiſcopi non habeant forum externum.

num. Sidonius cathedram Epiſcopis, Tribunalia iudicibus diſtinctè tribuit, *in concione pro ordinatione Simplicij Bituricenſis.* Attamen tribunalia æquè ac cathedræ Epiſcopis competunt, etiam Apoſtolico intellectu. Cathedræ quidem propter doctrinam, & fidei ſpeculationem ac tutelam. Tribunalia propter diſciplinam clericorum, ac diſtrictionem etiam laicorum, quando in iura ſacra impingunt, etiámque abſolutè quoad cauſas omnes merè Eccleſiaſticas, putà lites matrimoniales, fidei dogmata, peccata quædam publica, iuráque purè ſacra quæcumque. Ideóque ſcitè, veréque Fulbertus Epiſcopus Carnotenſis ſcribebat epiſt. 46. *Tribunalia Eccleſiæ Chriſtum Epiſcopis tradidiſſe.* Nec enim primus hoc dixit, ſed Paulus Apoſtolus id longè ante eum, & docuit ac cenſuit. Ipſe enim ſeſe ita profitetur in annuntiatione Euangelij, & populorum eruditione, *Prædicatorem ac Apoſtolum, doctorémque gentium in fide & veritate*: immò Chriſti miniſtrum & diſpenſatorem myſteriorum Dei in diſpenſatione eius gratiæ, vt & iudicem ſeſe ſeriò prædicet in obeunda iuſtitiæ ſacræ auctoritate. Quemadmodum igitur de ſæcularibus ſeſe immiſcere, idem Apoſtolus, Epiſcopum non ſuſtinet; ſibíque ea hoc iure nec congruere, nec competere candidè agnoſcit, ad eoſdem Corinthios ſcribens: *Quid ad me de iis, qui foris ſunt iudicare?* 1. Cor. 5. Ita ex aduerſo, ad ſe ſuóſque ſymmyſtas, de iis quæ Eccleſiaſticæ ſunt cognitionis, id eſt, non ex-

1. Timoth. 17.
1. Cor. 4.

ternæ, ſed domeſticæ, ſcilicet, non profanæ, ſed ſacræ iuriſdictionis, ſæpiùs ſæpè ſpectare teſtatus eſt. Timotheum enim admonet ſuum, *vt non ſolùm doceat, ſed præcipiat*, *epiſt. 1. c. 4. v. 12. iubeátque, ita vt à nullo ſeſe ſinat contemni, v. 12.* monet inſuper *accuſationem contra presbyterum leuiter non ſuſcipiat.* Quo loco qui legunt *ſeniorem* (vt Ambroſius) nomen volentes eſſe ætatis, & non dignitatis, etiam contra laicos accuſationem iure Epiſcopum ſuſcipere, (cauſis vtique in Eccleſiaſticis) apertè fatentur. Qui verò preſbyterum hîc pro ſacerdote accipiunt, à fortiori colligunt Epiſcopum contra laicum certis poſſe in cauſis iudicium exercere. Feciſſe verò idipſum, B. Paulum Apoſtolum contra Corinthium fornicarium & inceſtum, apertè conſtat ex loco primùm citato 1. Corinth. 6. atque contra alios quoſque temeratores Euangelicæ diſciplinæ, & Chriſtianæ doctrinæ, perſpicuè prodit, dum comminatur, *ſe poteſtate quam accepit à Domino in Euangelio* vſurum, atque *ad eos in virga venturum* ni reſipiſcant, & ad frugem meliorem conuertantur, 1. Cor. 4. *Quid vultis in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis?* Virga enim eſt in ſacris ſcripturis *ſignum poteſtatis*: nec modò directionis. Vnde in priſcis pontificalibus, cùm Epiſcopo, pedum, ſeu paſtoralis virga traditur, ſic legitur ordinans Metropolites, ordinando Epiſcopo enunciare. *Accipe baculum ſacri regiminis ſignum, vt imbecilles conſolides, titubantes confirmes, prauos corrigas, rectos di-*

Pſalm. 2. & 44. & 109.

rigas in viam ſalutis æternæ, habeáſque poteſtatem erigendi dignos, & corrigendi indignos, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, &c. Vnde verſus inſcriptus Toloſæ in lapide marmoreo, ſub antiquiſſimis iconibus B. Petri Apoſtoli, & S. Saturnini eius diſcipuli, ab eo, cum pontificali poteſtate illuc directi; ideóque baculum incuruum (qualem etiamnum Antiſtites ferunt) geſtantis.

Curua trahit, quos recta regit, pars vltima pungit.

Profectò cùm eiuſmodi poteſtate Paulus ſe Corinthum venturum ſignificabat, manſuetudine ſe vſurum innuens erga correctos, rigore verò erga peccatores acturum peruicaces. Vnde rurſum ſcribebat ſeueriùs comminando 2. Cor. 13. *Prædico quoniam ſi venero iterum non parcam.* & rurſus, *vt non præſens duriùs agam ſecundùm poteſtatem, quam mihi dedit Dominus.* Hæc eſt illa poteſtas ſacræ iuriſdictionis, quam Eccleſiæ ſuæ paſtoribus, Epiſcopis ſcilicet, qui Apoſtolis ſuccedunt, Chriſtus commiſit. Vnde S. Auguſtinus l. 3. c. 1. contra epiſt. fund. per virgam quacum ſe venturum ad Corinthios Apoſtolus minabatur, intelligit *iuridicam poteſtatem.* Ob quam Epiſcopi in Eccleſia non ſolùm virgam geſſerunt, ex vſu Apoſtolico Marc. 6. ſed thronum ſoli habuerunt ſublimiorem longè, ac inſigniorem presbyterorum ſedilibus. Ita ſanxerat S. Clemens l. 2. Conſt. Apoſt. cap. 57. *Sit ſolium Epiſcopi,* inquit, *in medio poſitum, & ex vtroque eius latere ſedeant presbyteri, & adſtent diaconi.* Vnde conqueritur S. Athanaſius

de Arianis in epiſt. *ad ſolit. vit. agentes*, quòd Alexandriæ in Eccleſia combuſſerant thronum & ſubſellia. Quo ſublimioris ſeſſionis iure & honore Epiſcopum ſolum pollere Carthag. 4. Concil. ordinauit. Patres verò hinc eius principatum demonſtrant, vt legere eſt apud Gregor. Naz. in orat. ad principem iraſcentem, & popul. timore perculſum. Chryſoſtomum lib. de ſacerdotio, & Ambroſium lib. de dignitate Sacerdotali. Ameſius Tom. 2. ſui Antibellarmini c. 4. p. 119. conatur euincere ductum ex hac præcellentia ſedis à Bellarmino argumentum, pro Epiſcopi ſuper presbyteros primatu, vel principatu: *Quoniam*, inquit, *non ſolus Epiſcopus ſedebat in throno, ſed etiam presbyteri ſeſſum in throno habebant:* probátque hoc ex obiectione Aërij apud Epiphanium hæreſi 75. *Epiſcopus ſedet in throno & presbyter etiam ſedet: & hoc non negat Epiphanius.* Quoad Aërium, dico, illum, vel hoc nomine hæreticum iudicatum ab antiqua Eccleſia, quòd *presbyterum Epiſcopo æquiparauerit* in omnibus, vt videre eſt apud ipſum Epiphanium loco citato, & Auguſt. lib. de Hæreſ. c. 33. Ideóque Epiphanium ipſo loco, quem ſignat Ameſius, illum hæreſiarcham propterea cenſuiſſe: proinde dicta & obiecta illius, hoc ipſo facto ſatis eſſe ab ipſomet repulſa. Inſuper Epiphanium noluiſſe, nec potuiſſe negare omnino antecedens, ſed falſam inde deductam conſequentiam. Aliquo enim ſenſu verum erat presbyterum etiam in throno ſedere, ſed inde

Epiſcopo eſſe æqualem, verum non erat. Nam ſupra oſtendimus in priſca Eccleſia vnum thronum fuiſſe, ſedes autem vtrinque diſpoſitas pleraſque. Epiſcopus autem ſolus in ſolio ſublimiori ſedebat, quaſi ſacerdotij apex, vt ex inductis ſupra locis fit exploratum: maximè autem ex Concilio IV. Carthaginenſi, à quo ſtatutum ex iure & more vetuſto, *Vt in cætu presbyterorum Epiſcopus ſublimior ſedeat*. Hinc phraſis illa vetus ſynodica: *Sedente Epiſcopo, conſidentibus presbyteris, aſtantibus diaconis*. Honos enim eſt magnus presbyteri, quod cum Epiſcopo ſedeat, tametſi non pari loco, quoniam nec pari dignitate. Malè igitur ex hoc quod Euſebius lib. 10. c. 4. videtur innuere vna in Eccleſia plures fuiſſe ſedes, infert, plures igitur fuiſſe in Eccleſia qui *ſederent in thronis, & participes erant eiuſdem honoris & poteſtatis*. Nam ſi ita arguere liceret, ergo Apoſtoli, qui ex promiſſione Domini debent ſedere cum illo iudices in extremo die, pares ei forent dicendi. Promittit idem iam glorificatus Dominus, *Qui vicerit* (inquit) *faciam illum ſedere in throno meo*, inferat Ameſius. Ergo omnes beati poſt agonem & triumphum, Chriſto ſunt in cælis æquales, abſit. Vidit S. Ioannes aulæ cæleſtis conſeſſum, in quo Agnus ſolus cum Patre ſedet in throno: at 24. ſeniores in ſedilibus diſpoſitis circumquaque. Igitur ſedent beati cum Chriſto, ſcilicet in regno eius, & in conſpectu eius, ex aliqua communicatione honoris: ſed non eodem in ſolio ſublimi, quod in-

Apoc. 3. 21.

diciuin eſt ſummæ maieſtatis, dominationis, &
Rom.14. 2.Cor.5. imperij. Vnde Chriſtus ſedes Apoſtolis promittit. At S. Paulus *tribunal* Chriſto ſoli attribuit. tenet verò Epiſcopus in Eccleſia locum
*Vide noſt. Monog. p. 140. Chriſti (vt Martyr aiebat Ignatius, * Nicenique primi Concilij ſcribunt Patres:) Preſbyteri verò locum Apoſtolorum, immò &, vt PP. aiunt, Seraphinorum. Sed addit Ameſius ex quadam verſione Laodiceni Concilij preſbyteros etiam olim tribunalia habuiſſe, iiſdémque inſediſſe, nec id inficiamur. Nam aliqua ſunt preſbytero & Epiſcopo communia ratione ordinis, vt ſacrificium ad altare offerre. Alia etiam communia ratione iuriſdictionis, vt regere, iudicare; & huius quidem non tam propriæ, quàm commiſſæ & ab
Homil. 11. Epiſcopo deriuatæ. Quo ſenſu S. Chryſoſtomus in Comment. ad cap. 3. 1. ad Timoth. dicit, *& curam Eccleſiæ presbyteris permiſſam eſſe.* Vbi non intelligit pari iure, quo Epiſcopis. Palam eſt enim curam Eccleſiæ deſignatæ, ab Epiſcopo preſbytero ſpeciali committi: iſtúmque hanc regere, quaſi proprium paſtorem, ſed non pari poteſtate, qua Epiſcopus, qui paſtor eſt primitiuus, & diœceſanorum omnium proprius. Certè publicos peccatores excommunicare, eoſdémque pœnitentes reconciliare & abſoluere, ab initio Epiſcopi ſolius munus fuit. At hoc demum ab Epiſcopo etiam preſbytero (qui claues ordinis habet) ſuffraganea poteſtate indultum. Caluinus perperam hinc cauillatur ex veterum ſententia,

ipſam ligandi & abſoluendi poteſtatem, quam ordinis dicimus ſoli Epiſcopo (ex veteris Eccleſiæ ſententia) competere, nullatenúſque presbyterorum ordini eſſe communem. Patet: eſt enim ex ſcripturis (cui Patres ſanè concordant) vniuerſo ordini ſacerdotali datas eſſe claues; quas omnes presbyteri ſuſcipiunt in ordinatione. At etiam pariter liquidum eſt eos omnes, qui ſuſcipiunt, non poſſe exercere, niſi ab Epiſcopo accipiant iuriſdictionem. Vnde rectè, etſi mala mente, infert (ipſe Caluinus) vnum illum presbyterum qui apud Græcos & Latinos pœnitentes (ſcilicet publicos) reconciliabat, fuiſſe ab Epiſcopo delectum. *Non omnium* (inquit) *ſacerdotum communis erat functio, ſed ſingularis vnius partis, qui ad id delectus ab Epiſcopo fuerat: is eſt quem hodie quoque in ſingulis Cathedralibus Eccleſiis, Pœnitentiarium vocant, grauiorum criminum, & quorum cenſura ad exemplum pertinet cognitor. l.3. Inſtit. cap.3.* §.7. Hanc autem conſuetudinem dum iam ante annum circiter 395. quo ſedebat Conſtantinopoli Epiſcopus Nectarius, fuiſſe in Oriente antiquam, & Romæ (vbi prædicauit Paulus, Eccleſiámque fundauit Petrus) maximè vetuſtam, Caluinus fatetur; tempúſque minimè indigitat, quo primùm orta, nec Epiſcopos locales, à quibus fuerit ſpecialiter inſtituta: facilè ex regula ſancti Auguſtini ſuperiùs indicta licet elicere, non ab alia, quàm Apoſtolica origine, Pœnitentiarios manaſſe.

Matth. 18. Ioan. 20.

Pœnitentiarij origo.

De officialibus.

Hoc autem ſemel obtenta de inſtitutione pœnitentiarij ſacerdotis, qui in foro externo atrociores peccatores caſtigaret, ab Epiſcopo in id muneris delectus: peruium fuerit & Iuridici ſacri officium (vbi Epiſcopi ſunt conſtituti,) ad eandem referre primæuam ſcaturiginem. Statuta enim radicali Epiſcopi in externo quoque foro poteſtate, atque ſacro imperio vtroque tam fidelium conſcientiæ expiandæ, quàm vindicandæ diſciplinæ Chriſtianæ: dico tam litibus fidelium diſcutiendis, vindicandíſque Chriſtianæ pietatis legibus, quàm publicis peccatoribus reconciliandis per ſolennem pœnitentiam, presbyteros iam ab ortu Euangelicæ fidei, ab Eccleſiarum præſidibus delectos eſſe. Suadet Apoſtoli ad Corinth. reſcriptio, quâ iis ob neglectam diſciplinam, & frequentes ad ſæcularia iudicia eorum inter ſe litigantium concurſus, inſultando, pia ac aculeata expoſtulatione conſulit, vt iudices ex Eccleſia deligant quoſuis ad diſſidia dirimenda. Et Epiſcopi quidem primùm eo munere functi, vt patet ex actis Gregor. Taumaturgi à Greg. Nyſſeno deſcriptis; & ex lib. 2. officiorum S. Ambroſij c.29. & ex Syneſio Epiſcopo Ptolemaidis, epiſt. 57. & 58. At cùm experimento didiciſſent ſe oneris grauitate obrui: nam præter vigilem ſuper clerum & populum ſpeculationem, frequentem diuini verbi prædicationem, ſacrorum munerum intra Eccleſiam celebrationem, curis exterioribus grauiſſimis angebantur.

bantur. Enimuerò implicabantur ſummis & moleſtiſſimis occupationibus, v. c. tam verbo quàm ſcripto reuincendis hæreticis, firmandis Orthodoxis, ſolandis afflictis, tuendis ac erigendis oppreſſis. Vnde ſanctus Chryſoſtomus homil.3. in Acta, animum Epiſcopi rectè aſſimilabat naui fluctibus vndique iactatæ, omnium enim onera geſtare debet. Quibus perpetuis agitationibus, iudiciorum accedens conflictatio, ſarcinæ pondus longè moleſtiſſimum ſuperaddebat. Refert Poſſidonius S. Auguſtinum vſque ad horam paſtus quandoque vacâſſe fidelium litibus. Ipſemet verò Auguſtinus, huius oneris pertæſus Deum teſtem inuocans, aſſeuerat lib. *de oper. Monachorum* cap. *26.* ſe malle per ſingulos dies, certis horis aliquid manibus operari, & cetetas horas ad legendum & orandum habere liberas, quàm tumultuoſiſſimas perplexitates cauſarum pati, de diſſidiis vel iudicando dirimendis, vel interueniendo præſcindendis. Igitur Antiſtites iudiciorum molem in humeros presbyterorum (ſicut naſcente ferè adhuc Eccleſia, Clemens Iacobum fratrem Domini Hieroſol. Epiſcopum admonuerat epiſt. 1.) deuoluerunt, quos à Deo oneris ſubleuatores ſunt adepti. Cùm autem multitudo potiùs diſſidia augere, quàm ſedare ſoleat, non quidem vniuerſo presbyterorum collegio Eccleſiaſticorum iudiciorum (quæ grauius examen, vt ſynodicum vel pontificale non exigerent) auctoritatem commiſerunt, ſed vt Apoſtolus

In vita S. Auguſt.

ſuggeſſerat, vnum præ ceteris, huic officio idoneum, *ſapientem ad iudicandum inter fratrem & fratrem* ſelegerunt, cui iuridicam tribuêre poteſtatem. Hinc audiri cœpit, *Audientiæ Epiſcopalis*, cui præfectus ille ſacer præſidebat, vocabulum inde cùm in ciuili iure ſatis frequens, tum apud poſteriores ætates, tam vſitatum, quàm in auctorum ſacrorum libris peruium, vt videre eſt quoad Gallos apud Gregor. Turon. l. 10. c. 19. Fulbertum epiſt. 65. & Flodoardum lib. 2. c. 2. Inde etiam magiſtratus huius Eccleſiaſtici nouum nomē inoleuit. OFFICIALIS enim peculiari titulo appellatus eſt. Cuius officij & nominis in eo ſignificatu meminit ex Francis Scriptoribus Petrus Bleſenſis epiſt. 25. paſsímque in iure Canonico memoratur, eiúſque munus & poteſtas deſcribitur. Quæ non alia eſt quàm Epiſcopi, cuius vices gerit. Ideóque in ipſo iure ſententia officialis, ipſius Epiſcopi eſſe cenſetur. Vnde per appellationem Epiſcopus ipſemet adiri non poteſt. *Gloſſ. officiali in cap. 2. de conſuet. in 6.* Quia idem Epiſcopi ac officialis conſiſtorium, idem auditorium, idem tribunal eſt, *cap. Romana. de appellationibus lib. 6.* Qua de re fusè diſſeruimus in libro noſtro de Epiſcopali Monogamia & vnitate Eccleſiaſtica parte 2. cauſa 10. & vltima à pag. 323. ad 325. & ſeqq. Vbi etiam demonſtrauimus ſub veteri Pontifice Leuitico fuiſſe perſimilem Iuridicum legalem ac cæremonialem, quem in foro exteriori fuiſſe *Vicarium Pontificis* docet Abulenſis ad cap.

17. Deuteronomij, vocitatum. Habebat autem eiuſmodi officialis Moſaïcus collegas qui minores cauſas dirimebant, nempe ſcribas: quorum hoc fuiſſe ſecundum munus oſtendit Toletus ad cap. 18. Ioan. annot. 1. titulo *de ſcribis* ex lib. 1. Paralip. c. 23. & 26. adeoque ex cap. 8. Ioannis. Ceterùm etiam ſub nouo fœdere Chriſtus promiſit *ſcribas ſe miſſurum*, Matth. 23. *in lege doctiſſimos* ſubnectit Hieronymus.* Horúmque munus pertinere ait, *ad dona diſcipulorum Chriſti*. Tales ad iudicandum inter fratrem & fratrem conſtitui, Apoſtolum optâſſe non eſt dubium: vult enim vt quiſpiam *ſapiens* præ ceteris ad hoc officium deligatur. Qualis erat Zenas legiſperitus Apoſtolo charus, & Chriſto fidelis, qui Corinthi cùm degeret, ob diſſentiones illic ortas de præconum Euangelij propria excellentia, hinc pacis & tranquilitatis cupidus, cùm Apollo ad centurbiam inſulam Cretam, ad Titum Epiſcopum transfretaſſet, ſopitis deinde per epiſtolas Pauli diſſidiis eiuſmodi, Corinthum rediit. Cuius memor Apoſtolus Româ ſcribens ad Timotheú, more ſuo illum ſalutare iuſſit, c. 3. Sed ſatis ſupérq. de officialium Eccleſiaſticorú origine & munere. Ex dictis enim patet horum officium non recèns inuectum, nec hominum eſſe inuentum, minus certè ad *caudam Antichriſti*, vt probroſè reiecit Ameſius, referendum. At verò Apoſtolica ex iuſſione, Pauli vtique præcepto ſeu conſilio, ortum ſub Euangelio duxiſſe, vſúque primitiuæ

*In hunc locum.

Eccleſiæ receptos, (cùm iam ſub Moſaïca Synagoga eiuſmodi ſacer magiſtratus cœpiſſet, diuino ex inſtituto) ad hæc vſque tempora feliciter prorogatos perſtitiſſent in officio, ad Eccleſiarum (vt experientia ipſa docuit) vtilitatem, & non ſicut Ameſius calumniatur, *oppreſſionem*.

De Archidiaconis & Protodiaconis.

QVICQVID Eccleſiaſtico confert ordini & decori, ſegregibus diſplicet eo ipſo. Ex quibus Ameſius ſimili œſtro percitus, Archidiaconos etiam acerbè perſequitur: quos quoque reiicit *ad caudam Antichriſti*. Paucis hac de re verbis agemus. Cùm de Archidiaconis luculenter ſcripſerimus in noſtra Septuaginta duorum Domini Diſcipulorum Synopſi, numero 2. qui eſt de Stephano protomartyre: ampliúſque in tractatu ſpeciali de diuerſis tranſlationibus lipſanorum eius in Occidentem: maximè vbi de veſte eius ſacra diſſerimus, Veſuntionem à Placida Auguſta pio munere tranſmiſſa. Hic igitur ad breuem exercitationem, manus cum Ameſio alacriter conſeremus. Verum eſt quod ait S. Ambroſius. Perſpicuum eſſe in diuinis libris vtriuſque fœderis; *omnem legis veteris ſeriem, fuiſſe typum futuræ*, l.2. in Luc. cap. 2. Quòd ſi ex ore Ambroſij id Ameſius non admittat: Apoſtoli idem dicentis ſaltem non poteſt oraculum reſpuere. *Vmbram habebat Lex futurorum bonorum*, Hebr. 10. 1.

Sed verò in veteri lege erant *Leuitarum Principes.* Non dico Leuitarum, quatenus ortum omnes ex tribu Leui ducebant: (hac enim acceptione cenſendi venirent etiam Sacerdotes, dicendíque eſſent Leuitæ, eo quòd illa ex tribu orti erant,) ſed Leuitarum dico, qui Leuitarum officia propria, ſignato functionis genere, commiſſo proprio munere, ſpeciali titulo, exequebantur. Patet id ex eo quòd ſelectis Sacerdotibus ex tribu Leui, in ſecundum ordinem Miniſtrorum fœderis, reliqua tribus (longè maior numero) reducta eſt, atque ob multitudinem in tres claſſes diſtincta Leuitarum. Quarum prima dicta fuit Gerſonitarum: ſecunda Cahatitarum: tertia Meraritarum, ſcilicet ſingulæ à propriæ propaginis parente. Cùm enim Leui tres filios habuiſſet; Gerſon, Cahat, & Merari, ab his illa tribus propagata, & quaſi in tres diuiſa ramos, auctoris cuiuſque ſui, à quo pullulaſſet, nomen aſſumpſit. His ſingulis claſſibus aſſignati quoque proprij Principes, in ſecunda recenſione quam fecit Dauid 1.Paralip.23. & Salomon eius filius perfecit 2. Paralip.8. & tertia facta à Nehemia 1.Eſdr.8. vbi legimus quòd ſicut erant Principes Sacerdotum, ita Principes erant Leuitarum, vnus ſcilicet in claſſe vnaquaque, quorũ miniſteria deſcripta ſunt tam citatis locis (vbi nonnihil à Dauide, Salomone, & Nehemia immutata memorantur) quam Numer.3. & Leuit. 4. hoc ordine tamen ſeruato iugiter, *vt Leuitæ & eorum Principes, eſſent ſub manu*

filiorum Aaron (hoc eſt Pontificis & Sacerdotum) *in cultum domus Domini, & in vniuerſis operibus miniſterij templi eius.* Sic decreuit Dauid; & Salomon filius eius, *vt miniſtrarent coram Sacerdotibus iuxta ritum vnuſcuiuſque diei, & in cuſtodiis theſaurorum,* &c. Porrò *tranſlato Sacerdotio,* cùm *neceſſe eſſet* (ait
Heb. 7. 12. Apoſtolus) *vt & legis tranſlatio fieret:* oportebat etenim (ſicut Leo Magnus tam verè quàm diſertè ſcribit, ſerm. 8. de Paſſione Domini) *quando propter impiam Chriſti necem Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus receſſerunt, vt figura in veritatem, prophetia in manifeſtationem, & Lex in Euangelium verteretur. Quódque in vno Iudææ templo obumbratis ſignificationibus tegebatur; pleno apertóque Sacramento, vniuerſarum vbique nationum deuotio celebraret. Tunc enim quia carnalium ſacrificiorum varietate ceſſante, omnes differentias hoſtiarum vna corporis & ſanguinis Chriſti impleuit oblatio; qui in ſe vniuerſa perficit myſteria, & ſicut vnum eſt pro omni victima ſacrificium, ita vnum de omni gente fecit Regnum. Tunc enim profectò factus eſt clarior ordo Leuitarum, & dignitas amplior ſeniorum, & ſacratior vnctio Sacerdotum.* De presbyteris & Epiſcopis ſermo hîc non incidit, ſed de Diaconis & Leuitis, quos à Chriſto Sacramentorum omnium auctore, Sacerdotúmque omnium Principe, etiam inſtitutos ad inſtar Leuitarum veteris fœderis, quamuis ſpectabiliori longè miniſterio: Dionyſius Pauli diſcipulus atque interpres, primíque poſt hunc Chriſtianæ pietatis & ſapien-

tiæ didaſcali, paſſim docent & teſtantur. Præclarè autem ex Apòſtolorum Actis, Arator S. R. E. hypodiaconus de Euangelicis iis Leuitis cecinit, ſeptenario numero, Hieroſolymis ab Apoſtolis, conſtitutis & ordinatis.

Iura miniſterij ſacris altaribus apti
In ſeptem ſtatuêre viris, quos vndique lectos
Leuitas vocitare placet, quàm ſplendida cœpit
Eccleſiæ fulgêre manus, quæ pocula vitæ
Miſceat, & latices cum ſanguine porrigat agni.

Nec enim verum eſt quod nonnullis viſum (ait Guilelm. Pariſ. Epiſcopus, lib. 3. Summæ Theologicæ, *ab initio Diaconale fuiſſe officium* (præcipuum) *pauperum miniſtrare menſis. Manifeſtum eſt enim ex ipſa conſuetudine euidentiſſima Eccleſiæ, diaconale officium totum circa Miſſarum ſolennia conſiſtere.* Vbi *totum* pro *principale* ſumit. Nam *cæteroqui, alia* Diaconis credita fuiſſe munera, tam ex officio quàm ex diſpenſatione ſatis ex diuinis liquet Scripturis & teſtimoniis veterum. Ex officio habuerunt Diaconi panem & calicem ſacrandum in altari præparare, Euangelium in liturgico officio recitare, oblationes colligere, Epiſcopum prædicantem cuſtodire, cauſas ad Pontificem viduarum & pupillorum deferre, ab ipſo accepta reſponſa reddere, inſpicere quomodo Clerus & populus ſe gereret, & Epiſcopo perperam agentes denuntiare, inſuper diſponere in templo quo quiſque loco ſtaret vel ſederet, ſilentium imperare, mutuam pacem atque ſynce-

Nota. Officia antiqua Diaconorum.

rum animum aſſiſtentibus precari, cum Pontifice vel Sacerdote orare, indignè accedentes ad ſacram menſam arcere: potiſſimum verò diuidere eleemoſynas in pauperes, eorumdémque curam & tutelam agere, carceres obire vbi Martyres tenebantur, eóſque re & conſilio iuuare & cohortari. At verò quæ ex diſpenſatione iiſdem commiſſa erant vel nomine Epiſcopi, vel vicepresbyteri ſacra miniſteria, hæc leguntur. Baptizare, prædicare, pœnitentes reconciliare, Euchariſtiam miniſtrare, poculum benedictum etiam præſente Epiſcopo vel presbytero, (ſed de eorum licentia) porrigere; acta Martyrum recognoſcere à Notariis ſcripta, & ad Pontificem referre, probatáque ab ipſo diuulgare, *&c.* Propter tot officia in Eccleſia ab initio Diaconorum magna auctoritas fuit. Quos facultatum Eccleſiæ diſpenſatio, vt ſpectabiles populo reddidit, ita & paucitas admodum honorabiles fecit. Nam à principio ſicut ſeptem Hieroſolymis fuerunt ab Apoſtolis ordinati: ita deinde mos diu in Eccleſia quacumque cathedratica viguit, vt ſeptem duntaxat eſſent. At aucto deinde in terris Chriſti imperio, quoniam ſtatuerat S.Clemens conſt. lib. 12. cap. 19. ordinandos eſſe ad *proportionem multitudinis*; tametſi quam ſeptem eſſent plures ad miniſterium ordinati, nam vicanis etiam preſbyteris tributus fuit iam tempore S.Cypriani proprius Diaconus: & S. Athanaſius in Apolog. 2. Diaconorum ruralium meminit.

nit. Nihilominus decretum eſt, vt ſeptem principales eſſent, qui ſeptem illos primos referentes, propiùs Epiſcopo aſſiſterent. Id teſtantur Patres Concilij Aquiſgranenſis, vbi ſic ſtatuendo referunt: *Apoſtoli vel Apoſtolorum ſucceſſores per omnes Eccleſias decreuerunt, ſeptem Diaconos ordinandos, qui ſublimiori gradu ceteris proximè circa aram Domini quaſi columnæ aſſiſterent.* Perſeuerauit autem diu in Romana Eccleſia (vt teſtatur Sozomenus lib. 7. cap. 19.) ritus ille, *vt non niſi ſeptem Diaconi * ordinarentur.* Cúmque Roma ipſa (vt teſtis eſt Tacitus) in regiones 14. diuideretur. Fabianus Papa & Martyr (quem columbæ cælitus delapſæ indicio, electum Chriſtianæ Religionis Antiſtitem Euſebius refert) regiones illas quatuordecim in ſeptem contraxit, ſeptémque Diaconis, qui dicebantur *Regionarij*, attribuit. Silueſter autem I. in Romana Synodo ſecunda edixit iterum, vt Diaconi illi qui ob prærogatiuam honoris ſingularem *Cardinales* vocitari cœperant, eſſent duntaxat, penes vrbicum Epiſcopum, ſeu Antiſtitem Apoſtolicæ ſedis, *numero ſeptem.* Titulorum autem (ſeu vt vox recentior tulit parœciarum vrbicarum) *ſaltem duo cenſerentur.* Quorum ſignati numeri mentio expreſſa eſt, in anteriori, quod primum fuit, Concilio Romano. Immò qui diu ante Silueſtrum, immò & Fabianum, ſedit in ſede Apoſtolica Euariſtus, Anacleti ſucceſſor, in antiquis Eccleſiæ Romanæ monimentis legitur, *ſeptem Diaconos ordinaſſe*; cùm *titulos* preſbyteris

* Id eſt, *in-ordinarentur.*

Lib. 6. c. 22.

iam ipſe diuiſiſſet, vt horum vnuſquiſque in terminatione propria plebi ſuæ præeſſet, ſubſidiáque ſalutis quæ ſacerdotalis ſunt officij imperti-retur. Mira ſunt quæ de ſeptenario Diaconorum Epiſcopo aſſiſtentium numero prædicat ex ſacris Scripturis S. Hieronymus relatus probatúſque, can. *Diaconi.* diſt. 89. n. 13. *Vbi eos ſeptem candelabris aureis, ſeptem tubis ſeu tonitruorum vocibus, quin & ſeptem Angelis Eccleſiarum aſſimilat: pingítque (nam non fingit) operatione præclaros, humilitate præcellentes, quietos, pacem euangelizantes, annunciantes bona; diſſenſiones, rixas & ſcandala reſerantes, ſoli Deo in templo colloquentes, nihil de mundo penitus cogitantes,* &c. Sed hæc nihil ſuperant dotes, quas excellentiſſimas in Diaconis paſſim Apoſtolus flagitabat: certè non ob miniſterium menſarum & pauperum curam (ob quam ſolam ordinatos ab Apoſtolis, imperitè nimis contendit Ameſius) vt quid enim, ſi ita eſſet, Apoſtoli cùm conſecrârunt primos ſeptem, oratione, electione, manuum impoſitione, vſi ſunt? ſeptenario in numero (qui refert ſeptem Spiritus ſancti munera) conſtitui voluerunt? Ante electionem à fidelibus Græcis & Latinis attentè inueſtigari ac ſeligi, plenos non modò ſapientia, ſed & ipſo Spiritu ſancto, taléſque ſolùm eligi, & ſibi ad ordinandum exhiberi iuſſerunt? Cur Paulus Apoſtolus poſtquam Epiſcopi effigiem (in cuius forma preſbyter continetur) depinxiſſet, *ſimiliter* (hac enim voce vtitur) Diaconos præcipit delineatos

1. Timoth. 3. 8. 9.

conſtitui? Nempe, non tantùm vt diſpenſando facultates Eccleſiæ haud *ſectentur turpe lucrum*, ſed *vt portent* (inquit) *myſterium fidei* (calicem ſcilicet Domini) *in conſcientia pura:* ſícque ante omnia *probati, miniſtrent* non menſis vtique modò pauperum, ſed *menſæ Domini*, hoc eſt *altari, de quo* (vt idem ſcribit ad Hebræos cap. vltimo) *manducare non habent poteſtatem* (Sacerdotes vel Leuitæ) *qui tabernaculo deſeruiunt*. Quapropter in ordine ſacro, proximè poſt paſtores Chriſtiani gregis illos (dum ſcribit ad Philippenſes cap. 1.) ſalutabat. Lucáſque eius diſcipulus in Apoſtolicis Actis, illos non tam humana curantes, quàm obeuntes diuina, prædicantes vtique, baptizantes, miniſtrantes Apoſtolis repræſentat. Eat nunc Ameſius, erubeſcátque dum conatur inuerecundè aſſerere illos primos Diaconos, ipſúmque Stephanum, ac Philippum nihil aliud quàm curam pauperum ac viduarum ſuſcepiſſe, nihil obiiſſe, quod non cuilibet fideli, laico nimirum gregali, benè competeret. Qui eadem audacia non veretur inficiari, neque ex ſcriptura, neque ex antiquiſſimis Eccleſiaſticorum Scriptorum monimentis, probari poſſe quòd ſacrificanti (Epiſcopo aut Preſbytero) Diaconi aſtiterint atque miniſtrarint. Quàm enim perdita fronte hoc ingeſſerit delirium, patet ex teſtimonio Apoſtoli ſuperiùs adducto ac elucidato, atque adeo ex aſtipulatione Ignatij Apoſtolorum aſſeclæ, qui in epiſtola ad Traillanos comme-

Act. 6. 8. 9.

morat, *Stephanum miniſtraſſe Iacobo, Timotheum & Linum Paulo, Anacletum & Clementem Petro.* Diaconorúmque officium eſſe maximum, aræ inſiſtere, ſacrificanti miniſtrare, populũ paſcenti cæleſti alimonia Paſtori ſuffragari, ac cooperari in ſacratiſſimis Euchariſtiæ muneribus communicãdis diuino Myſtæ;*[a] Clemens[b], Dionyſius,[c] Polycarpus, Apoſtolici planè viri (& ſi hos non recipit Ameſius) certè [1] Iuſtinus,[2] Cyprianus,[3] Ambroſius,[4] Chryſoſtomus,[5] Carthaginenſes Patres,[6] Hieronymus atque[7] Auguſtinus, ne inferioris notæ aduocemus teſtes, contra tam effrenem inuerecundiam, conſonis prorſus ſuffragiorum calculis obteſtantur. Adeoque inſuper antiquum fuit ius Diaconorum accedendi ad altare, vt ſacrificanti miniſtrarent: quòd altare ipſum, ad quod poſt Epiſcopum & Sacerdotem Diaconis ſolis accedere fas erat, *diaconium* appellaretur*, vt in Agathenſi Galliæ Concilio videre eſt, nominatim can. *66.* quin & hoc longè antiquiori, vtpote quod ipſum Nicænum protoœcumenicum antecesſit, Laodiceno, can. 21. prorſus eſt exploratum. Verùm de protodiaconis, ſeu primis Leuitis Euangelicis ſatis ſupérque. Iam ad Archidiaconos, quorum obtutu hoc in diuerticulum digreſſi ſumus propalandæ eorum originis cauſâ, atque vindicandæ dignitatis neceſſitate, operæpretium eſt, vt auſpicato redeamus.

Superiùs ex Scripturis declarauimus Leuitas Moſaïcos, qui Euangelicorum typi fuerunt, per-

* a Conſt. l. 2 c. 14.
b de Eccleſ. hierar
c In epiſt. ad Philipp. cuius S. Hierony. in Catalogo memi nit.
1 Apol. 2. extre.
2 Serm. de lapſ.
3 l. 1. de off. c. 41.
4 Hom. 61. ad pop. & 17. in c. 3. epiſt. ad Epheſ.
5 Concil. Carthag. IV. c. 4.
6 epiſt. 1. & 48.
7 tract. 36 in Ioan.
* Refertur etiam diſt. 93 can. *Nõ oportet.*

ſimiliáque (quamquam vmbratili) exercitatione, munera obierunt, Principes in vnaquaque claſſe ſpeciales habuiſſe. Iam igitur oſtendere opus eſt, inter Chriſtinos Leuitas, ſeu Diaconos, principem etiam ſignatum præcellentiori nomine & officio ac dignitate, extitiſſe, húncque à veteribus *Protodiaconum*, vel *Archidiaconum*, etiámque ob conformitatem vtriuſque fœderis, *Archileuitam* vocitatum. Hic enim erat ceterorum coryphæus, atque apex, rectórque ordinis Diaconorum, ait S. Hieronymus in epiſt. ad Ruſticum, vbi Tom. 1. ep. 2. ſingulos Archidiaconos in ſingulis Eccleſiis fuiſſe tradit. Archidiaconum autem à ceteris ſponte eligi ſolitum, idem ad Euagrium ſcribit. At alij cenſent ab Clero & populo electum de more fuiſſe, ſubindéque ab Epiſcopo præpoſitum. Alij, ex Concilio Agathenſi c. 23. à ſolo Epiſcopo electum & inſtitutum. Quicquid ſit, Archidiaconum primum conſtitutum ab Apoſtolis fuiſſe Hieroſolymis S. Stephanum protomartyré, & ideo primum inter ſeptem illos protoleuitas Euangelicos fuiſſe in ſerie à B. Luca nominatú, paſſim notant ſacri Interpretes. Sanè Damaſcenus lib. 4. de fide c. 16. hac ratione Stephanú Chriſti appellat πρωτοδιάκονον. Maximus Taurinenſis *ſerm. de S. Stephano*, & Lucianus preſbyter *in Epiſtola de inuentione corp. eius*, Archidiaconú vocant & Primicerium Diſcipulorum. Porrò Græci in Menologio *Archidiaconi* etiam titulo & *Apoſtoli* honore, beatiſſimum ipſum Chriſti teſtem prima-

rium celebrant: atque S. Auguſtinus ſerm. 94. de diuerſis ideo nominat eundem, *inter Diaconos primum, ſicut Petrum inter Apoſtolos.* Sed verò quòd Hieroſolymæ fuit Stephanus, hoc & Romæ fuit Laurentius. Vnde Leo Magnus in ſerm. de eius Natali: *Leuiticorum* (inquit) *luminum coruſcante fulgore quàm clarificata eſt Hieroſolyma Stephano, tam illuſtris fuit Roma Laurentio*, cuius hymnum paſ-

Prud. lib. περὶ στεφάνων hymno 2.

ſionis Prudentius (quem cecinit in coronis) *Laurentio Archileuitæ*, inſcripſit, cuius tituli ex gradu & munere impoſiti, rationem paucis voculis, at perſpicuis ſic expreſſit.

Hic vnus è ſeptem viris,
Qui ſtant ad aram proximi:
Leuita ſublimis gradu,
Et ceteris præſtantior.

Quæ dicendi ſeries vt intelligi queat, iuuat recolere quæ ſuprà de Diaconis commemorauimus. Ex Apoſtolorum inſtituto ſeptem in quibuſque Eccleſiis Epiſcopalibus Diaconos ordinatos extitiſſe, qui mos Romæ maximè diúque viguit. At inter eos vnus erat præcipuus, qui *Cardinalis* ſenſim dictus eſt. Cuius rei veſtigium paret in actis Romanæ Synodi ſub Silueſtro. Hic autem Diaconorum anteſignanus paſſim dicebatur, *Circumluſtrator & Perſcrutator*, quòd ceterorum ſpeculatio omníſque inſpectio Cleri, ac populi obſeruatio, ad ipſum, ex commiſſo ab Antiſtite munere, pertineret. Diu poſtea Diaconorum in Romana matrice Eccleſia auctus eſt

numerus, & ex ſeptem, quatuordecim primùm, deinde octodecim facti: qui omnes *Diaconi Cardinales* vocati ſunt, *& diaconiarum Xenodochiorúmq. miniſtri.* Ex quibus octodecim, dicti ſunt quatuordecim, *Regionarij*, quòd ſingularis quique regionis illarũ partiũ, in quas vrbs ſacro eſſet regimine diſſecta, curam haberent. Ceteri quatuor, *Palatini*, vel *Baſilicarij* dicti, quòd in Palatio & Baſilica Lateranẽſi Papæ, ſacra obeunti, in miniſterio ſacro obſequerentur. *Stationarij* alij aliquando illi dicti ſunt pro tempore, qui Pontifici ad ſtationem aliquam profectò, in diuino officio aſſiſterent, opémque ex iure miniſterij crediti exhiberent. *Teſtimoniales* dicti ſunt, non ſolùm qui ipſimet prædicanti Pontifici aſſiſtebant, *propter ſtylum veritatis*, ſcilicet vt de ſacra eius doctrina ſi opus eſſet teſtificarentur, & ad quorum relationem ac teſtimonium Clerici omnes ipſíque presbyteri ordinabantur, ſicut inſinuat S. Hieronymus, ſcribens ad Euagriũ, vbi notat hinc Diaconos etiã viſos fuiſſe inſoleſcere *, plúſq. nimium ſibi tribuere, adeò vt coram preſbyteris benedicerent, quorum ſic faſtũ retundit: *Qui prouehitur de minori ad maius prouehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur Diaconus, vt presbyter minor Diacono cõprobetur in quem creſcit ex paruo. Aut ſi ex Diacono ordinatur presbyter, nouerit ſe laicis maiorem, ſacerdotibus eſſe minorem.* Sed hoc parergon. Archidiaconus etiam dictus olim fuiſſe *Pater diaconiæ*, legitur in antiquo libello Romani ordinis. Ceterùm eius officium ſic deſcribit Iſi-

* Vide hac de querela canones Conciliorum Galliæ Arelat. I. c. 15 & 18. & II. ibid. c. 15 Agath. c 65. Andeg. c. 2. Vaſ. c. 2.

dorus lib.2.de Eccleſ.off. cap.11. *Archidiaconus* (inquit) *imperat Subdiaconis & Leuitis. Ad quem iſta miniſteria pertinent. Ordinatio veſtiendi altaris à Leuitis. Cura incenſi & ſacrificij deferendi ad altare. Cura Subdiaconorum de ſubinferendis ad altare de ſacrificio neceſſariis. Sollicitudo quis Leuitarum Apoſtolum & Euangelium legat, quis preces dicat, in Dominicis diebus aut ſolennitatum. Sollicitudo quoque parochianorum, & ordinatio & iurgia, ad eius pertinent curam. Pro reparandis baſilicis, ipſe ſuggerit ſacerdoti, ipſe inquirit parochias cum iuſſione Epiſcopi; & ornamenta vel res baſilicarum parochitarum. Geſta libertatum Eccleſiaſticarum Epiſcopo idem defert. Collectam pecuniam de communione ipſe accipit, & Epiſcopo ipſe defert, & Clericis partes proprias ipſe diſtribuit. Ab Archidiacono nunciatur Epiſcopo exceſſus Diaconorum. Ipſe denunciat ſacerdoti in ſacrario ieiuniorum dies, atque ſolennitatum ab ipſo publicè in Eccleſia prædicantur. Quando autem Archidiaconus abſens eſt, vicem eius ſequens Diaconus adimplet.* Sed de *Archidiaconi officio*, titulus plenus extat extra. lib. 1. ex Gregorij, Alexandri, Innocentij, Honorij tertiorum conflatus decretis, éxque iuris ſacri regulis. Azorius part. 2. inſtit. Moralium lib.3. cap.14. accuratiùs nonnulla de officio ipſius Archidiaconi collegit. At nos in Martyrologio noſtro Galliæ, ex Sanctorum actis, præterea, aliqua indicauimus credita in Eccleſiis Gallicanis iampridem Archidiacono munera; ſcilicet quòd eſſet omnium Clericorum Pædagogus, eóſque tam in doctri-

doctrina quàm in moribus dirigebat, támque infrà domum quàm extra in diſciplina continebat, ſcholæ ſpeculator & menſæ præſes, ac omnis conuerſationis ſacræ militiæ anteſignanus. *In elogio S. Patrocli 19. Nouemb.* Item Archidiaconi officium erat, ex decreto presbyterij electum Epiſcopum adire, & adducere ordinandum. *In præconio S. Eucherij iunioris die 17. eiuſdem menſis.* Item Paſchæ venturam ſolennitatem publicè quo die & menſe contingeret quolibet anno prænunciare, *in vigilia Epiphaniæ*, maiori in Eccleſia. Item, viduis & pupillis ſingulari cura opitulari, pauperibus ſtipem erogare, Eccleſiæ prouidè impendere ſibi creditas facultates, propriáſque etiam ſi haberet, & Eccleſiaſticæ, oneri impares eſſent, piè in opera miſericordiæ diffundere, inopes ſubleuare, afflictóſque quoſuis ſolatiis proſequi. *In encomio S. Sigeranni 4. Decembris.* Strenuè Epiſcopo ſuo in omnibus ſollicitudinis officiis collaborare: eidémque circa curam diœceſeos perpetuis vigilantiæ ſtudiis, vicariâ operâ ſuffragari. Eſt enim ipſo iure *Vicarius Epiſcopi*, cap. 1. *de offic. Archidiaconi, & ibi gloſ.* vnde iuriſdictionem eo ipſo habet, lib. 2. *de Offic. Vicarij* cap. penult. Quam etiam in presbyteros ordine maiores exercet *, non quidem iure ſuo, ſed vice Epiſcopi. *Ibidem.* Cuius quia quaſi eſt apparitor, & magis aptus & peruius adminiſter (quia minùs quàm presbyter eſt ex officio occupatus) dicitur idcirco *oculus & baculus.* cap. ad hæc, *de off. Archidiac.* Sed

Vide indicem rerũ, &c. voce, *Archidiaconus*, ad calcem fere tom. 2.

Martyrol. Gall.

* Scilicet in minoribus cauſis. nã in grauioribus, vulgaris eſt DD regula; *nihil licet agere in Presbyterum, niſi auctore Epiſcopo.*

Fulbertus epiſt.34. dicit non tantùm eſſe *Epiſcopi*
oculum, ſed *diſpenſatorem pauperum*, *&* *inſipientium*
catechizatorem. In Gallia enim non receptum olim
vt ſolenniter prædicaret, vnde Concilium Vaſen-
ſe II. huic & ceteris Diaconis tantùm permiſit,
cùm ſacerdos parœciæ per infirmitatem prædicare non
poſſet, Sanctorum Patrum homilias tantum populo re-
citare; nam docere illis non licebat è cathedra,
vt notat Petrus Bleſenſis, epiſt. 123. & 141. immò
ante hunc S. Anſelmus in c. 4.1. epiſt. ad Epheſ.
Quod ex diſciplina B. Pauli prodiiſſe mihi non
temere ſuſpicandum videor, cuius diſcipulus &
interpres Dionyſius innuit iam naſcente Eccle-
ſia, Miniſtrorum primum (hoc eſt Archileui-
tam, ſeu Archidiaconum) *Catechumenis præfuiſſe.*
Eundémque conſuetum obiter viuos fideles hor-
tari in exequiis defunctorum. Obtuliſſe etiam
preces aliquando in Eccleſia S.Chryſoſtomus do-
cet hom.14. in epiſt. ad Rom. ex quo habes vnde
intelligas can. 15. 1. Conc. Arelatenſis vetantis, *ne*
deinceps offerant Diaconi. Quod cùm de ſacrificio
Euchariſtiæ non debeat accipi, neque poſſit: de
orationum tantum litatione publica, vel præ-
ſentatione oblationum quas ſuſcipiebat diaco-
nus ad altare, reſtat vtrique intelligendum. Quòd
ſi de Euchariſtia quis pertinaciùs accipiendum
verbum, *offerre*, contenderit, non grauatè conceſ-
ſerim, modò oblatio iſta non ſumatur pro ipſa
ſacrificandi actione (id eſt, non pro conſecra-
tione ipſa, & diuinæ hoſtiæ myſtica immolatio-

Can. 15. Conc II Arel. excuſſus.

ne & litatione, quæ ad Deum dirigitur) ſed pro ſola & ſimplici diſtributione Euchariſtiæ, quæ populo porrigitur & communicatur: quæ diſtributio, cùm per diſpenſationem Diaconis cōceſſa fuiſſet, in presbyterorum abſentia; eò tádem proſilierunt Diaconi, vt præſentib. presbyteris populo miniſtrare præſumerent, immò & ipſis presbyteris ſacrum porrigere non vererentur. Vnde Diaconi caſtigati & in ordinem redacti ſunt plenario Eccleſiæ iudicio, in protoœcumenica Synodo Nicæna edito, quod recitat in eius Concilij canonibus ordine 20. Ruffinus hiſtor. lib. 10. c. 6. & refertur in ſacro iure *can. peruenit d. 93.* Sed hæc Archidiaconis & Diaconis erant communia. Aliud itidem fuit tam his quàm illis commune miniſterium, Sanctorum reliquias diebus ſolennibus ante Epiſcopum deferre, vt legitur in Concilio Bracarenſi III. c. 5. ſtatutum. Cùm enim nonnulli Epiſcopi in Martyrum ſolennitatibus ad Eccleſiam progreſſuri, lipſanis Sanctorum collo appenſis, à Diaconis albas indutis, in ſellula vectarentur: decreuit illa Synodus *ne Diaconi Epiſcopos, ſed reliquias ipſas geſtarent**. Iure quidem. nam Leuitis antiquis non ferendi Pontificis, ſed arcam Domini portandi munus impoſitum erat, 1. Paral. 15. At peculiare fuit omnino munus Archidiacono, facultates non modò Eccleſiæ diſpenſare ex iuſſione Epiſcopi, poſſeſſionibúſque Eccleſiaſticis proſpicere: ſed & theſauros Eccleſiæ, puta, vaſa ſacra, vtenſilia, ornamenta, veſtes,

*Hinc mos ortus qui viget paſſim etiamnũ in Gallia, vt in magnis ſupplicationibus Diaconi Sanctorum reliquias, ſacro in apparatu deferant.

libros, recondere ſeruaréque, vti ex actis S. Laurentij liquet, & ſtatuitur ex iure primæuo à Greg. III. in cap. *Ea quæ contra.* Ceterùm etſi mos antiquus non tulerit pluſquam vnum Archidiaconum in ſingulis Epiſcopalibus Eccleſiis: tamen pedetentim aucta meſſe, aggrauatóque onere, vſu receptum fuit, vt ipſum onus in plures qui ferendo pares eſſent diuideretur. Vnde & Lutetiæ Pariſiorum diſtributa diœceſi in tres partes, tribus Archidiaconis portio ſignata iampridem eſt attributa; ſeruatâ nihilominus Archidiacono Vrbico (qui origine prior eſt) prærogatiuâ honoris, ex veteri vtique Eccleſiæ diſciplina ſuprà memorata, quâ cautum erat, *vt abſente vel occupato Archidiacono, prior poſt eum Diaconus*, & poſt hunc proximior gradu, eius partes impleret; ideóque ad indicium antiquæ vnitatis, Vrbicus Archidiaconus (cuius, ceteri etſi collegæ, quaſi ſuffraganei ſunt) *Maior* appellaretur; vel etiam abſolutè, *Archidiaconus* diceretur. Talis erat Lutetiæ tempore S. Bernardi Guillelmus de Campellis, poſtmodum Catalaunenſis Epiſcopus, & dudum antea ſub S. Germano Vrbico Præſule *S. Bertramnus*, deinde Antiſtes Cenomanenſis. Ex eodémque inſigni gradu quo fungebatur ſub B. Auſtregeſillo in Eccleſia Bituricenſi, S. Sulpitius cognomentò pius; illo demortuo ad Pontificale ſolium, iubente Clotario Rege, prouectus fuit. At illuſtris eluxit præ ceteris in hoc ſacro munere S. Valerius Archidiaconus B. Deſiderij Epiſcopi

Lingonenſis & Martyris, qui ob caſtæ mentis decora ab ipſo in hoc officium aſſumptus, illum ſicut alter Sixtum Laurentius, per bonum certamen, Chriſtianæ pietatis aſſertor intrepidus, ad coronam vſque ſecutus eſt. *Cui Angelus in procinctû agonis cælitus apparens, ſtolam candidam obtulit proximæ victoriæ & gloriæ perennis indicem. Hunc Chriſti athletam Archileuitámque ſtrenuum ac fidelem, exturbet cælo, demergátque in orcum oportet Ameſius, ſi Archidiaconatus, quo fungens pro Chriſto agonizauit ille Martyr, *mera eſt*, vt ait, *in Eccleſiam tyrannis*, atque ad caudam Antichriſti eiuſdem officium ſpectat. Immò pari loco habeat neceſſe eſt & Laurentium & Stephanum, qui hoc præditi honore ac onere, pro Chriſti gloria fortiter decertando, palmas laureáſque immarceſſibiles victoriæ retulerunt. Apoſtolóſque ſimul damnet, qui primum inter Diaconos Stephanum ordinârunt. Paulúmque nominatim, à quo didicit Dionyſius, vnum ceteris præferre Diaconum, qui ſancti miniſterij potiores partes obiret. Dauidis etiam ac Salomonis collaudatum à Spiritu ſancto in diuinis oraculis factum inſimulet arguátque tyrannidis, quo ob ordinis decorem & bonum vnitatis, in vnaquaque claſſe Leuitarum Principem conſtituerunt: Eccleſiam denique Chriſti vniuerſam damnet Antichriſtianæ ſæuitiæ, quòd ab initio Archidiaconos vbique gentium inſtituerit, atque ad hos vſque dies, illorum & nomen

* Vide Martyrol. Gall. 11. Kalend. Nouemb.

& officium ſeruauerit, atque inter magis neceſſaria & vtilia, ideóque & conſpicua Chriſti Regni in terris miniſteria cenſuerit: inſupérque ipſum in codicem ſacri iuris retulerit, huius officij iura ac munera. Et verò ſi Latina tantùm Eccleſia Archidiaconos habuiſſet, ídque recenti vſu, in iiſque monſtra (quæ pingit, aut fingit Ameſius potiùs, in Eccleſiarum Paſtorúmque perniciem edita) in Eccleſiæ deſolationem erupiſſent, non abſque tantillo fuco prætenderet, inuentum hoc & humanum & exitioſum eſſe: ideóque ex Romana ſede, præ odio Chriſti Vicarij (quem impiè Antichriſtum dicit) vociferaret manaſſe hoc officium. Sed ab ipſo ortu Euangelij Archidiaconi fuerũt in Oriente, haud ſecus quàm in Occidente. Nam præter eos quos claruiſſe liquet ſub Apoſtolis, & viris Apoſtolicis: immò in atrocioribus perſecutionum procellis floruiſſe. Certè voluenti ſacrarum hiſtoriarum codices exploratum ſit, ſub antiquiſſimis & præſtantiſſimis Eccleſiæ Patribus ac Doctoribus, Archidiaconos extitiſſe, hoc titulo ſacro in ordine valde conſpicuos. S. Athanaſius, ſiquidem fuit Alexandriæ ſub Alexandro Antiſtite ſanctiſſimo, Archidiaconus, eóque gradu pollens ac doctrina & ſanctitate inſignis, illuxit primùm defenſor fidei orthodoxæ, atque Epiſcopi ſui vindex & protector in plenario Niceno Concilio. Habuit Gregorius Naziázenus Euagrium Archidiaconum, vt apud Nicephorum legitur l. 9. c. 48. S. Chryſoſto-

mus eodem titulo nactus eſt ſibi miniſtrantem Heraclidem, deinde Serapionem. S. Epiphanius Criſpionem, Theophilus Petrum: idem l.11. cap. 42. hócque in ordine, innumeri ſancti Confeſſores glorioſiſſimíque Martyres (quorum perilluſtres aliquot commemorauimus) extiterunt, eóque ex gradu Eccleſiaſtico in cælos cum Angelis & Archangelis (en etiam apud Deum, in regno libertatis & gloriæ, *tranſcendentia*, quæ Ameſius damnat, ***nomina***) feliciter euolârunt. Officium autem ipſum Archidiaconatus (vti ſupra à nobis, è propriis rei expreſſum viſceribus, oſtenſum eſt) totum pium, ſanctum, in Chriſti gregis multiplicem vtilitatem tendit & concedit: atque in plenariis Eccleſiæ conſeſſibus honorificè habitum fuit (quemadmodum in Chalcedonenſi cernitur) ſempérque ab Eccleſia ita obſeruatum, vſu probatum, & neceſſarium experientia hactenus iudicatum. Támque antiquæ originis eſſe conſtat, vt ab Apoſtolorum ætate ſúbque eorum oculis, ipſorúmque diſcipulorum inſpectione, manifeſtum ſit viuidum extitiſſe: dehíncque inuiolata vbique praxi, ad hæc vſque tempora propagatum. Perperam igitur Ameſius, ne dicam, impiè, ***ad Antichriſti caudam***, auſus eſt tam ſacrum, vtile, antiquúmque munus Eccleſiaſticum reiicere. Quo temerario facto ſibi profectò ipſimet notam labémque illam inurit, qua S. Auguſtinus dignos cenſuit, qui antiquiſſimis vniuerſalis Eccleſiæ moribus &

Ep.118. placitis non verentur obuerſari. *Inſolentiſſimæ e-nim* aſſerit *eſſe inſaniæ, ſi quis damnare audeat, quod vniuerſali conſtat Eccleſiæ placuiſſe.*

XII.

Doctrina generalis à S. Paulo tradita de Cæremoniis ſacris, & myſtica Religionis Chriſtianæ panoplia, ac Eccleſiæ Catholicæ honeſta piáque in omnibus diſpoſitione.

QVI traditiones reiiciunt, Euangelium ipſum (ait Baſilius Magnus) coarctant ad exile punitum. Nouatores ita faciunt, nihil enim magis conantur, quàm pias quaſque Eccleſiæ obſeruationes, quæ non exaratæ ſunt patulis apicibus in Euangelio, abolere. Quo prætextu dogmata pleraque excindunt ſtirpitus grauiſſima, quæ deſcripta in codice noui fœderis ad extremam vſque ſyllabam, ipſis non patent ex ſimplici ſacri textus conſpectu. Nolim hîc de dogmatibus cum iis confligere. Quandoquidem in edito libro noſtro cui titulus eſt, *Nullitas nuperæ Religionis,* hanc luctam cum ipſis, exertis lacertis initam, non infauſtè vt reor, abſoluimus. De ritibus autem & cæremoniis Eccleſiaſticis quas prorſus reſcindunt, eo quòd in noui teſtamenti codice perſcriptæ ad vnguem non reperiantur: hîc operæprecium cenſeo (quia nos eò impellit hæc tractatiuncula) potiſſimùm ex Pauli Apoſtoli ſententia, cum Ameſio, qui cauſam illorum communem, pene deploratam propugnádam

Lib. de Spiritu ſancto tom. 2.

dam demum aduerſus Bellarminum è ſuſcepit: eo quo delectatur conciſo ſtylo, & pugna eò vrgentiori quò breuiori, decertare. Atque vt ordine apto progrediar, S. Auguſtini hoc pronunciatum generale præmittam. *In nullum Religionis ſiue veræ ſiue falſæ nomen poſſe homines conuenire, niſi aliquo ſignorum viſibilium nexu copulentur.* l. 19. *cont. Fauſtum*, c. 11. & l. 4. *de baptiſmo contra Donatiſtas*, c. 22. Quod aſſertum adeo verum agnouit Caluinus (tametſi omnium cæremoniarum ſacrarum euerſor*) vt furoris oblitus aliquando ſic ſcripſerit Inſt. l. 4. c. 14. §. 17. *Hanc neceſſitatem certo aliquo ſignorum conſortio homines colligandi, cùm Deus prouideret: eam poſtea Satan ad ſuperſtitioſos cultus transferendo deprauauit. Hinc illæ gentilitiæ imitationes in ſua ſacra & ceteri degeneres ritus, qui tametſi erroris erant ac ſuperſtitionis pleni, indicio tamen ipſi quoque ſimul erant, non poſſe in profeſſione religionis homines, externis huiuſmodi ſignis carere.* Hæc ille. Verùm ab ipſis Eccleſiæ Chriſtianæ cunabulis, hac de re protofideles Dionyſius Areopagita Pauli Apoſtoli diſcipulus, diuino prorſus documento præmonuerat. Hic enim ipſo in exordio Eccleſiaſticæ Hierarchiæ, ſcilicet c. 1. vbi quæſtionem implicitè præſuppoſuiſſet, cur Apoſtoli ſepultis pedetentim veteris legis cæremoniis, nouas in noua lege inſtituerunt, his verbis diuinæ ex fonte ſapientiæ hauſtis, reſpondet, *Principes noſtri viſibilibus ſignis ſacramenta cæleſtia texerunt, & ſub humanis imaginibus res diuinas tradi-*

* Præterquam ex proprio cerebro editarum. Ex quo exiit *Libellus* politiæ & diſciplinæ Eccleſiaſticę ciuitatis Gebennenſis. Et *formula* tam precum, quàm ſacramentorum nouæ Religionis, ab illo inſtitutæ in Gallia, quæ olim monſtris eiuſmodi carebat.

derunt, & in materiali figura maieſtatem ſpiritualem repræſentârunt. Vt pro modo ac ratione captus noſtri, figuris viſibilibus, quaſi adminiculis quibuſdam, ad myſteriorum auguſtiorum intelligentiam ſubueheremur. His poſitis dicimus, cæremoniam (*quæ nihil aliud eſt quàm actus externus religionis, virtutum moralium nobiliſſimæ, interno reſpondens, inde tantum laudabilis, quod ſit in laudem & honrem Dei.*) non hic à nobis expendi, in quantum Sacramenta ipſa, quæ ſunt præcellentiſſimi religionis ritus à Deo inſtituti immediatè, ſingulari modo comprehendit: nec enim de diuinis merè cæremoniis eſt nobis cum aduerſariis diſputatio, ſed de Eccleſiaſticis. Tametſi cum Ameſio, ſi vt auctores ſuæ perſuaſionis cenſuerunt, de his etiam ſentiret, non eſſet funditus illa de re diſceptandum. Fatebantur enim ab initio huius nouatorum ſectæ principes Lutherus *in libello de piis cæremoniis, & de formula Miſſæ.* Caluinus loco præcitato, Kemnitius *in Exam. 2. part. p. 171.* Cùm aliquæ cæremoniæ neceſſariæ ſunt, præter cæremonias quæ Sacramentorum eſſentiam complectuntur, quæque habent mandatum vel exemplum, Eccleſiam poſſe ſtatuere de his cæremoniis, quæ in ſcripturis habentur, certum ordinem & modum, quo ſeruari debent, ne ſit confuſio. Sed verè Ameſius, Bellarmini audax quidem at impar antagoniſta, contra hæc ſuorum Rabbinorum axiomata, iſta paradoxa ingerit, aſſerítque. *I. Chriſtum & Apoſtolos nullas cæremonias inſtituiſſe.*

II. Eccleſiam nullam rem nouam poſſe inſtituere, auctoritate ſua. III. denique ab Eccleſia non poſſe ſine peccato inſtitui religioſas cæremonias: ideóque illas poſſe ſine peccato contemni. Quæ quidem deliria eius generis ſunt, de quibus S. Hieronymus dudum dicebat. *Hæc ſunt quæ refutatione non indigent. Perfidiam eorum indicaſſe, ſuperaſſe eſt.* Attamen ſingula hæc excutiemus, támque dilucidè quàm breuiter refellemus, quia his ſubuerſis falſis principiis, funditus ruit aduerſariorum cauſa, noſtráque, ſeu potiùs Eccleſiæ doctrina de cæremoniis diſciplináque, ab oppoſitis euerſis egregiè ſtabilitur.

In epiſt. ad Marcellam de erroribus Montani.

Quoad primum igitur, dico, præter Sacramenmenta, quæ inſtituit Chriſtus manifeſtè in Scriptura, cæremoniis illum vſum myſticis pleriſque, etiam in ſcriptura expreſſis: ſcilicet oculorum in cælos eleuatione, genuflexione, proſtratione, gratiarum actione, benedictione, hymnodia, orationis eiuſdem repetitione, adeóque in edendis miraculis impoſitione manuum, ſputi infuſione, applicatione luti, illachrymatione, gemitu, clamore, &c. Cæremoniáſque honeſtas ſibi exhibitas probâſſe, ob non factas reprehendiſſe deſides, v. g. dum Simonem, de non exhibito ſibi honore admonuit. *Aquam pedibus meis non dediſti, oſculum non dediſti mihi, caput meum oleo non vnxiſti. Hæc autem* (mulier peccatrix) *ex quo intrauit, non ceſſauit oſculari pedes meos.* De qua iterum ob vnctos ab ipſa, abſterſóſque

Matth. 11.

pedes ſuos. *Bonum opus*, inquit, *operata eſt in me*. Inſuper aliquas Chriſtus cæremonias, eáſque inſignes inſtituit, quæ tamen expreſſæ diuino codice non habentur. Vt aquam vino miſcendam in Euchariſtia: quod enim ita fecerit, & faciendum docuerit Dominus, diſertè affirmant S.Cyprianus lib.2. epiſt.3.& S.Auguſtinus lib.2.*de Doctrina Chriſtiana*, c. 21. & tract. 120. *in Ioan*. Immò *Concilium Carthaginenſe III*. cui interfuit ipſemet S.Auguſtinus, id nitidè teſtatur *can.24*. Prætermitto Liturgias SS. Iacobi & Baſilij quæ id clarè perhibent, teſtimoniúmque Clementis l.8. Conſt. Apoſtolic. c. 17. quòd non hæc libenter Ameſius recipiat: ſed quoniã Galli ſumus, Patrum noſtrorum teſtimonia, quæ patentia ſunt & irrefragabilia, non poſſumus neglecta præterire. Nam quòd aquam vino miſcuerit Dominus, teſtantur apertè S. Irenæus Apoſtolorum virorum auditor, Lugdunenſis Epiſcopus & Martyr, lib. 5. contra hæreſes. Euſebius Lerinenſis (qui paſſim cognominatur *Emeſenus*) hom.5. de Paſchate. & S.Bernardus ep. 69. Porrò inſuper dico, exiſtere Sacramentum à Chriſto inſtitutum, cuius nullus apex cernitur in Euangelio, nempe chriſmatis Sacramentum. De hoc enim ſcribit S.Auguſtinus lib.2. *contra litt. Petiliani*, c.104. *eſſe Sacroſanctum, ſicut ipſum baptiſmi Sacramentum*. Proinde etiam à Chriſto inſtitutum, nam Deus ſolus Sacramenta inſtituere poteſt. Quod autem pertinet ad Apoſtolos, dico illos plurimis vſos

cæremoniis, multáſque nos ex eorum vſu & inſtituto accepiſſe, *tam per ſcripturam quàm per traditionem*, quibus duobus mediis teſtatur S. Paulus ſuam nobis doctrinam conſignâſſe. De omnibus Chriſti diſcipulis refert S. Marcus, cùm ægrotos curarent, ad hoc iis præſtandum beneficium diuinum, *oleo vngere* illos conſueuiſſe. Chriſto ſuppoſuiſſe veſtimenta ſua, Ieruſalem ad paſſionem ingreſſuro. Itémq. narrat paſſim in eorum actis S. Lucas Euangeliſta, ſolitos orare ſimul proſtratos, genuflexos, templum ſtatis horis adire, vt orationes publicè funderent. Nomen Chriſti in virtutum patratione inuocare, ieiunare conſuetos & ſacrificare * cùm paſtores aut Euangeliſtas ordinarent; in periculis continuas preces Eccleſiæ indicere, ſe quotidiana Synaxi fideléſque ceteros reficere, prædicationi inſiſtere, priuatim vt ſtatutâ horâ orarent, ſuperiora domus ad commodiorem eleuationem mentis aſcendere. Ortis difficultatibus Concilia celebrare, ſynodicis litteris populos inſtruere, ac confirmare in fide; Eccleſias erectas viſitare, nec modò ſanam iis doctrinam, ſed politiam & diſciplinam præſcribere, collectas ad iuuandos inopes fieri curare; ſtatus, ac ordinis cuiuſque officia, ſingulis propria præfigere, Sacramentorum miniſtrandorum vel ſuſcipiendorum congruitatem annunciare, modóſque circa hæc nonnullos conſignare, ac myſticas tradere praxes. Monitu ac imperio, paſtores hortari, vt vtantur. Populo ſubiectionem &

2.Theſſ.2.15.

Marc.6.13.

* Act. 13.2. λειτουργούντων, id eſt, *ſacrificantibus*: vertit Eraſmus.

obedientiam præcipere, aduerſus immorigeros pœnas ſtatuere, pœnitentium ordinare actus, ſuſcipere certis modis gemitus, indulgentiam iis ad preces fidelium in Chriſti perſona impertiri. Miniſtros hierarchicos certis modis, locis, temporibus ordinare, eorum diſtinguere gradus, honores ſubindicare, diſtinguere, conſtituere; éxque lineis ad punctum, ex circulo ad centrum communi bono vnitatis progredi. Caput agnoſcere, ſpectabiliora ſignare membra, pedes etiam neceſſarios capiti ne vileſcant ex labore, aut ſuperbiant ex honore, indigitare, arguere, commendare; officia diſcernere. Breui dicam verbo, corporis compaginem, robur & nexus conſtruere, compingere, ordinare, obfirmare: quin & armare milites, duces præficere; Imperatorem Chriſtianæ ſub cæli Domino militiæ, acies inſtruentem, dirigentem indicare, ſequi, comitari, venerari. Si hæc non habeantur in paginis codicis æternæ ſapientiæ & veritatis, in Actis ſcilicet Apoſtolorum à Luca deſcriptis, ipſorúmque epiſtolis, aduerſarius de veritate, patentiſſima ex mea imperitia vel mala fide (ſuo ne dicam faſtu, at mea culpa) triumphabit. Sed præter hos ritus ab Apoſtolis initiatos, alij ſunt extra ſcripturas ab iiſdem inſtituti, v. g. *ſignum Crucis*, vt teſtatur S. Baſilius lib. *de Spiritu ſancto*, cap. 7. *Oratio pro defunctis*, vt docet S. Chryſoſt. *hom. 69. ad populum*, & S. Auguſtinus ſerm. 34. *de verb. Apoſtoli*, hom. 16. ex 50. & lib. *de cura pro mortuis*, &c. *Ieiu-*

nium quadrageſimæ, vt aſſerunt S. Hieronymus in epiſt. ad Marcellam contra errores Montani, & S. Leo ſerm. *6. de quadrageſ.* S. Auguſt. epiſt. 118. ad Ianuar. Item vt *Euchariſtiam ieiuni fideles recipiant*, ſicut citato loco ipſe S. Auguſtinus affirmat. Ad hæc reſpondet Ameſius. Patres quidem his ſimilia dicere, ſed nos non ſeruare omnia, quæ inſtituta ab Apoſtolis teſtantur. At hoc eſt in re ſeria ludere. Certum eſt enim, quòd hæc ab Apoſtolis inſtituta ſeruamus : alia quæ neglecta putat, debuerat Ameſius indigitare.

Ad ſecundum dico, quod Ameſius ait, *nullam rem nouam Eccleſiam inſtituere poſſe auctoritate ſua*: in bono ſenſu verum eſſe. Quia Eccleſia nec à ſe loquitur, nec à ſeipſa decernit quicquid iubet noui. *Non eſtis vos qui loquimini*, ait Chriſtus, *ſed Spiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis.* Matth. 10. 20.
Vnde in Concilio I. Hieroſolymitano, Eccleſia in Spiritu ſancto congregata cùm nouum decretum formaret de legalibus amplius non ſeruandis, in ipſo decreti limine, Spiritus ſancti auctoritatem quo regebatur præpoſuit. *Placuit (ſeu viſum eſt) Spiritui ſancto & nobis.* Act. 15. Authenticum ſanè decretum, cuius inſpirator eſt Spiritus ſanctus, Doctor omnis veritatis ad id promiſſus à Chriſto : rectórque eorum *quos ipſemet poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; Act. 20. quóſque Chriſtus, vt ſeipſum audiri præcepit. Nec enim hoc de ſolis Apoſtolis accipiendum, qui in perpetuum non eſſent in carne manſuri (vt notat S. Auguſt. in

Pſalm. 47.) nam Spiritus ſancti afflatum Domi-
Ioan. 14. 16. nus Eccleſiæ ſuæ promiſit æternum. *Vt maneat vobiſcum in æternum*, ait Spiritus veritatis, *& docebit vos omnem veritatem.* Quamobrem, fultam hoc perpetuo gratiæ influxu, animatam hoc Spiritu, præditam hac auctoritate Eccleſiam ſuam,
Matth. 18. Chriſtus ab omnibus iuſſit audiri: támque diſtrictè hoc præcepit, vt qui dictis eius auderet vnquam refragari, habendum ab omnibus voluerit *ſicut ethnicum & publicanum.* Hoc igitur prædicamento iure habendus venit Ameſius, qui Eccleſiæ vel docenti vel decernenti non modò haud obediendum aſſerit: ſed omnem quod magis eſt ipſi iubendi vel ſtatuendi detrahit auctoritatem. Quo impio theoremate ſimul omnia antiqua Concilia reſcindit, quæ nouas emergentes hæreſes, nouis decretis repreſſerunt: Eccleſiáque pro Tribunali ſedens, & vt mos eſt dicendi, in Synodis œcumenicis, *in Spiritu ſancto legitimè congregata*, iuridicè damnauit, nouíſque adinuentis ad illas excidendas loquendi modis, nouis ſancitis legibus, formatis expreſſis ad hoc dogmatibus, prorſus detruſit & extinxit. Quas omnes impio illo axiomate Ameſius rurſus ab orco excitat, dúmque impugnat Eccleſiæ poteſtatem in inſtituendis nouis ritibus, eiuſdem auctoritaté, quoad dogmata condenda cùm opus eſt vel declaranda,
1 Tim. 3. Matth. 16. itidem impetit. Sed dum irruit in *columnam & firmamentum veritatis*, contráque illam petram aſſurgit ineluctabilem, aduerſus quam nec ſuperbæ

poſſunt

poſſunt portæ inferni præualere: profectò magno ſuo damno ac exitio patenti impingit, infelicíque omnino lapſu cadit & corruit. Qui enim *offendet in hunc lapidem*, ait Propheta, *ipſe cadet & conteretur.* Iſa. 8. 14. 15.

Ad tertium dico, audaciſſimè quin & impiè prorſus Ameſium hanc ſententiam contra Eccleſiam effutiiſſe: *non poſſe Eccleſiam inſtituere cæcæremonias religioſas ſine peccato: proinde poſſe ſine peccato ac debere eas, ſi quas inſtituerit, omitti.* Qua enim auctoritate Ameſius Eccleſiam Chriſti ſponſam iudicat de peccato? quin & condemnat, & poteſtatem eius ita conuellit vt penitus auferat? Ita enim funditus ſubruit, vt obedire ei, vel in minimis, piaculum exiſtimet, repugnare verò eiuſdem mandatis, aſſerere opus bonum non vereatur. Chriſtus edicit ſolenni decreto: *qui Eccleſiam non audierit, pro non Chriſtiano habendum, ſed vt ethnicum & publicanum reputandum.* Et ſuis ait diſcipulis, *qui vos audit me audit, qui vos ſpernit me ſpernit.* Contrà, Ameſius docet *qui ſtatutis Eccleſiæ refragatur non peccare:* immò ſine reatu poſſe ac debere quemque ei reniti. Sed ait, *quando Eccleſia peccat, non debetur ei obtemperari: peccat verò quando religioſas cæremonias inſtituit.* Falſum eſt certè vtrumque aſſertum. Eccleſia enim vt in dogmatibus eſt infallibis, ita in vniuerſalibus moribus, & præceptis vel pietatis vel iuſtitiæ, eſt impeccabilis penitus. Eſt enim & columna veritatis, & iuſtitiæ animata norma. *Tota*

Matth. 18.

Luc. 10.

pulchra Dei amica, & immaculata Spiritus ſancti columba, & dilectiſſima ac perfectiſſima Chriſti ſponſa; *qui* (vt ait Apoſtolus) *ſemetipſum pro ea tradidit, vt exhiberet eam ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem rugam aut maculam aut aliquid eiuſmodi, ſed vt ſancta ſit & immaculata.* Euacuat igitur Ameſius Chriſti ſanguinis virtutem, mortis eius pretium perdit, & effectum tollit, dum Eccleſiam, pro qua ſanctificanda mortuus eſt ipſe Chriſtus, erroribus implicari poſſe docet, aut peccato fœdari. Eccleſia ſanè à Deo non ſolùm ſanctificatur, ſed & regitur: etenim à Chriſto, tanquam à capite corpus, tanquam vxor à viro, fouetur & dirigitur, quin à Spiritu ſancto tanquam ab anima viuificatur & gubernatur. Patentia ſunt hac de re Apoſtoli teſtimonia, Epheſ. 1. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam quæ eſt corpus eius.* Epheſ. 4. *Vnum corpus & vnus Spiritus.* Epheſ. 5. *Vir caput eſt mulieris, ſicut Chriſtus caput Eccleſiæ.* Itaque ſi Eccleſia in dogmatibus fidei vel morum erraret, aut in ritibus peccaret, Chriſto & Spiritui ſancto error vel reatus ille tribueretur. Quamobrem quod Ameſius dicit, *reipſa Eccleſiam peccare, quando ſacros ritus decernit, vel peccaſſe cùm inſtituit*, ita abſurdum, ita impium, ita horrendum eſt, vt ſine ſtupore maximo nequeat à piis audiri. Porrò quod ex tam exitiali principio aſſumit, eſt æquè impium ac pernicioſum: *ſine peccato poſſe ac debere cæremonias ab Eccleſia inſtitutas omitti.* Eccleſiam enim habere poteſtatem ſuper filios ſuos,

Epheſ. 5.

legitimam, diuinitus traditam ſuprà probauimus ex Euangelio. *At qui poteſtati reſiſtit Dei ordinationi reſiſtit* (ait Apoſtolus) *& reſiſtendo, ſibi damnationem acquirit.* Vnde ipſe B. Paulus tam frequenter obedientiam fidelibus commendat, quam *cùm omni ſublimi poteſtati* reddere iubet omnes, tum maximè Eccleſiæ eiúſque Paſtoribus docet, præcipítque integrè exhibendam. *Si quis* (ait ſcribens ad Theſſ.) *non obedit verbo noſtro,* hunc *notate per epiſtolam, & ne commiſceamini cum illo.* Nimirum quia eo ipſo execratione dignus eſt. Idémque è contrà, dum ſcribit ad Romanos, quorum de fide toto in orbe annunciata impensè gloriabatur, non minus lætabatur de ipſorum obedientia. *Gratias* (inquit) *Deo, quòd obediſtis ex corde in eam formam doctrinæ in quam traditi eſtis.* Notámque S. Auguſtinus vult eſſe veri fidelis, promptam ac perfectam, ſub Eccleſiæ magiſterio obedientiam rependere. *Aures Catholicæ,* (inquit) *in gremio matris Eccleſiæ eruditæ ſunt,* tract. 39. in Ioan. Has aures ſegreges non habent, qui, vt ait de eiuſmodi Apoſtolus, filij ſunt & *ſubtractionis* & ſchiſmatis ac perturbationis auctores. *Si quis eſt contentioſus inter vos* (ait) *non eſt noſtra conſuetudo nec Eccleſiæ Dei.* Abeat ergo Ameſius, & ex Apoſtoli iudicio ſe extra Eccleſiam Dei eſſe cognoſcat, cuius auctoritatem abnuit, poteſtatem deſtruit, ſcindit vnitatem, conſecrationem diripit, turbat politiam, honorem conculcat, mores irridet, ſtatuta infringit, ritus pro-

Rom. 13.
2. Theſſ. 3. 14.
Rom. 6. 17.
Heb. 10. 39.
1. Cor. 11. 16.

ſanat, iuſſa contemnit. Audiátque quod dicit
1.Cor.3. 17. idem Apoſtolus, *Qui violauerit ſeu fœdauerit tem-*
1.Timoth. 3.15. *plum Dei, deſtruet illum Deus. Eccleſia enim eſt* (vt
ſcribit idem Apoſtolus) *domus Dei, baſis verita-*
tis, corpus Chriſti, oraculum Spiritus ſancti. Quòd ſi
ita eſt in fidei dogmatibus, vtique in religionis
ritibus (qui fidem comitantur, religionem mu-
niunt, mores pios inſtruunt) multò magis inua-
leſcit. Nec enim eſt cur pertimeſcat Ameſius in
cæremoniis & ritibus ab ipſa Eccleſia decipi, cu-
ius ſummam in fide, in veritate, auctoritatem
Dominus inuiolabilem eſſe voluit: cuíque pa-
rere vt ſibimet abſolutè ſub pœna extremæ ani-
Matth.18. 17. maduerſionis, immò æternæ perditionis, Euan-
gelico diplomate ordinauit. Sanè B. Auguſti-
nus in Spiritus ſancti ſchola edoctus, longè ſe-
cus quàm Ameſius de Eccleſiæ ſenſit poteſtate.
Nam *ipſi*, ait, *Euangelio non crederem, niſi me*
Contra epiſt.fund. tom.6. *Catholicæ Eccleſiæ auctoritas commoueret.* Et rurſus
in quibuſque quæſtionibus Eccleſiæ magnam
commendat auctoritatem: *Si quis*, ait, *falli me-*
tuit huius obſcuritate quæſtionis, illam eandem Eccle-
ſiam conſulat, cuius auctoritatem ipſa ſcriptura com-
mendat. Et iterum, *Tunc ſcripturæ à nobis tenetur*
veritas, cùm facimus quod vniuerſæ placuit Eccleſiæ.
Diſputare enim contra id quod vniuerſa Eccleſia fa-
Tom.2. *cit* (ſcribit epiſt.118.) *inſolentiſſimæ inſaniæ eſt.* Vnde
in Oecumenicis Eccleſiæ antiquæ Conciliis, paſ-
ſim iis inclamatur anathema, qui ſecus quàm
ſentit vel decernit Eccleſia, ſentiunt. Nec modò

in rebus dogmaticis vſus ille priſcus apud Chriſtianos obtinuit, ſed etiam vbi de diſciplina & ritibus *cæremoniíſque* quas vocat Ameſius, *religioſis*, tractatio exigebat. Sic enim factum in ſtabiliendo Eccleſiaſtico ritu de Paſchatis die, de baptiſmo hæreticorum valido vel inualido, de ciborum delectu, de ieiuniorum temporibus, déque aliis ritibus & cæremoniis, in quibus qui moribus & decretis Eccleſiæ obſtiterunt, damnati ſunt anathemate, hæreticorúmque adſcripti fuerunt à SS. Patribus tam propudioſo quàm exitiali catalogo. Non certè eo obtutu quòd fidem illi impeterent, ſed Eccleſiæ diſſoluerent vnitatem, turbarent pacem, tollerent auctoritatem. Verumenimuerò reum tandem vel inuitum habemus confitentem. Ameſius enim ne iaculo illo confodiatur, quod in hæreticos Bellarminus intorquet eiuſmodi argumentatione: *Priuati homines, Deo inſpirante & impellente, nouas cæremonias inſtituerunt: igitur Eccleſia licet inſpirata à Deo, nouas cæremonias inſtituere*; excipit opportuno quidem, vt ſibi videtur, elapſu, at tam inani aſtutia, quàm infelici effugio: *Inſpirationem diuinam Deum ipſum facti auctorem conſtituere, æquè ac ſi mandatum eius in verbis eſſet expreſſum.* At peto ab eo, ſi Eccleſiam à Deo inſpiratam inficiari velit, vel fateri? Si negare voluerit, abrenunciare (vt ex dictis & inductis patet) illum oportet Euangelio. Si annuerit, cauſa cadit, quod enim ab Eccleſia fit & ſtatuitur, non humanum,

vt ille vult inuentum, ſed diuinum per Eccleſiam ſupernè inſpiratam inſtitutum fatendum eſt. Sed neque hîc ſubſiſto, dico enim Eccleſiam de ſanciendis cultui Dei congruis ritibus & cæremoniis, habere expreſſum in paginis diuini ſecum initi fœderis diploma generaléque mandatum. Notat S. Auguſtinus epiſt. 118. c. 6. Dominum pauciſſimas quidem cæremonias circa myſteria ſalutis diſpenſanda inſtituiſſe: immò nec modum quo adminiſtrarentur tradidiſſe, at profectò reliquiſſe prouidentiæ Eccleſiæ Paſtorum. Quod ſatis apertè confirmat & facto & documento ſanctus Paulus. Is enim cùm *quæ acceperat à Domino* de ſacramenti Euchariſtiæ inſtitutione, ſubſtantia, dignitate, efficientia, tradidiſſet primùm verbo, deinde ſcripto Corinthiis: circa eius celebrationem, miniſterium & vſum, quia hæc non erant à Domino præſcripta, ſeſe ordinaturum promiſit, *Cetera*, ait, *cùm venero diſponam.* Et quamquam ſubinde nihil hac de re perhibeatur ſcripſiſſe, non dubium eſt tamen quòd promiſſis ſteterit, & quæ diſpoſiturum ſeſe ſponderat, etſi non ſcripto, at verbo factóque præſtiterit, vti S. Auguſtinus inde elicit ep. 118. qui hinc etiam colligit, Eccleſiæ liberum eſſe, cùm à Deo regula nulla data eſt circa ſacramenta, de ritibus congruis ſtatuere, modúmque & ordinem præſcribere, de eorum vſu & adminiſtratione, auctoritate ſua: ſicut legimus factum circa baptiſmum. Cùm enim Scriptura nihil de-

1. Cor. 11.

cernat de regenerandi aſperſione vel immerſione, Eccleſia pro libito & ex congruentia rerum, perſonarum & temporum aliquando aſperſionem adhiberi debuit, aliquando immerſionem prætulit. Cúmque trina eſſet primùm in vſu, deinde emergente cauſa neceſſaria, ad vnam demum Eccleſia illam ſuo decreto reduxit, in Concil. IV. Toletan. c. 5.

At vt ad Pauli Apoſtoli circa ritus ſacros facta & documenta redeamus: demonſtrauimus ſuprà, ab ipſo plurimos præclaróſque ritus ſpeciales tam circa ſacrificium, ſacramentáque, quàm vtrumque fidelium ſtatum, necnon ordinem & diſciplinam Eccleſiaſticam traditos fuiſſe, atque abhinc deriuatos etiamnum in viridi permanere obſeruantia. Tametſi verò ipſe Apoſtolus hos mores ſacros induxerit, non ita tamen inſtituit, vt alios vetuerit ab Eccleſia eiúſque Paſtoribus ordinari: quinimo deſiderauit, monuítque & mandauit, vt quibus opus eſſet, leges, praxes, modos ritúſque tam myſticos quàm politicos, Hierarchæ Paſtoréſque ſupplerent, vel Eccleſia conſtitueret, pro ſua poteſtate & arbitrio. Hinc eſt quòd ad Titum ſcribit, *ea quæ deſunt vt corrigat*, ad Tit. 1. 5. id eſt, vt quæ in malis moribus ſuperſunt ſic reformet, vt quæ in bonis deſunt addat & ſuppleat, Eccleſiæque formam perficiat. Tam erat enim Eccleſiæ ædificationi intentus, tam alienus ab ambitione, vt ſibi quæ laborioſa eſſent reſeruando, quæ honorifica modò Eccleſiæ decori-

conducibilia, fideliúmq. ſaluti vtilia forent, etiam inferiori reſignaret. Ardebat diuinus Apoſtolus hoc deſiderio, vt in Eccleſia omnia conſtituerentur cum ordine, cum decore, cum ſplendore. Ideóque Corinthios ſtudioſè admonebat, vt Eccleſiæ decoro modis omnibus proſpicerent. *Omnia* (inquit) *honeſtè & ſecundùm ordinem fiant in vobis.* Támque ei fuit cordi honeſta, congrua aptáque Eccleſiæ diſpoſitio in omnibus myſteriis, miniſteriis, rebus, moribus, ritibúſque ſtudioſa ordinatio & diſciplina, vt gaudio præcordiali, cùm videret œconomiam Eccleſię apud Coloſſenſes ritè per omnia inſtitutam, perfunderetur. *Abſens etſi corpore,* ait, *ſed ſpiritu vobiſcum ſum gaudens, & videns ordinem veſtrum, firmamentum fidei veſtræ*, cap. 2. 5. Pij enim ritus & decentes cæremoniæ in ſacris magnopere muniunt religionem, illuſtrant Eccleſiam, iuuant fidem, accendunt charitatem. Nam & affectum pium excitant, reuerentiam & intelligentiam conciliant rerum ſacrarum, & memoriam noſtram fulciunt, religionémque ornant, nutriunt & conſeruant, Deóque ſimul gloriam impendunt, vnáque pariunt nobis multiplicem per omnia vtilitatem. Inde eſt quòd Apoſtolus tantopere eas commendabat. Hinc modis omnibus ſuadebat, admonebat, rogabat, vt quæcunque inueniri poſſent rationes, modi, formæ, theoriæ, praxes, cæremoniæ, ordines, diſpoſitiones, mores, leges, diſciplinæ, quibus Eccleſia ornaretur, Deus glorificaretur,

1. Cor. 14. 40.

rificaretur, fideles ædificarentur, infideles excitarentur: hæc omnia in Eccleſia fierent, atque ab Eccleſia conſtituerentur, & iſta fideles cupidè affectarent, quærerent, complecterentur. *De cetero fratres* (ita ad Philippenſes ſcribebat cap. 4.) *quæcunque ſunt vera, quæcunque pudica, quæcunque ſancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ famæ, ſi qua laus diſciplinæ, hæc cogitate, hæc agite.* En illud authenticum diploma quo Eccleſia nititur, dum ritus ſacros inſtituit, pias ordinat cæremonias, legéſque, canones, & normas tam myſticas quàm politicas fidelibus perſcribit. Paulus enim præco ſcholæ cæleſtis, Chriſti nuncius & interpres, Euangelij tuba, lux mundi, Doctor orbis, Magiſter veritatis, organum Spiritus ſancti, hoc indultum* Eccleſiæ Chriſti ſponſæ è cælo attulit, illíque reliquit. Audet tamen contra hæc hiſcere Ameſius. *Si* (inquit) *Eccleſia in condendis legibus, ſtatuendíſque ritibus & cæremoniis inſpiratione diuina ducitur, ſi mandato munitur: poſſet igitur noua ſacrificia atque noua ſacramenta inſtituere.*

Reſpondeo: cæremoniæ quæ ſunt *immediatè cultus Dei*, vt eſt ſacrificium, immediatè quoque à Deo poſſunt & ſolent inſtitui. Quæ verò diſponunt tantùm ad Dei cultum, vt ieiunia, cœlibatus; vel ſunt inſtrumenta cultus diuini, vt templa, aræ, veſtes ſacræ, imagines: licitè & congruè ab Eccleſia, vt ex documentis Apoſtoli ſuprà relatis patet, poſſunt ordinari: pertinent enim ad claſſem eorum, quæ vocat *ſancta, pu-*

* Apoſtoli dicta allegantur pro iure *can. fin. de Elect.* 6. c. 1. & ibi gloſ. *Apoſtoli. De renũciatione.* Immò pro lege ſunt ſeruanda Cano. *Si Romanorũ* diſtinct 19. Quin Apoſtoli conſilium tanquam à ſpiritu ſancto editum accipiendum eſt. gloſ. *Quoniam* in can. *Loquitur* 28. q. 1.

dica, honeſta, amabilia & laudabilia. Rurſus quædam inſtituuntur *ad iuſtificandum* vt ſunt ſacramenta. Et hæc ab alio quàm à Deo inſtitui nõ poſſunt. Solus enim dat gratiam & eluit ac ſanctificat animam. Quædã autem ordinantur ad aliquos particulares, & longè minores effectus v.g. ad abigédos dæmones, morbóſq. pellendos, vt exorciſmi, aqua benedicta, &c. Hæc verò benè & decenter ac commodè ab Eccleſia inſtituuntur. (ſiquidem, vt docet idem Apoſtolus, *Omnis creatura ſanctificatur verbo Dei & oratione*, 1. Tim.4.4.) Aliæ faciunt *ad rem*, vt verborũ formulæ quib. ſacramenta conficiuntur: & hæc cùm ad ſacramentorum pertineant eſſentiã, à ſolo auctore Sacramentorũ, & gratiæ largitore poſſunt inſtitui. Aliæ faciunt duntaxat ad locum, ad modũ rei, ad ſignificationẽ, ad ornatum & decorem. Ad *modũ rei,* reſpiciúntq. duntaxat, tempus, perſonas. *Locum,* vt conſecrationes altarium, benedictiones templorũ. *Tempus,* vt dies feſti, vigiliæ, quadrageſima, hora ſacrificandi, prædicandi, publicè orandi, ſacramenta conficiendi, ſumendi, &c. *Perſonas,* vt aſperſio cinerum, exorciſmi, inſufflationes, tõſura clericalis, raſura monaſtica, lotio pedum, manuũ, benedictiones virginum, &c. Sed verò *ad ſignificationem* ſpectant veſtis alba neophytorum, cereus accenſus in baptiſmo, exorciſmi, &c. Inde enim S. Auguſtinus diſputans contra Iulianum, probauit ex iudicio & indicio Eccleſiæ, originale peccatum eſſe in paruulis, quia ſecundùm vſum Eccleſiæ, *exorciſantur, inſufflantur, & per ora geſtan-*

tium iubentur abrenunciare Satanæ & pompis eius & operibus eius, lib.2.cap.2.aduerſus Iulian. Denique aliquæ faciunt *ad decorem & ornatum,* vt veſtes ſacræ, vaſa, lumina. Aliæ *ad ordinem & commoditatem conferunt*, vt diſtinctio locorum, differentiæ graduum, inſignia dignitatum: campanarum pulſatio ad plebem ad diuina conuocandum, organa in ſacris officiis ad tædium remouendum, excitandam ſpiritualem lætitiam, indicandum dierum ſolennitatem, & id genus plurima; quæ cùm ſint eius generis quæ Apoſtolus nominat honeſta, recta, pia, pulchra, pudica, ſancta, ideóque vtilia & laudabilia; poſſunt ac debent propter bonum ordinis, decorum religionis, multiplex commodum fidelium, rerum ſacrarum commendationem & reuerentiam, diuinæ Maieſtatis laudem & gloriam; piè, ſanctè & laudabiliter ab Eccleſia inſtitui ac ordinari. Tantum enim abeſt vt aliquid faciant contra fidem & bonos mores (ait S. Auguſtinus in ſæpè indicta epiſtola 118.) quin potius augent fidem ac muniunt, accendunt deuotionem, excitant pietatem, plurimum bonos mores promouent, nec ſolùm Eccleſiam decorant ſed hominum mentes ſanctè afficiunt, infideles pelliciunt, fideles inſtruunt atque corroborant, ædificant, ingentémque conciliant religioni venerationem ac exiſtimationem.

Hoc ius igitur habet Eccleſia ex dictis Apoſtoli, quòd ſacros ritus, cæremonias, regulas quaſque inſtituere legitimè poteſt: quæ quidem

bonæ & laudabiles ſemper fuerunt erúntque, quoniam in eos rectè terminos quos indigitat Apoſtolus, ab Eccleſia inſtituuntur ac diriguntur. Vel enim conferunt ad teſtandam vel fulciendam fidem, & eiuſmodi ſunt quæ ab Apoſtolo *vera* dicuntur: vel ad cultum Dei augendum, & homines iuuandum ad illum dignè & reuerenter obeundum; & ea ſunt quæ appellat *ſancta*: vel ad bonos mores formandum, & depellendum vitioſas actiones, vel prauas turpéſque affectiones; & hæc ſunt quæ vocat *caſta & pudica*: vel ad ſtatuendum ordinem & diſciplinam, inſtillandúmque religioni ſuum decus, & hæc ſunt quæ vocat *honeſta, amabilia, laudabiliáque* (in vniuerſum) *inſtituta*. Nulla verò alia ab hinc vſque nunc Eccleſia inuexit, ſtatuit, vel admiſit. Quapropter vt à Deo per Apoſtolum generaliter approbata ſunt, ſic à piis quibuſque debent inuiolabiliter obſeruari, nec ſine culpa poſſunt omitti vel contemni.

Atque hæc ſunt quæ de ſacris ritibus, Eccleſiaſticíſque inſtitutis, intemeratè ſeruandis, habemus contra Ameſium & alios Nouatores ex Apoſtoli Pauli ſententia: adeoque ex eiuſmet factis & exemplis ſpecialiter indicatis & propugnatis. Quo ex fonte cùm Gallia Chriſtianiſſima latices puros fidei, quam nunc vſque inuiolatam ſeruat, hauſerit, piæque & religioſæ obſeruationes fluxerint, quæ Galliam ipſam, adeoque vniuerſam Chriſti Eccleſiam inundârunt perenni co-

pia affluentis pietatis, illuſtrârunt mirabili decore puræ religionis, fœcundârunt frugibus vberrimis iuſtitiæ, corroborârunt vigore pleno ſacroſanctæ diſciplinæ, ditârunt, innumeris ſanctitatis meritis & præmiis: nihil ſupereſt, quàm vt BEATISSIMO PAVLO APOSTOLO CONSECRATORI SVO, DOCTORIQVE AC DVCTORI feliciſſimo, æterni beneficij inſolubili debito ſeſe obſtrictam fateatur: & quia iuſtæ gratitudinis non poteſt condigna obſequia rependere, deuotis ſaltem affectibus & laudis perennis præconiis, ſtudere debet, glorioſam eius memoriam proſequi, ac venerationis congruis quibuſque titulis atque officiis, ipſum apud Chriſtum iam feliciter regnantem, in conſeſſu cæli principum, perpetuo deuotionis cultu honorare.

S. LVCAS EVANGELISTA.

Imaginum Saluatoris, & glorioſæ eius genitricis Inuentor.

LVCAM Euangeliſtam, medicum non modò fuiſſe excellentem, ſed & pictorem egregium, antiquiſſima eſt Chriſtianorum perſuaſio. Quòd medicus fuerit, exploratiſſimum fit ipſo ex teſtimonio Pauli Apoſtoli, cui chariſſimus fuit aſſe-

Anno Chriſti 60. quo anno cum ſignamus, quia fuit (vt ſcribit Hieronymus.) indiuiduus B. Pauli ſectator.

cla. Pictorem inſuper fuiſſe, vetuſtiſſima traditio, non innixa anili commento, ſed teſtium grauium auctoritate obfirmata, inſinuat. Dei genitricem enim MARIAM Virginem à ſancto Luca Euangeliſta fuiſſe coloribus effictam, præter acceptam à Maioribus traditionem, teſtificantur multiplici aſtipulatione Theodorus lector (qui ante annos 1000. floruit) lib. 1. Collectaneorum: priſcus auctor vitę S. Lucæ apud Metaphraſtem & Surium: Nicephorus lib. 4. c. 2. & lib. 15. cap. 14. præter recentiores, Vincentium lib. 23. c. 147. Sigonium lib. 1. de regno Italiæ, Caniſium libro 5. operis Mariani cap. 22. Bellarminum lib. 2. de imaginibus c. 10. & Molanum lib. 2. de hiſtoria ſacrarum imaginum & picturarum cap. 9.

Multas verò eiuſmodi ſanctiſſimæ Virginis Deiparæ effigies à S. Luca efformatas, vel ex eo conſtat, quòd Romæ in S. Mariæ Virginis quæ Maior dicitur, Baſilica, imago à multis retrò ſæculis aſſeruatur, orbis vniuerſi veneratione inſignis, quam eſſe ex iis vnam, quæ à S. Luca depictæ ſunt, publica Chriſtiani populi affirmat conſenſio. Eius imaginis per vrbem circumlatione, tempore S. Gregorij diſcuſſam eſſe ſæuam peſtilitatem, Baronius ex antiquiſſimis probatiſſimíſque monimentis enarrat Tomo 8. annal. ad annum Domini 590. poſt Sigonium lib. 1. de regno Italiæ anno Chriſti 590. & 591. & S. Antoninũ parte 3. tit. 15. cap. 24. ſect. 2. Sed & Conſtantinopoli al-

teram olim cultam fuiſſe imaginem ſanctæ Virginis Deigenitricis, quam Antiochiæ S.Lucas depinxerat: inde à Pulcheria virgine Auguſta petitam & ſuſceptam, ac in nobiliſſimo quod ea condidit in memoriam beatiſſimæ ipſius Deiparæ templo collocatam, refert præindicatus Nicephorus lib.13.c.14.

Porrò S.Lucam in Gallia prædicâſſe, S.Epiphanius graui relatu aſſeuerat*, & perſuadet ſuprà memoratus S.Pauli in Hiſpaniam per Galliam tranſitus, cuius Apoſtoli indiuiduum comitem ipſum Lucam fuiſſe S. Hieronymus lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis *eodem in Luca* perſpicuè prodit. Ibidem verò, vbi Euangelium linguâ diffudit igneâ ſanctus hic Verbi incarnati paranymphus; penicillo cæleſti, ideam ipſius Domini Saluatoris, eiuſdémque ſalutiferæ genitricis huic coniunctam effigiem, ad fomentum Chriſtianæ pietatis, & impietatis ethnicæ antidotum, expreſſiſſe, Maiorum ſanè innuit non contemnenda traditio. Ex quorum manibus, per vices temporis acceptas venerabiles duas eiuſmodi imagines, Carolus Caluus Rex Chriſtianiſſimus & Auguſtus Imperator, eiuſmodi monimentorum ac pignorum diuinæ religionis ſcrutator percupidus, ac vindex ſtrenuus, Corbeiæ in perantiquo loci huius aſceterio, collocâſſe fertur, vbi hactenus oſtenduntur, multa religione plenæ, & tacitam ſanctitatem ſpirantes. Fortè erat hæc imago beatiſſimæ Virginis Deiferæ, ad quam miram deuo-

* Lib. 2. tom. 1. hæreſ. 51. cap. vlt. Vbi etiam diſertè S. Paulũ in Gallia *ampliſsimè prædicaſſe* affirmat.

tionem habebat Ludouicus Pius, Imperatoris eiuſdem Caroli pater, de quo refert Crantius *Metropol. lib. 1. cap. 20.* ſolitum eum fuiſſe imaginem Deiparæ vſque adeo venerari, vt ne venatum quidem abiret, niſi ſacram Dei matris imaginem ſecum ipſe afferret, & coram ea ad arborem in medio ſolitudine fixa, ſuas funderet preces.

Notum eſt autem cuique in antiquis Galliæ rebus perito, Druidas Galliarum ſapientiſſimos, qui multis annis ante Chriſti incarnationem claruerunt, Carnuti, vrbe Galliæ Lugdunenſis quartæ, aram poſuiſſe, imagine virginis quæ Deum conceptura foret, inſignem; hócque titulo ipſam aram conſecraſſe, VIRGINI PARITVRÆ; ſicut Athenis, IGNOTO DEO poſitam aram fuiſſe, Lucas Euangeliſta (quo de agimus) commemorat Act. 17. Ex cuius dictis eodem libro, facile eſt etiam coniicere, vnde Druidis, myſterij Incarnationis hæc potuerit notitia, ante ipſum partum Virginis contigiſſe. Cùm enim ſcribat eo die quo promiſſum Patris Spiritum ſanctum, Chriſtus euectus in cælos, ſuis Apoſtolis emiſit, ſub ignearum linguarum ſymbolis, *conueniſſe Hieroſolymam viros religioſos, ex omni natione quæ ſub cælo eſt:* & ex Philone lib. *contra Flaccum*, & lib. de *legatione ad Caium*, Ioſephóque *antiquitatum* lib. 14. cap. 12. Iudæos conſter toto orbe diſperſos fuiſſe: ab ea ſcilicet tempeſtate, quâ Antiochus Rex dira perſecutione illos affligebat: ex quibus nonnulli, tametſi in remotis longè partibus habitarent, conſueuerant

Act. 2.

ſueuerant Hieroſolymam vel ſacrificij, vel ſtudiorum cauſa (ſubinde hoc parumper repreſſo fero turbine) quibuſdam temporis momentis adire, híncque redire ad propriam familiæ ſedem: facile vtique eſt colligere, ex hac diſperſione, multas Iudæorum familias è Palæſtina in Gallias tranſmigrâſſe. Sícque per Hebræorum ipſorum contubernium atque colloquium, Gallos præſertim ſapientes (quorum principes Druidæ Sacerdotes erant) didiciſſe; quæ de Meſſia venturo parituráque *Emanuelem Virgine*, Iſaias Propheta prædixerat, ſuóque vaticiniorum libro, diuino afflatu inſcripſerat. Ita ferè Ægyptiis hæc ſalutiferæ incarnationis obtigiſſe prænotio perhibetur, ex Ieremiæ Prophetæ (qui apud eos exulauit) admonitione: quâ edocti conſueuerant diu antequam Verbum caro fieret, deſideratúmque cunctis gentibus Saluatorem omnium, Virgo pia in Ægyptum transfuga, afferret; Virginem in lecto poſitam, & infantem iacentem in præſepio adorare. Hebræorum igitur ex traditione ac reſeratione veriſimile eſt, Druidas illos, PARITVRAM VIRGINEM prænouiſſe, indéque ædificandæ ſub hoc titulo aræ, cum imagine ſacra, Virginem illam exprimente, accepiſſe occaſionem. Lucam verò cùm afflatus diuino ſpiritu, Paulóque duce, euangelizaret in Gallia, aduentum tamdiu expectatum; Virginis ac eiuſdem prolis diuinæ effigies, quarum ſpecies menti altè impreſſas retinebat: (cùm pictu-

Iſa. 7.

ræ eximia peritia polleret) ex ipſo facierum viſu delineaſſe, atque Galliæ conſignaſſe, ad ethnicæ ſuperſtitionis fucum diluendum, & Chriſtianæ veritatis fulciendam prædicationem, piámque infigendam huius populi præcordiis, Chriſti omnium reparatoris, eiuſdémque ſanctiſſimæ matris, recordationem & venerationem.

Viſitur prope Diuionẽ in pagi de Talen Eccleſia, imago SS. Deigenitricis à S. Luca depicta.

SANCTVS LINVS

SEQVANORVM APOSTOLVS.

Exque S. Pauli aſſecla, B. Petri Vicarius, primúſque eius ſucceſſor in ſumma ſede Romana.

Anno Chriſti (vt certior fert ſententia) 44. Tamen intuitu dignitatis, B. Paulus à nobis (etſi tardiùs in Galliã venerit) præmiſſus eſt: Etenim (vt ait Dominus.) *non eſt diſcipulus ſupra magiſtrum.*

CAPVT PRIMVM.

Diſſertatiuncula admodum neceſſaria, de Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſalutifero curſu, necnon concurſu triumphali.

LVMINARIA duo magna in Eccleſiæ ſuæ firmamento Dominus ab initio collocauit, vnum quidem vt diei præeſſet, alterum nocti. Petrum ſcilicet, qui Iudæis, legis luce præditis; Paulum, qui Gentibus iacentibus in ignorantiæ veri Dei tenebris, Euangelico ſplendore præluceret. *Creditum eſt*

Geneſ. 1. 16. Vide ſanctũ Chryſoſt. in ep. ad Roman. ſerm 32. in morali exhortat.

mihi Euangelium præputij, ſicut Petro Circumciſionis. (ait Paulus ad Gal. 2.) *Qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatu, operatus eſt mihi inter gentes, & cognouerunt gratiam, quæ data eſt mihi.* Iudæis enim habentibus *legiſlationem & promiſſa, gloriam & teſtamentum*, Chriſti Vicarium prædicare præeſſéque primùm congruebat: *Chriſtus* enim *fuerat ipſe*, (vt Paulus ſcribit) *miniſter Circumciſionis, propter veritatem Dei, ad confirmandas promiſsiones Patrum*, Rom. 15. 8. Quamobrem etſi datus eſſet in lucem gentium, vt fieret ſalus omnium hominum *vſque ad extremum terræ.* Nihilominus propter prærogatiuam fœderis, cum patribus Iudæorum à Deo initi, & promiſſionum de Meſſia iiſdem factis complementum, primariò iis debuit & Saluator reuelari, & Euangelium prædicari, & gratia ad ſalutem offerri. Vnde Chriſtus quaſi proprius eorum doctor, intra Iudæorum fines docendo ſe continuit. *Non enim ſum miſſus* (dicebat Matth. 15. 24.) *niſi ad oues quæ perierunt domus Iſraël.* Verumtamen Paſtor ſaluatórque gentium quoque erat, idcirco dicebat. *Alias habeo oues, quæ non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet vnum ouile & vnus Paſtor*, Ioan. 10.16. Tametſi igitur Petro Iudæorum primario, Apoſtolatum quem ipſe obierat ſpecialiter attribuerit, Paulóque gentium eruditionem & illuminationem commiſerit, nihilo ſecius, quia oportebat vt fieret de Iudæis & gentibus *vnum ouile & vnus Paſtor.* Petro cui, præ-

Rom. 9. 5.

Iſa. 49. 6.

ter *Apoſtolatum Circumciſionis*, generalem commiſerat vice ſui, totius ouilis ſui procurationem: Ioan. vlt. *Paſce* (ei inquit abiturus ad Patrem) *oues meas, paſce agnos meos.* Tunc enim illum, ait S. Ambroſius, *Vicarium amoris ſui* (quo omnes homines complectitur) fecit, *& ſuper omnem familiam ſuam, illum Paſtorem conſtituit.* Quapropter cùm curam ouium Petrus ſibi demandatam cognoſceret, plenario in Apoſtolorum conſeſſu pronuntiauit, ſibi gentium quoque commiſſam fuiſſe illuminationem & tutelam. *Viri fratres, vos ſcitis quoniam ab antiquis diebus, Deus in nobis elegit, per os meum audire gentes verbum Euangelij, & credere*, Act. 15. Et primus reuera fuit, qui ex diuino viſu & monitu, Gentes, cæli vtique Ianitor & Paſtor vniueſarlis Dominici gregis, in Eccleſiam introduxit. Act. 10. Nec interim Iudæos primariò ſibi commendatos ob memoriam Patrum & priſci fœderis gloriam, veritatíſque teſtimonium deſeruit: niſi cùm implacabile illorum in Chriſtum odium, deſperatámque (ob perfidiæ ſcelus inueteratum) omnino eorum ſalutem, animaduertit. Tunc enim plena intentione ad gentes conuerſus eſt, iuxta illud: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, ſed quoniam repellitis illud, & indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce conuertimur ad gentes*, Act. 13. 46. Quarum etſi Pau-
Rom. 11. 13. lus proprius eſſet Apoſtolus: Petrus tamen, ex iniuncta totius gregis Domini cura & tutela, Paſtor generalis erat. Cúmque repudiatis ob in-

credulitatem Iudæis, Eccleſia foret toto orbe ex gentibus colligenda, ſedéſque ſupremæ religionis, & ſpecula ſummi œcumenicíque Paſtoris, in orbis idcirco Metropoli, vrbe gentium dominatrice, arcéque imperij, Româ ſcilicet, *arcana Dei* diſpoſitione, conſtituenda eſſet: tum Petrus impulſu diuino, poſtquam iam è Palæſtina digreſſus Antiochiæ Syriæ Metropoli (vbi gentes cum Iudæis confluebant) Pontificatus Chriſtiani exordia iniiſſet, annis * quinque illic in Epiſcopali munere obeundo commoratus, interímque ſucceſſiuis vicibus paululum diſcurrens, aliquas, non adeò remotas prouincias, perluſtrando fidei facibus illuſtrâſſet: regreſſúſque ad modicum Hieroſolymam ab Herode in vincula coniectus, ab Angelo ereptus fuiſſet. Tum certè demum ipſe Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani (diuinis conſiliis) deſtinatus eſt imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficaciùs ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Ideóque ille, nec vt dubius de prouectu operis, aut de ſpacio ignarus ætatis, trophæum crucis Chriſti, Romanis arcibus iam intulit, quò *illum diuinis præordinationibus anteibant, & honor poteſtatis,* (ait. S. Leo) *& gloria paſſionis.*

Pſal. 2. Act. 1.

* Non ſeptem: nam alioquin non veniſſet Romam an. Claudij 2. vt S. Hieronymus ſcribit in Catalogo. Cùm enim Euſebius ponat in Chronico, ingreſſum Petri Antiochiâ, anno à paſſione Domini 5. qui erat ab eius natiuitate 39. expletus, vel 40. inchoatus. Certè ſi venit Petrus Romam (vt ſcribit S. Hieronymus poſt ipſum Euſebiũ; & Ado in Martyrologio, innuítque Paulus Oroſius lib 2.) anno Claudij 2. qui erat Domini iam excurrens 44 Certè non potuit ipſe S Petrus ſedere Antiochiæ annis 7: ſed tantùmmodò 5. vnde eſt quò corrigas errorem Bellarmini in Chronologia ſua ponentis Pontificatum Petri Antiochiæ, anno Domini 39. ineuntem & 44 finientem, poſt ſeptẽnium. Hoc enim, vt patet, ſtare nõ poteſt.

Hoc contigit, vt certiſſima habet omnium ſupputatio, anno Chriſti 44. qui 2. erat Claudij Imperatoris: tum Paulô quem ad ſtabiliendam Romæ religionem diuina prouidentia, gloriæ Petri conſortem præordinauerat, aliarum adhuc Eccleſiarum inſtitutionibus occupatô: antequam enim abiret omnino Antiochiâ Petrus, Paulo dexteram aſſociationis cum Iacobo & Ioanne porrexerat, adeóque illum *Doctorem gentium in fide* ex decreto Spiritus ſancti, ſuffragantibûs collegij ſacri primariis ſymmyſtis, conſtituerat, cùm ſcilicet, vt egregio carmine Arator cecinit.

Gal. 1.2. Act. 13. & 15.

Spiritus accenſam verbo radiante lucernam,
Sub modio lucere vetans, ſecernite Saulum
Dixit in oris opus. Quem mox ſacrauit euntem
Impoſita Petrus ille manu, cui ſermo Magiſtri
Omnia poſſe dedit, &c.

Abierat enim tunc Paulus, ſic renuntiatus gentium Magiſter, inde in Seleuciam, mox in Cyprum, inde per Lycaoniam, Piſidiam, Pamphiliam, Antiochiam cum Barnaba repetens, Hieroſolymam rurſum peruenit, interfuítque primo Concilio Hieroſolymitano, Act. 15. Cui Petrus, Româ (vbi iam annos ſeptem *primus Chriſtianorum* Pontifex, vt verbis vtar Euſebij, in Epiſcopatu ſummo gerendo confecerat) expulſus cum ceteris Iudæis à Claudio Imperatore, primatus ſui auctoritate præfuit, anno Chriſti vel 51. labente ſcilicet, vel 52. ineunte, ſiquidem hoc factum notat Euſebius, anno à paſſione 18. Hinc-

Act. 13. 3. 4. & c. 14. 23. 24. 25. Act. 15. 2. & Act. 18.

Euſeb. in Chron.

que Pontum, Galatiam, Capadociam, Aſiam & Bithyniam per quinquennium peragrauit, Chriſtianis legibus multas hîc animas ſubdidit: quo tempore elapſo, Claudiíque Imperatoris audita morte, Romam Petrus ipſe reuerſus eſt, anno Domini 57. auſpicante Imperium Nerone, ſub quo Petrus prorogato Apoſtolico præſulatu, inſigni triumpho, quo deuicit Simonem impietatis ducem: morte nempe ſua (vt prædixerat ei Dominus Ioan. vlt.) *Deum clarificauit*, anno ipſius Neronis penultimo, qui Chriſti erat 69. ferè expletus. Interim verò Paulus, iterum miſſus ad gentes ex præmemorato Hieroſolymæ Concilio, cum Sila & Barnaba peragrauit Syriam & Ciliciam, deinde Phrygiam, Galatiam & Myſiam: inde venit Troadem, vbi per viſionem vocatus in Macedoniam, Europam ingreſſus, *pertranſiit, vt ſol terras percurrens* (ait eleganter Chryſoſtomus hom. 73. ad populum) Bœotiam, Achaiam, Epirum. *Sicque ab Hieroſolymis vſque ad Illyricum percurrens*, omnes in circuitu regiones Euágelij prædicatione impleuit (quemadmodum ipſe commemorat Rom. 15. v. 19.) ac tandem rediit Hieroſolymam, vnde ductus Cæſaream vinctus ibi in carcere annos duos exegit, Act. 24. 27. túmque (Act. 27. 1.) inde Romam vinctus miſſus eſt, anno exeunte 58. ſed liber dimiſſus, poſt elapſum biennium, Italiam, Galliæque oras ac Hiſpaniæ partem, aliáque loca Euangelium prædicando, Eccleſias excitando, paſtores inſti-

Act. 15.

Tom. 5.

tuendo peragrauit: donec ſecundò Romam veniens, cum Petro Chriſtianæ militiæ ſummo duce, Simonem Magum aggreſſus ſuperauit, ac deiecit, tandémque iuſſu Neronis capite plexus, lauream Martyrij vnà cum ipſo Petro eodémque die & anno obtinuit.

Sic ſe habuit Principum horum Eccleſiæ curſus & concurſus. Hæc enim duo luminaria magna voluit Dominus coniuncto feliciſſimo influxu, & luminis & virtutis, Romam caput mundi illuſtrare: binas has columnas Eccleſiam omnium ſummam fulcire, duos hoſce fontes plantatam hîc religionis radicem irrigare, matricem omnium Eccleſiarum, duo hæc flumina paradiſi fœcundare, háſque duas Apoſtolicas coronas principantis Eccleſiæ cingere verticem, binos hoſce flores eximios ſponſæ ſuæ decorare ſinum, duos hos oculos vrbem orbis Dominam illuminare radiis fidei indeficientis, & gratiæ perennis ac gloriæ. Pulchrè omnino S. Maximus Epiſc. Taurinenſis, arcanum hoc diuinæ bonitatis & ſapientiæ perpendens conſilium. *Non ſine cauſa factum putetis* (ait) *quòd glorioſiſſimi Chriſtianæ fidei principes Petrus & Paulus vna die, vno in loco, vnius Tyranni tolerauêre ſententiam. Vna die paſſi ſunt, vt ad Chriſtum pariter peruenirent. Vno in loco, ne alteri Roma deeſſet: ſub vno perſecutore, vt æqualis crudelitas vtrumque conſtringeret. Dies ergo (puto) pro merito, locus pro gloria, perſecutor decretus eſt pro virtute. Et in quo tandem lo-*

Serm 32. in ep. ad Rom. in exhort. morali.

Hom. 5. de SS Apoſt. Petro & Paulo.

co martyrium pertulerunt. In vrbe Româ, quæ principatum & caput obtinet nationum, vt vbi caput ſuperſtitionis erat, illic caput quieſceret ſanctitatis, vbi gentilium principes habitabant, illic Eccleſiarum principes morerentur. Cuius autem meriti ſint beatiſſimi Petrus & Paulus, hinc poſſumus intelligere, quod cùm Dominus Orientis regionem propriâ illuſtrauerit paſſione, Occidentis plagam (ne quid minus eſſet) vice ſui, Apoſtolorum ſanguine illuminare dignatus eſt.

CAPVT SECVNDVM.

Conciliatio binæ ſententiæ, quarum altera Linum facit Pauli ſectatorem: altera Petri Vicarium, & deinde ſucceſſorem aſtruit.

HÆC de beatiſſimorum Apoſtolorum Petri & Pauli variis, per diuerſa loca & tempora, excurſibus, conſociatione finalíque concurſu operæpretium fuit prætexere, vt miſſiones ſubſidiariorum Euangelij præconum ab iis vario tempore delectorum ad diuerſas gentes, potiſſimum verò ad Galliarum populos, cæleſti luce perfundendum (quæ ſine hac deſcriptione demonſtrari nequeunt) fulciremus ac oſtenderemus. Inter quos cùm Linum quoque virum planè Apoſtolicum cenſeamus, quem in Apoſtolorum Galliæ protomyſtarúmque noſtrorum cooptamus cœtum: hanc facem neceſſe prorſus fuit præmittere, cuius ſplendore, obſcuram, quæ circa huius beati viri ad noſtram gentem legatio-

nem acceſſúmque occurrit, elucidaremus, ancipitémque quæſtionem. Vt enim hæc propoſitio definiatur, *à quo amborum Linus ipſe in Galliam ablegatus fuerit, Petróne, vel Paulo; ac quando eò ipſe acceſſerit:* componenda eſt certè priùs bina ſententia, quæ illum dum huius æquè ac illius Apoſtoli diſcipulum efficit atque adminiſtrum, neutri ſanè proprium tribuit; ideóque nec liquidum ſinit, à quo mitti, quandóque in Galliam venire potuerit.

Et verò ab vna parte S. Ignatium audio ad Trallianos loquentem. *Quid ſunt Diaconi,* ait, *niſi Chriſti imitatores, Epiſcopo, ſicut Chriſtus Patri, miniſtrantes operationem illi mundam, Angelicarúmque virtutum inſtar, purum illi miniſterium: quomodo S. Stephanus B. Jacobo, Timotheus & Linus Paulo, Anacletus & Clemens Petro?* Igitur ex aſſertione S. Ignatij, qui Apoſtolorum ipſe aſſecla fuit, principíſque eorum, ſecundus in Antiocheno Epiſcopatu hæres, Linus adhæſit Paulo, vt magiſtro diſcipulus, vt Epiſcopo diaconus, ſicut Clemens & Anacletus Petro. Quod non obſcurè indicat ipſe Paulus ſub oram epiſtolæ poſterioris ad Timotheum, vbi hunc ſalutat ex Lini nomine, quaſi & illi notiſſimi, & ſibi proximè coniuncti. Quod valdè mirum, inquies, nam alia ex parte Græcorum eſt communis Latinorúmque teſtificatio & conſenſus: LINVM adhæſiſſe Petro, ita quidem arctè, vt fuerit eius primarius adminiſter, & in vrbico Epiſcopatu coadiutor.

perpetuus, principaliſque Vicarius, demum & primus eiuſdem ſucceſſor in orbis œcumenico Pontificatu. Sic enim ſcribunt vnanimitérque docent Irenæus l. 3. c. 3. Euſebius in Chronico, in hiſtoria quoque Eccl. lib. 3. c. 12. Epiphanius hæreſ. 27. c. 41. Nicephorus lib. 3. c. 2. Optatus lib. 2. contra Parmenianum; Hieronymus in catalogo, & in c. 52. Iſaiæ; Auguſtinus epiſt. 165. ad Generoſum, & omnes poſteriores paſſim: congruenter faſtis Romanæ Eccleſiæ, quæ nunquam aliter Pontifices ſuos, ſummóſque itidem orbis Patres recenſuit, quàm vt Linum ſuccedentem proximè Petro reponeret, quin & teſtaretur illum ante mortem Petri vicariatu eius in vrbis ſacra præfectura cum Cleto diutiſſimè perfunctum, eo modo vt præſente Petro, ambo illi ſicut Corepiſcopi externa curarent; Petro autem abſente, Linus vrbis ſacra adminiſtraret & Eccleſiam regeret, Cletus ſuburbicaria procuraret, ſicut ſuprà pleniùs oſtendimus.

Conciliandæ huic difficultati benè admodum conuenit Hippolyti Martyris Dorotheíque traditio, qui *in ſuis diſcipulorum Domini* ſecundariæ claſſis *(quos 72. dicimus) catalogis*, Linum annumerant, fuiſſéque aſſerunt ex iis vnum, eorúmque ſententiam *in noſtra Synopſi 72. diſcipulorum* Chriſti nondum *excuſſa*, expendimus, & ratam fecimus *num. 33.* Hac enim poſita adſtipulatione, haud ita arduum fuerit vtramque conciliare ſuprà memoratam ſententiam. Cùm enim non re-

pugnet penitus, quòd ſanctus Linus duobus primoribus Apoſtolis ſucceſſiuè adhæſerit: vt vtraque ſententia maneat ſincera, dicere licet, Linum primum in Oriente adhæſiſſe Paulo: deinde Petro Romæ adiunctum, immò verò ab illo, è Syria Græciáque reductum, cùm vrbem ipſam mundi dominam, Liníque natale ſolum, ad ſubigendum Chriſti imperio caput orbis, Petrus ipſe fortunatiſſimâ dignáque Chriſtianæ militiæ ſummo duce, expeditione aggrederetur. Nec enim quòd Italus fuerit Linus*, inde ſequitur; quòd ſe ſemper intra patrij ſoli fines continuerit. Italica iuuentus gloriæ militaris, vel ſcientiæ cupida, per Romani orbis tum ſolebat prouincias excurrere. Maximè adire Græciam politioris literaturæ amore: hincque vicinam in Syriam, Hieroſolymam vſque progredi, ob templi celebritatem, Gentium penè omnium perennem ibi confluxum, myſticæque ſapientiæ, quæ magna cum orbis exiſtimatione illa in vrbe florebat, deſiderium. Nam ſcholæ erant inſignes Hieroſolymis, vt Philo & Ioſephus teſtantur, colligitúrque ex Act. cap. 20. Húcque ſiue religionis, ſiue ſtudiorum causâ, omnes conſueuiſſe nationes confluere innuitur ſatis perſpicuè, Act. 2. vbi ſicut refert S. Lucas, erant homines ex omni natione quæ ſub cælo eſt, nominatímque *aduenæ Romani*, ſeu vt Syrus habet, *qui venerunt ex vrbe Roma:* aut vt legit ſanctus Auguſtinus, *qui aduenerant Romam.* Ex iis igitur eſſe potuit S.

*B. Linus origine Tuſcus erat, patria Volateranus.

Contra ep. fund. c. 9.

Linus. Cúmque Hieroſolymis degeret fortunatiſſima Chriſti ætate, nihil obeſt, quin (vt teſtantur Hippolytus & Dorotheus) ab eo in numerum diſcipulorum fuerit cooptatus. Nec enim omnes qui in hanc claſſem à Domino adlecti ſunt, Hebræi erant vel Iudæi, ſicuti in noſtra Synopſi 72. diſcipulorum demonſtrauimus in Vrbano n.20*.

* Hoc ſub programmate. *Controuerſia de Vrbano aliiſque ſanctis ex cap. 16. epiſt. ad Romanos, in hanc ſeriem à Dorotheo & Hippolyto adſcriptis, an ſcilicet Chriſti fuerint, aut potuerint eſſe diſcipuli.*

Chriſtus enim Dominus cùm ideo in *mundum veniſſet, vt filios Dei diſperſos congregaret in vnum*, Ioann. 11. 52. *adducerétque oues* ex omnium diuerſitate gentium, vt *vnum* ex orbis populis *fieret ouile, cuius vnus eſſet ipſe Paſtor*, Ioan. 10. 16. diuino id effecit conſilio, vt ex diuerſis nationibus collectis diſcipulis, orbem deinde per eos faciliùs (cum quiſque illorum ad gentem propriam mitteretur) ſuæ agnitionis lumina illuſtrando, ſuam in Eccleſiam (quæ foret vniuerſalis) aduocaret. Fuerit igitur vnus ex iis B. Linus, qui aſſumpto ad patris dexteram Saluatore, aliquandiu Hieroſolymis cum Apoſtolis permanſerit, quibuſcum aliiſque 120. diſcipulis (totidem enim illapſu ſanctificatos diuini luminis, docent ſanctus Hieronymus *epiſt.103* & S. Auguſtinus *tract. 2. in epiſt. Ioan.*) Spiritus ſancti donis repletus eſt. *At in perſecutione magna quæ ſub Stephano facta eſt*, qua (vt ſcribit S. Lucas) omnes diſperſi ſunt (præter Apoſtolos) diſcipuli; ex quibus nonnulli perambulauerunt vſque Phenicem, Cyprum & Antiochiam: certè tum pulſus ea

Act. 8. 1. 11. 19.

turbine Linus, potuit Antiochiam ſe recipere cum illis diſcipulis, de quibus ſcribit idem S. Lucas: *Qui cùm introiſſent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dominum* IESVM, *& erat manus Domini cum eis, multúſque numerus credentium conuerſus eſt ad Dominum. Peruenit autem ſermo ad aures Eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis, & miſerunt Barnabam vſque ad Antiochiam, qui cùm perueniſſet, & vidiſſet gratiam Dei, gauiſus eſt & hortabatur omnes, in propoſito cordis permanere in Domino.* Ad quod vſque tempus, Linum non veriſimile eſt Paulo fuiſſe coniunctum. Qui certè Paulus nundum Antiochiam adierat: nam ſtatim à conuerſione ſua Damaſcô diuina ope elapſus progreſſúſque Hieroſolymam, atque à Barnaba Apoſtolis præſentatus, & ab iiſdem demum ſuſceptus: hincque ob inſignem fidei ardorem à Iudæis pulſus ſiquidem, vt ab eorum inſidiis ſeruaretur: tum deductus à fratribus fuiſſe perhibetur vſque Cæſaream; móxque dimiſſus Tharſum, ibidem perſtitit. Interim excurrens in Arabiam ob diſſeminationem Euangelij, quouſque Barnabas, vt apta eius ope iuuaretur ad promouenda naſcentis Antiochenæ Eccleſiæ crepundia, *Profectus eſt Tharſum*, ait S. Lucas Act. 11. 25. *vt quæreret Paulum, quem cùm inueniſſet perduxit Antiochiam, vbi annum totum conuerſati ſunt & docuerunt turbam multam.* Ita vt cognominarentur primùm Antiochiæ DISCIPVLI CHRISTIANI.

Act. 11. 19. 20.

Act. 9. à 17. ad 30.

Tunc igitur Linus potuit venire in Pauli no-

titiam, atque conſortium, eíque (quod ait ſanctus Ignatius) in Diaconi munere miniſtrare; ſcilicet in diuinæ Liturgiæ officio. Hanc enim Antiochiæ Paulum celebraſſe cum ceteris ſacris viris diſertè teſtatur S. Lucas, Act. 13. 2. vbi Eraſmus (ſtupente quantumuis Beza & eius aſſeclis) λειτουργούντων, *ſacrificantibus*, de illis interpretatus eſt: nec obſtat quòd hîc non commemoretur Linus nominatim. Nam S. Lucas plures fuiſſe ibi innuit Doctores* & Prophetas, quàm nomina quorum indicat: *Erant*, inquit, *in Eccleſia quæ erat Antiochiæ, Prophetæ & Doctores, in quibus Barnabas*, &c. *& Saulus*. Neque Lucas in Actis omnia Pauli minutim facta commemorat, nec eius omnes diſcipulos, cooperarióſque enumerat, ſicuti patet de ipſo Clemente, quem nominat nullibi. Paulus autem ipſemet in epiſt. ad Philippenſ. cap. 4. *ſuum adiutorem*, magno cum elogio appellat: vt & Linum ipſum fuiſſe indicat *capite vltimo poſterioris ſuæ ad Timoth*. Non tamen perpetuò hæſit Linus Paulo, ſicuti nec Clemens, qui ab eius conſortio tranſiit ad Petri Apoſtolorum omnium patris* comitatum, & ſacrum præbuit illi miniſterium, vt S. Ignatius innuit, & ipſe Clemens ſuis in ſcriptis maior omnibus teſtis eſt. Puto igitur cùm Petrus ſedere cœpit Antiochiæ, quod contigit anno Christi 37. effluente: tum Linum illi primo adiunctum, neque ab illo poſtea niſi ad breue tempus ſeparatum: at grauiſſimis ab ipſo adhibitum rebus;

Act. 13. 1.

* Ipſorum enim Apoſtolorum Petrus erat Paſtor. Oues namq. Chriſti erant præ ceteris Apoſtoli. At verò Chriſtus Petro & oues ſuas & agnos,

hoc eſt, vniuerſum gregẽ ſuũ, paſcendum commiſit. Ioã 21. 16. 17. 18 Igitur & Apoſtolos Petro vt paſtori, curãdos regendóſq; commendauit.

demum Romam cùm ille primum adiret inter primos aſſeclas adductum, vt ope eius mediâ, natali ferè in eius ſolo, Petrus tantæ vrbis (quæ humano generi, iure imperij ferè vniuerſalis præſidebat) conuerſionem aggreſſus percommodè vteretur. Cui tanto fuit ſubſidio atque ſolatio ipſe Linus, vt oneris præcipuus ſubleuator cùm eſſet, Coepiſcopus adiutórque primus in tanto Epiſcopatu adminiſtrando, (cui annexa erat cura orbis) conſtitueretur. Deinde ipſi per crucem in cælum euecto, ob meritorum prærogatiuam, (cedente honore, non onere toto ipſomet Clemente) immediata vice ſuccederet. Vnde cùm vinctus Romam Paulus fuiſſet perductus, anno 59. ibi Linum inuenit vice Petri aliò tum agentis, Eccleſiam curantem: nam huius, *in calce epiſtolæ poſterioris ad Timotheum*, quæ Româ ſcripta ac miſſa eſt, commeminit nominatim; Timotheum ipſum veterem ſuum ſymmyſtam mutuæ amicitiæ officio ſalutantis cap. 4. v. 21. Atque hæc de Lino S. Pauli primùm ſectatore, deinde ſancti Petri diſcipulo, Vicario ac ſucceſſore, ad ſoluendam præpoſitam quæſtionem, ſatis fusè quidem pro operis huius noſtri inſtituto, expoſita, atque dilucidata videntur.

CAPVT TERTIVM.

De tempore, quo Biſontium venit ſanctus Linus, miſſus à ſancto Petro.

BISONTINA Eccleſia, quæ & Veſuntionenſis, & Chryſopolitana, dum originis ſuæ primordia oſtendit, hæc B. Petro refert accepta, à quo primum Epiſcopum ſuum B. Linum acceperit, qui illatis ibi primis Euangelij facibus, Maximæ Sequanorum Metropoli (quæ ipſa Biſontium eſt) Apoſtolicis, immò diuinis auſpiciis, Chriſtianam primus omnium inuexerit religionem; póſtque annum illic expletum, ad beatiſſimum ſuum Magiſtrum redierit, cui & viuenti ſuffragatus, & paſſioni dominicæ adæquato in vrbis & orbis Pontificatu ſucceſſerit. Hæcque tam vera eſſe & explorata in ſuæ Veſuntionis 2. parte aſſerit doctiſſimus Chiffletius, vt nefas ingens ipſe exiſtimet, apertiſſimæ adeò veritati, tot ſæculorum fide firmatæ, tot fulgidis fixíſque monumentis roboratæ, mera ex negandi antiquas traditiones libidine, refragari. Nam acta ipſius S. Lini Veſuntione peracta, id planè probant, quæ à Maioribus transfuſa in poſteros, ſyncera prorſus, & locorum ac perſonarum definita circumſtantiis, adeóque excerpta ex *adorandæ*, vt ait, *vetuſtatis Codd.* relatione nitida expromit: Faſti ſacri Eccleſiæ antiquiſſimi, qui aduentum eius Veſuntionem ſacris annuis recolen-

dum ſignant die 26. Nouembris; ſacratáque Veſuntione ab ipſo Linò prima orationis ædicula in fundo Onaſij Tribuni; idolorum quæ hic è columnis diuina vi deturbauit patentia fragmenta, columnarum baſes adhuc conſpicuæ & periſtylia, quorum ſpecimina exprimit reponítque æneis inciſa tabulis, pag. 57. 1. ſuæ partis impreſſa, aliáque inſignia plurima quæ publica ſunt, hanc veritatem rei geſtæ palam innuunt & conteſtantur. Non igitur hîc agitabitur quæſtio, num S. Linus à B. Petro miſſus, Veſuntione ſalutarem ortum ſolis iuſtitiæ primus prædicauerit: cùm affirmatio huius prorſus comperta ſit. At ſolùm, *quo tempore eò legatus acceſſerit.*

Chiffletius in ea eſt ſententia, vt anno Chriſti 54. B. Linum veniſſe illam in vrbem arbitretur, hanc enim notam eius aduentus fultam aſſerit antiquis indicibus & cenſet omninò certam. At ego nõ modò incertam eam reputo, quin prorſus reor illam nullo modo poſſe defendi. Certè enim, vt ex Chronologico calculo peregrinationum, atque etiam ſtationum B. Petri ſuperiùs delineato liquet, beatus ipſe Apoſtolus anno Chriſti 54. Romæ non erat, vnde pulſus fuerat à Claudio cum omnibus Iudæis iam anno 51. Nec rediit, niſi mortuo ipſomet Claudio, Nerone Imperium capeſſente, nimirum anno 57. quamobrem non potuit an. 54. Româ Veſuntionem mittere Petrus: nec euoluto anno, quem tranſegit Linus ipſe Veſuntione, hinc redeuntem ad ſe Romæ

(iam ſecunda vice ſedentem) illum ſuſcipere. Neque iuuat ducta ex Onuphrio obſeruatio Chifflctij. ait ſolus Onuphrius Linum fuiſſe * Coepiſcopum à S. Petro conſtitutum an. 57. occaſione ſcilicet orta ex neceſſitate, nempe ob auctam admodum Romæ fidelium multitudinem, cui curandæ Petrus ipſe ſolus iam impar eſſet. At verò Onuphrij ſingularem opinionem, vt ratam habeam, & inſuper gratis concedam rectè ſequi quod Chiffletius colligit: iam Linum igitur fuiſſe Veſuntione Romam regreſſum: inde tamen nego poſſe elici, quòd anno labente 54. Linus inde redierit. Potuit enim ac debuit (ſi, à Petro miſſus, ad eum Romæ ſedentem iam ſecundò, reuerſus eſt) diu ante annum ipſum 54. Veſuntione rediiſſe. Cùm enim ante triennium, iam Româ Petrus abeſſet, inde à Claudio Imperatore, vt notum eſt, exturbatus, Hieroſolymíſque, anno 51. Concilio Apoſtolorum præfuiſſet: poſtea profectus in Aſiam, Pontum, Bithyniam, Capadociámque, peragrando has prouincias aliáſque, quinquennium abſumpſiſſet; cúmq. ipſe Petrus Romam non niſi primo anno Neronis qui Chriſti 57. erat repetierit, vt res patentiſſima eſt: toto hoc tempore impoſſibile eſt ſtatuere, quòd Româ ipſe Petrus Biſontium, Linum anno 54. miſerit, annóque elapſo redeuntem ad ſe ſuſceperit. Immò verò cùm Linus præcipuè à beato Petro perhibeatur ordinatus, vt abſentis ipſe Petri vicem impleret, cuius præſentis onus, ipſa

* ſeu Corepiſcopum

in vrbe (vt ſcribit Ioannes Papa III. ad Epiſcopos Galliæ & Germaniæ) ſubleuabat, dum Cletus ſuburbia, eiuſdem vice curaret. Certè ſi quando opus fuit, vt Linus Romæ hæreret, Eccleſiæ regendæ ac tuendo gregi intentus, tum hoc fuit maximè, cùm Petrus expulſus Româ, tam longè abeſſet, tamdiúque manſit ab Italia, adeóque toto Occidente remotus. Quis enim tunc gregem tutaſſet, à Petro collectum, Eccleſiámque ab ipſo, per continui ſeptennij labores, partam & prouectam, paſtore tam longè pulſo, tandiúque abſente gubernaſſet, conſeruaſſet? Linus certè is erat, ſi quis alius, qui tum Petri locum tenuit, minus ethnicis exoſus, quòd Iudæus non eſſet, ſed quia fermè indigena Romanus, vtpote Tuſcus origine: quem ideo eo ipſo anno, atque adeo illa occaſione, cùm extruſus fuit vrbe Petrus, ab eo conſtitutum Coepiſcopum, ſeu ſpecialem Vicarium, anno ſcilicet 51. ineunte, omninò aſſerere conſentaneum eſt. Hinc igitur neceſſariò supereſt affirmandum, Linum, cum aliis primis Galliarum illuminatoribus (acta enim eius habent pleroſque cum eo ablegatos) tempore illius ſeptennij, quo Petrus primùm Romæ ſedens, Eccleſiam fundauit ac euexit, ab eo fuiſſe miſſum: ſcilicet intra id tempus, quod effluxit ab anno 44. quo, vt teſtantur Euſebius, & ſanctus Hieronymus, Petrus Apoſtolus Romam primùm ingreſſus eſt, ad annum 51. quo coactus ſolum vertere, Româ exceſſit, atque in

Syriam remeauit. At ſignare digito, quo certè illius ſeptennij anno, Linus ita cum ſymmyſtis fuerit à S. Petro in Galliam amandatus, ſicut vix fieri poſſe cenſeo, ita nec multum opus eſſe indagini tam operoſæ, & fortè impoſſibili aſſecutione puncto, immorari. Certum eſt quod præmittit Chiffletius narrationi ſuæ de S. Lini geſtis Veſuntione; beatiſſimum Apoſtolorum principem Petrum, cui tum ex feruenti Chriſti amore, tum ex ſummi Eccleſiæ paſtoris officio, ingens inerat fidei latè propagandæ ſtudium, varios in pleraſque orbis partes Euangelij æterni præcones deſtinâſſe, quódque tradit Innocentius I. in epiſt. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum, S. Petrum Galliarum & Hiſpaniæ ſaluti adeò ſedulò proſpexiſſe, vt primos huc Euangeliſtas miſerit, quorum miniſterio & populos docuit, & Eccleſias inſtituit. Certum etiam quod comprouinciales Epiſcopi prouinciæ Arelatenſis, ſcribentes ad Leonem Magnum conteſtantur, *Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta*, cura & beneficio Petri beatiſſimi Apoſtoli per Galliæ regiones erupiſſe, hincque *bonum fidei & religionis iiſdem fuiſſe infuſum.* Quo ex ardenti zelo ſummi Eccleſiæ Paſtoris ſupremíque Apoſtoli, ſi quis colligere voluerit nullas illum moras illuminandæ Galliæ pati potuiſſe, ſed mox ac Romæ, fidei exorſus eſt conſtituere fundamentum, oculos paternæ ſollicitudinis, in ampliſſimas Galliarum regiones, ſibi obuias adeóque conſpicuas inten-

diſſe, Linúmque & quotquot tanto operi magis idoneos habuit aſſeclas, illicò deſtinaſſe: nihil obſtare poterit, quin anno ipſo 44. quo primò Romæ religionem ſtatuebat, aliis pleriſque fretus adiutoribus, agmen hoc Euangelicum in Galliam ſummiſerit. Quæ coniectura ſi valeat, alia ei ſuccedit. Nempe quòd ex codicum vitio, in ſeriem Biſontinorum Epiſcoporum, vbi anno 54. aduentus ſancti Lini & aſſeclarum, eam in vrbem notatur, 54. pro 44. irrepſerit. Sicut enim hoc factu ſatis peruium eſt, ita originem Biſontinæ Eccleſiæ, quò antiquiorem reddit, efficit ſanè nonnihil ſpectabiliorem. Accedit huic inſinuationi, Eccleſiæ Senonenſis traditio, quæ aſſerit miſſos ad Senonenſem Metropolim à S. Petro SS. Sauinianum, Pontentianum eorúmque ſocios, anno 11. ab Aſcenſione Domini, qui in annum excurrentem prædictum 44. coincidit. Hoc igitur anno, primam nunciorum ſalutis legationem in Galliam factam ab Apoſtolorum principe, ſub cæleſtis imperij Chriſti triumphantis, ſedem Romæ collocante, magis congruum eſt præfixæ ex ſcripturis & Sanctorum teſtimoniis, temporum S. Petri conſignationi, exiſtimare: neque enim certioribus definitionibus, rem hanc totam mihi videor potuiſſe dimetiri, niſi fortè ſpatium amplius temporis ad commodiùs rebus Gallicis proſpiciendum, S. Petro fuiſſe neceſſarium cuique videatur. Tum enim totum illud ſeptennium, quo primùm ſedit Romæ B. ipſe Chriſti

Vide infrà, in *S Sauiniano.*

Vicarius lubenter adhuc conceſſerim, intra quod facile fuit beatiſſimo Apoſtolo, miſſionem non vnam, ſed plures inſtruere. Et reuerâ non vnam præconum Euangelij in Galliam tranſcriptionem ab eo initam exiſtimo: quamquam nullam hâc priorem fuiſſe reor, qua S. Linus cum ſuis ſodalibus miſſus, Veſuntionem ſuperno fidei lumine illuſtrauit. Nec poſt hanc (cuius albo S. Sauinianus cum ſymmyſta B. Potentiano, aliíſque, ex calculo inito venit iure adſcribendus) aliam reperire ſic editam, à ſancto Petro magis inſignem. Quæ tamen tantò minor eſt illa, quâ Paulus ipſe Petri Coapoſtolus, ex condicto Galliam ingreſſus, ipſam copioſa turba Apoſtolicorum prædicatorum, quos in meſſem ampliſſimam adduxerat, impleuit. Tantò enim Paulus Lino dignior, quantò diſcipulo magiſter eſt maior: quantóque meritis & honore Petro Paulus ipſe propinquior eſt: qui vnà cum ipſo Petro triumphaturus per extremum agonem, Linum ordinâſſe ſummum Eccleſiæ curatorem ac Epiſcopum, à S. Irenæo lib. 3. cap. 3. perhibetur: vnde ruit Funccij Lutherani, aliorúmque ſectariorum commentum, quo Linum volunt Petro præmortuum. Nam fieri nequit, vt quiſquam illum morte anteuertat, cuius defuncti ſucceſſor euadit. At Linum proximè Petro demortuo fuiſſe ſubrogatum in Pontificatu, conſtantiſſima eſt orbis vniuerſi conteſtatio, quam ſyngrapha ſua veneranda munierunt, præter præfatum

B. Irenæum, S. Epiphanius hæreſ. 27. Optat. lib. 2. contra Parmenianum, S. Auguſt. epiſt. 165. & ceteri plerique grauiſſimi Patres, & ſcriptores quique ſacri vetuſtiſſimi, neotericis aliquot cenſoribus, iiſq. ſectariis, longè plurimùm anteferendi.

I. RITVS

A S. LINO TRADITVS.

CAPVT QVARTVM.

Baptiſterij in Gallia, prima conſtitutio.

IN ipſo ortu Euangelicæ religionis, certo loco baptiſmus non aſſignabatur, inde, à petentibus diuinæ regenerationis gratiam expetendus: at ſimpliciter in fluuiis, vel fontibus obuiis baptizabantur credentes. Id patet vel ex relatione S. Lucæ cap. Act. 8. v. 36. 37. 38. quæ ſic habet: *Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam; & ait Eunuchus, ecce aqua quid prohibet me baptizari? & ait Philippus, ſi credis ex toto corde, licet. Et reſpondens ait, credo filium Dei Ieſum Chriſtum*, &c. *Et deſcenderunt vterque in aquam Philippus & Eunuchus, & baptizauit eum.* Sic Petrus iuſſit baptizari Cornelium cum vniuerſa familia & cognatione in ipſa domo eius, *Act. 10. 46.* Sic Paulus cuſtodem carceris, cum eius familia, in ipſo carcere baptizauit, *Act. 16.* & Lydiam in flumine, *Ibid.* qui fuit frequentior vſus. Nam ipſe Chriſtus,

ſtus, vt in nobis idem conſecraret lauacrum in Iordane, à Ioanne voluit baptizari, *Matth. 3. Marc.1. Luc.3.* Verùm quia furentibus in diuinæ gratiæ nuncios (& eos qui illis euangelizantibus auſcultabant) vbique infidelibus, publicus locus tutus non erat: lauacro ſacro miniſtrando, ſicut orationi communiter faciendæ, ſpecialis locus deputatus eſt, ſecretus quidem, ſed ita oportunus & commodus actioni diuinæ exequendæ, vt conuenientibus periculo non eſſet, & latices vbertim iiſdem puros ad myſterium exhiberet. Tum enim, ad ritus baptiſmatis non modica aquarum copiâ opus erat, quia Apoſtolicis temporibus trina merſio in more, immò (vt refert S. Clemens can. 49. Apoſtolorum) in præcepto fuit; ſcilicet ad innuendam maieſtatem & celebrandam confeſſionem diuinæ Trinitatis. Igitur S. Linus, quem primum in Gallias ſanctus Petrus, ad initiandum pietatis myſterium delegauit: cùm Veſuntione ſalutiferum munus exequeretur, multáſque Chriſto animas lucrificaret, (quarum de die in diem maior ac maior fiebat acceſſio:) vt tutiùs concurrentes admitteret, oratorium quidem in domo Onaſij Tribuni, credentium anteſignani, ex eius voto collocauit, in cliuo montis, vbi nunc cernitur S. Ioannis Euangeliſtæ ſacra ædes. Quo loco etiam baptiſterium inſtituit, quoniam, propter aquarum copiam, abluendis myſtico ritu, fidei Chriſti ſponſoribus, locus iſte percommodus erat. Ibi enim,

vt in eius actis legitur, *fons aquæ viuæ ab ipſis terræ meatibus euiſcerabatur.* Qua in Eccleſia S. Ioannis, quæ ſenſim ibidem ſuccreuit, ſeruatum eſt ad hanc vſque diem baptiſterium, cui ex perpetua (vt aſſerit Chiffletius, teſtis oculatus) & conſtanti traditione, à S. Lino nomen eſt, vulgò, FONDS S. LIN. *In ſacello*, inquit, *quod S. Eugendo poſtea conſecratum eſt, quódque in vetuſtis Eccleſiarum codicibus, primitiua capella appellatur. Quo in baptiſterio ſacris vndis elutos conſtat Veſuntione paruulos atque adultos, vſque ad tempora Migetij Archiepiſcopi Biſontini, qui annis abhinc amplius nongentis, in aliis quinque Eccleſiis, S. Ioannis Baptiſtæ, Iuſſani monaſterij, S. Mauricij, S. Petri & S. Laurentij, baptiſteria conſtituit, quæ vt propinquiora, faciliùs à ciuibus ac ſuburbanis adirentur, per totum annum, exceptis tamen hebdomadis Paſchæ & Pentecoſtes, in quibus, alio loco baptiſmum conferri vetuit, quàm in veteri maioris Eccleſiæ S. Ioannis Euangeliſtæ baptiſterio, ſancti Lini dicto, quo vel ea obligatione, locum illum agnoſcerent Biſontini, in quo primi apud eos Chriſti cultores, de B. Lini manu, ſacra myſteria ſuſcepiſſent.* Hæc ille.

Ceterùm mos ſtatuendi fixi vnius myſtici lauacri, vbi primitias credentium colligebant, familiaris fuit quoque aliis viris Apoſtolicis, qui Gallias fluentis ſalutaribus diuinæ gratiæ inundabant; ſicut in Martyrologio Galliæ nuper edito pleriſque exemplis inſinuauimus. Etenim baptiſterium Arelate à ſancto Dionyſio, poſtea

Pariſioru͂ protomyſta & Apoſtolo Galliæ, eluendis labis auitæ piaculis, in eius elogio 9. Octobris primum commeminimus conſecratum. Cuius lauacri myſtici Pariſiis erigendi, minimè fuiſſe ſtudioſum, fas non eſt exiſtimare. Certè in ſancti Benedicti baſilica, ſacellum conſpicuum eſt, in quo hæc inſcriptio legitur. *In hoc ſacello S. Dionyſius cœpit inuocare nomen ſanctiſſimæ Trinitatis.* Non quòd adorare Trinitatem hîc primùm cœperit; quam in proprio baptiſmate, quod à S. Paulo ſuſcepit, pridem confeſſus & veneratus erat. Sed quòd in hac ædicula primùm baptizare incœperit. Nam in baptiſmo, Trinitas diuina propriè inuocatur; vnde à Patribus appellitatur primarium hoc ſacramentum, *ſacramentum illuminationis*, & ſolennis inuocationis trium perſonarum almæ viuificæque Trinitatis. Clementem quoque Metenſium Apoſtolum, Apoſtolorum auditorem atque auxiliarium, Metis ſacrum lauacrum extruxiſſe in oratorio à ſe erecto ſub eodem titulo adorandæ Trinitatis: alterúmque in ædicula S. Ioannis Baptiſtæ, à ſe condita, obſeruandum tradidimus, ex antiquis monumentis in Martyr. Gall. die Nou. 24. Sed & S. Marcellinum parentem ac conſecratorem metropolicæ ſedis Ebredunenſis, ibidem memorabile quoque baptiſterium excitaſſe, quod precibus apud Deum promeruit, ſingulis vt annis in Sabbato ſancto, aquis ſalutaribus mirificè repleretur, & per ſeptem dies Paſchæ, vnda exuberante, plenum re-

* Vide can. Apoſt. 49. Iuſtin. Apol. 2. Athanaſ. ſer 3. cont. Arian. Hilar lib. de ſynodis in fine, &c.

maneret in eiuſdem natali 12. Kal. Maij, atteſtante Adone Viennenſi, qui hoc miraculum, ſuo adhuc æuo aſſeuerat perſeueraſſe, prodidimus. Aliáque eiuſmodi, eodem in opere, recenſuimus exempla, quæ fulcire probationibus, illuſtraréque obſeruationibus ſelectis ex ſacræ antiquitatis præſertim Gallicæ penu, noſtris in commentariis, fauente Dei gratia conſtituimus: quo in apodicticorum commentariorum opere, *ad diem 3. Januarij*, vbi *de baptiſterio Meldenſi* diſſerimus, ab Angelis, S. Genouefæ & tremulæ puellæ cum ea, quaſi ad aſylum virginitatis eò perfugienti, tam diuinè quàm opportunè reſerato; tractatum ſatis fuſum & non inaccuratum contexuimus, *de ſacris Eccleſiæ baptiſteriis, corúmque antiqua ſtructura, forma, ſitu & ornatu.* Quapropter hîc plura de ritus huius propagatione ac illuſtratione ſcribere ſuperſedemus: inſtituto enim huius tractatiunculæ ſufficit, quod annotauimus de ipſius ritus primæua origine. Huic loco tamen non ſuperfluum fuerit, neque diſſentaneum hæc dicta Walfridi Strabi ſubnectere, quibus de baptiſteriorum origine & accremento, ac decoratione, ſtrictè licet, tamen aptè & verè diſſerendo, ita eloquitur. *Initiò, in fluminibus, in fontibus, in domibus, in carceribus, in viis baptiſma adminiſtrabatur. Creſcente verò rerum progreſſu ac temporum, religionis honore, inſtitutionum Eccleſiaſticarum vſque ad plenitudinem decus creuit: creuit, & myſtici huius lauacri gradatim in maius celebratio. Itaque baptiſteria*

ampliſſima inſtituta fuêre, in quibus ſtatis ſolennibus cæremoniis, presbyteri ſacramentum fidei exhiberent. Sic erat iam adornatum Remenſe baptiſterium, quando S. Remigius Clodoueum Regem vnda myſtica expiauit. De quo ita narrat Hincmarus, in vita ipſius B. Remigij. *Interea eundi via ad baptiſterium à domo regia præparatur, velis ac cortinis depictis ex vtraque parte prætenditur, & deſuper adunbratur, plateæ ſternuntur, Eccleſiæ componitur baptiſterium, balſamo & ceteris odoramentis conſpergitur, talémque gratiam Dominus ſubminiſtrabat in populo, vt æſtimarent ſe paradiſi odoribus refoueri.* Quæ ad verbum videtur Hincmarus, mutuatus à Greg. Turon. qui hæc ipſa interiectis paucis aliis verbis tradit lib. 2. cap. 31. *Illuminatorium* autẽm conſueuiſſe appellari baptiſterium, habemus ex S. Greg. Nazianz. oratione in ſancta lumina, & Metaphraſten in elogio S. Martiani.

II. RITVS

A S. LINO TRADITVS.

Vt mulier non niſi velato capite, Dei templum ingrediatur.

INSTITVISSE B. Linum primum poſt ſanctum Petrum Apoſtolicæ ſedis Pontificem, *ne qua mulier niſi velato capite templum ingrediatur*, conſentiens eſt ſcriptorum aſſeueratio: immò id-

ipſum in ſacro natalis eius officio, quaſi rem compertam, & inſtitutionem tanto Pontifice dignam, Eccleſia legendum tradit. Nec obſtat quod ſuprà, ritum hunc, vt mulier velato oret capite, ſancto Paulo Apoſtolo (cuius auditor fuit Linus ipſe,) ex eiuſdem ſcriptis, vt auctori primario adſcripſerimus. Docuerat enim tantùm id Paulus Apoſtolus & Doctor Gentium: at Linus Petri ſucceſſor, vniuerſaliſque paſtor Eccleſiæ, id vbique ſeruandum, expreſſo decreto mandauit: fortè cùm videret fœminas, Apoſtoli tanti documentum, adeo inſigne ac honeſtum negligentes. Vtinam tamen ſummæ auctoritati, qua id ſanciuit, parem in iis obedientiam reperiiſſet. Viget certè etiamnum aliquo ſaltem modo Apoſtolici huius decreti auctoritas, ſed potiùs ſpecie quàm reipſa valet: certè enim velant ſe, hodiéque ferè paſſim Catholicæ mulieres, quando ſacra adeunt propiùs: ſed eo ſæpiùs velamento, quod non tegat at retegat earum ſpeciem; ſuáque tenuitate & illecebram pariat, & plerumque opertam eiuſmodi leui vmbraculo, fœminam, iuniorem quàm ſit, proſpicienti ſuadeat, fingátque certè non faciat, venuſtiorem. Pulchrè, piè, grauitérque omnino Tertullianus, lib. de veland. virginibus cap. 2. eas quæ vtuntur tenui eiuſmodi velamento redarguit, quòd illud magis *irritamentum ſit libidinis, quàm tegumentum pudoris, Gentilium potiùs fœminarum vſu, quàm Chriſto credentium, comparatum.*

Tametſi c. 17. eiuſdem libri, *ethnicas quoque mulieres fuiſſe Chriſtianis pleriſque in hoc prudentiores* (pudentiores aptiùs dixiſſet) innuit. *Arabiæ, fœminæ ethnicæ, non caput tantùm, ſed faciem quoque totam ita tegunt, vt vno librató oculô, contentæ ſint dimidia frui luce, potiùs quàm totam faciem proſtituere.* Et antea cap. 4. idem obſeruauerat de Hebræis. *Iudæis fœminis*, inquit, *tam ſolenne eſt velamen capitis, vt inde cognoſcantur.* Vtinam igitur Chriſtianæ mulieres, Iudæarum, quarum maiores ludibriosè velarunt Dominum*, & crucifixerunt, in diſciplina velamenti imitarentur pudorem, religioníque ſanctiſſimæ, ſua inuerecundia probrum ac dedecus (quod quia homines perdit, Angeli exhorreſcunt) non inferrent. Vel Linus vir Apoſtolicus, Apoſtolorúmque principum diſcipulus, & primatis ex aſſe heres, de cælo (vbi nunc cum illis triumphat) deſcenderet, nec iam decretis cùm peruicacibus ageret illis mulieribus, quæ ſe cùm Chriſtianas iactitent, impudentia tamen ethnicorum illuſtrant honeſtatem, Iudæarúmque verecundiam plurimum ſua petulantia infigniunt: at miraculis prodigiíſque eas coerceret, quibus vir ſanctiſſimus, Angelorúmque amicus dæmones abigebat. Non dubium enim quòd ſicut hos de corporibus, ita illas de locis ſacris, domóque Dei, zelo prorſus quo flagrabat Apoſtolico, expelleret. Ceterùm non id excupio. Sed vt qui vitæ lucíſque miniſter, mortuos ad vitam reuocabat, ſpiritum pri-

* Marc. 14. 65.

mum Chriſtianæ pietatis (cuius fœminæ Catholicæ, & nomen profitentur, & fidem) illarum in mentes ſua apud Deum interceſſione effundat, quo ſicut ad non vmbratilem deuotionem, ſed realem pietatem, ita quoque ad religioſum honeſtúmque pudorem (qui Chriſtianas mulieres
1.Tim.2.22. decet) *promittentes*, vt docebat ſanctus Paulus, *pietatem per opera bona*: & quod ſubiungebat eiuſmodi documento ipſe Petrus beatiſſimus, *incor-*
1.Petri 3.4. *ruptibilitatem interioris hominis, in quiete cordis & modeſtia ſpiritus*, ſeriò tandem etſi ſerò, excitentur.

Verùm tametſi S. Lini decretum verè ſit Apoſtolicum, & Chriſtianæ ſanctitati congruentiſſimum, tamen Magdeburgenſes Centuriaſtæ, in odium Apoſtolicæ ſedis, cui S. Linus primus à S. Petro præfuit, illud more ſuo quo cuncta pia pudicáque conuellunt, prætextu reformationis Euangelicæ, qua ipſum euertunt Euangelium, inſectantur. Irrident effuſis cachinnis B. Linum, quòd mulierem non velato capite ingredi Eccleſiam prohibuerit; indignam enim eſſe, aiunt, Epiſcopali cura eiuſmodi ſanctionem, *Centur.1.lib.2.cap.10.col.627.* At iis qui omni petulantia, reſponſo indignos ſe produnt, paucis verbis Ioannes Funccius, homo ſcilicet ſimilis farinæ, at hac in re emunctioris naris, luculenter ſatisfaciet, quin & hanc ſcurrilitatem
Lib 5. Chron. an. Chriſti 70. ipſorum grauiter caſtigabit. *Aſcribitur huic Lino*, inquit, *quòd ſtatuerit, nec mulieres niſi velato*

capite

capite templum introirent. Quod tamen inſtitutum non Lini, ſed B. Pauli Apoſtoli eſt, 1. Cor. 11. Igitur B. Apoſtolus, non Linus, à Magdeburgenſibus ſugillatur, quòd ſcilicet Apoſtolo indigna cura, mulierem velato capite orare voluerit. Sed verò ipſimet multò magis deplorandi ſunt, qui dum Linum irrident, Apoſtolum impetunt, dúmque pudicitiæ inſigne auferunt, vexillum efferunt, qua æſtuant, laſciuiæ.

III. RITVS

A S. LINO TRADITVS.

Sanctorum vitæ conſcriptio, documento piæ poſteritatis plurimùm profutura.

CORRVMPVNT *mores bonos*, ait Apoſtolus, *colloquia praua.* Pia autem verba & ſcripta bonos mores nutriunt, pietatem excitant, iuſtitiam muniunt, & publicam pariunt pacem, verámque felicitatem. Sed facta quæ verbis ſcriptíſque honeſta ac ſancta conſignantur, mirificè augent Dei gloriam, hominum accendunt deuotionem, iiſque infundunt recti omníſque honeſti amorem, atque admodum conducunt ad veram perpetémque beatitudinem. His de cauſis tempore veteris fœderis, *liber iuſtorum* ſcribebatur: nouáque ſub lege, Christi ſeruatoris, Sanctíque ſanctorum, ab Euangeliſtis non dicta

1. Cor. 15. 33.

1. Reg. 1. 18.

ſolùm, ſed facta quoque diuina fuêre deſcripta:
1.Pet.2.21. *Vt eius exemplis edocti, ſequamur veſtigia eius*, ait princeps Apoſtolorum Petrus: cuius ſocius & collega Paulus, nos ſe imitari, ſicut Chriſtum ipſemet æmulabatur, ſuadebat conſulebátque
Heb.13.7. identidem, vt paſtorum noſtrorum, *qui nobis locuti fuiſſent verbum Dei, memores eſſemus: quorum intuentes exitum conuerſationis, imitemur & fidem.* Hócque incenſus piiſſimo affectu S. Lucas Euangeliſtæ, Apoſtolorum nobis acta deſcripſit: in iiſque Sanctorum inſigniorum magnificentiſſima vt edidit exempla, ita & trophæa ſplendida nobis exhibuit. *Paſſio S. Stephani inſignis eſt,*
Serm. 2. de S.Stephano, qui 20. eſt in appẽdice. aiebat ſanctus Auguſtinus, *multúmque mirabilis. Hanc modò cùm de libro Actuum Apoſtolorum legeretur, non ſolùm audiuimus, ſed etiam oculis ſpectauimus.* Non dubito, quòd ſi ſancti Lini ſcripta genuina haberemus, quibus Apoſtolorum principum, ſuorum magiſtrorum Petri & Pauli acta conſcripſit glorioſa, innumera ex iis commoda perciperemus. At excidêre eius ſacratiſſimi apices: ſuppoſititiíque eius ſub nomine (ob auctoritatem, qua fulſit in Eccleſia) eorum in locum commentarij irrepſêre. Aſſerunt paſſim Orthodoxi auctores, illum ſcripſiſſe *res geſtas S. Petri cum Simone Mago.* Quibus Catholica Ec-
23. Septẽb. cleſia in officio eius natalis, præclaro teſtimonio aſſentitur. Attamen Bellarminus arbitratur acta illa fuiſſe Apoſtolorum Petri & Pauli communia. Trithemius accuratè diſtinguit, ſiquidem aſſerit

Linum diligenter *res geſtas* S. Petri cum Simone impiorum duce perſcripſiſſe. Inſuper verò Sanctorum Petri & Pauli coniunctim deſcripſiſſe *martyrium*, de quo extant ſub eius nomine libri duo Græcè exarati, Orientalibúſq. miſſi Eccleſiis. Demúmque à Iacobo Fabro Stapulenſi, ex bibliotheca maioris-monaſterij Latinè verſi, cũ aliquot ipſius Lini epiſtolis. Chiffletius tamen, Veſuntione (cuius vrbis Linus ipſe proprius fuit Apoſtolus, hoc eſt, primus Epiſcopus) conſeruari in pignus eius memoriæ & amoris, edita ab ipſo Lino ſcripta de actis Sanctorum Petri & Pauli, immunia ab hæreſis Manichæorum fuligine, ſed ſyncera penitus, & tanto digna authore, aſſeuerat. Sed an Græcè edita, an Latinè non innuit, nec ex ſcriniis promit expreſſa. Grande autẽ opus feciſſet, ſi publico commodo præſtitiſſet tantum munus. Verumtamen non fecit, proinde excitauit ſitim, non extinxit. At Linus nihilominus Apoſtolica hæc geſta (quæ S. Lucæ ſupplent volumen) ſua collectione, hauſta propriis ex auribus & oculis perſcripſit. Sic enim tam Orthodoxi ſcriptores docent, quàm fatentur plerique, in aliis ſecus ſentientes. Interim eſt quòd Linum Apoſtolorum non tantùm hæredem, ſed encomiaſtem egregium, communi præconio excipiamus, cùm ob allatas Galliæ populis, per Euangelij prædicationem, ſalutis primitias: tum ob ſanctiſſima Apoſtolorum primorum documenta ac exempla, quæ minùs accuratè exaratis

à ſe apicibus ſignauit, quàm viua morum imitatione expreſſit.

IV. RITVS A S. LINO TRADITVS.

Pallium Pontificale.

LIBELLVS DE PALLIO SACRO.

CAPVT PRIMVM.

De auctore Pallij Pontificalis.

PALLIVM, Pontificalis perfectæ dignitatis inſigne nobiliſſimum ac perantiquum, nonnulli anxiè cui ſit auctori attribuendum diſquirunt. Et fuêre, qui ſancto Clementi adſcripſerunt. Sed ſcripta eius habemus ſatis luculenta, in quibus non inuenitur vllum inſtitutionis huiuſmodi veſtigium: quíque eius decreta recenſuêre, inter eius ſtatuta haud iſtius commeminerunt. Nec mirum, non enim à Clemente, ſed à Lino Apoſtolico Pontifice huius origo manauit. Sanè priſcus auctor Rituum Eccleſiaſticorum, ſeu cæremoniarum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ lib. 1. tit. 10. docet ac teſtatur diſertiſſimè, ex eiuſdem ſummæ ſedis antiqua traditione, Pontificale hoc ornamentum à B. Lino PP., & Martyre, proximo S. Petri ſucceſſore inſtitutum

Vide Hiſtor. Pontific. Leodij editam, *in Marco Pontifice.*

eſſe. Nec obſtat quòd Rupertus Tuitienſis Abbas qui tempore Paſchalis II. Papæ, & Ludouici Craſſi Francorum Regis ſcribebat, à S. Petro eiuſmodi Pontificium inſigne primò traditum cenſuiſſe videatur, dum ait libro 1. de diuinis officiis, Maternum ab ipſo B. Petro ad primæ Belgicæ Metropolim directum, *hereditatem pallij ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe*. Etenim auctor ille (ceteroqui non vbique ſyncerus) hoc loco poteſt ſano intellectu explicari: non enim dum ait, miſſum à ſancto Petro B. Maternum, *hereditatem pallij ſuis ſucceſſoribus reliquiſſe*, reſpicit (vt putant Durantus & Azorius) ad Pontificale illud inſigne, ſed alludit ad figuram Eliæ, qui *raptus à Deo, ſuum pallium ſeu melotem, in ſignum, pignúſque duplicis transmiſſi ſpiritus, Eliſeo diſcipulo ſuo, ex alto dimiſit.* 4. Reg. 2.
Dicent fortè aliqui, quibus impugnare, ſi non dogmatum, ſaltem rituum Catholicæ Eccleſiæ vetuſtatem, ludus eſt: non multum referre, an Petrus ſummus Apoſtolus, an Linus eius diſcipulus & heres, pallium inſtituiſſe æſtimetur: æquè enim ſibi videri vtrumque abſurdum, cùm & Petrus Apoſtolus & Linus Martyr longè fuiſſe videantur à talium inſignium meditatione, quos naſcentis Eccleſiæ continua cura vrgebat, grauiſſimúmque onus labentis quotidie in humeros laboris & doloris, vndique premebat: hos enim potiùs cogitâſſe martyria, quàm mitras & infulas, magíſque tetendiſſe manus ad vincula, quàm intendiſſe oculos ad quæ-

renda aliqua dignitatis ſuæ indicia. Quibus facile eſt breui reſponſo ſatisfacere, videlicet quòd Apoſtoli Martyréſque ita humilitatem colebant, vt muneris tamen ſanctitatem, atque decus religionis, non prætermitterent obſeruare, & oſtendere vbi quandóque congruebat.

Ita enim beatus Petrus Apoſtolorũ vertex, cùm in omnibus patientiam & manſuetudinem præ ſe ferret, poteſtatem etiam aliquando magnificè oſtendebat. Is prece fuſa Thabitam excitauit defunctã, ſed verbo occidit Ananiam: claudum imperio erexit, Simonem oratione deiecit & confregit. Sícque ſibi commendatam à Domino obſeruauit inter fratres humilitatem, vt primatus tamen ſui ſemper retinuerit dignitatem. Sanè inter Apoſtolos Iacobus dictus frater Domini ſanctiſſimus fuit, quo iure etiam ab hoſtibus fidei Iudæis, IVSTI cognomentum tulit. Et is cùm eſſet Hieroſolymorum Epiſcopus, Pontificali ornatu enituit. Refert ſanctus Epiphanius ex Clemente Alexandrino, & Euſebio Cæſarienſi, ipſum Sacerdotio functum & bracteam ſeu laminam in capite geſtaſſe, hæreſ. 29. quæ eſt Nazar. inter init. & med. & hæreſ. 78. quæ eſt Antidicomarianitarum. *Iacobus*, inquit, *frater Domini vbi vixit anno 96. virgo exiſtens mortuus eſt. In cuius caput ferrum non aſcendit, qui balneo non vtebatur, qui animatis non participabat, qui imam tunicam non iterum induit, cui ſoli licebat ſemel in anno ingredi ad Sancta Sanctorum. Hic bracteam in capite geſtabat,*

Ita S. Chryſoſt. notat ad Act. c. 1. v. 15.

laneum veſtimentum nunquam induit, ſed veſte linea ſolùm vtebatur, &c. Poderem enim & ſuperhumerale ſeu Pontificalem ſtolam idem Apoſtolus geſtauit, quam Theodoſius Hieroſolymitanus & ipſe Antiſtes ſedens circa ann. 870. hactenus honorificatione ſeruatam, beato Ignatio Patriarchæ Conſtantinopolitano, cum aliis ſacris muneribus dono miſit. Huic porrò ſanctiſſimo Iacobo Apoſtolo, Stephanus Archileuita miniſtrauit in tremendo ſacrificio (vt teſtatur beatus Ignatius Martyr) ſacra cum tunica ſeu alba, quam Theodoſius iunior Imperator, in inuentione reliquiarum glorioſi ipſius Protomartyris, cum his repertam, Biſontium ſacro munere transmiſit. (*de qua tunica* proprio libello diſſerimus, pleriſque de ipſius Protomartyris *tranſlationibus* inſcripto.) Ceterùm non ſolum Iacobum (vt ex teſtimoniis Clementis Alexandrini, Euſebij Cæſarienſis, aliorúmque ſacrorum primæ notæ ſcriptorum recitat S. Epiphanius, ſcientiſſimus certè (nam & ipſe fuerat Hebræus) rerum Iudaïcarum enarrator: ſed & Ioannem beatiſſimum Dei Apoſtolum, Chriſti diſcipulum prædilectum, & præcipuum Euangeliſtam, ſimili ornamento Pontificali, lamina nempe aurea fronti impoſita, (quam petalon ſacerdotale vocitabant) Epheſi præfulſiſſe, teſtis eſt Polycrates vir Apoſtolis ferè coæuus, in epiſtola ad Victorem Papam, quam refert Euſebius lib. 5. cap. 23. hiſtor. Eccleſiaſticæ, & S. Hieron. in Cat.

Quibus ex duobus exemplis (nam vt inſignia ſunt admodum, ſic vel ſola multùm afficiunt,) abſurdum non eſſe probatur exiſtimare, Petrum Apoſtolum, Pallij Epiſcopalis, longè minùs ſpectabilis ornaméti, quàm ſit aurea frõtalis lamina ab Apoſtolis Iacobo Hieroſolymis, & à Ioanne Epheſi geſtata; fuiſſe auctorem. Cùm ipſe Pe-
1. ep. c. 1. trus *regale Sacerdotium* appellaret, & principatum Sacerdotij, adeóque Apoſtolatus primatum ſpeciali Chriſti munere obtineret. Verumtamen quia *liber ritualis S. R. E.* (quæ Petri facta dictáque non neſciuit:) hoc inſtitutum ſancto Petro non adſcribit, nullúſque inſignium auctorum ſit, qui id ipſi referat: ſed S. Lino primo eius ſucceſſori, aſſeclæque antea primario, maiori conſenſu attribuant, quem antiquæ eius effigies repræſentant primum, inſigne hoc in ſacro actu geſtaſſe; ideo præponderanti huic ſententiæ, quæ tam ſpectabilem auctorem ſignat huius originis, iure optimo nos credimus aſſentiri.

Capvt Secvndvm.

De origine Pallij.

RVPERTVS Abbas Tuitienſis *lib. 1. de officiis diuinis*, Pallij Pontificalis originem ſic deſcribit. *Poſtquam*, ait, *duodecim Apoſtoli per vniuerſum mundum diſperſi, ſingulis ciuitatibus prædicarent, tam ipſi quàm ſucceſſores miſerunt per contiguas ſuis ſedibus prouincias prædicatores, quos & Epiſcopos ordina-*

ordinauerunt, vt vbi recepti fuiſſent, omnia Chriſtianitatis ſacramenta, velut ipſi Epiſcopi peragerent, & per orbes comprouinciales Epiſcopos ordinârunt. Hinc ſubnectit. *Initium ergo fidei habentes ab Apoſtolica ſede, hanc regulam Metropolitanæ obſeruant Eccleſiæ, vt neminem habeant Pontificem niſi ab eadem ſede miſſum, à qua primus illis prædicator fidei miſſus eſt; illa autem miſſio ſupradicti pallij largitio eſt. Quod, vt dictum eſt, à collo dependens auctoritatem Domini ſignificat dicentis, Sicut miſit me Pater & ego mitto vos,* Ita ille. Ex cuius dictis, tria ſequi videntur. 1. Vt hæ ſolæ Eccleſiæ quæ auctorem ſuum à ſede Apoſtolica immediatè ſuſceperunt, ab ea Pallij honorem petere debeant, ſoleántque recipere. 2. Vt hæ omnes præſertim quæ Metropolitanæ ſunt, iamdudum conſueuerint inſigne hoc dignitatis & poſcere & conſequi. 3. Vt aliæ Eccleſiæ quæ ab aliis fundatæ ſunt Apoſtolis, ab eorum ſedibus debeant decus hoc Pontificale, quo origo cuiuſque propria repetitur & deſignatur, accipere. Quæ tria minimè reor debere admitti, aut etiam citra deliquium veritatis defendi poſſe.

Quoad primum, notum eſt, Eccleſiaſticæ hiſtoriæ peritis, ab antiquis ſedis Apoſtolicæ Romanæ Pontificibus, pallium ſolitum fuiſſe tranſmitti ad illas etiam inſignes Eccleſias, quæ ab Apoſtolo Petro eiúſque miſſis non fuerant conſtitutæ. Neque enim ſoli Patriarchatus Romani Metropolitæ hoc ſignaculum

Pontificalis honoris, (immò & conteſſeratio-nis cum S. R. E. pignus conſpicuum) à ſede Apoſtolica obtinebant: at ceterarum Patriarchalium ſedium primores Epiſcopi ambiebant illud ſacroſanctæ auctoritatis decus. Sic ſanctus Gregorius pallium Ioanni Epiſcopo Corinthiorum (qui à ſancto Paulo primum edocti fuerant) conceſſit, lib. 4. epiſt. 55. Item Andreæ Nicomedienſi lib. 5. epiſt. 7. Ioanni quoque Antiſtiti primæ Iuſtinianæ Illyricæ lib. 4. epiſt. 5. Et diu ante S. Cæleſtinus Papa I. pallium ſeu phrygium miſit ad ſanctum Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, cum ei vices ſuas quas impleret in Oecumenica Synodo Epheſina commiſit, quo Cyrillus ipſe ad indicium plenitudinis ſacræ poteſtatis, eo in Concilio vſus eſt, priuilegiúmque eiuſmodi ad poſteros Alexandrinæ ſedis Præſules hinc tranſiuit, ſicut teſtatur Balſamo alioqui R. E. infeſtus in Nomocanonem Photij tit. 8. c. 1. Idem Conſtantinopolitanis Patriarchis, qui ſedis ſuæ originem ad S. Andream Apoſtolum referebant, ſummi ſignaculum honoris à ſede ſumma communicatum, à qua ſinguli Patriarchæ illud conſueuerant expetere, donec eorum ambitu & Imperatorum potentia circumuentus, immò compulſus vi, Ioannes Papa II. conceſſit Theophylacto filio Conſtantini VIII. Imperatoris eunucho, nuper ordinato Patriarchæ, eiúſque in perpetuum ſucceſſoribus, vt eo vterentur abſque ſpeciali permiſſu Romani Ponti-

ficis, vt ex Luitprando notat Baron. an. 934.

Ad 2. quod ſpectat, perſpicuum eſt quoque ex ſacræ hiſtoriæ codicillis, non omnes Præſules Metropolitanarum ſedium, hoc decore dudum fuiſſe quaſi ex iure communi illuſtratos. Vno id familiaríque nobis exemplo licet redarguere. Nam ſanctus Gregorius Deſiderio Viennenſi Metropolitæ petenti vſum Pallij, ex antiquo, vt aiebat, Eccleſiæ ſuæ iure, noluit concedere, quoniam de hoc ſingulari indulto nihil reperiretur in Romanæ Eccleſiæ ſcriniis, niſi ipſemet probaret Deſiderius, hoc ſuæ Eccleſiæ priuilegium per chartas authenticas impertitum fuiſſe, lib. 7. epiſt. 116. ind. 2. Atque ex Vigilij Papæ epiſtola ad Auxanium Arelatenſem, liquet, ſacris Præſulibus Pallium haud dari ſolitum, nonniſi cum vicibus Apoſtolicæ ſedis, quas tum Arelatenſis ſolus in Gallia exercebat. *Et quia digna credimus ratione compleri*, ait Vigilius Papa, *vt agenti vices noſtras Pallij non deſit ornatus, vſum tibi eius, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe, beati Petri ſancta auctoritate concedimus.*

Ceterùm ad 3. quod pertinet, intrepidè negauero, Apoſtolicarum inferiorum ſedium Antiſtites, vnquam iure ſuo Pallium ſuis vicinis Metropolitis, contuliſſe: etenim Eccleſiæ Romanæ, *in qua*, vt ait ſanctus Auguſtinus, *ſemper viguit Apoſtolicæ cathedræ principatus*, hæc fuit ab initio prærogatiua ſingularis, ob ipſum ius ſu- S. Aug. ep. 162.

Lib.3.c.3. premæ ac œcumenicæ poteſtatis, ſeu vt S. Irenæus loquitur, *potentioris principalitatis.* Nec obſtat quòd Azorius facultatem communicandi Pallij ſubiectis Archiepiſcopis proprio in cuiuſque principatu, maioribus quatuor Patriarchis ex antiquo iure ſpectâſſe aſſeueret. *ex cap. Antiqua* de priuilegiis. Non enim caput illud eſt *antiquum*, cùm ſit ab Innocentio III. conditum*. Nec ius vetus illud eſſe Patriarcharum maiorum innuit: at ordinem ſedium illarum præcipuarum antea conſtitutum, cum ſignatis aliquot prærogatiuis, ſolùm confirmat, conferendíque Pallij ſubditis Archiepiſcopis copiam, iure ipſis Patriarchis nouo, certíſque ſub legibus præſcripto, attribuit. Ita enim habet caput illud ad oram, per modum appendicis: *Licenter & ipſi ſuis ſuffraganeis Pallium largiantur, pro ſe recipientes profeſſionem canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem.* Ab initio enim ſic non fuit: & vt prænotauimus ante annum 934. nec ipſi Conſtantinopolitani Patriarchæ ius Pallij proprij habebant, Ioannis II. exorbitanti indulto, id tum conſecuti, vt deinceps non peterent à Romana ſedę: tantum abeſt vt aliis dare præſumerent. Sed ex quo, perenni priuilegio, ius gerendi Pallij ſine noua conceſſione Papæ, extorſerunt, laxatis ipſi in omnem nutum habenis, eò proſilierunt, vt Pallij decus profuſione pudenda plurimum offuſcarint; id enim geſtandum omnibus ſibi ſubiectis Epiſco-

* In Oecumenica ſynodo Lateranenſi ſub ipſo Pontifice celebrata; è qua inter canonicas ſanctiones hoc ſtatutū relatū fuit lib.5 Decret tit de priuilegiis cap.23. De quo egimus in lib. *de ſacro ritu præferendi crucem maioribus Eccleſiæ Prælatis c 2.*

pis auſi ſunt (quod nemini dare poterant) vltrò concedere: vnde factum vt poſtea omnes Græciæ Epiſcopi inſigni hoc ſacroſancto, antea ſingulari, vſi ſint, ídque *vituperando more* (notat præcitatus Luitprandus) *turpíque admodum commercio.* Quæ tamen præſumptio non ferenda, cùm extirpari nequiret, aliíque Patriarchæ huic ſimile nihil eò vſque attentâſſent, (vnde erat quòd ex temerario auſu Biſantinus Antiſtes ſuperbiret:) ſapienter Innocentius III. præmemorato capite hos illi adæquauit, quódque illicitum fuerat, licere deinceps non Biſantino ſoli, ſed ceteris maioribus Patriarchis, ea conſtitutione decreuit. Igitur huic non debuit ſtatuto vim antiqui iuris Azorius adſcribere: nec quaſi ex ipſorum Patriarcharum occaſu, aliquid nouæ & ſingularis præeminentiæ ſummo Pontifici acceſſiſſet, hoc dictis apponere corollarium: *Nunc verò Archiepiſcopus Pallium, Romani Pontificis beneficio & auctoritate confertur.* Enimuerò ex quo ſanctus Linus Pallium inſtituit, vſquequo Patriarchæ ſuccreuerunt, iiſque honos eiuſmodi Apoſtolica indulgentia conceſſus eſt, vt ſuæ terminationis Metropolitis Pontificalis plenitudinis officij communicarent hoc ſuſpiciendum ſignaculum; à ſolo Romano Pontifice Pallium ipſum ſemper collatum fuit, cuicunque vſpiam conceſſum eſt; ídque tam ratione originis quàm ſignificationis. Æquum enim erat (ſicut legitur apud S. Auguſtinum ep. 91.) *Omnes*

Epiſcopos ad Petrum, id eſt, ſui nominis & honoris auctorem, reuerentiam illam deferre, vt à quo ipſe Epiſcopatus & tota auctoritas nominis huius emerſit. Quinetiam Epiſcopale decus (ob primatus vniuerſalis honorem) ſeſe profiterentur Epiſcopi accipere. Idque innuere viſus eſt Iulius I. ep. 1. ad Orientales, immemores officij. *Quam culpam incurrere*, ait, *non potuiſſetis, ſi vnde conſecrationis honores accepiſtis, inde totius obſeruantiæ legem ſumeretis, & B. Petri Apoſtoli ſedes, quæ vobis ſacerdotalis eſt mater dignitatis, eſſet Eccleſiaſticæ quoque magiſtra rationis.* Quod Apoſtolicum monitum Carolus Magnus, vt Epiſcopis commendaret, ſuis Capitularibus intexuit. Ratio igitur cur plenitudinis Pontificalis officij inſigne ſumerent à ſede Apoſtolica, toto ex orbe primarij Pontifices; ea eſt, quòd originem ſuam agnoſcerent, ſignaculóque eiuſmodi ſe cohærere fundamentali Petræ Eccleſiæ Catholicæ oſtenderent, &, vt ait ſanctus Cyprianus, *Principalem Eccleſiam & Petri Cathedram* reuereri, *à qua vnitas ſacerdotalis* exorta eſt. Pallium enim inſtitutum fuit, vt ſignaculum eſſet *vnitatis ſacerdotalis*, quo Antiſtites ideo curarent inſigniri, vt hoc indice Catholicæ conteſſerationis cum Apoſtolica ſede, ſeſe ſynceros oſtenderent eſſe cultores, Eccleſiæque Catholicæ (vt idem addebat B. Cyprianus) *matricem agnoſcerent*, & tenerent myſticæ compaginis caput, robur & radicem. In Petro enim ſuper quem Dominus ædificauit

Lib. 1. ep. 3. & 8. & l. 2. ep 10. l. 4. ep. 10. & lib. *de vnitate Eccleſiæ.*

Eccleſiam, ipſe Chriſtus vnitatis originem inſtituit, & ideo à Petri ſede ſignaculum ſacerdotalis vnitatis, debuit decuítque vbique deriuari.

CAPVT TERTIVM.
De materia & forma Pallij.

REDARGVEBAT dudum paterna voce ſanctus Cæleſtinus I. Papa nonnullos Epiſcopos Galliæ, qui Palliis amicti procederent: quòd hoc contra Eccleſiaſticum morem fieret. At de Pallio hîc agebat non Pontificali, ſed philoſophico, de quo Tertullianus impetitus à neſcio quo ſibi obuio, qui ipſum irridebat, quòd religionem Chriſtianam ſuſcepiſſet, hoc ingeſto ſchommate: *itane à toga ad Pallium?* opus planè ſatyricum, tametſi & apologeticum pro ſe, immò Chriſti fide, conſcripſit: in quo Pallij Chriſtiani miras laudes edidit. At de hoc non nos impræſentiarum diſſerimus, ſed de ſacro Pallio, quod inſigne eſt plenarij Pontificalis honoris. Certè enim, ſicut olim in ſacerdotio Hebræorum erat ſummi ſacerdotij *ſuperhumerale* inſigne, ita in Chriſtianæ religionis ſacerdotio, Pallium ſummi tantùm Romani Pontificis ceſſit vſui, à quo tamen ſæpè Patriarchis & Metropolitis, magna ex cauſa, iampridem conſueuit communicari. Illud autem non ex lino, ſed ex lana, vt notat Iſidorus Peluſiota, epiſt. 136. ad Hermin. contextum eſt. Ferunt, agniculos Romæ in-

Epiſt. 1. ad Epiſcopos Prouinciæ Viennenſis & Narbonenſis c. 1.

prædio ſanctæ Agnetis quotannis eum in finem nutriri, quibus detonſis, ex lana à ſanctimonialibus collecta, emundata, plexáque Pallia illa contexuntur, atque Canonicis Baſilicæ S. Petri traduntur ſummo altari, ſubtus quod corpus ipſius Apoſtolorum principis, cum coapoſtoli eius ſacris lipſanis reconditum quieſcit imponenda, & ritu ſolenni benedicenda à Maximo Pontifice Petri ipſius ouium Chriſti ſummi Paſtoris, ſucceſſore. Remanent verò poſita ſuper altare nocte integra, factíſque de more vigiliis, Subdiaconis qui ea attulerunt reſtituuntur, à quibus loco honeſto condita, vſquequo iis opus fuerit, conſeruantur. De materia ex qua conficiuntur, Iſidorus præcitatus elicit memorabile documentum. *Ex lana enim*, inquit, *non ex lino quòd ſit contextum Pallium, & Pontificis humeris ſoleat imponi, quid hoc aliud indicat, niſi pellem ouis illius, quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentámque bonus Paſtor ſuis ſuſtulit humeris. Hoc itaque deſignat Pallium: Epiſcopum qui Chriſti typum gerit, eiuſdem munere fungi, proinde etiam habitu ipſo debere omnibus oſtendere, ſe boni illius ac magni Paſtoris imitatorem eſſe, qui gregis infirmitates ſibi ferendas propoſuit.* Piè, ſanè & omninò præclarè. At quòd Pallium ex lana confectum altari ſancti Petri ſuperponatur, & non niſi de corpore eius leuatum Antiſtitibus conferatur, id etiam reor inſinuare ſpeciale myſterium. Petri vmbra miras virtutes edebat. Quid non igitur corpus eius,

Act. 5. 15.

pro

pro Chriſti gloria immolatum non inferet contactu ſuo energiæ? Eliæ pallium, legimus, Eliſeum contingendo, ſpiritu prophetiæ impleuiſſe: quid non benedictionis erogabit contactus Petri corporis? fons ſanè eſt tumulus eius, pontificalis honoris: nec dubium quin inde fluenta myſtica copioſè hauriantur, quibus vegetati Pontifices, cum pallio quod ipſum Petri contigit venerandum corpus, eiuſdem virtutes cum ſacerdotali ſpiritu (ſi dignè hoc gerunt pretioſum pignus Apoſtolicæ gratiæ) vbertim conſequantur. Aptè huic congruit obſeruationi, quin hanc fulcit egregiè id S. Leonis Magni perinſigne documentum, epiſt. 89. *Huius muneris ſacramentum* (paſtoralis ſcilicet officij & pontificalis honoris) *ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo, principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Et ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Pontificatum. *Si quid cum Petro commune ceteris voluit eſſe principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quicquid aliis non negauit.*

3.Reg. 19. 19.

Ceterùm, forma Pallij eſt etiam operæprecium hîc explicanda. In iure Pontificio ſic Pallium deſcribitur, *cap. 1. in add. marg. de auctoritate & vſu Pallij.* PALLIVM *Archiepiſcopale ſumitur pro quodam ornamento Archiepiſcoporum, crucibus nigris* * *intexto, velut ſtola ſacerdotalis, quod ſuper alia ornamenta defertur ſuper humeros, velut corona; pectúſque*

* Ex Innoc. III. debent eſſe purpureæ patet inf.

circundat & ante dependet. At luculentiùs longéque enucleatiùs Innocentius III. Papa: (qui cùm adhuc Lotharius diceretur, eſſétque S. R. E. diaconus Cardinalis, ſcripſit *de myſteriis Miſſæ*) lib. 1.cap.63. *Pallium illud*, ait, *quo maiores Epiſcopi vtuntur, eſt de candida lana contextum, deſuper habens circulum humeros conſtringentem, & duas lineas ab vtraque parte pendentes, quatuor cruces purpureas, antè, retrò, à dextris, & à ſiniſtris. Sed à ſiniſtris duplex eſt, & ſimplex à dextris. Tres etiam acus aureæ infiguntur pallio, ante pectus, ſuper humerum, & poſt tergum. Super dextrum humerum non infigitur. Hæc quælibet acus pretioſum continet lapidem.*

Ceterùm obſeruandum, extra Occidentem Pallium dictum fuiſſe Phrygium, quòd Phrygiorum opere texeretur, crucibúſque paſſim inſigniretur. Viſuntur autem antiquæ ſancti Epiphanij effigies*, ornatu eiuſmodi decoratæ, quod crucibus eſt circumquaque ſparſis admodum venuſtum & venerandum. Ita veteres ferunt ſancti Dionyſij Pariſiorum protomyſtæ imagines, Græcorúmque Patrum (quorum vnus fuit,) ita ſunt etiam priſcæ icones expreſſæ. Non quod ex Græcia pallij inoleuiſſet vſus. Sed quòd Græci Antiſtites, indultum à Romano Papa, ex eius munere geſtarent, qui tum iis conficiendis phrygiorum operâ, qui multi in vrbe erant vtebatur. Collobium à naſcente in Gallia religione Epiſcopi primores geſtarunt, vt ſancti Pij Papæ fert ſcripta ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem re-

* Imago eiuſmodi antiquis ex monumentis deprõpta, exhibetur à Pontio dicto à Leone, qui Romæ S. Epiphanij libellum edidit, de animalibus inſcriptũ.

cens ordinatum, congratulatio. Sed collobium erat velut chlamys vndequaque fluens, rotunda. Pallium, quaſi palliolum eſt operimentum conſtrictum ad humeros, nec infra diffuſum, quo qui vtitur, expeditior ad actus quoſuis euadat. Fauet Plautus, dum ſcribit: *Si quid facturus es, appende in humeris pallium. Et pergas, quantum valet tuorum pedum pernicitas.* Propiùs ad rem propriam Iſidorus lib. 19. Orig. cap. 24. *Pallium eſt quo adminiſtrantium ſcapulæ conteguntur, vt dum miniſtrant expeditiùs diſcurrant.* Ceterùm de forma Pallij ſatis, cuius vis facilè intelligetur, ex ſequentis capitis delineatione.

CAPVT QVARTVM.

De Pallij tam vocali quàm myſtica ſignificatione.

HIC antequam myſticam eludicemus ſignificationem Pontificalis huius ornamenti, quid ipſum pallij valeat nomen breuiter expendemus, & vnde deductum ſit demonſtrabimus, quo ad vocem. Pallium igitur deriuatum volunt nonnulli, ab aduerbio *palam*: quòd vndequaque pateat, quia nimirum ceteris veſtibus ſuperimponatur. Vnde vetus prouerbium, *tunica eſt pallio proximior.* Alij dicunt à *palleo* deductum, quia virtutis non vulgaris inſigne eſt: debent enim pallium deferentes, ieiuniis & vigiliis præ ceteris incumbere, ex quibus religioſus pallor oritur in facie. Alij arbitrantur dictum *à pellibus*,

quaſi *pelleum:* quia priùs ſuper veſtimenta pellicea veteres hoc induebantur. Alij à *palla* non veſte quidem muliebri, de qua Baïfius *de re veſtiaria cap. 13.* ſed à ſacro altaris operimento, de qua *can. Sacratas diſtinct. 23. & can. Altaris palla de conſec. diſtinct. 1.* Vnde queritur de Donatiſtis hæreticis Optat. lib. 6. *quòd pallas altaris* eripuerant, & quaſi pollutas lauerant.* Ita apud Gregor. Turon. lib. 10. hiſtor. cap. 16. falsò inſimulatur Leubouera Abbatiſſa Pictauienſis, quòd *de palla holoſerica veſtimenta nepti ſuæ temerariè fecerit, & folia aurea quæ erant in gyro pallæ, ſuſtulerit.* quæ è contra aſſerit ſeſe, *ad ornatum altaris pallam condignè condidiſſe.* Et cap. 15. *Iuſtina præpoſita cum aliis ſororibus, palla altaris quod erat ante crucem Dominicam, extincto cereo, Abbatiſſam operit.* Sed etiam myſtica σινδὼν, ſeu linteum cui ſuperponitur in tremendo ſacrificio corpus Chriſti (vnde corporale dicitur à S. Germano *in Theoria*, & Iſidoro Peluſiota *epiſt. 123.*) Palla quoque ſacra appellatur, quæ Dominicum corpus palliat ſeu velat, & inuoluit, ſicut ſindone à Ioſeph, ipſum Chriſti corpus inuolutum, atque ita in monumento poſitum eſt, de qua S. Thom. *3. p. q. 51. art. 2. ad 3.* Radulphus *propoſit. vltima* ait, *Romanos & Germanos binam pallam aræ ſuperponere ad excepiendum & contegendum corpus Dominicum: Gallos verò vna duntaxat vti.* Quauis autem acceptione ſumatur palla ſacra, ſeu pro ſindone & corporali, ſeu pro altaris velo & ornamento, ſemper à palliando, hoc eſt velando &

*meliùs legitur, *diripuerant, & quaſi pollutas lauerant.*

obuoluendo, atque abſcondendo & cooperiendo, dictam eſſe manifeſtum eſt. Hinc igitur nõnullis viſum eſt, pallium quo Pontificis humeri conſtringuntur, & ſuppoſita indumenta cooperiuntur eſſe deductum. Quamobrem Zonaras in Conſtantino Copronymo pallium S. Germani Conſtantinopolitani Patriarchæ, quòd impius ille Cæſar calcauit ὠμοφόριον, vocat, quaſi humerale, quòd ſcilicet humeros tegeret & circumuallaret. Ideóque paſſim à Græcis πελώλιον Epiſcopale pallium appellatum eſt. Atque hæc de vocabuli dicta ſint ſignificatione.

Sed myſtica multipléxque intelligentia latet ſub ipſius pallij figuratione, vt Innocentius III. admonet *lib. 1. de Myſt. Miſſæ*: ipſéque declarat, cum Rabano Mauro *lib. de Inſtitut. Clericorum cap. 23.* Alcuino *lib. de diuin. offic. c. quid ſignificent veſtimenta.* Hugone de S. Victore *lib. de Sacram.* Durando *Rationalis lib. 3. cap 17.* Cardinale Alexandrino in Can. *quoniam, diſtinct. 100.* aliíſque. Quorum ſumma eſt. Lanam ex qua confectum eſt pallium, ſignificare, quæ Præſuli ineſſe debet, ſeueritatem, qua rebelles coërceat; in candore ſignari benignitatem quam pœnitentibus & humilibus exhibeat. Circulum pallij per quem humeri conſtringuntur deſignare timorem Domini, per quem affectus colligantur, ne ad illicita defluat. Cruces referre memoriam Dominicæ paſſionis, vt piè dignéque Antiſtes de ea cogitet, dúmque pro populo deprecatur hoc ſignum

I. Explicatio pallii, quæ myſticorum interpretum communis eſt.

Gal. 6. 14. redemptionis proferat: in *crucéque Chriſti glorietur*, per quam & *ſe mundo crucifixum & mundum ſibi profiteatur.* Quatuor cruces purpureæ, virtutes ſunt quatuor dictæ Cardinales. Prima eſt iuſtitia, quam Pontifex habere debet in anteriori parte, *vt reddat vnicuique quod ſuum eſt.* In poſteriori prudentia, vt caueat quod vnicuique eſt noxium. Fortitudo à ſiniſtris, ne eum aduerſa deprimant. Temperantia à dextris, vt eum proſpera non extollant. Duæ lineæ quarum vna poſt, deorſum; altera progreditur ante pectus, vitam deſignant duplicem actiuam & contemplatiuam. Pallium geminum eſſe debet in ſiniſtra ad ſtrenuè tolerandas vitæ huius moleſtias, ſimplex in dextera ad, vnico affectu, cæleſtis vitæ felicitatem expetendum. Tres porrò acus pallio infiguntur, ante pectus ſcilicet ſuper humerum, & poſt tergum. In prima acu eſt compaſſio proximi, in ſecunda adminiſtratio officij, in tertia timor iudicij. Prima pungit animam per dolorem, de quo Apoſtolus dicebat, *Quis infirmatur,*
2. Cor. 11. 29. *& ego non infirmor?* Secunda pungit animam per laborem, vnde ipſe Apoſtolus aiebat, *Præter ea quæ extrinſecus ſunt, inſtantia mea quotidiana, ſollicitudo omnium Eccleſiarum.* Tertia pungit per ter-
1. Pet 4. 18. rorem, *Si enim vix iuſtus ſaluabitur, impij vbi parebunt?* Super dexteram non configitur acus: quia in æterna quiete nullus erit afflictionis aculeus. Acus eſt acuta inferiùs, ſed aurea; lapidem autem continet pretioſum, vt ex labore Pontifex

ſperare noſcat præmium, ſciens quod ſi pro ouium ſalute in terris affligitur, in cælis æternæ gloriæ donabitur corona, & pretioſam margaritam quæ eſt ſummi boni poſſeſſio conſequetur. Hæc illi myſtici interpretes doctè quidem, piè & appoſitè. Quibus ſi quodpiam addere liceret, non abſonum foret explicare, per lanam quæ ex agno ſumpta eſt, agni illius qui pro omnium ſalute mactatus eſt, manſuetudinem & patientiam à Pontifice ſedula imitatione exprimendam: per candorem, puritatem & innocentiã: per circulum, perfectionis non ſolùm affectum, ſed effectum: per duas lineas ab vtraque parte pendentes, vtriuſque teſtamenti meditationem: per quatuor cruces purpureas ſignatas ante, retro, à dextris & à ſiniſtris quatuor vitæ ſpiritualis ſubſidia, atque incentiua à Chriſto præſtita: nimirum *documenta, mandata, promiſſa, ſacramenta.* Per tres acus, tres theologicas virtutes; quarum feruida charitas debet eſſe in pectore; fides quæ operoſa ſit in humeris; ſpes quæ temporalia poſtponit æternis, infigi debet à tergo. Lapides tres pretioſi qui in ſingula acu continentur; felicitatem triplicem in futura vita innuunt, nempe in ſpeculatione vnius beatiſſimæ diuinitatis, fruitione indiuiduæ Trinitatis, & communione feliciſſimæ ſocietatis. Hæc enim eſt *merces magna*, quæ bono Paſtori in præmium laborum repromiſſa eſt.

II. Explicatio, quæ noſtra eſt propria.

De pallij ſignificatione hæc quidem omnia

quiſque dixerit in ſpecie, ſed in genere multa alia dici poſſunt. Sanctus Gregorius qui de Pallio in epiſtolis ſuis ſæpeſæpiùs commeminit, ſic expreſsè docet lib. 7. epiſt. 129. *Huius indumenti honor, humilitas atque iuſtitia eſt*: vnde hortatur quod foris accipit Antiſtes, intus ſtudeat poſſidere. Idem, honoris ſignaculum eſſe ait, monimentúmque virtutis lib. 4. ep. 42. & 54. Atque vt omnes fatentur ſignum eſſe Pontificalis honoris proindéque ſummi Pontificis ab origine propriũ: ita per deriuationem, in ceteris Præſulibus, quibus confertur, ſpecialis agnoſcendum eſſe prærogatiuæ indiciũ, ipſimet docent myſtici auctores. Auctor enim antiquus rituum S. R. E. ſic ait *lib. 1. titulo 10. cap. 5.* ex Maximo Epiſcopo *homilia de veſte Sacerdotali*, & Euſebio Cæſarienſi, *homil. de Epiphania. In lege* (inquit) *gratiæ antiquum eſſe nomen illud* * *Ephod, id eſt Pallium, quod à Lino poſt Petrum ſecundo Rom. Pont. inſtitutum & in ſingulare poteſtatis priuilegium noſtris Præſulibus datum fuit.* Vnde Alcuinus breuiter pallium definit. *Pallium nihil eſt aliud, niſi diſcretio inter Archiepiſcopum & eius ſuffraganeos.* Quod non ſtrictè accipiendum. Nam pallium non ſolùm causâ honoris, vt ſit index plenitudinis Pontificalis officij (ſicut eſt in cap. Niſi ſpecialis *de auctoritate & vſu pallij* *) inſtitutum eſt: At vt ſit quoque, *1. myſteriorum* ſupra expreſſorum *monimentum*. 2. Atque inſuper, *fidei teſtimonium*, 3. *Conteſſerationis ſymbolum*, 4. *& poteſtatis* conceſſæ *ſignaculum*. De myſtica obſer-

Exod. 25. 7.

* Idẽ lege cap. Quanto de tranſlat. Epiſcopi cap. Illa quotidiana de Elect. c. propoſuit. §. fin. de conceſſ. præbendarum.

obſeruatione monebat ſanctus Gregorius Siagrium Epiſcopum Æduenſem, nuper illo à ſe auctum decore, *vt cum honoris augmẽto, actionis quoque ornamenta concurrerent*, lib. 7. epiſt. 112. indict. 2. De FIDEI TESTIMONIO, ita ob defectum præſtiti officij pietatis, contra nonnullos Archimyſtas decernebat Pelagius Papa can. 1. diſtinct. 100. *Quoniam*, inquit, *quidam Metropolitanorum, fidem ſuam ſecundùm priſcam conſuetudinem ſanctæ Sedi Apoſtolicæ exponere detrectantes, vſum pallij neque expetunt, neque percipiunt*, &c. *Placuit vt quiſquis Metropolitanus vltra ſex menſes conſecrationis ſuæ, ad fidem ſuam exponendam, palliúmque ſuſcipiendum, ad Apoſtolicam ſedem non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate*, &c. Hinc inualuit illud theorema vetus canonicum, quod præfigitur can. *Optatum*, diſtinct. 100. *Niſi poſt conſuetam fidei profeſſionem pallium dari non debere.* Petitio igitur pallij (vt ferebat expreſſum fidei Catholicæ præconium;) ita conceſſio dabat factæ ſyncerae eius confeſſionis perſpicuum indicium, ſedíſque Apoſtolicæ præbebat ea de re teſtimonium inſigne. Quapropter Vigilius Apoſtolicus Antiſtes, Auxanio Arelatenſi Præſuli pallium tranſmittens, eundem ſignanter ſubmonebat, *vt tantæ ſedis auctoritate firmatus, digna conuerſatione vteretur, ſéque exemplum & in charitate & in* FIDE, *verbóque ſano credentibus populis exhiberet, epiſtola 2.* Hinc tertium conſequens erat. Nam qui fidei teſtimonium orthodoxæ, præſul, à ſede Apoſtolica ob ſinceram

fidei confeſſionem recipiebat, identidem percipiebat conteſſerationis cum ipſa matrice Eccleſia, & principante ſede ſymbolum patentiſſimum. *Pallium* enim, *imago eſt, quæ abſenti per amorem repræſentat, diuiſa vnit, confuſa ordinat, inæqualia ſociat, imperfecta conſummat;* ſiquidem ita orditur epiſtolá ſuá ad Virgilium Arelatenſem de conceſſo eidem pallio S. Gregorius: quem admonet vt illud non recipiat *ſicut tranſitoriæ culmen poteſtatis*, aut cultus exterioris ornamentum, ſed vt argumentum ſanctæ ortus religionis, vt cunctis liqueat, *vnde in Galliarum regionibus fides ſancta prodierit, & quod bona ſoboles ad ſinum ſuæ matris recurrit.* Denique eſt etiam pallium conceſſæ poteſtatis ſignaculum. Vices enim ſedes Apoſtolica, Præſuli cui pallium impertit, vnà committit. Ideo eadem epiſtola S. Gregorius. *Vſum pallij ac vices ſedis Apoſtolicæ poſtulaſti.* Et deceſſor eius Pelagius ad Sapaudum Arelatenſem quoque Metropolitam, *Vſum*, inquit, *tibi quoque pallij alacriter concedimus, pariter etiam pallium dirigentes, vt ſedis noſtræ Vicarius inſtitutus, ad inſtar noſtrum in Galliarum partibus primi ſacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis Patrum regulis, & ſedis Apoſtolicæ conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes*, &c. Quilibet enim Archiepiſcopus in ſua prouincia vices ſedis Apoſtolicæ & ſupremi eius Pontificis gerit. Vnde ex antiquo iure in Gallia ſeruatum, vt Archiepiſcopi

Præſulatum ineuntes *ſeſe fideles futuros S. Petro eiúſque Vicario* ſeu ſucceſſori iureiurando ſponderent, ſicut ex formula præfixa veteri CODICI CANONVM GALLICANÆ ECCLESIÆ (qui penes nos eſt) redditur penitus exploratum.

CAPVT QVINTVM.

De petitione pallij.

AXIOMA canonicum eſt. *Petitioni ſubitò non annuendum eſſe, quando continet aliquid noui*, can. *communis diſtinct.* 23. Ideo cùm Syagrius Epiſcopus Auguſtodunenſis ſubiectus Metropolitæ Lugdunenſi, pallij decus (quod Archiepiſcopis iam proprium eſt) interpoſito apud ſanctum Gregorium Papam fauore Brunechildis Reginæ (cuius frater erat) expoſceret: non annuit è veſtigio Syagrij vòtis, & Reginæ poſtulatis Pontifex ſanctiſſimus; qui tamen ne pium alioquin Præſulem pudore aliquo ſuffunderet, noluit ei obiicere quod indebita ſibi affectaret concedi: nec Reginæ morem opponere ſuis petitis aduerſum, ne ſpreuiſſe eius preces videretur. At protelata non negata conceſſione eiuſmodi, moræ interiectæ ſic congruam prætexuit rationem, vt ſimul & gratiam optatam præſtaret, & pallij decus commendaret impenſiùs, & ſedis Apoſtolicæ (ex cuius ſolius largitate & benignitate hoc munus ſacrum impetratur) conſeruaret dignitatem. Enimuero ſic ad ipſam, ea de re, Reginam ſcribit, lib.

7. epiſt. 5. *Suſceptis epiſtolis veſtris, valde nobis excellentiæ veſtræ ſtudium placuiſſe ſignamus, atque fratri & coepiſcopo noſtro Syagrio dirigere ſecundùm voluntatem veſtram voluimus*, &c. *Sed res plurimæ reſtiterunt, quæ nos hoc interim facere minimè permiſerunt. Primum quidem, quia qui pallium ipſum venerat accepturus, ſchiſmaticorum errore tenetur implicitus. Deinde quod non id ex veſtra petitione, ſed ex nobis tranſmiſſum voluiſtis intelligi. Extra hoc autem; quia nec is qui eo vti deſiderat, directa ad nos hoc ſibi largiri, ſpeciali petitione popoſcerat. Et tantam cauſam nullo modo præbere, ſine eius poſtulatione debuimus, maximè quia & priſca conſuetudo obtinuit, vt honor pallij niſi exigentibus cauſarum meritis & fortiter poſtulanti dari non debeat. Non tamen ne veſtræ excellentiæ deſiderium, ſub prætextu cuiuſquam excuſationis forſitan videremus velle differre, dilectiſſimo filio noſtro* Candido *presbytero, pallium præuidimus dirigendum, iniungentes ei vt vice noſtra, congrua id debeat obſeruatione tribuere. Vnde neceſſe eſt vt ex opere ſuo, ſupra ſcriptus frater & coepiſcopus noſter Syagrius, facta cum aliquantis * Epiſcopis ſua petitione, hoc ſperare, atque eam prædicto debeat dare Presbytero, quatenus dignè eiuſdem pallij vſum, cum Dei gratia valeat adipiſci.* Hæc ſanctus Gregorius, qui ex antiquo more vult, qui pallium optat Antiſtes, ſuppliciter inſtantérque id poſtulet: nec id aliter quàm porrecta ſolenni feruentíque petitione recipiat. Quo ex eius reſponſo regula illa canonica inoleuit, canoni, *priſca conſuetudo, diſtinct.* 100. hoc

* *ad minus ſeptem*, ex regula antiqua.

tenore præfixa. *Honor pallij non detur, niſi meritis exigentibus & fortiter poſtulanti.* Vbi gloſa hæc notatu digna eſt. *Sed ſi fortiter poſtulet, nónne poteſt notari ambitio? Non. quia cùm quis iure ſuo vtitur, prodeſt inſtãtia.* c. de pœnitentia *diſt. 1. c. importuna 72. diſt. necnon 1. & 2. q. 6. c. poſt appellationem.* Verùm videri poſſet Syagrius Auguſtodunẽſis in hac petitione non vſus iure ſuo. Epiſcopo enim ſimplici ius pallij non competebat: quod Metropolitanorum inſigne eſt. At tametſi pallium iam Archiepiſcopale ornamentum ſit, poteſt tamen Epiſcopo concedi ex priuilegio, *cap. penult. de præſumpt.* Et de facto à ſummis Pontificibus pleriſque Epiſcopis, non Metropolitanis indultum fuit. v. g. à Marco Papa Epiſcopo Oſtienſi, intuitu competentis ei muneris Pontificem Maximum conſecrandi. Ticinenſi ſeu Papienſi, ab Anaſtaſio III. Lucenſi in Thuſcia, à Gregorio VII. Bambergenſi in Germania, à Leone IX. Pariſienſi in Gallia (qui ſimplex adhuc Epiſcopus cùm eſſet, delatum vltro decus non admiſit) ab Innocentio III. & Anicienſis ab Vrbano ſecundo: aliiſque Epiſcopis diuerſarum cauſarum obtentu, & ex mero nutu & beneplacito Pontificum Apoſtolicæ ſedis. Porrò cùm pallium etſi conferatur perſonæ, detur nihilominus loci contemplatione, *gloſ. fin. in cap. bonæ 3. de poſtul. Prælat.* potuit ſeruata ſacerdotali modeſtia & humilitatis cultu Syagrius Epiſcopus Auguſtodunenſis, hunc ſplendorem non ſibi quæ-

rere, ſed Eccleſiæ ſuæ, vt eam hoc honore nobilitaret. Idque illum in votis habuiſſe præſertim duo probant. Primùm, eximia eius ſanctitas, ex qua abdicato deinde ipſo Præſulatu, in eremum receſſit, vbi exacta ſanctiſſimè vita, carnis è via egreſſus, cæli iter capeſſiuit, exploratæque iuſtitiæ & gloriæ promeruit ex iudicio Eccleſiæ anniuerſarios honores.* Alterum eſt ipſius ſancti Gregorij teſtimonium, qui ſatis clarè mentem hanc fuiſſe Syagrij in ea poſtulatione declarauit. Sic enim ipſum ea de re affatur, *Non ad ſuperfluæ elationis pompam, ſed pro genio & honore Eccleſiæ tuæ pallium te arbitramur petiuiſſe.* Immò & eiuſdem Pontificis factum, qui pallium ipſimet Syagrio tranſmittens, potiùs Eccleſiam quàm Epiſcopum exaltauit. Reale enim fore decreuit, & perpetuum priuilegium, quod ſedi Æduenſi ob preces & merita eius Præſulis, tum primùm impertitus eſt. Conſtituit enim *vt Metropolitæ Lugdunenſi ſuo per omnia loco & honore ſeruato, Eccleſia ciuitatis Auguſtodunæ poſt Lugdunenſem Eccleſiam, prima eſſet prouinciæ Lugdunenſis, & hunc ſibi locum & ordinem* (quem hodie retinet) *ſua*, hoc eſt Apoſtolica, *auctoritate vendicaret*, lib. 7. epiſt. 112. ind. 2. Pio igitur voto incenſus, quo Eccleſiam ſuam perenni decore exornaret Syagrius, pallij honorem inculpabili ambitu concupiuit, expetiit per iteratas preces Reginæque ſororis ſuæ adhibito fauore, immò Imperatoris etiam Mauritij auſpiciis fretus, ſubuectúſque (quod

* Martyro. Gallic. in poſtrem. append. p. 1249. vide elogium eiuſdem in ipſo Martyrologij textu 6. Kalend. Septembris.

magis eſt) præclaris in ſedem Apoſtolicam meritis, ac vitæ inſigni ſanctimonia, *ſecundum poſtulationis ſuæ deſiderium*, vt reſcribit ad ipſum B. Gregorius, decus hoc pontificale demum tandem meruit aſſequi, vt ipſe experiretur memorabili ſanè exemplo (ex vigenti tunc antiquæ diſciplinæ rigida obſeruantia) pallium *non niſi bene merenti & fortiter poſtulanti*, à ſedis Apoſtolicæ ſummo Pontifice concedi debere, neque poſſe ſine ingenti inſtantíque flagitatione impetrari. Quæ cauſa enim ſuberat vt veteres Pontifices, Imperatoris ea in re aſſenſum exigerent? Siquidem Vigilius Papa pallium dare diſtulit Auxanio Arelatenſi Metropolitæ, vſquequo conſenſus acceſſiſſet Iuſtiniani Imperatoris. Et ſanctus Gregorius prædicto Syagrio non conceſſit hunc honorem priuſquam Mauricius Imperator quem conſuluerat per ſuum apocryſiarium, hoc vt conferret ei priuilegium, ſe gratum habere * reſpondiſſet. Non vtique quòd pallij pontificalis collatio ſit mixti iuris, Imperatoríſque à nutu vel gratia pendeat, quod merum eſt ſpirituale xenium, religioſum ſignaculum, & beneficium plenum Apoſtolicæ ſedis. Sed ſapienter ita ſe gerebant in pallij collatione Pontifices, vt Cæſari ſpeciem aliquam honoris, ex eiuſdem conſultatione impenderent, gratiam eiuſmodi magis commendarent, atque ſimul præſcinderent frequentiores ambitus, éxque difficultate eliciendi imperatorij aſſenſus, moras dum necterent,

Vigilius PP. epiſt. r. ad Auxanium.

* Sic intelligas autẽ neceſſe eſt Valẽtiniani Imper. reſcriptum pro Antiſtite Rauennatenſi quo decreuit, vt ille priuilegio pallij perpetuo vteretur, apud Hieron. Rubeum in Eccleſ. hiſtor. Rauẽnat. Siquidem non

de conceſſione ipſius iuris & honoris, hoc ſtatutum artipiendũ eſt: ſed de aſſenſu tãtùm & approbatione gratiæ, à ſede Apoſtolica, quę ſola pontificale pallium largitur, impertitæ. Tamẽ Imper. vel Rex in erectione nouæ Metropolis, ius ſuum habet.

impellerent ad inſtantiùs poſtulandum, expectentes. Híncque illi etiam ſacri obices appoſiti, 1. vt plenam fidei Catholicæ profeſſionem ad ſedem Apoſtolicam poſtulator præmitteret, *can. oblatum diſt. 100.* ídque intra tres à conſecratione menſes: vnáque pallium peteret, *cap. quoniam. Ibid.* 2. Obedientiam decretis Pontificum ſedis Apoſtolicæ ſponderet. *Ibidem.* 3. Iureiurandóque polliceretur ſe non modò fidem Catholicam ſeruaturum, at etiam Romanæ ac Catholicæ Eccleſiæ vnitatem, pacem, ac concordiam: *cap. ſignificaſti, de electionibus.* 4. Inſuper ſe illicita amoturum promitteret, *can. in ea Synodo diſtinct. 100.* Denique ſupplicem hunc libellum (quo obnixè & intenſis affectibus poſceret hunc honorem) Apoſtolicæ ſedi obtuliſſet, qui legitur deſcriptus in lib. antiquo S.R.E. rituum, cap. de petit. pallij. Hâc formulâ. *Ego N. Electus Eccleſiæ N. inſtãter, inſtãtiùs, & inſtantiſſimè peto mihi tradi & aſſignari pallium de corpore ſancti Petri ſumptum, in quo eſt plenitudo pontificalis officij,* &c. Neceſſéque eſt vt ſchedulam hanc ſupplicans Antiſtes ſyngrapha ſua obſignet. Cuius ſubſcriptionis defectu, Ioannes VIII. Papa dudum pallium legitur denegâſſe, Wiliberto Agrippenenſi Metropolitano impertiri. *Optatum tibi pallium*, inquit, *nunc conferre nequiuimus, quia nec paginam tuam propria ſubſcriptione munieris, nec aliquem miſeris qui hanc iureiurando firmaret.* can. *Optatum diſt. 100.* Sed & ante Ioannem VIII. S. Gregorius eadem ex cauſa pallium

conferre

conferre ſæpedicto Syagrio, etſi requirente Brunechilde Regina pro eo (eiuſdem ſorore) protelauerat, *quia*, inquit, *nec is qui eo vti deſiderabat directâ ad nos ſpeciali petitione, hoc ſibi largiri popoſcerat. Et tantam cauſam nullo modo præbere* (addit) *ſine eius poſtulatione debuimus, maximè quia & priſca conſuetudo obtinuit, vt honor pallij niſi exigentibus cauſarum meritis & fortiter poſtulanti dari non debeat.* Sed cùm ita rigidè agentem S. Gregorium pro pallij largitione video audióque: candidè vt loquar vix ſenſa eius capio. Fuit enim ſummorum Pontificum humillimus, & qui primus in Apoſtolicis litteris illa cognominatione vſus eſt: *Seruus Seruorum Dei:* quique etiam ſummæ dignitatis hierarchicæ, ſibi delatos ab Eulogio Patriarcha Alexandrino titulos ſplendidiores, (tametſi veros & legitimos) recuſauit lib. 7. epiſt. 3. ind. 1. Miror igitur quî fiat, vt vir hic ſanctus, tam humilis, támque in Dei oculis magnus, quàm in ſuis puſillus, támque cupidus modeſtiæ, quàm elationis omníſque vanitatis inimicus, pro pallij munere concedendo, tanta vſus ſit in dictis auctoritate, ſeueritate in factis, in réque ipſa tanta cautela, tantáque erga Reges & Antiſtites grauitate & maieſtate. At vir diuinus fidelis Dei ſeruus, Paſtórque bonus Eccleſiæ, ſuaui me voce, hoc in biuio anxium hæſitantémque, rectum certúmque in tramitem reuocans, ſuæ ſynceræ intentionis propalatione reducit. *Meus namque* (ait) *honor eſt, honor vniuerſalis Eccleſiæ.*

Ee

Meus honor eſt, fratrum meorum ſolidus vigor. Etenim vigor ille, quem optabat & flagitabat in Epiſcopis, erat non ſolùm integritas quæ debet illorum moribus ineſſe, ſed ſanitas inſuper in doctrina, firmitas atque ſynceritas in fide. Officium enim Petri ſucceſſoris eſt, *fratres*, hoc eſt Epiſcopos (quorum Archiepiſcopi ſunt apices) in fide, vt commendauit Dominus ipſimet Petro, *confirmare*, Luc. 22.

Hinc piè & perdoctè redarguit dudum Paſchalis Papa II. Reges Siciliæ & regni primores, factum eius ſugillantes, quo pallium Panormitano Archiepiſcopo, concedendo nunciis ſuis nihilominus vetuerat ne huic contraderent, niſi priùs iuramentum eâ formâ, quâ ab eo exigendum iuſſerat, præſtitiſſet. Sic enim ipſimet Archiepiſcopo conquerenti reſcripſit. *Significaſti Reges & regni maiores admiratione permotos, quòd pallium tibi ab apocryſiariis noſtris tali conditione oblatum fuerit. Si ſacramentum quod à nobis ſcriptum detulerant exhiberes.* & infrà. *Mirentur in hac cauſa Dominum noſtrum* Iesvm *Chriſtum, qui cùm ouium ſuarum curam Petro committeret, conditionem poſuit dicens, ſi diligis me, paſce oues meas. Si conſcientiarum factor, & cognitor ſecretorum conditione hac vſus eſt, nec ſemel tantùm, ſed & ſecundò, & vſque ad contriſtationem: qua nos ſollicitudine oportet tantam Eccleſiæ prælationem imponere fratribus, quorum conſcientias non videmus? Aiunt: omne iuſiurandum in Euangelio à Domino eſſe prohibitum, nec ab Apoſtolis*

poſt Dominum, nec in Conciliis inueniri poſſe ſtatutum. Quid eſt ergo quod Dominus ſubſequenter ait: Quod amplius eſt, à malo eſt? hoc enim amplius, vt exigamus, malum, nos, illo permittente, compellit. Nónne malum eſt ab Eccleſiæ vnitate, & à ſedis Apoſtolicæ obedientia reſilire? & contra Canonum ſtatuta protumpere? quod multi etiam poſt ſacramentum præſtitum præſumpſerunt. Et infrà: *Hoc nimirum malo, ac neceſſitate compellimur, iuramentum pro fide, pro obedientia, pro vnitate requirere. Aiunt in Conciliis ſtatutum non inueniri. Quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia vlla præfixerint: cùm omnia Concilia per Romanæ Eccleſiæ auctoritatem & facta ſint & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas.* Rurſúſque infrà. *Cùm igitur à ſede Apoſtolica veſtræ inſignia dignitatis exigitis, quæ à beati Petri tantùm corpore aſſumuntur, iuſtum eſt vt vos quoque ſedi Apoſtolicæ ſubiectionis debita ſigna ſoluatis, quæ vos cum B. Petro, tanquam membra de membro, habere & Catholici capitis vnitatem ſeruare, declarent.* Hæc ille *lib. 1. tit. 6. qui eſt de Electione, cap. 4.* Quæ memorabilis prorſus Apoſtolicæ ſedis reſponſio, plena eſt pontificali vigore, Dominica manſuetudine, Chriſtiana pietate. Genuinéque oſtendit, cur inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè ex veteri Catholicæ more Archiepiſcopus pallium, à ſede ſumma ſancti Petri requirat.

Capvt Sextvm.

De pallij conceſſione.

COMPELLERE poteſt Pontifex Maximus Archiepiſcopos omnes, vt à ſancta ſede Apoſtolica pallium petant, inſtantiúſque ſibi dari ex antiquo more deprecentur. At nequit ipſe compelli, vt largiatur; pallij enim conceſſio mera gratia eſt. Nam ab initio ſolius ſummi Eccleſiæ Paſtoris pontificale hoc inſigne adeo proprium fuit, vt ne maioribus quidem Patriarchis (ſicut oſtenſum eſt cap. 2. & 3.) eo vti liceret. Cúmque ob ſpectabilem eorum in Eccleſia gradum illis fuiſſet decus hoc à ſumma ſede communicatum, ſubinde etiam Metropolitis indultum fuit, vt colligere eſt ex decreto Pelagij Papæ relato *can. quoniam diſtinct. 100.* vſus tamen non ſtatim inualuit, vt hoc ſignaculo honoris omnes Metropolitæ gauderent. Cùm ſanctus Gregorius ipſius Pelagij ſucceſſor, Deſiderio Metropolitano Viennenſi pallium petenti enixè, dare renuerit, quouſque ipſe per authenticas literas, conſortium huius priuilegij oſtendiſſet fuiſſe à ſummis Pontificibus ſuis deceſſoribus conceſſum*. At neque cùm inualuit conſuetudo, vt omnes Metropolitæ (qui poſtea Archiepiſcopi dicti ſunt) hoc honore quaſi iure dignitatis potirentur, ita propriè illis hæſit hoc Pontificale decus, vt non aliquando etiam ſimplicibus

*Et S. Bernar. in vita Malachiæ, innuit, in Hibernia duas fuiſſe ſedes Metropolitas, quæ ad ſuã ferè ætatẽ, pallium nõ fuerant cõſecutæ.

Epiſcopis ex ſedis Apoſtolicæ beneplacito communicatum fuerit, ſicut pleriſque exemplis ſuperiori capite declaratum eſt. Et quibus ſedes Apoſtolica pro libito indulſit, iiſdem etiam quando libuit abſtulit. Sic comminabatur hoc ius auferre & priuilegia cetera, Ioanni Archiepiſcopo Rauen. ob prauam adminiſtrationem Simplicius Papa epiſt. 16. At re ipſa Ticinenſis Epiſcopus, qui ab Anaſtaſio III. Papa priuilegium pallij & peraltæ crucis conſecutus fuerat, eo vſque iis inſigniis potitus eſt, donec quòd pertinaciùs adhæſiſſet Eccleſia & Antiſtes Ticinenſis Octauiano Antipapæ, vtroque decoro Epiſcopus priuatus eſt ab Alexandro Papa III. Denegari autem poſſe Metropolitis ſeu Archiepiſcopis petentibus pallium à ſummo Pontifice, iampridem creditum in Gallia: vt legere eſt apud Fulbertum Epiſcopum Carnotenſem, epiſt. 47. quæ ſequenti capite *de vſu & auctoritate pallij*, magis aptè proferetur. Interim quoniam de Gallia potiſſimum ſcribimus, pallij in ea antiquiſſimum eſſe vſum, ex ſedis Apoſtolicæ munificentia, qua priſcis noſtris Præſulibus inſignioribus conceſſum fuit, ſatis fit in priſcis monimentis perſpicuum; ex quibus in Martyrologio noſtro Galliæ obſeruauimus datum fuiſſe ex veteri more à Pelagio I. S. Samſoni Antiſtiti Dolenſi: à ſancto Gregorio Virgilio Metropolitæ Arelatenſi, & S. Syagrio Epiſcopo Æduenſi: à Gregorio II. S. Corbiniano Regionali Epiſcopo

Acta Alexandri III. PP. anno 1175.

(hoc eſt gentium conuerſioni deſignato) poſteà Epiſcopo Friſingenſi: à Sergio, S. Willibrordo Archiepiſcopo Vltraiectino: à Zacharia B. Abel Archiepiſcopo titulari, Suffraganeo Remenſi: & à Leone IV. Hincmaro Remenſi Metropolitæ: à Nicolao I. S. Adoni Viennenſi: ab Agapito II. S. Brunoni Colonienſi. Habemus autem ex priſcis aliis Gallicanæ Eccleſiæ codicillis etiam datum fuiſſe à Symmacho Papa ſancto Cæſario Arelatenſi Præantiſtiti; à Pelagio Sapaudo itidem Arelatenſi; à Vigilio, Auxanio, deinde & Aureliano, vtrique etiam Arelatenſi; à Gregorio III. S. Bonifacio Moguntino Metropolitæ; à Zacharia * Grimoni & Ariberto, huic Senonenſi, illi Rotomagenſi, vnáque præfato Abeli Remenſi, non quidem Cathedraticis Præſulibus, ſed auxiliariis Epiſcopis. Poſteriora non opus eſt exempla recenſere, quæ innumera ſunt omnibúſque notiſſima. Vetuſtiora ſanè ex ſcriptorum auctoritate non habemus. At ſi coniecturis licet antiquiora venari: à S. Clemente, à quo S. Dionyſius cùm miſſus eſt, Apoſtolatum Galliarum traditur ſuſcepiſſe; crediderim pallium vnà fuiſſe honoris gratia donatum. Id ſanè magis non abludit à veriſimilitudine, quàm baculum à ſancto Petro B. Valerio Protopræſuli Treuirenſi datum eſſe: indicia quæ me mouent, quatuor ſunt. Primum, ipſe honor & titulus Apoſtolatus, quo decoratus B. Dionyſius à S. Clemente tam conſtanti auctorum teſtimonio aſſeritur.

* Nam Zacharias in epiſtola 5. ad præd. Bonifaciũ Mogunt. tria pallia mittit, vnũ ad Grimonem, in ciuitate Rodomas, ſeu Rodomus (quæ nunc eſt Rotomagus:) alterum ad Abel, in ciuitate quæ dicitur Remorum. Tertium ad Aribertum in ciuitate quæ dicitur Sẽnis, hoc eſt Senonis.

Secundum, Arelatenſis Archiepiſcopi (cui Eccleſiæ præfuit primò Dionyſius) vetuſtiſſimus primatus, cui Vicariatus Apoſtolicæ ſedis, vel ante protoœcumenicum Nicenum Concilium, iam hærebat. Tertium, antiquæ ſancti Dionyſij effigies, quæ pallio ſanè quàm moderno fuſiori, at ſurſum deorſúmque replicato, & circumquaque conſperſo crucibus, egregiè inſignitæ ſunt. Qualis vna perantiqua certè, etiamnum viſitur in inclyti eius monaſterij baſilica, columnæ affixa, in ea parte preſbyterij, quæ læua eſt ingredientibus. Quartum deinde, inſcriptio antiquiſſima hierothecæ ipſius glorioſi Martyris & Apoſtoli Galliarum, characteribus intimam vetuſtatem ſpirantibus (quos Legati Henrici Imperatoris, tempore Henrici I. Chriſtianiſſimi Regis, cùm nota occaſione, iis expoſita reſeratáque fuêre feretra ipſius B. Dionyſij & ſociorum, perſpexerunt mirabundi ac legerunt) inſculpta, quæ S. Dionyſium Archiepiſcopum, titulo ſanè non vmbratili, denominat. Sic enim habet. HIC SITVM EST CORPVS BEATISSIMI DIONYSII ARCHIEPISCOPI. Tametſi enim ætate S. Dionyſij, Archiepiſcopi nomen nondum inoleuiſſet: tamen dignitas ipſa quæ primatum ad minus Epiſcopalem in certa Prouincia deſignat, iam erat inter ſacros Paſtores ſtatuta. Vnde antiquarum Metropopoleων origines prodiêre. A quibus matrices ipſæ Eccleſiæ, Hierarchicæ prærogatiuæ honorem, traditæ ſibi religionis au-

Martyrol. Gall. die 5. Iunij.

ctoribus, quaſi principibus & anteſignanis præconum Chriſtianæ pietatis, huc illuc per hos diffuſorum, ſemper retulerunt acceptum. Archiepiſcopum igitur Maiores noſtri ſanctum Dionyſium rectè appellitarunt, hócque titulo inſcripto eius lypſanothecæ honorârunt: non quòd Lutetianam Eccleſiam quam ore genuit, cruore partam conſecrauit meritis glorioſis, iam ad Archiepiſcopalis, ſeu Metropolitani, imperij decus extuliſſet. Sed quòd ipſe re vera Galliæ Archiepiſcopus & princeps cæleſtium in ea nunciorum extitiſſet: & cuius officij, vt obiiſſet omnia primus munia, ita titulos & inſignia egregiè meruiſſet; atque etiam fortè pallium Pontificale (quod poſteri Archiepiſcopale vocitârunt) geſtaſſet, ſicut traditi ſibi ſingulari priuilegio Galliarum Apoſtolatus à ſummæ ſedis Pontifice Clemente, genuinum indicium. Quod & antiquæ eius imagines, vt dictum eſt, non mediocriter perſuadent. Etenim ab antiquis imaginibus Sanctorum quàm grauis momenti argumenta eliciantur, liquidum fit ſatis ex actis VII. Concilij generalis, aliàs Niceni ſecundi. Verùm à fuſiori exemplorum traditi per ſummos Pontifices & ſuſcepti in Gallia pallij per ſacros Antiſtites indagine lubens ſuperſedeo: cum illius antiquitas meris quæ non coniecturis nititur, at librorum patentibus conſtat monumentis, ea ſit quæ annos iam ferè 1200. attingit. Symmachus enim qui S. Cæſareo pallium donauit *ex antiquo*, vt

vt liquebat, *mox*, ante annos 1134. Eccleſiæ Catholicæ præſidebat. A quo tempore nemo in Gallia Metropolitano iure potitus eſt, nemo Archiepiſcopali honore ac poteſtate emicuit, quo hoc inſigne plenitudinis Pontificalis officij, & conteſſerationis in fide & ſacra politia cum Apoſtolica ſede ſymbolum perſpicuum, non petierit à matrice & radice Catholicæ religionis S. R. E. reipſáque (cùm placuit ſummis Pontificibus) promeruerit. Eſt autem in veteri libro rituum Romanæ ipſius Eccleſię, deſcripta formula, qua miſſum Metropolitano aut Primati traditur pallium Archiepiſcopale per Apoſtolicum delegatum, hoc ſub tenore. *Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, & Domini N. Papæ, Eccleſiæ Romanæ & Eccleſiæ N. tibi commiſſæ: Tradimus tibi pallium de corpore ſancti Petri ſumptum, in plenitudinem pontificalis dignitatis, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam, certis diebus qui exprimuntur in priuilegiis Eccleſiæ tuæ conceßis à Romana Eccleſia.* Sed apud Crantzium Eccleſ. hiſtor. Saxoniæ lib. 7. cap. 3. luculentior legitur tradendi pallij formula, qua vtebantur Legati Apoſtolicæ ſedis, quando Germaniæ Antiſtites, qui ſteterant pro Octauiano Antipapa, aliiſque, in ſchiſmate contra Alexandrum III. legitimum Pontificem, ſedi Apoſtolicæ reconciliabant, & hac ſacra decorabant teſſera. Hæc ſcilicet erat: *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; & in honorem Dei genitricis & in hono-*

Ff

rem Apoſtolorum Petri & Pauli, & S.R.E. & D. Alexandri Papæ, tradimus tibi pallium ſumptum de beatiſſimo corpore Petri Apoſtoli, vt eo vtaris in confectione Sacramentorum & corporis & ſanguinis Domini, & conſecratione Eccleſiarum, & Chriſmatis, & ordinatione Clericorum, & celebratione Synodorum, ſecundùm Eccleſiæ tuæ conſuetudinem. Ita apud Crantzium, quæ ampliſſima eſt omnium, huius ritus obeundi formula.

Porrò vt nunc conceditur, datur & recipitur palliũ, hîc inſinuare operæprecium cenſeo; relatis ex ſerie Apoſtolicis codicillis ſanctiſſimi D. Gregorij XV. Papæ, illuſtriſſimo D. Ioanni Franciſco de Gondy primo Archiepiſcopo Pariſienſi, ſuper inſtanti eius petitione, directis: Pontificióq. mandato dato Reuerendiſſimis Epiſcopis Carnotenſi & Aurelianenſi, de illius Archiepiſcopalis ornamenti, facienda ab illis, vel horum altero (auctoritate Apoſtolica) ipſimet nupero Archipræſuli traditione, iiſdem munificis litteris prçlibati ſummi Pontificis, annexo.

COLLATIONIS

PALLII PONTIFICALIS

Factæ illuſtriſſimo primo Archiepiſcopo Pariſienſi, litteræ Apoſtolicæ.

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, Venerabili fratri IOANNI FRANCISCO Archiepiſcopo Pariſienſi, ſa-

lutem & Apoſtolicam benedictionem. *Cùm nos nuper Eccleſiam Pariſienſem tunc paſtoris ſolatio deſtitutam, certis rationibus & cauſis adducti, motu proprio & ex certa ſcientia, ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, in Metropolim, ſedémque Epiſcopalem Pariſienſem in Archiepiſcopalem, Apoſtolica auctoritate erexerimus & inſtituerimus, præficiendo te illi in Archiepiſcopum & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis litteris pleniùs continetur: ac poſtmodum* PALLIVM INSIGNE VIDELICET PLENITVDINIS PONTIFICALIS OFFICII, *ex parte tua fuerit à nobis* cum ea *qua decuit* inſtantia *poſtulatum. Nos tuis ſupplicationibus annuentes, pallium ipſum de corpore beati Petri ſumptum, per venerabiles fratres noſtros Carnotenſem & Aurelianenſem Epiſcopos, tibi aſſignandum, per Nuntium tuum duximus deſtinandum: vt ipſi Epiſcopi vel eorum alter illud tibi, poſtquam munus conſecrationis ſuſceperis, aſſignent ſeu aſſignet, & à te, noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine, ſub forma quam eis ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, fidelitatis debitæ ſolitum recipiant, ſeu recipiat, iuramentum. Tu autem illo intra Eccleſiam tuam Pariſienſem, illis diebus duntaxat vtaris, qui expreſſi in ipſius Eccleſiæ priuilegiis continentur. Vt igitur ſignum non diſcrepet à ſignato, ſeu quod geris exteriùs interiùs ſerues in mente, fraternitatem tuam monemus & hortamur attentè, per Apoſtolica ſcripta tibi mandantes: quatenus humilitatem & iuſtitiam, dante Domino, qui dat præmia & munera elargitur, obſeruare ſtudeas, quæ ſuum ſeruant & promouent ſeruatorem;*

dictámque Eccleſiam, ſponſam tuam, cures ſollicitè, auctore Domino, ſpiritualiter & temporaliter augmentare. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, tertio decimo Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio. Infra ſignatum, E. de Sancey, *& à latere*, B. Bomcompagnus. M. A. Maffæus..

RESCRIPTVM APOSTOLICVM

Ad Reuerendiſſimos Epiſcopos Carnotenſem & Aurelianenſem, vel eorum alterum, de collatione prædicta efficaciter exequenda..

GREGORIVS EPISCOPVS SERVVS SERVORVM DEI, VENERABILIBVS FRATRIBVS CARNOTENSI ET AVRELIANENSI EPISCOPIS, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. *Cùm pallium, inſigne videlicet plenitudinis Pontificalis officij, ex parte venerabilis fratris noſtri* Ioannis Franciſci Archiepiſcopi Pariſienſis, *de cuius perſona nuper Eccleſiæ Pariſienſi, tunc certo modo Paſtoris ſolatio deſtitutæ, de fratrum noſtrorum conſilio, Apoſtolica auctoritate, prouidimus, præficiendo ipſum illi in Archiepiſcopum & paſtorem (prout in noſtris inde confectis litteris pleniùs continetur) fuerit à nobis* CVM EA QVA DECVIT INSTANTIA POSTVLATVM: *Nos ipſius Ioannis Franciſci Archiepiſcopi precibus annuentes, pallium ipſum* DE CORPORE BEATI PETRI SVMPTVM, *per vos vel*

alterum veſtrûm ſibi aſſignandum, iuxta formam quam ſub Bulla noſtra mittimus introcluſam, per nuntium ſuum duximus deſtinandum. Quocirca fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel alter veſtrûm, pallium ipſum iuxta præmiſſam formam, eidem Ioanni Frãciſco Archiepiſcopo aſſignare curetis, & ab ipſo (noſtro & Romanæ Eccleſiæ nomine) ſub forma quam vobis ſub eadem Bulla direximus, fidelitatis debitæ ſolitum recipiatis, ſeu recipias, iuramentum. Formam autem iuramenti quod idem Ioannes Franciſcus Archiepiſcopus præſtabit nobis, de verbo ad verbum, per eius patentes litteras ſuo ſigillo munitas, per proprium nuntium quantocitùs deſtinare curetis. Datum Romæ apud ſanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo ſecundo, tertio decimo Kalend. Aprilis, Pontificatus noſtri anno tertio. Infra ſignatum, L. de Sancey, *& à latere,* B. Boncompagnus. M. A. Maffæus.

Forma dandi Pallium, præſcripta ab Apoſtolica ſede.

AD HONOREM DEI OMNIPOTENTIS, *& beatæ* MARIÆ *Virginis, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini noſtri Papæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nec non Pariſienſis Eccleſiæ tibi commiſſæ,* TRADIMVS TIBI PALLIVM DE CORPORE BEATI PETRI SVMPTVM, *plenitudinem videlicet Pontificalis officij, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam, certis diebus qui exprimuntur in pri-*

uilegiis ei ab Apoſtolica ſede conceſſis. Infra ſignatum, L. de Sancey, *&* *à latere*, B. Boncompagnus, M. A. Maffæus.

Forma iuramenti pro pallio præſtandi, ſecundùm vigentem S. R. E. conſuetudinem.

EGO IOANNES FRANCISCVS ARCHIEPISCOPVS PARISIENSIS *ab hac hora in antea, fidelis & obediens ero beato Petro, ſanctaque Apoſtolicæ Romanæ Eccleſiæ, & Domino meo, Domino* GREGORIO PP. XV. *ſuiſque ſucceſſoribus canonicè intrantibus: non ero in conſilio aut conſenſu vel facto vt vitam perdant aut membrum, ſeu capiantur mala captione: conſilium verò quod mihi credituri ſunt per ſe aut nuntios, ſeu litteras, ad eorum damnum me ſciente nemini pandam; Papatum Romanum & regalia ſancti Petri adiutor eis ero ad retinendum & defendendum contra omnem hominem; Legatum Apoſtolicæ ſedis in eundo & redeundo honorificè tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adiuuabo: vocatus ad Synodum veniam, niſi præpeditus fuero canonica præpeditione: Apoſtolorum limina ſingulis quadrienniis viſitabo, aut per me aut per meum nuntium, niſi Apoſtolica abſoluar licentia: poſſeſſiones verò ad menſam mei Archiepiſcopatus pertinentes, non vendam neque donabo, neque impignorabo, neque de nouo infeudabo, vel aliquo modo alienabo, inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia. Infra ſigna-*

tum, L. de Sancey, *&* *à latere*, B. Boncompagnus. M. A. Maffæus.

SOLENNIS ASSIGNATIO, SEV TRADITIO PALLII

Facta illuſtriſſimo Archiepiſcopo I. Pariſienſi per Reuerendiſſimum Epiſcopum Carnotenſem, executorem mandati Apoſtolici.

LEONORIVS DESTAMPES DEI *& ſanctæ ſedis Apoſtolicæ gratia Carnotenſis Epiſcopus, Domini noſtri Regis in ſuis ſtatus & ſanctiori Conſiliis Conſiliarius: Vniuerſis præſentes litteras inſpecturis, ſalutem in Domino. Notum facimus, quòd nos die datæ præſentium feſto Aſcenſionis Domini in inſigni Eccleſia Pariſienſi poſt celebrationem miſſæ ſolennis ad maius altare eiuſdem, in pontificalibus per nos celebratæ: ex commiſſione & mandato ſanctiſſimi in Chriſto patris & Domini Domini* GREGORII *diuina prouidentia Papæ decimiquinti & moderni, nobis factis: illuſtriſſimo & reuerendiſſimo Domino D.* IOANNI FRANCISCO DE GONDY, *eadem gratia Archiepiſcopo Pariſienſi, genibus flexis coram nobis conſtituto, ac indumentis, ſeu ornamentis pontificalibus, ac planeta prætioſa induto: Pallium de corpore beati Petri ſumptum*, IN QVO EST PLENITVDO PONTIFICALIS OFFICII, VNA CVM ARCHIEPISCOPALIS NOMINIS APPELLATIONE TRADIDIMVS *ſub hac forma:* Ad.

honorem Dei omnipotentis & beatæ Mariæ Virginis, ac beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini noſtri Papæ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, necnon Pariſienſis Eccleſiæ tibi commiſſæ: tradimus tibi pallium de corpore beati Petri ſumptum, plenitudinem videlicet Pontificalis officij, vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in priuilegiis ei ab Apoſtolica ſede conceſſis, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen. *Prout tenore earumdem litterarum commiſsionis, & mandati ac formæ dandi pallium ſub plumbo confectarum, nobis apparuit: priùs tamen per eundem Reuerendiſsimum dominum Pariſienſem Archiepiſcopum præſtitis, & ab ipſo à nobis receptis fidelitatis debitæ iuramentis, in talibus præſtari aſſuetis, & in Bulla ſui deſcripti iuramenti, ſcriptis, per ipſum coram nobis de verbo ad verbum ore proprio lectis & expoſitis. In quorum præmiſſorum fidem & teſtimonium has præſentes litteras manu noſtrâ obſignatas per Magiſtrum Ioannem Baudouyn, in Iure canonico licentiatum, publicum authoritate Apoſtolica, venerabiliſque Curiæ Archiepiſcopalis Pariſienſis Secretarium ordinarium, fieri & ſignari, ſigillíque Cameræ noſtræ fecimus & iuſsimus appenſione communiri. Datum Pariſiis anno Domini milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo tertio, die Iouis prædicto feſto Aſcenſionis Domini, vigeſima quinta Maij: præſentibus ibidem nobilibus & venerabilibus viris Dominis Dionyſio le Blanc, dictæ Eccleſiæ Pariſienſis Canonico, & Archidiacono Bryæ, Iſaac de Lartigue Canonico Pariſienſi,*

ſienſi, Magiſtris Petro Heudebert in dicta Eccleſia magno Vicario, & Petro de Glanderon Canonico ſancti Dionyſij de paſſu in eadem Eccleſia Pariſienſi, pluribúſque aliis teſtibus, ac magna populi multitudine. Signatum, I. Baudouyn.

CAPVT SEPTIMVM.

De auctoritate pallij.

IVO Carnotenſis lib. 1. Pannomiæ, hoc decretum factum ſub Damaſo Papa deſcribit. *Quiſquis Metropolitanus infra tres menſes conſecrationis ſuæ, ad fidem ſuam exponendam, palliúmque ſuſcipiendum, ad ſedem Apoſtolicam non miſerit, commiſſa ſibi careat dignitate.* Hoc decretum Pelagius Papa innouauit, vt Iuo ipſe teſtis eſt *p. 5. cap. 136.* Porrò Innocent. III. directo ad C. Cardinalem ſedis Apoſtolicæ Legatum reſcripto, mandauit, nec nomen Archiepiſcopi poſſe ſibi Antiſtitem vendicare, qui pallium non ſuſceperit. Vnde inſcriptio capitis, *Niſi, de auctoritate & vſu pallij. Per pallium confertur plenitudo Pontificalis officij, & nomen Archiepiſcopale.* De nomine Archiepiſcopi nemo inficiari poteſt dudum fuiſſe ſummi Pontificis proprium. At deinde ad Patriarchas quoque maiores deriuatum; propter ſpeciem quam gerebant *Papalis ſimilitudinis.* Vnde in Concilio Chalcedonenſi Anatholius Conſtantinopolitanus Antiſtes, ſicuti Leo Papa, Archiepiſcopus nominatur: ſed Papæ Archiepiſcopali nomini,

Et refertur can. *quoniam*, diſt. 100.

titulus additur, *Patriarchæ vniuerſalis*. Indulgentiâ deinde ſummæ ſedis, cum pallio, Archiepiſcopale nomen Metropolitanis communicatum fuit. Certè in Gallia ante mille annos. Nam in I. Concilio Matiſconenſi, anno ſalutis 581. coacto, canon hic editus eſt ſerie 6. *vt Archiepiſcopus ſine pallio Miſſas dicere non præſumat*. decus igitur nominis, vt dignitatis, pallium Metropolitis confert. At alia inſignia pleraque inſuper attribuit, indicia nempe fidei, probitatis, & non honoris ſolùm ſignaculum, ſed & poteſtatis.

1. FIDEI QVIDEM ORTHODOXÆ, pallium in Archiepiſcopo inſigne eſt. Nam ad hoc præcipuè inſtitutum fuit, vt teſſera eſſet & fidei integritatis in ſuſcipiente & eiuſdem communionis cum Chriſti Vicario, Petri ſucceſſore, ſummo Pontifice, vniuerſalis Eccleſiæ Paſtore, & ſancta ſede Apoſtolica, omnium Eccleſiarum matre. Præclarè ſanctus Hieronymus contra Ruffinum, *Fidem ſe dicit tenere Romanæ Eccleſiæ, & ego teneo: ergo vtrique Catholici ſumus*. Non igitur fides Archiepiſcopi poterat in dubium verti, quem videre eſſet pallio inſignitum: notum enim erat vbique, nunquam à ſumma ſede ſignum hoc ſacræ conteſſerationis Archiepiſcopo concedi, quin priùs fidei confeſſionem, Apoſtolicæ ſedis regulis congruentem, fuiſſet ipſe apud Romanum Pontificem, ſolenni declaratione profeſſus. Papam enim (vt dicebat S. Leo) omnes ſciebant credito ex officio, *& Apoſtolicæ fidei; & paternæ*

rum traditionum eſſe cuſtodem. Fuítque ſemper in ſummis Pontificibus veris ſucceſſoribus Petri, fidei Catholicæ tuendæ incenſus admodum zelus, quo æſtuans Ioannes VIII. Papa Wiliberto Epiſcopo Agrippinenſi, poſcenti pallium, ſed cum non plena fidei Catholicæ declaratione & ſponſione, id pontificali plane vigore & ardore Apoſtolico recuſabat. *Optatum tibi pallium* (reſcribebat illi) *nunc conferre nequiuimus, quia fidei tua paginam minùs quàm oporteat* continere reperimus. Cùm videlicet in ea, nullam ſanctarum vniuerſalium Synodorum, in quibus fidei noſtræ ſymbolum continetur; nec Decretalium Pontificum Romanorum conſtitutorum ſecundum morem feceris mentionem.* Et rectè omnino inſufficientem fidei confeſſionem Pontifex admittere recuſauit. Vult enim Apoſtolus *Epiſcopum amplecti eum, qui ſecundum doctrinam eſt fidelem ſermonem, potentem eſſe in doctrina ſana,* Tit. 1. 9. *ſeruare mandatum ſine macula,* 1. Timoth. 6. 14. *depoſitum cuſtodire,* 20. fidem non fictam habere, 2. Timoth. 1. 2. Immò neque mutilam neque fluxam. *Teſtor coram Deo* (ſcribebat chariſſimo diſcipulo idem Apoſtolus) *& Chriſto* IESV *& electis Angelis, vt hæc documenta cuſtodias ſine præiudicio,* 1. Timoth. 5. 21. id eſt, ſine vlla diminutione. Etenim fides Catholica (ait Magnus Leo epiſt. 52. directa ad Epiſcopos Galliæ) *nulla eſt ſui parte mutabilis.* Quam ſi qui integram præſtare debent, Epiſcopi ſanè quos præfatus Apoſtolus volebat *ſe præbere exemplum fidelibus, in verbo, in conuerſa-*

* Si enim non debet præterire apex à lege: multò minùs à fide, quæ ſpei eſt Chriſtianæ ſubſtantia, Heb. 11. 3.

tione, at potiſſimum *in fide*, 1. Timoth. 4. 12. Paſtorem *operarium eſſe inconfuſibilem, rectè tractantem verbum veritatis*, epiſt. 2. cap. 2. 15. *Formam ſacrorum verborum ſeruare.* Quibus ex regulis, præfatus Leo Magnus optabat *Epiſcopos eruditione Spiritus ſancti repleri*, in iiſque cæleſtem vigere doctrinam, à quibus in Clerum & populum fluenta ſeſe plenæ rectæque fidei diffunderent. Quòd ſi in Epiſcopis hoc videtur omnino exigendum: multo magis in Archiepiſcopis*, à quibus pendent ipſi Epiſcopi, quique iis debent *in fide & ſana doctrina* prælucere, & dum eos ordinant ab iiſdem repetere accuratam fidei orthodoxæ profeſſionem. Quos regulariter ipſi Epiſcopi in dubiis conſulere tenentur, etiam antequam Apoſtolicæ ſedis oracula iis liceat expetere. *Leo epiſt. 91.* Fidei plenitudo Catholicæ in iis ideo debet reperiri. Quamobrem vetus Eccleſiæ diſciplina illos obſtrinxit, infra tres menſes ab ordinatione ſua, fidem ſuam apud Apoſtolicam ſedem integra ſerie profiteri: & quouſque eius plenam ſyncerámque formulam præſtitiſſent, pallium non poſſe conſequi: pallij autem defectu, vt Archiepiſcopales actus nullos penitus valerent exercere. Cùm igitur ad illos pallium mittebatur, non ſolùm deferebatur ſacrum eiuſmodi munus in indicium perfectionis Pontificalis honoris, ſed in teſtimonium quoque patentiſſimum plenitudinis fidei, probatæque à ſumma Petri ſede ſyncerę per ipſos editæ, ſanæ eiuſdem doctrinæ con-

*Vide Can. *Clerus* v. Archiepiſcopus diſtinct. 20.

feſſionis. Vnde à ſancto Fulberto epiſt. 79. pallium veræ fidei & doctrinæ ſignaculum, & quaſi præmium exiſtimatur. *Pallium Archiepiſcopale,* ait, *torques eſt deuotiſſimæ prædicationis.*

2. Cùm Epiſcopus non debeat ordinari *crimi- noſus,* Tit.1.7. Valent. Concil.1.can.4. ſed ſit oporteat *irreprehenſibilis:* ſanè Metropolitæ qui ſunt Archiepiſcopi, hoc eſt Epiſcoporum principes*, debent ab omni flagitio atque à fama peccati & noxæ penitus eſſe immunes. Vnde enim Apoſtolus exigebat, vt Epiſcopus eſſet non ſolùm in verbo, ſed & in conuerſatione irreprehenſibilis: non in fide tantùm, ſed in charitate & caſtitate omnibus ſpectabilis: magis affectabat vt qui ipſis præſunt Epiſcopis, qualis Timotheus erat (de quo 2. in epiſt. ad ipſum cap.2.2.15. & ad Tit.2.7.) iis dotibus eſſent illuſtres. Et inde eſt quòd Romani Pontifices, qui Pauli quoque Apoſtoli ſimul ac Petri (vt benè aſſerit * ſanctus Bernardus) locúm tenent, iis eius regulis imbuti, cùm in omnibus Epiſcopis lucere optârint, iuſtitiæ ac caſtimoniæ illibatum decorem, potiſſimum in Archiepiſcopis curarunt, vt eximia innocentiæ ac ſanctitatis lumina prælucerent. Ideóque nunquam pallium iis voluerunt largiri, quos exploratæ pietatis & conſpicuæ virtutis nitor non commendaret. Hinc in Codice ſacro. Qui pallium deſiderat accipere, *priùs à ſe remouere illicita promittat,* diſtinct. 100. can. *in ea Synodo.* A ſe inquam non modò, ſed & à ſuis, curæ ſuæ ſubie-

* Inde & *primates* in iure, ipſi Archiepiſcopi nuncupantur, cap. 3. de foro competenti. cui aſtipulatur epiſt. 9. Leonis M. ad Theodor. Foroiul Epiſc. & reſcriptũ Benedicti PP. munificũ, quod recitat Hincmarus epiſt. 6. c 21 & 24.

* Lib. 3. de Conſid.

ctis, ſicut tenor canonis ipſius oſtendit, qui ex epiſtola ſancti Gregorij ad Aregium Epiſcopum elicitus eſt: qua beatiſſimus hic Pontifex, pallium à ſe ad Syagrium miſſum, huic tradere illi committit, ſi priùs quàm ſuſcipiat Syagrius promiſerit, in Synodo, illicita quæ inhibuerat ipſemet Pontifex per definitionem Synodicam, à ſancta Eccleſia remouere. Illicita iſta quæ ſanctus Gregorius recèns inhibuerat, notantur ſignatè in ipſius epiſtola ad Brunechildem Reginam, qua Syagrio ſæpedicto pallium concedit: ſcilicet, *ne ſacri ordines præmio vel gratia conferantur: & ne ex Laicis repente fiant Epiſcopi.* Vnde habes quo Breuiarij Romani non ſatis explicatum locum intelligas, in feſto ipſius ſancti Gregorij 12. Martij lect. 5. vbi ſic habetur. *Pallium Syagrio Auguſtodunenſi Epiſcopo dare noluit, niſi Neophytos hæreticos expelleret ex Gallia.* Neophyti enim illi erant, qui fauore vel pretio, Epiſcopatus inuadebant, & repente de Laicis antequam in Clericatu militaſſent, Epiſcopi euadebant: quos Apoſtolus ab Epiſcopatu diſertè repellit, *1. Timoth. 36.* His autem ex oſtenſionibus, palam eſt, quanta virtute S. Gregorius eum quem pallio honorabat præſtare exigeret, quem ſic aliena piacula, volebat ſollicitè emundare. Nam hoc imprimis requirebat poſt ſynceritatem in fide: vt in moribus quoque illius qui petebat, aut recepturus erat ſacrum hoc decus, egregia probitas eniteret. Nec motiuo vrgentiori fuit impulſus ſanctus Ponti-

ſex, vt Syagrio conferret hanc gratiam, quam ex eo quòd multa cum virtutum decora cohoneſtabant. *Multa* (ait ſcribens ad prædictam Reginam) *de prædicto fratre noſtro , tam vobis quàm aliis teſtificantibus ad nos bona perlata ſunt : maximè vitam eius Ioanne Regionario ad nos remeante cognouimus , & quod in fratre noſtro Auguſtino fecerit, Redemptorem noſtrum benedicimus, quia eum Sacerdotis nomen etiam operibus implere ſentimus.* Porrò in munifica ſua ad ipſum Syagrium epiſtola, apertè declarat , ſe honorem pallij illi ob perſpicua merita conceſſiſſe : vt eſſet quaſi indicium approbatæ & honoratæ in eo à ſede Apoſtolica eximiæ virtutis. *Quia dignum* (addit) *profectò eſſe credimus , vt cum mentis grauitate , qua Deo propicio te pollere didicimus , habitus quoque exterioris clarior in te cultus accreſceret.* Inſigne igitur eſt pallium in Antiſtite eminentis probitatis & puritatis vitæ à ſede ſumma agnitæ , & illuſtratæ tam glorioſo indicio ; vt qui hoc decore pollet, extra ſiniſtræ famæ eſſe aleam , iure ipſo cenſeatur. Eſt tamen quod illuſtriſſimi Archipræſules,qui promeruerint tam auguſto ſignaculo plenarij Pontificalis honoris , decorari , Apoſtolici moniti Ioannis VIII. Pontificis Max. ad Wilibertum Colonienſem Epiſcopum perpetuò recordentur. *Pallij* (inquit) *vſus inter cetera , tanta virtutis eſt, vt poſtquam collatum fuerit , cui confertur omnem de retroactis exceſſibus calumniam adimat. Non quòd crimina purget : ſed quòd tanta debeat eſſe circumſpectio*

conferentis, vt nonniſi iis carenti tantum munus conferre pertentet. Vnde imperfectus eſt cui tantum donum aufertur: nec poteſt eſſe firmus ſiue perfectus, qui huius ſacri non fuerit adiumenti collatione firmus & integer: ac per hoc neminem profectò poterit ſtabilire, vel alicuius dignitatis dono ſtatuere, qui huius religioſi habitus munere defraudatus, ad tantum perfectionis priuilegium peruenire non meruit.* In quibus Apoſtolicis dictis, hoc vltimum hîc ſpecialiter ponderandum eſt: quod pallium *magnum ſit priuilegium*, ſeu indicium *perfectionis*, quâ, qui recipit tantum ornatum, præſumitur merito inſignitus. Quapropter Vigilius Papa in epiſtola ad Aurelianum Arelatenſem Præſulem, qua vices ei Apoſtolicæ ſedis more Maiorum delegat pallium docet eſſe *& morum, & omnium bonarum rerum ornatum.*

* indumenti

3. Inſigne eſt enim inſuper *dignitatis & poteſtatis.* Hinc titulus præfixus canoni. *rationis diſt. 100. Cum vſu pallij aliqua priuilegia debere concedi. Omnino enim* (aiebat ſanctus Gregorius) *rationis ordo nos admonet, vt cum vſu pallij aliqua ſimul largiri priuilegia debeamus, lib. 7. epiſt. 112.* Et priſcis quidem temporibus hoc generale erat, vt cui Pontifex ſummus pallium concedebat, etiam in vna vel pluribus prouinciis ſuam & Apoſtolicæ ſedis vicem ſimul committeret. Patet id ex antiquis Pontificum ſcriptis. Sic Vigilius Papa ad Auxanium Arelatenſem Metropolitanum; *Vt agenti* (inquit) *vices noſtras pallij non deſit ornatus,*

vſum

vſum tibi eius, ſicut deceſſori tuo prædeceſſor noſter ſanctæ recordationis Symmachus legitur contuliſſe, beati Petri auctoritate concedimus. Ita & Pelagius Sapaudo itidem Arelatenſi: *Charitati tuæ per vniuerſam Galliam ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, cui diuina gratia præſidemus, vices iniungimus: vſum quoque pallij tibi alacriter affectuoſéque concedimus, pariter etiam pallium dirigentes, vt in tanti loci faſtigio conſtitutus præclaro quoque habitu decoreris.* Et ſanctus Gregorius Ioanni Epiſcopo primæ Iuſtinianæ Illyricæ lib.4. epiſt.15. *pallium vobis ex more tranſmiſimus, & vices vos ſedis Apoſtolicæ agere iterata innouatione decernimus.* At verò quid ex hac conceſſione vicariatus Apoſtolicæ ſedis conſequeretur, is Antiſtes, cui cum pallio hæc auctoritas conferebatur ab Apoſtolico Præſule, quiſpiam fortè requiret. Id ſciſcitaturo, reſpondeo primò; vt cauſas maiores Apoſtolicæ ſedi per canones reſeruatas, hac fretus auctoritate ille diſcuteret vel definiret. Sic enim ſcribit præfatus Papa Vigilius ad Epiſcopos Galliæ. *Vices noſtras Auxanio fratri & Coepiſcopo noſtro Arelatenſis ciuitatis, charitas veſtra nos dediſſe cognoſcat: vt ſi aliqua, quod abſit, emerſerit contentio, congregatis ibi fratribus & Coepiſcopis noſtris, cauſas canonica & *Apoſtolica auctoritate diſcutiens Deo placita æquitate definiat. Contentiones autem ſi quæ (quas Dominus auferat) in fidei cauſa contigerint, quòd pro magnitudine ſui Apoſtolicæ ſedis magis iudicio debeat terminari, ad noſtram diſcuſſa veritate perferat ſine dila-* *Nota.

tione notitiam. Secundò, vt prouidentiæ Apoſtolicæ opem præſentem exhiberet, & etiam vbi cognoſceret opus eſſe, neceſſarias diſpenſationes largiretur. Ita enim Pelagius ad Sapaudum Arelatenſem. *Hinc eſt quòd nos fraternitati tuæ huiuſmodi curas iniungimus, vt ſedis noſtræ Vicarius inſtitutus, ad inſtar noſtrûm, in Galliæ partibus primi Sacerdotis locum obtineas, & quicquid ad gubernationem vel diſpenſationem Eccleſiaſtici ſtatus gerendum eſt, ſeruatis Patrum regulis & Apoſtolicæ ſedis conſtitutis, diuini iudicij conſideratione diſpenſes.* Tertiò, vt canones ſeruari curaret: vnde ibidem Pelagius ſubdit. *Talémque te in cuſtodiendis canonibus ſancta conuerſatione demonſtres, qualem tanti loci decet eſſe Vicarium. Memor ſententiæ B. Pauli, quâ Timotheum diſcipulum ſollicitè Magiſter informat dicens. Teſtor coram Deo & Chriſto* IESV *& electis Angelis eius, vt hæc cuſtodias ſine præiudicio, nihil faciens in aliam partem declinando.* Quartò, vt circumſpiceret obſeruarétque Præſulum ac Cleri actiones, ſpeculationéque ſua vice ſummi Paſtoris omnes in officio contineret, iiſdémque omni virtutis exemplo præluceret. Hinc ſanctus Gregorius ad Syagrium. *Oportet vt enixiùs in cunctis ſtudium ſe fraternitatis veſtræ exerceat, & circa ſubiectorum actus ſit cura vigilans, vt veſtrum illis exemplum inſtructio, & vita magiſtra ſit. Linguæ veſtræ exhortatione diſcant quod metuant, & doceantur quod diligant.* Quintò, *cura* (vt ait ibidem ſanctus Gregorius) *congregandæ ſynodi*: hanc enim (inſinuat ipſi

Syagrio) *ſpecialiter veſtræ ſollicitudini noueritis incumbere.* Id autem potiſſimum quando res magni momenti emergebat: aut cùm ſedis Apoſtolicæ ſpeciale mandatum acceſſiſſet, aut promulganda eſſent recèns ſuper quibuſdam capitibus à ſede ipſa ſuprema, edita conſtituta vel præcepta, ſicut ex fine ipſius epiſtolæ elicitur, éxque reſcripto Vigilij ad Auxanium prælibato. Sextò, vt formatas litteras petentibus ex neceſſitate, ipſius ſummæ ſedis auctoritate concederet, quemadmodum Pelagius in memorata ſuperiùs epiſtola decernit. *Sciturus* (inquit) *omnibus Eccleſiaſtici gradus hominibus, nullam haberi licentiam ſine formata tuæ caritatis ex quacunque Galliarum parte longiores petere regiones.* Ceterùm non in Gallia tantùm habebat ſedis Apoſtolicæ Pontifex eiuſmodi Vicarios: nam ex Chriſti vicariatu Petro & ſucceſſoribus conceſſo: cùm omnium cura ad Præſulem ipſum Apoſtolicum vt Paſtorem œcumenicum competeret, is vbiq. per Vicarios omnibus nationibus proſpiciebat, fidem ſeruabat illibatam, communionem nectebat Catholicam, membra omnia ſub vno capite continebat, Apoſtolicam exercebat poteſtatem, impendebat ſollicitudinem, canonicam apud omnes gentes diſciplinam conſeruabat. Sic ex antiquo more Leo Magnus Anaſtaſium Epiſcopum Theſſalonicenſem, Vicarium ſuum conſtituebat per Orientem *epiſt. 84.* Potentium in regionibus Africæ committebat, *epiſt. 87.* Acacio Conſtantinopolitano

ſollicitudinem Ægypti Gelaſius commendabat. Anteáque Cœleſtinus Cyrillo Alexandrino Patriarchæ ſpeculationem ſuper Patriarchatum Conſtantinopolitanum vice ſui iniungebat, qua ipſe fretus ad Clerum & populum Conſtantinopolitanum monita mandatáque ſcribebat. Poſtea verò Horſmiſda, Saluſtium Epiſcopum Hiſpalenſem, Vicarium ſuum per Boëticam & Luſitaniam ordinabat, *epiſt. ad eundem.* Item S. Remigium per regnum Clodouæi Regis, ſaluo priuilegio Antiſtitis Arelatenſis, Legatum ſeu Vicarium ſedis Apoſtolicæ inſtituebat, (híncque orta quæ fixa manet Præantiſtiti Remenſi prærogatiua natiuæ Legationis * Apoſtolicæ.) Sic & Vicarium ſuum per Illyricum, Vigilius Papa iuſſit eſſe Epiſcopum primæ Iuſtinianæ: cui S. Gregorius ex inito hinc more, *vices quoque ſuas* delegauit *can. pallium diſtinct. 100.* Verùm eiuſmodi Vicarij ſedis Apoſtolicæ impridem ceſſarunt, ortis multiplicatíſque in Occidente Primatibus: atque Archiepiſcopis, parte aliqua huius auctoritatis per diuerſa diplomata munifica ſummorum Pontificum, donatis. Sed tamen neque Primatibus illa ex integro credita poteſtas, quæ pridem cum pallio Vicariis ſedis Apoſtolicæ impertiebatur: horum enim auctoritas hodie ferè tota, in iterata cauſarum Eccleſiaſticarum cognitione, quæ ad eos per prouocationem deuoluuntur, conquieſcit, ſicut in libro noſtro *de ſacro ritu præferendi crucem Maioribus Eccleſiæ*

* Hac de legatione egimus, in lib. de ſacro ritu præferendi crucē, &c. c. 9. § 3. inſcripto, *De Remenſi Archipræſule natiuo ſedis Apoſtolicæ in Gallia Legato, &c.*

Prælatis; vbi de Primatibus Occidentis (præſertim autem Galliæ) ex profeſſo diſſertamus; clarè eſt ac copiosè demonſtratum: vbi etiam de Legatione natiua Remenſis Præantiſtitis luculenter diximus, quam reuocare ad actum ex mera potentia non ita diu curauit Carolus Cardinalis à Lotharingia Remorum Archiepiſcopus, impetrato diplomate vindiciario à Paulo Papa IV. Cuius effectus ad vitam impetrantis circumſcriptus fuit, eóque ſublato ex humanis omninò euanuit: honorifico tamen nomine (at eo ſolo) extra Metropolitanum circulum ſemper vigente; intra verò ipſam Prouinciam cum titulo eiuſmodi primatus ſua duntaxat in terminatione, canonica auctoritate conſeruata.

Ceterùm pallium iam non eſt indicium ſpeciale primitialis honoris, ſed proprium inſigne Archiepiſcopalis dignitatis: quilibet enim primas pallium recipit non vt Primas, ſed vt Archiepiſcopus. Vnde pallium in iure nuſquam Primatiale, ſed paſſim Archiepiſcopale nuncupatur. Vide totum titulum *de auctoritate & vſu pallij lib. 1. nu. 8. & cap. ſignificaſti 4. & ibi gloſ. 2. de electionibus. & gloſ. 1. in cap. cùm poſt 46. de electione.* Et meritò quidem Archiepiſcopale dicitur, in iure nouo, quia omnibus iam Archiepiſcopis commune eſt, *can. contra morem, diſtinct. 100.* Et ſicut de purpura dicebat ſanctus Ambroſius, quæ Imperatores facit: ita pallium Archipræſules, confert enim cum plenitudine pontificalis offi-

cij ipſum nomen Archiepiſcopale; adeò vt ante receptionem pallij poſtulatus vel electus in Archiepiſcopum, etiam poſt confirmationem ſuam, Archiepiſcopi nomen aſſumere non debeat, *cap. Niſi de auctoritate & vſu pallij.* non quòd non ſit Archiepiſcopus, ſed quia perfectam officij plenitudinem ante ſuſceptum Archiepiſcopale pallium non habet. Nam in pallio completur auctoritas & poteſtas Archiepiſcopalis dignitatis, *gloſ. 1. in cap. præcit.*

Capvt Octavvm.

De defectu pallij.

ID verò vt intelligi queat, obſeruandum eſt, ſiue ordinem ſiue iuriſdictionem ſpectes in Archiepiſcopo, in vtroque ipſum, *quoad actum*, aliquem defectum perpeti, quandiu non ſuſcepit pallium. Nec enim poteſt de iure conuocare Concilium prouinciale, nec chriſma conficere, nec dedicare Baſilicam, nec ordinare Clericos, nec Epiſcopos conſecrare. *cap. quod ſicut. §. ſuper eo de electione, lib. 1. tit. 1.* Immò nec ſe Archiepiſcopum nominare, *cap. præcit.* Niſi *de auct. & vſu pallij.* At collatione pallij & ſuſceptione (modò iam Epiſcopalem ſit ordinationem adeptus) ritè & canonicè hæc perficere poteſt, titulúmque Archiepiſcopi pleno iure aſſumere. Igitur per pallij aſſecutionem, hæc omnia quæ complent poteſtatem ordinis, & dant iuriſdictionis cumu-

lum, dignitatíſque conferunt perfectum decus, Præantiſtes conſequitur. Quod piè & prudenter perpendebat S. Malachias Archiepiſcopus Hiberniæ, qui cùm ſedi Metropolicæ præeſſet, & non inſignitus pallio (quo ornatu Pontificali eiuſdem deceſſores nunquam donati fuerant) aliquos actus elicere obſtringeretur ex officio, qui ſine pallio ritè obiri non poſſunt: mouit hic defectus ſcrupulum in animum hominis timoratæ mentis, de quo ſic ſcribit S. Bernardus lib. de vita eius cap. 9. *Nemo illi dicebat in qua poteſtate hæc facis: videntibus cunctis ſigna & prodigia quæ faciebat, & quia vbi ſpiritus Domini ibi libertas. Viſum tamen ſibi non tutè ſatis actitari iſta, abſque ſedis Apoſtolicæ auctoritate, & Romam proficiſci deliberat: maximè quòd Metropolicæ ſedi deerat adhuc, & defuerat ab initio pallij vſus, quod eſt plenitudo honoris.* Perficit igitur non modò pallium Archiepiſcopale decus, at auctoritatem confert ea obeundi Metropolica officia, quæ ſine ipſo pallio tutè exequi Archiepiſcopus non poteſt ex canonum præſcripto, Sanctorúmque iudicio, cui concordat, tam recens quàm vetus, praxis Eccleſiæ.

At inde tamen videri poſſit ſequi abſurdum. Nam ſi electus in Archiepiſcopum, confirmatúſque & conſecratus, nondum ſuſcepto pallio vrgetur ea exequi pro occurrente publica neceſſitate, quæ ante ſuſceptionem illi haud ſunt permiſſa: quid facturus ſit ita constrictus Anti-

ſtes? Si enim ea præſtare quæ neceſſitas publica exigit, v. g. conuocare ſynodum, confirmare ſuffraganeos & conſecrare electos, renuerit: officio deerit ſuo, defectúque eiuſmodi graue detrimentum & Religioni & Reipublicæ irrogabit. At verò *publica ſalus ſuprema lex eſſe debet.* Si verò hæc quæ ſunt officij Archiepiſcopalis aggredi auſus fuerit, peccabit, etenim in canones impinget, ſummæque ſedis reuerentiam temerabit. Dudum quidem ea ſe obtulit difficultas extricanda B. Fulberto Epiſcopo Carnotenſi, qui conſultus eo in caſu ab A. Archipræſule Turonenſi, ei hoc tenore reſpondit ep. 47. *Et nunc gratia Dei ſic agitis, cùm licèt non inconſulti, fratrum tamen conſilia captatis. Reſpondemus itaque vobis, quia ſi pallium requiſiſtis à Romano Pontifice, & ipſe vobis ſine cauſa legitima denegauit, propter hoc, non eſt opus dimittere miniſterium veſtrum. At ſi veſtra tarditate nondum eſt requiſitum, cautela eſt expectare, donec requiratur, ne vos ex improuiſo præſumptionis arguere poſſit. Continentur enim quædam reuerenda nobis, in priuilegiis Romanæ Eccleſiæ, quæ propter negligentiam noſtram, non facilè inueniuntur in armariis noſtris.* Hæc ille. Qui cùm cenſet, ſi Pontifex Romanus abſque legitima cauſa pallium Archiepiſcopo illi Turonenſi recuſauerit, ipſum Archipræſulem non debere præterea miniſterium dimittere: non abſolutè de omni officio Archipræſulis intelligit, ſed de magis neceſſario, & de eo quod non tam eſt iuriſdictionis,

quàm

quàm ordinis. Si enim ordinem habet Epiſcopalem Archiepiſcopus, nondum pallio inſignitus, validè poteſt Clericos ordinare, Suffraganeos conſecrare, chriſma conficere, Eccleſias dedicare. Et arbitratur Fulbertus, quòd ſi Papa requirenti pallium denegauit ſine cauſa legitima, hæc Archiepiſcopus non debeat quæ magis vrgent, & minùs differri poſſunt, miniſteria prætermittere. Immò etiam quæ ſunt iuriſdictionis Metropolitanæ nonnulla, cùm grauis exigit neceſſitas, eundem poſſe exequi: vt iudicia exercere, immò etiam ſi fides periclitaretur, Synodum de fratrum conſenſu agere: huícque (ſaltem vt vnus ex comprouincialibus) intereſſe, ſi non præeſſe. At caſum metaphyſicum hæc reſponſio ſupponit. Neque enim vnquam ſummus Pontifex vlli Archipræſuli pallium poſtulanti, ſine cauſa iuſta negauit, nec aliquando negaturus, præſumendus eſt. Verùm ſine culpa vel poſtulantis vel conferentis grauis poteſt mora intercedere: nam poterit v.g. Archiepiſcopus mox ac confirmatus eſt, pallium ritè & rectè requirere, & tamen non aſſequi, quamquam non fuerit à Pontifice denegatum: poteſt enim interim Papa mori, diúque Apoſtolica ſedes vacare. Sicut mortuo Cæleſtino IV. vacauit reipſa Petri Cathedra duobus annis. Tum igitur quæri poteſt, quid Archiepiſcopus qui in mora non eſt pallium petendi, nec in culpa repulſam ſuſtinendi, & tamen aſſequi non poteſt, quoniam nec

Apoſtolica ſedes vacua, tunc foret in facultate conferendi: quid, inquam, vrgente neceſſitate in caſibus ſpecificatis iure exequi & præſtare queat? Reſponderi poſſet ex doctrina Hoſtienſis *in ſumma tit. de auct. & vſu pallij*, ea quæ ſtolâ tantùm indutus Antiſtes obire ſolet, poſſe non ſuſcepto pallio, Archipræſulem peragere, vt ſi calices & vaſa ſacra conſecret, cœmeteria dedicet, ex eadémque regula confirmet, nam ſola ornatus ſtola, hoc ſacramentum confert Epiſcopus. Alia autem ſunt quæ ſine Miſſæ ſacrificio obire, Archiepiſcopus vt eſt talis, non poteſt. Proinde ſine pallio nequit ritè & canonicè efficere: quod intra Miſſarum ſolennia, proprium eius ſignaculum eſt. Videri igitur ex his regulis, debere illum ab iis actibus abſtinere. Sed hoc non ſatisfacit vrgenti neceſſitati, quæ compellere poteſt Archiepiſcopum ordinatum, ea ex officio Metropolitani præſtare, quæ publica ſaltem commoda depoſcunt. Dicunt igitur alij D. D. quorum ſignifer Nicolaus Tudeſcus Abbas primùm, dehinc Archiepiſcopus, Panormitanus *in cap. Suffraganeis, nu. 11. tit. 6. qui eſt de Elect.* nonnulla quæ iuriſdictionis ſunt Archiepiſcopalis, poſſe Metropolitanum, nondum etſi inſignitum pallio, vrgente ſcilicet cauſa neceſſaria, non quidem per ſe obire, ſed Suffraganeis mandare, & committere vt exequantur, v. g. vt conſecrent Comprouincialem Epiſcopum electum. Item vt conuocent Concilium, quod ta-

1. Cōc. Matiſc. c. 6.

men per ſe, ob ſignaculi præcipuæ poteſtatis carentiam, nequit (decenter nimirum & licitè etiam, vt canones ferunt) explere, *cap. Quod ſicut in periodo, præterea, de Electione, iam ſignato.* Quoad ordines verò ſacros, poteſt, qui eos nomine ſuo celebret, Epiſcopo cuiuis committere, vel ordinandis, ſi premit neceſſitas, literas dimiſſorias impertiri. Satis ſit igitur ex ſacrarum legum præſcripto, quod ex defectu pallij nondum ſuſcepti ab Archiepiſcopo, Eccleſiaſtica Reſpublica *nullum poſſit detrimentum capere:* ſatis enim præſtat, qui quod per ſe, ob legitimam præpeditionem non facit, per alium legitimè ſubordinatum, æquè ſufficienter agit ac efficit.

Sed inquiet quiſpiam. *Quid fiet ſi Archiepiſcopus electus quidem & confirmatus, at ſacra adhuc teſſera non ornatus, ea ſine neceſſitate aggrediatur, quæ ipſi non ſuſcepto adhuc pallio Archiepiſcopali, ideóque nec ipſo nomine ſolidè acquiſito, ex iure Eccleſiaſtico prohibita ſunt?* Reſpondeo. Si eſt re vera Epiſcopus conſecratus, ea quæ ordinis ſunt, poterit validè peragere, non tamen innoxiè, quia incurret in canones. Verùm ſi Epiſcopus ordinem nondum receperit, duplicis fiet piaculi reus: nam & violabit diuinas Eccleſiaſticáſque leges, & ordinis ac iuriſdictionis ſacræ, munia prorſus ſibi illicita attentans, nihil omnino hac præſumptione patrabit. Quærit Azorius, an Archiepiſcopus ante pallium receptum, obeundo munera, aliquam iuris pœnam contrahat. Reſpondét-

que, nullam. At aliter Fulbertus Carnotenſis ſanctus Antiſtes perdoctúſque cenſuit. In prælaudata enim ſua ad Archiepiſcopum Turonenſem epiſtola, monet illum, ſi pallium nondum requiſiuit, munera obire caueat, ſed expectet donec requiratur, *ne ex improuiſo arguatur præſumptionis à Romano Pontifice.* Præſumptoribus enim illicitorum obuiandum eſt. *Extrauaganti cum Matth. de hæreticis inter communes.* Et præſumptio crimen eſt adeo graue, in ſacris præſertim rebus, vt ſufficiat ad condemnationem, *gloſ. 1. & 2. in cap. fin. de depoſito.* Ideo deteſtandam præſumptionem ſacræ poteſtatis, ius canonicum aſtruit, *can. In tantum diſtinct. 21.* vbi ſignatè notatur *Dioſcorum*, non ſimplicem Archiepiſcopum, at ſecundum Patriarcham, nempe Alexandrinum Præſulem, à Patribus Chalcedonenſis Concilij, idcirco potiſſimum ſine vlla reſtitutione fuiſſe damnatum, quod aduerſus S. Leonem præſumens, & in contumacia permanens erga primæ ſedis Romanæ priuilegium egiſſet. *Reuerenda enim nobis eſſe debent* (inquit ſanctus Fulbertus) *Romanæ Eccleſiæ priuilegia*: adeóque ſacroſancta, vt qui ea contemnere vel impetere auſus fuerit, piaculi immanis reus in Eccleſia ſemper ſit habitus, vt ex decretis Conciliorum, Sanctionibus ſummorum Pontificum, & Imperialibus regiíſque pragmaticis profusè indicauimus in libro noſtro *de Epiſcopali Monogamia parte 2. tota cauſa 20. & vltima, ſcilicet à pagina 321. ad 362.* Antiqua

enim eſt regula: *Canones ſoluere, eſſe in Religionem committere*, ex Leone epiſt. 4. Irreligioníſque eſt reatus, præcepta vel dogmata Romanæ principantis Eccleſiæ contemnere, *quam vox Chriſti & Maiorum traditio, & canonum fulſit auctoritas.* Ideóque contemptores Sanctionum Eccleſiaſticarum Apoſtolicæ ſedis, Romanum Concilium ſub Nicolao I. anathemate percuſſit. Præſumptores autem contra eius auctoritatem vt violatores legum, & ſacrorum Canonum, atque temeratores Maieſtatis cenſet S. Bernardus coërcendos, *epiſt. 166. ad Innoc. Papam.* Statuit autem S. Leo præſcindendos à communione Apoſtolicæ ſedis, quam ſpreuerint; & ab officio, omni negata venia, remouendos, *epiſt. Decret. 1.* Qua pœna per ſententiam corripi poſſe Præantiſtitem, qui ante pallium receptum munera obire præſumeret Archiepiſcopalis poteſtatis, Azorius demum exiſtimauit, quamuis prudenter ſubiungat, mitiori quoque pœna poſſe puniri. Sed in Gallia longè ſumus ab hoc diſcrimine: noſtri enim ſacri Antiſtites præ ceteris orbis Epiſcopis, Apoſtolicæ ſedi & ſummo Pontifici, quæque debita ſemper obſequia cum omni reuerentia ac deuotione impenderunt, quorum zelus pro eius tuenda dignitate, ac ſuprema auctoritate perennis exarſit, cuius iniurias magis quàm proprias ſe ſentire, iampridem per os Auiti Epiſcopi Viennenſis, in cauſa Symmachi Papæ aſſerebant: *vtpote* (aiebant) *in quo vt in vertice ſita eſt ſalus corporis, & vt in* Apud Sirmondum tom. 1 Cõcil. Gall. pa. 158.

Principe, multitudinis ſtatus vel ruit, vel conſiſtit. Tantum igitur abeſt vt ſignaculum ſubordinatæ poteſtatis, teſſeram ſacræ communionis, & indicium acceptæ ab ipſa ſumma ſede prærogatiuæ Archiepiſcopalis, vnquam petere paruipenderint noſtri Præſules: quin potiùs omni ardore vt iuſta Petri Cathedræ eiúſque ſucceſſori referrent, nihil magis in votis habebant quàm Romam concurrere. Ab his affectibus idem Auitus ſuam ſic orditur epiſtolam. *Primùm fuerat talis ſtatus rerum deſiderandus, vt ipſi per nos vrbem orbi venerabilem, pro dependendis diuinis humaníſque expeteremus officiis.* Iíſque feruor altè ita nonnullorum præcordiis pridem inſedit, vt Romam petendi pallij cauſa perſonaliter pergerent, quò per manus Chriſti Vicarij hoc inſigni honorari promerentur. Sic legimus in Chronico Autiſſiodori, ſub anno 1002. de Seuino Archiepiſcopo Senonenſi. *His diebus Dominus Seuinus Senonenſis Archiepiſcopus obiit. Hic Romæ per manum Joannis Papæ Archiepiſcopale pallium ſuſcepit, quo Anteceſſores eius infulati ſunt.* Ita ferè de Anſegiſo qui Carolum Caluum vnxit, memorat Odoranus in Chronico Senonenſi, addens, propterea *ſecundum Papam appellari meruiſſe.* Pallij enim inſigne, eſt participatio Apoſtolicæ dignitatis, & communicatio plenitudinis Pontificalis honoris, collatióque eius poteſtatis, quam Archiepiſcopus inter ſuos comprouinciales habet. Nec enim dici poteſt Princeps Epiſcoporum, eo tan-

tùm quod ſit *primæ ſedis*, hoc eſt Metropolitanæ ciuitatis *Epiſcopus*, vt elicitur *ex Concilio III. Carthag. can. 26.* Multa enim etiamnum apud Græcos ſunt ciuitatum Metropolitanarum Epiſcopi, qui tamen non ſunt Archiepiſcopi. Et diu fuit Antiſtes Pariſienſis, Metropolitanæ ciuitatis (in qua erat etiam prima ſacra ſedes reſpectu originis Eccleſiæ, & dignitatis eius protoparentis) Epiſcopus, antequam Archiepiſcopus exiſteret. quod nomen cum pallio honorémque & auctoritatem Archiepiſcopalem à ſumma ſancti Petri ſede nuper conſecutus eſt *, à qua ceteræ, præeminentias ſuas, Eccleſiæ Archiepiſcopales, earúmque Præſules ſuſcepiſſe omnes, diuerſis temporibus & rerum vicibus dignoſcuntur. Omnes enim Epiſcopi, vt in Hierarchia ſua paſſim docet ſanctus Dionyſius, æquales ſunt; ratione ſcilicet ordinis non autem iuriſdictionis. Tametſi enim Hierarchia Eccleſiaſtica ſub Epiſcopatus vertice Pont. Max. Petri Apoſtolorum Principis ſucceſſore, Eccleſiæ Catholicæ viſibili (ſub Chriſto apice ſummo) capite, quadripartitos contineat Antiſtites: nimirum Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos (quos promiſcuè iam Metropolitanos vocitamus) ac Epiſcopos complectatur, *Epiſcopatus tamen* (vt aiebat S. Cyprianus) *vnus eſt.* nam Epiſcoporum eſt vnus ordo. *Diſcretio nominum ſiquidem* (vt dicebat S. Anacletus Papa) *diſcretionem indicat maiorum in prælatione iudicij, non in poteſtate* (hoc eſt ordine).

* Bullas huius erectionis cum regno diplomate & Senatuſconſulto ſuper his ſancito, edidimus ad calcem *Metropolis noſtræ Pariſienſis.*

Pontificij : epiſt. 3. quod habent igitur in prærogatiua ſuperioris iuriſdictionis Patriarchæ, Primates, Archiepiſcopi, ſeu Metropolitani, hoc non à diuina manat (qua fluit ipſe Epiſcopatus) origine, ſed à gratuita conceſſione, quam ab œconomio illo œcumenico, quem *ſuper vniuerſam familiam ſuam Dominus conſtituit*, mediatè per Synodos aut Patriarchas, vel immediatè per gratuitas ſummorum Antiſtitum Chriſtianæ pietatis, & Petri Apoſtolorum apicis ac paſtoris Catholicæ Eccleſiæ heredum conceſſiones, adepti ſunt. Vt enim verè præclaréque ſcribit Magnus Leo ſerm. 3. de aſſumptione ſua ad Põtificatum. *Si quid Dominus cum Petro commune voluit eſſe Principibus, numquam niſi per ipſum dedit quicquid aliis non negauit.* Et epiſtola 89. *Huius muneris Sacramentum ita Dominus ad omnium Apoſtolorum officium pertinere voluit, vt in beatiſſimo Petro Apoſtolorum omnium ſummo principaliter collocaret, vt ab ipſo quaſi quodam capite, dona ſua velut in corpus omne diffunderet.* Sic intelligitur quod ait ſanctus Cyprianus, *à ſede Petri exortam eſſe ſacerdotalem vnitatem.* Et quod Iulius Papa ſcribebat ad Orientales, *Romanam Eccleſiam fuiſſe illis matrem ſacerdotalis dignitatis.* Cùm
Sozom. l. 3. c. 7. enim cura omnium ad illam pertineret, ex iure Apoſtolicæ ſucceſſionis & Dominicæ inſtitutionis, onera diſpertiuit. Epiſcopiſque à Chriſto inſtitutis diœceſes aſſignauit. Sed ne multitudine latè diffuſa per orbem, vnitas myſtici Chriſti corporis, hoc eſt vniuerſalis Eccleſiæ ſuo ſub viſibili capite

capite connexio, & fluens ab vna Petri Cathedra, ipſa Chriſtiani nominis communio dilaberetur in partes; diœceſes nonnullas nexu Metropolico colligauit, inſtitutis ferè ab initio Metropolitanis ſedibus, quibus Prouinciæ vnius Epiſcopi, quaſi circuli centro lineæ cohærerent. Hinc quo vnitas etiam inuiolata inter prouincias vigeret, vna in regione vel gente conſtituit Primates, qui rurſus Metropolitas, ſeu Archiepiſcopos colligarent; *& ne omnes ſibi omnia vendicarent*, his ſuperpoſuit Patriarchas quatuor, *qui ſollicitudinem ſuſciperent* Chriſti gregis *ampliorem*, & per quos, quaſi per quatuor regia flumina *ad vnam Petri ſedem*, quaſi ſacerdotij fontem, *vniuerſalis Eccleſiæ cura* (aiebat Leo Magnus epiſt. 84.) *conflueret:* quo ſenſu ſanctus Cyprianus Eccleſiam Romanam ob Petri Cathedram appellabat, *Catholicæ Eccleſiæ matricem & radicem*, quâ, vna, ipſa vniuerſalis Eccleſia ſit, & in vnitate conſiſtit. *Eccleſia vna eſt quæ in multitudinem latiùs incremento fœcunditatis extenditur, quomodo Solis multi radij, ſed lumen vnum, & rami arboris multi, ſed robur vnum tenaci radice fundatum, quod vbique diffunditur, nec vnitas corporis ſeparatur.* Cùm igitur Archiepiſcopus pallio ſumpto de corpore ſancti Petri honoratur, fit ſpeciali quodam modo Apoſtolici ſolis radius, radicis Eccleſiaſticæ vnitatis ramus, pleni fontis ſacerdotij riuus; qui ſic fluenta ſacræ poteſtatis in alueos ſibi hærentes refundit, vigorem foliis coniunctis inſerit, ſplendorem

Lib. de vnitate Eccleſ & lib. 4. epiſt. 2, quæ eſt ad Antonianũ prolixiſſima.

aſtris ſibi inferioribus impertit, vt tamen ipſe Apoſtolicæ ſedi vt ſcaturigini paſtoralis honoris intimè coniunctus, vnde hauſit ſuam plenitudinem refluxu natiuo eam referat; nixus huic radici ſe robur inde ſumere ſuum recognoſcat, atque ab hoc ſole fulgorem ſuum, ſeſe mutuatum perenni influxu, quo radiat ſua in terminatione, recordetur. Memórque ſit ſemper ſe à ſemetipſo, gloriam qua præſtat inter Coepiſcopos ſuos, non habere: ſed vnde pallium quo præfulget inter ſuos comprouinciales, & petere debet & accipere (ſcilicet à Petri ſola ſede ſuprema,) hinc, vt à centro vtique ſacerdotalis vnitatis & capite Eccleſiaſticæ poteſtatis, Catholicæ communionis matrice, decus hoc ſuum totum recipere. Etenim hoc titulo ſolùm (vt de Ruben primogenito ſuo, dudum Patriarcha Iacob prædicabat, Geneſ. 49.) *quò maior eſt in donis inter fratres, maior quoque eſt in imperio.* Cuius ſignaculo claret, cùm ſacro pallio inſignitur: caret quandiu illo inſigni plenitudinis pontificalis muneris & honoris, non decoratur.

CAPVT NONVM.

De ordinario pallij vſu.

VSVM hîc pro iure vtendi & pro ipſo actu accipimus: nam hic ſine illo non valet. *gloſ. declaramus in extrauag. cùm inter nonnullos, Ioan. 22.*

Etenim vſus ſine iure eſt abuſus, *gloſ. non iuſta ibidem.* Vnde qui ſine conceſſione legitima pallio vti præſumeret, iure nullo gauderet, immò contra ius præſumens, vt oſtenſum eſt, obnoxius canonibus redderetur. Fulcitur itaque vſus iure, & ius etiam vſu ſeu actu roboratur. Sed quædam ſunt iure conceſſa, quibus pro libito impetrans vtitur: alia, quibus, peccat ſi non vtatur conceſſis, vbi & quando conceſſio illi ſtatuit iiſdem vtendum eſſe. Pallium Archiepiſcopale huius ſpeciei eſt. Nam ex quo ſemel Archiepiſcopo eſt à ſummo Pontifice impertitum, non pendet à mero nutu illius vſus, adeò vt vbi & quando voluerit, actum vtendi eius iure & honore, Præſul vel eliciat vel prætermittat. Sunt enim in munifico diplomate, quo accipit palliũ à ſummo Pontifice Præantiſtes, leges præſcriptæ, quibus in certis actionibus & ſtatutis diebus & locis, illo vti pontificali decoro, iubetur. Sunt etiam quibus, eius vſu ipſe interdicitur.

1. Pallio enim vti debet Archiepiſcopus, quando auguſtiſſimum Miſſæ ſacrificium ritu ſolenni celebrat. Hinc can. 6. Concil. I. Matiſconen. *vt Archiepiſcopus ſine pallio miſſas dicere non præſumat.* Et ita in diuina illa actione hoc inſigni vti iubetur Archiepiſcopus, vt communi iure id nonniſi ad ſola Miſſarum ſolennia geſtare debeat, vt decernitur *can. pallium diſtinct. 100.* Idem, auctor huius canonis S. Gregorius, alio munifico ſuo reſcripto, Syagrio declarat: *Pallij te vſu ad* Lib. 7. ep. 112.

ſacra tantùm Miſſarum ſolennia celebranda, Deo auctore, prænidimus honorandum. Idcirco aculeatis apicibus Ioannis Rauennatenſis temeritatem circa hoc ſanctiſſimus hic Pontifex redarguit, qui extra diuinam litationem ſacro hoc ornatu vti, contra communem orbis Chriſtiani morem, & conceſſionis ipſius legem præſumebat. *Illud* (inquit) *tibi non putamus ignotum, quod penè de nullo Metropolitano in quibuſlibet mundi partibus ſit auditum, extra Miſſarum tempus vſum tibi pallij vendicaſſe. Et quod benè hanc conſuetudinem generalis Eccleſiæ, veſtris manifeſtiſſimè ſignificaſtis epiſtolis,* &c. *Uſurpaſſe igitur comprobas quod feciſti,* &c. *lib. 2. epiſt. 54.* vbi poſtquam acriùs hominem perſtrinxit, oportere illum ceſſare iubet ab eiuſmodi abuſu. *Nolumus enim* (ait) *aliis Metropolitanis, huius te præbere præſumptionis exemplum. ibidem.* Gregorius tamen III. dilatauit parumper vſus pallij indultum, ſic ſcribens ad Bonifacium Moguntinum Archipræſulem. *Iure tibi ſacri pallij direximus munus, quod B. Petri Apoſtoli ſuſcipiens induaris, atque inter Archiepiſcopos, vnus, Deo auctore, præcipimus vt cenſearis. Qualiter autem eo vtaris, ex mandato Apoſtolico informatus agnoſce. Itaque dum Miſſarum ſolennia agis, vel Epiſcopum te contigerit conſecrare, illo tantummodò tempore eo vtaris.* Hinc inualuit vſus, vt Archiepiſcopi Suffraganeos conſecrantes palliis, ea in actione vtantur. Sed cùm ea ſine Miſſæ ſolenni celebratione non perficiatur, indultum ferè in hoc re-

cidit, vt nonniſi intra liturgicam litationem, vtatur, ex eius vigore, quiuis Archiepiſcopus. Vbi etiam obſeruandum, quòd Papa non edicit vt pallio vtatur quando Miſſam audiet, ſed illam cùm peraget: nec ſimpliciter quando Miſſam faciet, at quando eius ſolennia celebrabit. Ceterùm quando etiam Prouincialem Synodum agit Metropolitanus, huícque præſidet, pallium perferre poteſt, *ex gloſ. intra in cap. pallium diſtinct. 100.*

2. Sed pallij vſus non modò ad Miſſæ actionem celebrem paſſim reſtringitur: at quoad tempus etiam coarctatur, diebus ſtatutis in indulto, communi formula concepto expreſſis, quæ ipſo in iure nouo conſignantur. Ita enim habet *gloſa in cap. ad honorem lib. 1. tit. 8. de auctoritate & vſu pallij, ſub hac collaterali notatione. Quibus diebus pallio Archiepiſcopi vti poſſunt?* ad illa verba indulti communis: *vt vtaris eo intra Eccleſiam tuam certis diebus, qui continentur in priuilegiis Eccleſiæ tuæ conceſſis à Romana Eccleſia. Et hi ſunt natiuitas Domini: feſtiuitates S. Ioannis & S. Stephani, in Circumciſione, in Epiphania, in Ramis palmarum, in Cœna Domini, in Sabbato ſancto, tribus diebus Reſurrectionis & Pentecoſtes; in feſtiuitate S. Ioannis Baptiſtæ & omnium Apoſtolorum, in Dedicatione Eccleſiarum, in tribus feſtiuitatibus B. Mariæ, in Commemoratione omnium Sanctorum: in principalibus feſtiuitatibus Eccleſiæ pallio inſigniti Præſulis propriæ, in ordinationib. Clericorum, & conſecrationibus Epiſcoporum, in die*

Anniuerſarij illius conſecrationis. Quæ ſanctio maiori ex parte conſonat canoni, *Pronunciandum*, qui ſerie 1. eſt, *diſtinct. 3. de Conſecratione*, deſumptus ex Concilio Lugdunenſi.

3. Quoad locum, diſpoſitio etiam Canonica omninò peremptoria eſt: Archiepiſcopum nonniſi intra Eccleſiam ſuam ſolenniter pallio debere vti. In proceſſione enim & quotieſcunque foras egreditur Archiepiſcopus, pallium deferre iure non poteſt. *Ita gloſ. in caſu. periodo vlt. ſi verò.* Immò textus capitis *Cùm ſuper c. 1. tit. de auctoritate & vſu pallij, n. 1.* Vbi hæc à Clemente III. reſponſa leguntur. *Si verò te ſacris indutum veſtibus, Eccleſiam proceſſionaliter vel alio modo, exire contigerit, tunc pallio minimè vti debes.* Sed eodem capite dubium aliud eiuſdem inquirentis Archiepiſcopi reſoluitur: quia enim indultum pallij, hanc clauſulam diſertè tenet; *Tradimus tibi pallium, vt eo intra Eccleſiam tuam vtaris*; hæſitauit ille Archiantiſtes dubitans, an per Eccleſiam ſuam, intelligenda eſſet præcisè Cathedralis tantùm ſua Eccleſia, vel quælibet diœceſis vel Prouinciæ. Cui reſpondit gratificando Pontifex (nam fauores ampliandi ſunt & odia reſtringenda) *intra quamlibet Eccleſiam illius Prouinciæ, ſed non extra, pallio Archiepiſcopali illum vti poſſe.* Cui Apoſtolico reſponſo ſuccinit *gloſ. intra ad c. pallium diſt. 100.* Et hæc collecta ſunto, ex merè canonica de pallij vſu, diſpoſitione.

CAPVT DECIMVM.

De extraordinario vſu pallij.

ARCHIEPISCOPVS *per quæuis loca exempta ſuæ Prouinciæ facienti tranſitum , aut ad eam forſitan declinanti, vt crucem ante ſe liberè portari faciat, benedicat populo, diuina Officia priuatim vel puplicè audiat, & ea etiam in Pontificalibus celebret, ſacro approbante Concilio* (Viennenſi ſcilicet, in quo hoc decernebat. Clemens Papa V.) *præſentis ſcripti ſerie duximus concedendum.* Quæ conſtitutio dubium mouet, an Archiepiſcopo cum cruce pallium etiam gerere, in locis quibuſuis ſuæ Prouinciæ exemptis, (ſiquidem de non exemptis hoc ſuprà licere eſt euidenter declaratum.) audiendo diuina myſteria , vel celebrando in Pontificalibus, ipſa conceſſione intelligi debeat indultum? Nec enim alia ratio videtur gerendæ vbique in Prouincia etiam in exemptis locis crucis peraltæ , quàm pallij , cùm vtrumque ſignum ſit dignitatis non ſolùm, ſed & poteſtatis: vnde Archiepiſcopo ſicut nefas eſt pallium extra Prouinciam gerere, *cap. ex tuarum ſ. ſub tit. de auctoritate & vſu pall* : ita nec crucem ſublimem præ ſe ferre : quemadmodum elicitur ex reſcripto Alexandri III. ad Eboracenſem Antiſtitem *in append. 11. ad Concilium Lateran. III.* Immò ſicut ex profeſſo oſtendimus toto libro *de ſacro ritu præferendi crucem maioribus Ec-*

Et rurſus liquet, ex cap. *cum ſis*, titulo *de auct.* & *vſu pallij.*

cleſiæ prælatis , potiſſimùm c. 6. *quod eſt de Toletano Archipræſule.* & c. 8. *de ipſo Eboracenſi;* hinc ex oppoſito videtur colligendum, quòd vbi Archiepiſcopo peralta vti cruce præuia permittitur, à ſimili, immò à coniunctis, liceat pallium quoque perferre. Verumtamen non ſequitur: quoniam vt conceſſione prædicta Clementis V. Papæ in generali Concilio edita, patet de cruce id eſſe expreſsè indultum : ita de pallio conſtat hoc ei eſſe ſpecialiter prohibitum. Nimirum *in cap. 4. de auctoritate & vſu pallij*, quod incipit. *Ad honorem Dei*, &c. Sanè ſolus Romanus Pontifex in Miſſarum ſolenniis pallio SEMPER vtitur, ET VBIQVE, quoniam aſſumptus eſt in plenitudinem Eccleſiaſticæ poteſtatis, quæ per pallium ſignificatur. Alij autem eo nec SEMPER, nec VBIQVE, ſed in Eccleſia ſua (qualibet ſcilicet Prouinciæ) in qua iuriſdictionem Eccleſiaſticam acceperunt, certis debent vti diebus : quoniam vocati ſunt in partem ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis. Hac enim clauſula, *in Eccleſia ſua, in qua iuriſdictionem Eccleſiaſticam acceperunt*, eos gerere pallium manifeſtè excludit ab Eccleſiis non ſubiectis, & exemptis: immò etiam vſus inualuit, vt neque crucem (quamuis exiſtant propria in Prouincia Archipræſules) in exemptis Eccleſiis præferre ſublimem illis permittatur. Et illuſtre quidem exemplum contigit tempore Franciſci Magni Chriſtianiſſimi Regis, cùm ſcilicet illuſtriſſimus Princeps

ceps *Ludouicus Cardinalis à Borbonio, Archiepiſcopus Senonenſis, Abbáſque inclyti Monaſterij S. Dionyſij in Francia*, duplici fruens iure, ſcilicet Archiepiſcopi Prouincialis (Auguſta enim Pariſiorum Lutetia, in cuius diœceſi ſitum eſt nobiliſſimum illud Monaſterium, tum adhuc Senonenſis Eccleſiæ ditioni Metropolicæ ſubiacebat) & Abbatis illius cœnobij, quod notoriè exemptum eſt à diœceſano, Archiepiſcopali & Primatiali imperio, ſummæque ſedi Romanæ immediatè (vt aiunt) ſupponitur: in eo aliquando degens, dum diuina officia in Pontificalibus (quæ Dionyſianus ipſe Abbas ex priuilegio gerit) in magnis quæ occurrebant ſolennitatibus celebraret: vt niteret pleno ſuperioris dignitatis apparatu, etiam crucem ante ſe erigi facere, & pallium geſtare Archiepiſcopale cœpit. Tunc enim quamquam pro virili non auſi ſint Monachi illius regij cœnobij, ei hæc aggredienti (quoniam & eorum Abbas, & quod magis eſt ſtemmatis regalis Princeps, & Cardinalis eſſet,) reluctari: tamen Ioannes Doc, magnus ipſius Monaſterij Prior, etſi modeſtè omnium nomine renixus eſt, efficaciter nihilominus ſuis ſummiſſis expoſtulationibus apud perilluſtrem iſtum Principem, Cardinalem, Præantiſtitem & Abbatem egit: vt ab eo literas declaratorias eliceret, quibus ſatis apertè confeſſus eſt ipſe Princeps, hoc ſibi in præiudicium ſui Monaſterij (quod agnoſcebatur prorſus exemptum) non licuiſſe, diſertéque profitebatur

Caſus notabilis.

quicquid in ea re à ſe fuerat factum, vel fieri poſſit in poſterum ; nullum immunitati, libertati, dignitatíque præfati Monaſterij detrimentum, vel de iure vel facto intuliſſe, aut deinceps illaturum: Intendere ſe porro vt factis eiuſmodi nonobſtantibus, priuilegia & iura quælibet prædicti Monaſterij notoriè liberi, ab Archiepiſcopi Senonenſis (qui tum prouincialis erat) iuriſdictione, ſuo in robore perſeuerent, illibatáque permaneant, ſicut extiterant antea : quin declarationis ſuæ litteras (quarum tenor ſequitur) iis voluit nouum adiicere vigorem. Ideóque pro titulo conſeruationis perpetuæ in ſcriniis ſæpedicti Monaſterij eaſdem iuſſit aſſeruari ; deindéque moriens cor ſuum in Baſilicæ illius gremio, in amoris indicium erga illam perennis, voluit codicillari teſtamento ſepeliri.

Lettres de Monſeigneur l'Eminentiſſime LOVIS DE BOVRBON, *Cardinal Preſtre du tiltre de ſainct Silueſtre, Prince du ſang Royal, Archeueſque de Sens, & Abbé de S. Denys en France : par leſquelles il declare que la delation & geſtion par luy faite en ladite Egliſe de ſainct Denys, de la haute croix & du* PALLIVM, *propres marques Archiepiſcopales, & indices d'auctorité & iuriſdicton Metropolitaine ; ne puiſſent nuire ne preiudicier à l'exemption & immunité dudit Royal Monaſtere de ſainct Denys, dans lequel ſes predeceſſeurs Archeueſques de Sens n'auoient iamais vſé deſdits indi-*

ces de dignité Archiepiſcopale, & ſuperiorité Metropolitaine.

LOVIS CARDINAL DE BOVRBON, ARCHEVESQVE DE SENS, PRIMAT DES GAVLES ET DE GERMANIE, *Eueſque de Laon, premier Pair de France, &* ABBÉ *commendataire de l'Egliſe & Monaſtere* MONSIEVR S. DENYS EN FRANCE. *A tous ceux qui ces preſentes Lettres verront, Salut. Sçauoir faiſons que frere Iean Doc grand Prieur de noſtredit Monaſtere, au nom de tous les Religieux d'iceluy, nous a exposé que noſtre Monaſtere de ſainct Denys notoirement eſt exempt & ſubiet ſans moyen au ſainct Siege Apoſtolique: partant qu'il n'eſtoit loiſible, auſſi ne ſe trouuoit, que nos predeceſſeurs Archeueſques dudit Sens ſe ſoient ingerez porter en iceluy croix ni vſer de leur pail, qui ſont inſignes de ſuperiorité & iuriſdiction. Et pource qu'à l'aduenir delation de ladite croix & port dudit pail, pourroient preiudicier aux priuileges de noſtredit Monaſtere, & donner occaſion à nos ſucceſſeurs Archeueſques vouloir continuer delation de ladite croix & port d'iceluy pail, ſi preſentement ne ſe faiſoit par nous declaration, que n'entendons aucunement preiudicier aux droits d'exemption & priuileges de noſtredite Abbaye.* OVYE LAQVELLE REMONSTRANCE, *auons declaré & declarons par ces preſentes, que par ce que dit eſt, & autres actes concernans le faict d'Archeueſque, que pourrions exercer en noſtredit Monaſtere, nous n'entendons preiudicier aux droits de l'exemption de*

noſtredite Abbaye, & priuileges y donnés & octroyez, leſquels voulons demeurer en leur force & valeur, nonobſtant choſe concernant droit d'Archeueſque, que nous puißions faire & exercer en noſtredit Monaſtere. En teſmoin de ce auons octroyé les preſentes audit Doc, Religieux & Conuent, pour eſtre confirmez & maintenus en leurſdits droits & priuileges. Donné en noſtredite Abbaye ce 10. iour de May 1536. Signé & ſeellé des armes dudit Seigneur en cire rouge, & ſur le reply, PAR MONSEIGNEVR LE CARDINAL, *& contreſigné* MATHRE.

Quo ex diplomate, non poſſe iure ſuo Archiepiſcopum pallium deferre in exempta Eccleſia inſigniter declaratur. Ceterùm ſicut vbique non vtitur pallio Archiantiſtes, ita neque ſemper: ſed ſacrum hoc decus ſoli ſummo competit Pontifici, qui Catholicæ Eccleſiæ Epiſcopus eſt, ſolúſque toto in orbe Paſtor Oecumenicus. Verumtamen ſingulari prorſus indulto conceſſiſſe legimus Agapitum II. Pontificem Maximum, Brunoni Colonienſi, ſeu Agripinenſi Præſuli, vt quotidie pallio (ſi liberet) vteretur. Idque in gratiam Ottonis Regis Germaniæ, cuius ipſo Bruno frater erat: ipſiúſque Brunonis viri doctrinâ & ſanctimoniâ clariſſimi, inſignium meritorum obtentu; quibus deinde, ſolium æternæ gloriæ, cùm ſupernæ cæli aulæ ſenatoribus, felicibus progreſſibus conſcendit. At exemplum iſtud ſingulare eſt prorſus, nec ad ſucceſſores ipſius propagatum, nec vnquam aut vſquam traductum ad exemplum reperi.

Refert Rogerus Monachus in vita S. Brunonis, apud Suriũ 11. Octobris.

CAPVT VNDECIMVM.

De multiplicitate pallij.

MIRVM eſt ſanè, cur pallium cùm ſemel adeptus eſt Archiepiſcopus, id non poſſit ſi transferatur ad aliam ſedem Metropolitanam transferre: ſed nouum petere & impetrare debet, illúdque quod reliquit non poteſt is qui in priorem eius ſedem ſurrogatur Antiſtes ſibi ad vſum vendicare. Id enim expreſſæ ſtatuunt canonicæ Sanctiones, *cap. ad hoc 2. de auct. & vſu pallij, & in gloſ. Conſuetudo, in cap. ex tuarum. eodem titulo.* Ratio autem primaria eſt, quod pallium res eſt perſonalis. Ea autem quæ inhærent perſonis, cum perſonis debent extingui, *vt innuit gloſ. Commodu, in dict. cap. ad hoc.* quo decernit Cœleſtinus III. *Archiepiſcopum alteri Archiepiſcopo pallium ſuum accommodare non poſſe. Cùm pallium* (inquit) *perſonam impetrantis non tranſeat, ſed quiſque cum eo debeat ſepeliri.* Aliam rationem indicat prædicta gloſa, *conſuetudo:* nimirum quod pallium *ſicut fortiter poſtulanti datur, ita datum fortiter retinetur.* Hæret igitur perſonæ obtinentis; nec alteri poteſt vllo modo, per eum cui datum fuit, accommodari.

Attamen non tantùm pallium perſonale eſt, ſed etiam (vt eadem habet gloſa) locale. Etſi enim conferatur perſonæ, datur tamen loci contemplatione. Inde eſt quod non transferatur cum

perſona ad alium Archiepiſcopatum, ſed remanet ibi; quique tranſit ad aliam Metropolim, nouum pallium debet poſtulare nomine nouæ ſuſceptæ Eccleſiæ, *eadem gloſ. ibidem. quæ id elicit ex cap. Bonæ 4. de poſtul. Prælatorum, lib. 1. tit. 5.* quo Innocentius III. Papa transferendo Archiepiſcopum Colocenſem ad Metropolim Stringonenſem (principalem ſedem Hungariæ) decreto ſuo hanc finalem ſubiungit clauſulam: *ei licentiam tribuimus tranſeundi, pallium ei ad nomen & vſum eiuſdem Eccleſiæ tranſmiſſuri.* Vbi duo ſignatè ponit, obſeruatione digna: *nomen & vſum Eccleſiæ.* Sponſus enim Eccleſiæ ſibi creditæ * eſt Epiſcopus, cuius & titulum gerit, & iura induit, & decora poſſidet vniuerſa. Cùm igitur pallium ſit Metropolicæ dignitatis, quæ inhæret Eccleſiæ decus: Antiſtes ſanè id Eccleſiæ ſuæ nomine obtinet; vnde ſi ſedi renunciat quæ hoc fulget honore, hoc etiam excidit iure & ſplendore. Qua ex praxi Eccleſiaſtica, Cœleſtinus III. cùm licentiam contuliſſet Raguſienſi Archiepiſcopo, ob mortis illi imminens periculum, propriæ ſedi renunciandi; ſanxit, vt ille in Eboracenſi Archiepiſcopatu degens, *proprio Metropolitæ ſubiaceret, & ſic in Epiſcopali ornatu diuina ageret myſteria, vt tamen pallij vſu abſtineret, cap. ad ſupplicationem, de renunciatione, lib. 1. tit. 9. cap. 9.* Vſus etenim cuiuſque Eccleſiæ attenditur. Quia in quibuſdam Eccleſiis parciùs, in aliis frequentiùs vtitur pallio, in Pontificalibus officiis, Antiſtes. Ideóque

* Ita fusè probauimus in lib. de Epiſcopali Monogamia.

cùm Apoſtolica auctoritate pallium alicui traditur Archipræſuli, in ipſa formulæ ora, clauſulæ hæc apponitur; *vt eo vtaris ſecundum Eccleſiæ tuæ conſuetudinem.* Nimirum quia Præſul ad honorem Eccleſiæ potiùs quàm perſonæ ſuæ, id accipit, vt ſanctus Gregorius docet in ſua ad Syagrium ſæpè citata epiſtola. Proinde potiùs vſum moremque ſuæ Eccleſiæ in hoc ſequi debet, quàm proprium nutum & libitum; nec enim debet fatigare inferiores. Et quia cùm pallium gerit, ſolenniter celebrat: quod fieri nequit niſi habeat ad decorum Pontificalis culminis primores Clericos Eccleſiæ, ſibi in officio ſacro aſſiſtentes: debet vtique cum Capitulo ſuo conuenire, & ne rixæ oriantur ex frequentiori pontificio, ſequi quantum fieri poterit Eccleſiæ ſuæ conſuetudinem, ſuorúmque Anteceſſorum probatum morem. Sed obiiciet quiſpiam ex dictis. *Archiepiſcopus cùm tranſit de ſede vna ad aliam, pallium quod obtinuerat ad nomen & vſum primæ Eccleſiæ, relinquere tenetur. Quare igitur hoc ipſo pallio, iam parato, qui ei ſuccedit Præſul, vti non debet, neque poteſt?* Ratio eſt quia pallium eſt priuilegium partim locale, partim perſonale. Quia locale eſt cum perſona quæ transfertur alibi non tranſit: quia perſonale non datur niſi fortiter poſtulanti, vt ſuprà oſtenſum eſt. Igitur ſuccedenti, ipſo iure non competit: ſed nouum ab eo vt ſit ei perſonale, propria virtute & inſtantia eſt promerendum.

Sunt autem qui ſedi Apoſtolicæ infeſti putant, tot excogitatas difficultates in multiplicatione palliorum Archiepiſcopalium, ad pecunias emungendum. Et eos tamen non fugere puto, Apoſtolicam eſſe ſanctionem latam à S. Gregorio, & ſacro inſertam Codici *can. Nouit, diſtinct. 100.* pro collatione pallij, nihil dari, nec accipi debere. Nec puto ex largitione pallij auctos adeo Romanæ Eccleſiæ cenſus, vt quid inde illi acceſſerit poteſtatis, aduerſarij eius queant facilè indigitare. His omiſſis itaque nugis lectori nitidè ſatisfactum iri puto, ſi dixero: ſummos Pontifices hos appoſuiſſe obices, vt Præſules cohiberent à renunciatione oneris Paſtoralis, metu priuationis honoris; ambitúmque per hæc obſtacula remorarentur tranſmigrantium de ſede minus inſigni & locuplete, ad illuſtriorem & opulentiorem. Ægrè enim ſemper tulerunt Pontifices Max. huiuſmodi cupidas tranſitiones & mutationes, quæ melioribus religionis ſæculis, etiam in inferioribus Prælatis erant prorſus illicitæ & reprobatæ; quemadmodum, in *lib. de Epiſcopali Monogamia*, copioſè fuit à nobis inſinuatum *part. 2.*

Ita Molineus in ſua (quam dicit Papacus) nouitate.

CAPVT DVODECIMVM ET VLTIMVM.

De ſingularitate pallij.

TAMETSI quilibet Maior Patriarcha ſit Archiepiſcopus, quo titulo ſinguli ex illis qua-

quatuor magnis, dudum honorabantur; palliúmque inferioribus Archiepiſcopis ipſi tandem communicabant: non tamen ij pallio duplici inſigniebantur, ſicuti nec duplici ſublimi cruce, quam ex cerebro ſuo mirè finxerunt pictores. Vnitatis enim Sacramentum, in quo fundatur Eccleſiæ ſtabilitas & vnitas, dualitatem in ipſo Petri ſucceſſore, qui Pauli quoque locum tenet, non recipit. Tantúmque valuit ſemper in Eccleſia ſignificatio, immò vis ipſa vnitatis, vt quicquid binarium ſonaret, rigidè reſpueretur.*Hoc oſtendere per ſingula haud opus eſt: pallium vtique nos conſtringit. Quod vnaquaque in principe Eccleſia eſſe vnum: vnúmque qualibet in terminatione Epiſcoporum Principem, id vnicum, ipſa vniuerſalis Eccleſia, iamdudum habere decreuit. Adeóque ſtricto hoc conſtituit iuris rigore, vt pallium ipſum, ſanxerit, Archiepiſcopum (quicunque agglutinatus Eccleſiæ propriè vti ſponſæ, indiuulſus ab ea moriendo deficeret) cum ipſo pallio ſepeliri. Quod videri poſſit aliis regulis ſacris, ciuilibúſque legibus nonnihil alienum, quas deſignat, *gloſ. ſepeliri in cap. Niſi, de auctor. & vſu pallij.* & à decreto ſancti Gregorij in Romana Synodo, de dalmatica feretro defuncti ſummi Pontificis non deinceps imponenda. Sed alia eſt diſpoſitio de pallio. id enim hærentem ſponſæ Archiepiſcopum ſequitur vſque ad mortem: cuius inſignis ſplendor non poteſt, niſi cum ipſa vita Archipræſulis ex-

* Ideo duo pallia ſimul vni eidémque Præſuli, etiam ratione diuerſorum titulorũ Papa non cõcedit. Sic innuit ſanctus Bernar. in vita S. Malachiæ Archiepiſcopi, c. 10.

tingui, & ideo ſolet cum eo defuncto ſepeliri, quemadmodum diſertè ſancitum legitur, *cap. ad hoc, & ibi gloſ. ſepeliri, & gloſ. conſuetudo, in cap. cùm ſis, eodem tit. 8. lib. 1.*

Cur autem ita fieri ſedes Apoſtolica ſtatuerit, nullibi expreſſum legi. At rem penitius conſiderando trinam huic canonicæ diſpoſitioni deprehendi ſubeſſe rationem, prima eſt commendatio *Sacramenti vnitatis*, quo Eccleſia ſanctificatur & regitur. Nam cùm in vna prouincia vnus eſt Archiepiſcopus, vnáque Metropolitana Eccleſia: ſic *Epiſcopatus vnus atque indiuiſus* (vt verbis & votis vtar ſancti Cypriani) oſtenditur: nam vt vniuntur membra corporis in capite, ita in Archiepiſcopo Præſules vnius prouinciæ vinculo ſacræ conteſſerationis conſociantur, ínque matrice vna Eccleſia, totius ſacræ terminationis Eccleſiæ, quaſi quadam conſanguinitates origine, nexúque myſtico & fidei & charitatis copulantur. Qui Archiepiſcopus cùm ſolus pallio inſignitur, ſingularitas eius dignitatis & connexio Eccleſiaſticæ vnitatis, myſtico hoc ſignaculo, proculdubio indicatur. Secunda, ſed cùm pallium ſit non modò ſingularitatis capitis indicium, ſed *ipſius perſonæ* quoque quæ eo decoratur inſigne, non modò ad ſignificationem dignitatis, verùm etiam ad teſtimonium *propriæ eius fidei & virtutis*, ita illi debet eſſe proprium, vt ſicut ipſum meritum virtutis quæ perſonæ vt ſubiecto ineſt, non poſſit per ceſſionem aut ſucceſ-

Lib. de vnit. Eccleſ.

ſionem ad alium transferri. Tertia, quæ præcipua eſt hinc ſumitur, quòd pallium non ſit tantùm inſigne *honoris*, at etiam *oneris*. Ideo per modum circuli humeros pectúſque Archipræſulis conſtringit & inuoluit, vt eo indicio munus ei impoſitum, longè grauiùs quàm ceteris Epiſcopis deſignetur. Epiſcopi enim ſinguli curam agunt ſolius ſibi creditæ diœceſis: at Archiepiſcopus totius prouinciæ curam gerit, vnde *can. 9. Antiocheni Concilij*, ſic decernitur. *Per ſingulas prouincias Epiſcopos ſingulos ſcire oportet, Epiſcopum Metropolitanum qui præeſt, curam & ſollicitudinem totius Prouinciæ ſuſcepiſſe.* Qua de re eos iterum admonuit ſua in Synodo ſanctus Martinus Papa & Martyr, *can. 4.* Angitur igitur multa ſollicitudine Archiepiſcopus, nec enim ei ſatis eſt, vt ſuper Clerum & populum propriæ diœceſis inuigilet, ſed etiam vt ſuper totam prouinciam, vigilantiæ oculos intendat perenniter ſpeculantes. *Neceſſitas enim illi credita eſt* ex ipſo primatus debito, nec minus ad eius tendit reatum, ſi ſubiecta ei prouincia in fide aut publicis moribus graue, per eius deſidiam, recipiat detrimentum, quàm ſi propria eius diœceſis ipſius negligentia diſpendium in vtroque pateretur. Non quòd *ſingulariter* gerat Prouinciæ curam, ſed *vniuerſaliter* gloſ. *penult. in cap. Paſtoralis, de off. ord.* Vnde quoad ea quæ ſpectant ad commune bonum vel damnum Prouinciæ, debet ex officio intendere, & proſpicere ſedulò, vt qui

ſingularem curam gerunt diœceſani Epiſcopi, ſuo ritè officio defungantur, ſtrenuéque obeant & impendant, in grege ſpecialiter ſibi credito, excubias paſtorales, vt fides maneat incorrupta, obſeruetur cum decore debito ſacroſancta religio, vigeat Cleri & populi diſciplina: collapſis enim his fulchris neceſſe eſt, non modò ſingulares diœceſes corrumpi tam circa fidem quàm mores, ſed cùm facilè ſerpat vndequaque corruptelæ virus, conſequens foret, prouinciæ totius communem ſtatum peſſundari, ſicque in prouincia ſenſim religionem ipſam perire. Cruces ideo benè in pallio Archipræſulis expreſſæ ſunt, quas continua in ſollicitudine ineunda, circa omnes prouinciæ Eccleſias & Præſules, neceſſe ſit illum perferre: pungíque etiam pleriſque illis aculeis, qui per infixas acus deſignantur: nam *quicquid agit agendo repatitur*: & qui circulari hac ſpeculatione fungitur, non poteſt quin ſæpè experiatur, vt ipſe de ſe dicebat Apoſtolus, *foris pugnas, intus timores*. De onere autem etiam per pallij materiam admonetur, ſicut ſupra ex Iſidori Peluſiotæ doctrina obſeruatum eſt. Lana enim, ex qua texitur pallium, quod humeris Pontificis imponitur, *ouem* illam deſignat quam Dominus aberrantem quæſiuit, inuentámque *ſuis ſuſtulit humeris*, vt memor ſit Antiſtes, ſe Paſtoris illius magni typum gerere, qui ouium infirmitates portauit, & ſaluandarum animarum (quas Chriſtus ipſe redemit ſanguine ſuo) ſedulam ſe

2.Cor.7.5

Luc.15.5.

procurationem ex ſuſcepto onere paſtorali ſe acturum ipſi Domino ſpopondiſſe; vnde illud Apoſtoli, *ipſi peruigilant Paſtores, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, Heb. 13. 17.* Quia igitur vnuſquiſque ſiſti debet *ante tribunal Domini noſtri Ieſu Chriſti*, vt recipiat (ait idem Apoſtolus) *quicquid in corpore ſuo geſſit ſiue bonum, ſiue malum;* ſtatuit Apoſtolicæ ſedis prouidentia, vt Archiepiſcopus cum pallio ſuo, inſigni ſcilicet Paſtoralis honoris & oneris, ſepeliretur, vt ſe coram Deo rationem redditurum, de animarum ſibi commiſſarum cura diſtrictam intelligeret. Hócque nomine ante Chriſti tribunal in tremendo iudicio ſibi aſſiſtendum eſſe, vt ex illo onere vel honorem perennis gloriæ, vel horrorem pœnæ ſempiternæ, pro qualitate factorum tandem recipiat. Quòd ſi ſemetipſum non gregem paſcere ſtuduerit, lac comederit ouium, & lana eorundem ſe cooperierit, quod craſſum fuerat occiderit, at quod infirmum erat non conſolidârit, & quod ægrotum non ſanârit, quod confractum non alligauerit, quod abiectum non reduxerit, quod perierat non quæſierit: ſed cum auſteritate eis imperauerit & cum potentia, ſuáque deſidiâ fecerit vt abierint oues in deuorationem: tunc certè futurum, vt gregem ſuum Dominus de manu inuigilis eiuſmodi Paſtoris, infideliſque ſerui requirat: eúmque grauiſſimo tam proprij reatus, quàm incuriæ tam exitialis pondere depreſſum, cum Angelis

Rom. 14. 10.
2. Cor. 5. 19.
Notabilis obſeruatio.
Ezech. 34.

præuaricatoribus qui principatum ſuum non ſeruauerunt, vinculis æternis ſub caligine tartarei lacus demergat. Pondus etenim erit huic grauiſſimum, ipſa teſſera oneris paſtoralis, quæ nunc magni honoris eſt ſignaculum. Verùm è
Luc.12.42. contra *ſi fidelis ſeruus* Domino ſuo in cura commiſſi gregis extiterit, tunc decorus & gratus ac glorificandus in eius conſpectu apparebit. Pallium quod præferret in iudicium benè exacti laboris, non ampliùs ſignum erit oneris, ſed honoris: *honoris*, inquam, *duplicis*, cuius (vt pronunciat Apoſtolus) *coram paſtorum Principe* dignus erit, eo quòd in Præſulatu peruigil extiterit, atque *in verbo & doctrina* ſtrenuè operando
Apoc.1. *laborauerit.* Certè tum enim pro lanea ſtola, *zonam illam auream* (qua præcinctum ad mamillas ſe Chriſtus *magnus Paſtor ouium & Princeps Paſtorum*, loquens per Ioannem dilectum diſcipulum, Eccleſiarum Angelis, id eſt Epiſcopis ad præmium illis laborum indicandum exhibuit) de manu eius percipiet, cùm ſtella matutina æternæ lucis, & podere perfectæ gloriæ, ac calculo candido immortalitatis, mannáque abſcondito omnis ſuauitatis & felicitatis, lapidibúſque pretioſis omnis decoris & honoris. Sed & quia pallium Paſtorale, hac in vita onus eſt, ſignúmque perpetuæ curæ & operationis, eo pacto id deferret ante Dominum quiſquis fuerit inter magnos Paſtores ſtrenuus & fidelis, vt ſignaculum virtutis, & pignus amplioris emeri-

tæ gloriæ: quo enim maior fuerit in ſollicitudine, in labore, in operatione; eo maior idem erit in æterna illa remuneratione: nam vt prædixit Propheta, dabit illi, in ſuperna Sion, Dominus *coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu,* Eſa. 61.3.
pallium laudis pro ſpiritus mœroris.

Finis libelli de Pallio ſacro.

SANCTVS SAVINIANVS CELTICÆ GALLIÆ APOSTOLVS, Senonenſium Protomartyr, ac Antiſtes primus.

Solennitatis Natalis Domini, apud Gallos, inſignis conſecrator, necnon mirificus trophæi Dominicæ crucis impreſſor.

CVM PAVLVS Apoſtolus ſcribebat ad Romanos; Petri Archiapoſtoli prædicatione, iam in fide Chriſti feliciter inſtitutos, inſigni admodum eos commendabat laude, quòd tantæ fidei magnitudine præcellerent ceteris gentibus, vt per vniuerſum orbem non modò illorum fidei diffuſa eſſet celebritas, ſed fides ipſa vbique annunciata longè latéque pullularet. *Primùm* (inquit) *gratias ago Deo per* IESVM CHRISTVM, *pro* Rom. 1.
omnibus vobis, quia fides veſtra annunciatur in vni-

* Tractans hunc locũ.

uerſo mundo. Nimirum ait Chryſoſtomus* *quia ibi Petrus prædicauerat, cuius facta ſua Paulus eſſe ducebat.* Immò Romanorum fidei propagationem (quæ Petro auctore indies vbique dilatabatur) Romanorum (vt parentis facta, iuráque illorum paſſim adſcribuntur filiis) zelo, atque ſtudio augendæ vbique per orbem Chriſtianæ Religionis, Paulus tribuebat. Nam Romæ Petrus conſiſtens, non Romæ ſolùm procurabat ſalutem, ſed hinc vbique terrarum proſpiciens, paſtoralis

Ioan. vlt.

à Domino traditæ curæ humani generis officia, incitatione perpeti promouendæ gentium illuminationis, circumquaque impertiebat: eámque fidem quam intulerat Romanis, quámque Romani tanta pietatis obedientia ſuſceperant, tantóque ardore in dies adaugebant, circumpoſitis regionibus non modò, ſed remotioribus quibúſque Imperij Romani prouinciis, per ſummiſſos ablegatóſque Euangelicos præcones diſſeminare, vt Domini meſſis creſceret, perpetuis curabat ſtudiis, atque modis omnibus contendebat. Nec enim exiſtimare fas eſt, feruentiſſimo Chriſti diſcipulo, œcumenico Vicario, ſummóque Apoſtolo, affectum propagandi eius nomen & gloriam defuiſſe: cùm Iudæis eius iuratis hoſtibus tantam obſcurandi nomen illius, Euangeliúmque oppugnandi æmulationem inditam fuiſſe, referat Iuſtinus Martyr, *in dialogo cum Iudæo Tryphone*, vt ipſi obiiciat, ex odio Chriſtiani nominis illos iam olim ex Hieroſolymis

miſiſſe

miſiſſe per totum orbem peſtiferos homines, qui Euangelij curſum omnibus quà artibus, quà viribus impedirent, ſatoréſque ſementis gratiæ opprimerent, vbicumque obuios potuiſſent reperire. Cuius malitiæ conſcios non dubito fuiſſe Iudæos illos, qui Romæ Paulo vincto pro nomine IESV, exprobrabant Chriſtianis *vbique locorum contradici*, Act. 28. 22. Eſt enim perpetuus diaboli conatus *vias Domini rectas ſubuertere*, Chriſtóque & illius nunciis contradicere, atque bono ſemini quod ſeminant, ſuperſeminare zizania. Act. 13. 10.

Petro itaque ſatagente dum Romæ fundamenta religionis collocaret, vt ædificium non modò altè aſſurgeret, ſed latè quoque dilataretur: cooperariis tam extra quàm intra vtebatur idoneis, tantóque pluribus quanto validiores manus tantæ molis ſtructura exigebat. Templum enim Dei ædificabat patentiſſimum ſapientiſſimus hic architectus, quod ambitu ſuo terrarum orbem complecteretur: gregémque ex omnibus gentibus aduocabat, vt collectis in ouile vnum innumeris ouibus vndique diſperſis, vnus Paſtor omnibus ſuperintenderet. Gallia in conſpectu erat, regio ampliſſima atque perinſignis, quæ Romam ipſam extremum in diſcrimen dudum adduxerat: cui ſubigendæ diu enixéque illa inſtiterat, cuius vix tandem ſubactæ robore, imperium ipſum Roma fulciebat. Hanc igitur in ampliſſimam Prouinciam non potuit Petrus (omnia cæteroqui curans) ſollici- Ioan 10. 26. 21. 15. & 16.

tudinis ſuæ Paſtoralis obtutus non intendere. Cùm enim regnum Chriſti inſtruendum eſſet ex omnibus gentibus & populis: *diuerſas*, vt Tertullianus ait,* *Galliarum nationes*, Galliáſque ipſas imprimis, ſine quibus nec Romæ imperium ſtare potuiſſet, Chriſti ſubigere ſceptro operæpretium erat. Atque in Imperij eius prouinciam quátocyus vendicare. Videbat enim in ſpiritu, futurum, cæleſtis regni in terris conditor, vt ſumma quam Romæ religionis ſedes conſtituebat, hoc maximè ſubſidio fulta, contra impiorum quoſuis impetus, inferorúmque poteſtatum furorem, in finem vſque ſæculi ineluctabilis poſſet perſiſtere, præcipuúmque hinc illi & robur & decus poſt ſupernam opem acceſſurum. Impellente igitur Spiritu ſancto beatiſſimus Apoſtolus, in tam amplam meſſem operarios ſtrenuos ſtatuit emittere: vocatíſque Sauiniano & Potentiano Apoſtolicis viris, cum eiuſdem ſpiritus & gratiæ hominibus Trophimo, Martiale, Sixto, Sinicio aliíque pleriſque iiſdem ſimillimis auxiliariis, opus hoc committit, vt præcipuam Romani Imperij prouinciam, inclytam Galliam, ſuos ob oculos poſitam, ad Chriſti iugum ſalutare feſtinent adducere: expurgatámque exitialibus ſuperſtitionibus, religione, fide, iuſtitia, virtutéque omni excolere curent: *ac iacentes in tenebris & vmbra* mortis tot populos illuſtrare agnitione diuinæ lucis, & ſpe ſalutis æternæ, erigere ad piam & beatam vitam ocyus aggrediantur.

*Lib. cont. Iud.

Iſa. 9.

In Alpinam igitur Galliam, *Trophimum* (quem poſtea Paulus hanc plagam percurrens, Arelate primum Antiſtitem conſtituit) cum nonnullis adiutoribus ablegat,* *ſicut notum eſſe omnibus Gallicanis regionibus*, Epiſcopi Comprouinciales antiquæ huius Metropolis iamdudum ſcribentes ad Leonem magnum grauiter teſtantur. In Aquitaniam iubet proficiſci Martialem: Sixtum Siniciúmque Belgium petere. Celtarum autem communem curam ſuſcipere, Sauiniano Potentianóque cum Albino præcipit: ac vt eò rectà contendant, mox à ſe profecti, vbi regionis cuiuſque caput erectum conſpicerent. Singuli igitur Apoſtolicis eius monitis inſtructi, ac corroborati benedictionis diuinæ præſidiis, vt paſtoris ſummi compleant mandata, ſignatam ſibi in partem cuique ſuam laboris, læti alacréſque aduolant. Sauinianus cum Potentiano ſymmyſtíſque aliquot egregiis Celticæ Galliæ meditulium & *Metropolim vrbium antiquam Senonam* citius adoriri (centrum ſcilicet quo circulum deinceps facilius ambiant, ampliſſimæ regionis) celeri curſu attingere ſtatuunt. Neſcire me non abnuero, vnde acceperit doctiſſimus Genebrardus quod in Chronographia ſcripſit ſub annum Chriſti *66*. Sauinianum cum Potentiano à S. Trophimo Arelatenſium protomyſta, Senonenſem ad Metropolim tranſmiſſum. Certè Epiſcopi comprouinciales Arelatenſis prouinciæ in ſupra commemorata ipſorum ad B. Leonem epiſtola, iuua-

* Epiſcopi prouinciæ Arelat. in ep. Synodica ad Leonem I. PP. Inter eiuſdem PP. opuſcula.

re videntur nonnihil hanc opinationem dum aſſerunt, per ſanctum Trophimum *à B. Petro miſſum, Galliarum regionibus bonum ſemen fidei & religionis infuſum, ídque ab hoc riuo fidei quem ad nos,* inquiunt, *Apoſtolicæ inſtitutionis fluenta miſerunt,* per plurima ſubinde loca, *ſacerdotes accepiſſe. Idque ſacroſanctæ ipſi Eccleſiæ Romanæ aſtruunt non fuiſſe incognitum.* Patrum tam magnæ auctoritatis, quàm venerandæ antiquitatis, abſit vt audeam teſtimonium adeo celebre tantillum inficiari. Fieri potuit, vt ab eodem Archiapoſtolo, miſſi ſupra cenſiti Galliarum in fide parentes, Arelate in ipſo primo regionum ingreſſu, parumper ſubſtiterint, communibúſq. conſiliis inter ſe decreuerint, quò quiſque tendere, quibus viis creditam prouinciam adire, quibus deinde modis ac mediis vti ad illam facilius feliciúſque Chriſti ſubigendum oporteret. Sícque non incongruum fuerit dicere, Sauinianum Potentianúmque à Trophimo Senonam directos, quòd eius fortè conſilio perſuaſi fuerint ad Metropolim hanc perilluſtrem, relicto curæ ſuæ proximiori Lugduno (Celtarum primo apice) in ipſo limine operis, impetúque primo Apoſtolici feruoris adoriri. Nec enim inferiores Trophimo illi erant, qui à pleriſq. etiam ex 72. Domini diſcipulorum ordine ſunt aſſerti: quicquid ſit, Petri ſummi Apoſtolorum pariter ſymmyſtæ, ac ſuffragatores, pari auctoritate eſſent miſſi ac præditi. Tametſi etiam nonnulli ſint qui Sauinianum, Apoſtolatu Gal-

lico donatum à Petro affirment, quem honorem etiam Trophimo alij voluerunt vendicare; cuius iure, Arelatenſem Eccleſiam intra Gallias primatum in ſacerdotio, veteres illi Epiſcopi ſcribentes ad S. Leonem habuiſſe conteſtantur. Cuius quidem dignitatis nec vmbram hodiéque retinet Eccleſia Arelatenſis. At Senonenſis, nomen etiamnum priſcæ prærogatiuæ ſeruat, cum aliquo eius tituli ſplendore. Quem decorem Apoſtolo ſuo Sauiniano meritò acceptum refert, qui cum Potentiano fido aſſecla ſtrenuóque adiutore, Altino quoque comitante eò progreſſus, cum fidei lumine, ingentem gloriam Senonibus attulit ac felicitatem.

Quamquam verò neſciat, ait ſanctus Ambroſius, *tarda molimina gratia Spiritus ſancti*, quâ inflammati erant illi æternæ ſalutis præcones ac ſponſores: cùm proficiſcerentur ardenti curſu in deſtinatam vrbem, iámque appropinquarent, non ſine diuino nutu, aliquantula morula fuêre detenti. Dies enim Natalis Domini tunc imminebat, cùm agrum Vaſtinienſem Senonibus ferè ſuburbicarium, ingreſſi, eo in loco ſolitario qui antrum Bethlemitanum dici poſtea conſueuit, Ferrariarúmque celebre cœnobium demum conditum eſt, vbi prope Lupa amnis in Sequanam fluit; ſubſiſtendum cenſuerunt, vt debito cultu tam ſolennem diem, quo reparationis antiquæ, redemptionis nouæ, felicitatis æternæ primordia recoluntur, piè reuerentérque tranſi-

gerent. Dum igitur intendunt vigiliis, ieiuniis & orationibus, ipſa nocte qua ortum ſolis iuſtitiæ in ſanctis meditationibus præſtolabantur; repentino affulgente in terris lumine, ipſa hora qua Chriſtus natus eſt, idem Dominus, in præſepio poſitus circumſtante Matre eius ſanctiſſima, & beato Ioſeph, apparuit; ea prorſus forma ac ſitu, quo cum natus eſt in Bethleem exiſtebat. Angelica etiam melodia perſonuit, eaſdem laudes quas ſuperni illi tunc occinebant ſpiritus replicans. Quo cæleſti viſo & auditu animati magni illius ſacramenti pietatis inſpectores, à tam fauſto auſpicio diuinum opus aggreſſi ſunt. Totóque ore & pectore effuſi in præconia Deitatis, incolas accoláſque tractus huius ad agnitionem diuinæ Maieſtatis & miſericordiæ vocauerunt ac induxerunt. Primæ cæleſtium negotiatorum ſtationis, fortunatus hic ſucceſſus fuit. In cuius perpetuum monimentum ædiculam in honorem nati Saluatoris, & eius beatiſſimæ genitricis ibidem extruxerunt, cui Bethlehem nomen ſuauiſſimum atque ſanctiſſimum (quo hactenus nobilis illic quæ regia munificentia ac pietate ſuccreuit moles, inſignita nitet) indidêre, Altinóque collegæ, plebis Chriſto illic à ſe collectæ, curâ paſtorali demandatâ: ipſi hinc digreſſi, ad ciuitatem Senonenſem quæ ſuſceptæ myſticæ expeditionis ſcopus erat, cum fauſti progreſſus non inani fiducia acceſſerunt.

Fabulas me narrare pias, dum iſta refero re-

feróque nonnulli etiam pij cenſores exiſtimabunt : quin anilia commenta ineptáque hæc alij appellabunt, quibus nihil ſapit quod auitam pietatem redoleat, quicquídque fulcit auitam religionem; hoc eſt veram & Apoſtolicam antiquæ Eccleſiæ (quæ vna Catholica eſt) fidem, Galliæque Chriſtianæ primam originem, pædagogorúmque eius primorum in Chriſto dignitatem oſtendit; perpetuo odio eſt atque ludibrio. Hos monitos velim, ſi non amplioris modeſtiæ, ſaltem maioris æquitatis. Dicit Dominus in Euangelio, *ſtabile eſſe oportere omne verbum firmatum duorum vel trium teſtium ſuffragio.* Plures hîc longè proferam; inter quos duo ſunt omni exceptione maiores, qui quæ ſuprà à me narrata ſunt, expreſſa aſſertione ſua muniunt, authentico diplomate. Hi ſunt SANCTVS REMIGIVS Francorum Apoſtolus: & quem in Chriſto regenerauit, quin & fide informatum peperit æternæ ſaluti, & Chriſtianæ religionis ingenti accremento ac gloriæ, CLODOVÆVS MAGNVS, Protochriſtianus Rex noſter. Communi enim vtriuſque aſtipulatione, aſſerta quæ ſuprà à nobis relata ſunt demonſtramus, probatiſſimæ Syngraphæ ipſius Regis patenti exhibitione.

DIPLOMA CLODOVÆI, primi Francorum Chriſtiani Regis, de antiquitate & ſanctitate Bethlehemitanæ cryptæ & Eccleſiæ in Vaſtinienſi agro; factáque ibidem ab ipſo rege, celebris Ferrariarum Monaſterij, in honorem beatiſſimæ Virginis Dei genitricis, Sanctorúmque Apoſtolorum Petri & Pauli, fundatione.

Ex Scriniis dicti Monaſterij Ferrarienſis in diœceſi Senonenſi.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDVÆ TRINITATIS CLODOVEVS REX FRANCORVM. *Notum fieri volo omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ fidelibus, quod cùm certus factus fuerim de pietate ſacelli Bethleemitici, fundati in honore Dei genitricis, à Sauiniano & Potentiano . . . . . .*
* fortè & meliùs *Altino.* ** Coſſino, Paterno & aliis ex Chriſti diſcipulis . . . . . ídque per chariſſimum* REMIGIVM *Rhemorum paſtorem,* QVI MIHI ILLVD VERVM ESSE PRO CERTO AFFIRMAVIT, *& ita euenisſe, cùm ſcilicet Chriſtus aſcendiſſet cælum, Petrus & alij Domini Apoſtoli per totum orbem terrarum diſperſi ſunt: quemadmodum, & ſeptuaginta duo alij Diſcipuli,* E QVIBVS CVM ALIQVI IN GALLIAM VENISSENT, *de quibus Sauinianus, Potentianus, Coſſinus & alij, antrum ſeu cellulam in pago Vvaſtinienſi conſtruxerant, in quo poſſent vota Do-*
* deficit, *circa.* *mino reddere, & preces fundere. Et ipſis itaque oran-*
** fortè, *abierant.* *tibus ſub nocte, magnus ſplendor * totum locum ***

. . . . . . ortus eſt, quicquid diuinum habebat in ſe: & inter hæc ecce naſcentis Chriſti, Virginis & Ioſeph imagines in aëre apparent, quemadmodum etiam bos & aſinus, quos Chriſti natiuitati adfuiſſe . . . . Angelique carmen natale Chriſti Domini concinentes, GLORIA IN EXCELSIS DEO. Oſtendens Deus ſe in hoc loco velle venerari. Quibus rationibus & quotidianis quæ in eo fiunt miraculis. Ego, duce Spiritu ſancto cognoſcens, loci anguſtias, tantam fidelium multitudinem continere non poſſe: pro mea in Dei matrem (quam humiliter in hoc ſacello precatus ſum) pietate, ſtatui pro regia liberalitate, templum auguſtum & maius conſtruere in honore Apoſtolorum principum Petri & Pauli: cuius antequam diſcederem fundamenta ieci, & quod poſtea Deo fauente perficiam. Et quia in dicto ſacello, cellula ſeu antro B. Mariæ de Bethlehem, inueni anachoretas iuſtè & piè viuentes, pro remedio & ſalute animæ meæ & filiorum meorum, dedi illis quicquid in Vaſtinio poſſidebam. Quibus etiam dedi ius nundinarum ſiue feriæ, die BB. Apoſtolorum Iunio, vel quando . . . . Quæ autem dedi volo eſſe pro ſuſtentatione ſeruorum Dei & pauperum. Manumiſimus etiam in eorum gratiam & fecimus liberos eſſe omnes, oppidi in quo habitant incolas, tam natos quàm naſcituros, tam mares quàm fœminas qui in B. . . . . . dictorum Anachoretarum vel ſeruorum Dei viam degent, quam regia auctoritate vidimus, quámque ita examinari volumus, à vado Turrellæ, vſque ad nemus, & ad terram quæ dicitur Groletum, vſque ad terram de Brouilla: vſque ad terram,

Oo

*& ab illo campo Girauldi, ſicut via vadit quæ dicitur, Mali conſilij, vſque ad aquam quæ dicitur Clareia, vſque ad terram & nemus quod dicitur . . . Caſueti: vſque ad vallem quæ dicitur vallis Geraldi, Vadens vſque ad fontem Butorij: vſque ad Lupam. Et ſicut aqua quæ dicitur Lupa . . . . vſque ad prædictum vadum Turrellæ. Quod ne obliuiſcantur, hoc ſcribere volui, omnibúſque teſtari me hoc Omnipotenti Deo pro meis peccatis obtuliſſe. Quemadmodum B. Mariæ Dei matri & Apoſtolorum principibus. Data ſunt hæc in antro beatæ Dei matris & Apoſtolorum *principibus. Data ſunt hæc in antro Bethlehemitico præſentibus Morilico * Abbate anno . . . . Remigio Remorum Antiſtite, Eraclio Senonenſium Præſule indictione . . . .*

*principum.

*Maccolo, rectiùs. vide infrà.

Quod verò genuina ſit hæc chartula regia, inde patet, quod eius autographum in ligneis tabulis exaratum, tantæque quam notat antiquitatis index, in archiuis nobilis illius Monaſterij ab eo tempore quo inſtauratum hîc refertur, religiosè cuſtoditum, depromptum demum è ſcriniis ab Eminentiſſimo Cardinale Turnonio, regalis illius cœnobij Abbate, anno 1547. ad defenſionem iurium ſacræ huius domus exhibitum fuerit in iudicio: viſum lectum, inquam, & examinatum; in ſolenni Iudicum conſeſſu die 26. Ianuarij in Præſidiali Curia Magiſtratus publici Senonenſis: cum Bullis ſummorum Pontificum Gregorij II. Leonis IX. Paſchalis II. Alexandri, Innocentij item II. Eugeniíque III. Et Regum

Chriſtianiſſimorum plurimis diplomatibus, illi annexis & ſuccinentibus: Regio fiſci vindice præſente, inſpiciente, nec reprobante, at admittente; & huic titulo congruenter requirente, vt regalis fundationis in ea declaratæ, iure, honore, priuilegióque protectionis ac immunitatis, ipſum Ferrarienſe Monaſterium intemeratè potiretur, nec vnquam deturbaretur aliqua, in hac, expreſſa donatione. Et certè hanc Chartam ob ipſius conceſſionis celebritatem, & venerandam antiquitatem, auctoríſque illius Clodouæi Regis I. Chriſtiani auguſtam memoriam, vt fundamentalem, præcipuúmque titulum illius Monaſterij, quoties iura illius, immunitates, priuilegia impetebantur, mox aſcetæ ſacri huius conuentus in ſubſidium iuris, Regiæque fundationis prærogatiuæ indicium, ac tutelæ gratiam & præſidium, in medium proferebant: hócque fulti regali programmate (quod CHARTAM CLODOVÆI REGIS ex maiorum vſu nominabant) aduerſariorum in litigio impetum ſæpè ſæpiùs refregerunt, ſartáque tecta ſeruari Monaſterij ſui iura in eo ſignata, & inde elicita, Iudicum legali ſententiâ, huius intuitu & vigore obtinuerunt. Quid quod adeo authentica hæc Clodouæi Charta communi ex fama habebatur, vt huius apographi productione coram Iuridico Senonēſi, euocatos ipſos monachos Ferrarienſes, euicerit veteranus quidā miles dictus le Blanc, cui Rex Franciſcus Magnus in eo cœnobio ex iure

regiæ fundationis, locum laici fratris in gratiam exactæ ſtrenuè militiæ aſſignauerat, quémque illi Monachi denegabant exemptionis ius aliunde prætexentes. Decretum enim fuit Præſidiali iudicio, poſtquam autographum Clodouæi auctoris prælibatæ Chartæ etiã viſum fuit,& ab Actuario Senonenſis Prætorij recognitum; Cœnobitas ex ipſo titulo regiæ fundationis, obſtringi; reſcripto Franciſci Regis, qui fundatorem primum Clodouæum iure ipſo diadematis repræſentabat, obſequi & parere. Fuit autem in Feriis ſancti Andreæ lata hæc ſententia, anno iam ſignato.

Facit inſuper ad germanitatem Regiæ huius Clodouæi ſyngraphæ roborandam, alia vetus Chartula antiquo vulgari idiomate Gallico conſcripta, iampridem repoſita in ſcriniis dicti Monaſterij, cuius nota ad oram appoſita confectionis ipſius tempus anno 1163. aſſignat, tam fundationis eiuſdem quàm inſtaurationis teſtatrix. Narrat etenim ſerie ſatis fuſa, acceſſum ad hunc locum Sanctorum Sauiniani & Potentiani, miraculúmque ibi in Natali Domini cælitus factum; & conſecrationem antri illius ſeu cryptæ ſub titulo NOVÆ BETHLEHEM, ritu Chriſtiano peractam à ſanctiſſimis illis ſymmyſtis. Dehinc ſubiungit de Clodouæi ipſius loci inſtauratoris, & ſequentium Regum erga antiquam illam ædiculam Dei Genitricis parientis pio affectu ac deuotione. *Li Rois Clodouee le premier Roi Chreſtien en France, & li Rois Dagoberts fils du Roi*

Clotaire, aymerent mout & fonderent vne Egliſe S. Pierre, pour la deuotion des choſes ſuſdites & deuiſées, & ils donerent mout de leurs biens, &c. Præterea legitur in peruetuſto rituali illius Monaſterij, quemadmodum Dagobertus ſecundus eodem incenſus, quo primus, pietatis ardore, multa etiam huic domui ſacræ dona impertierit: egerítque ſua ſupplicatione apud Gregorium II. Papam, vt ſpecialibus fauoribus tam venerabilem locum decoraret. Qui Apoſtolicis codicillis omnia huius priuilegia muniuit, atque auxit, ínque primi fundatoris intuitum, quem ſciebat *Miſſum fuiſſe S. Petri*, præter veniarum ampliſſima munera, eo miſit pro pretioſiſſimo xenio, volam*, ſeu palmam glorioſiſſimi ipſius Apoſtoli Petri cum vno clauorum quibus cruci affixus, *Paßioni Dominicæ* (vti Tertullianus loquitur) *fuerat Romæ adæquatus*. Cuius munifici diplomatis originalis ſchedula, in Chartulario ſæpedicti Monaſterij, etiamnum aſſeritur illæſa ſeruari. Sacriſtarum autem illius loci priſci indices ſacroſancta hæc munera hinc accepta & depoſita, ibi diligenter obſeruari, conſueuiſſéque magna religione fidelibus exhiberi, & conſpici à piis ſacræ illius ædis viſitatoribus, donec demum hagiomachi, tam pretioſa pignora cum innumeris aliis ſacris monilibus diripuerunt, cùm anno 1568. ineunte, 13. ſcilicet Februarij, quo in Ferrarienſe oppidum irruperunt, Monaſteriúmque diris ſtragibus ſacrorum hominum re-

* Nota.

In præſcript.

pleuerunt, impiis auſibus ac præſcindendis (quia ſacrilegis) manibus diſſipauêre, non tamen ſine vltionis diuinæ ſignificatione tam ſubita quàm perſpicua. Ceterùm hæc ſatis ſupérque conferunt ad Chartæ Clodouæi Regis, tam memorabiles, probationem. Prætermitto enim Lupi Ferrarienſis Abbatis teſtimonium, qui Caroli Calui Conſiliarius, ſcriptórque nullibi fere incognitus, in ſua ad Ædiliſum Britanniæ Regem epiſtola, tam breui quàm claro contextu commemorat, primam illam ſacri illius loci dedicationem, atque nominis *Bethlehem*, hinc à primo conditore inditi (ſcilicet à ſancto Sauiniano, vt prænotatum eſt) antiquam impoſitionem. Librorum etiam ſacrorum peruetuſtorum quibus diuina officia ſpeciali ritu hac in Eccleſia peragabantur, non hîc referam contextum, quo eadem hiſtoria, vt vera ſynceráque & explorata prorſus, verbis ſanè grauiſſimis ac religioſiſſimis recitatur; aliáque plurima argumenta, quibus facile eſſet illam vberiùs comprobare: ſatis ſupérque enim quæ induximus tam apertæ veritatis præſidia, nobis ea in re opitulantur; ſufficítque Clodouæi magni eſſe authenticum diploma demonſtraſſe. quod ſi à ſtylo formuláque quiſquam in fuci ſuſpicionem nihilominus adducere velit, facile vtique fuerit etiam illud ab ea parte vindicare. Interim ſi quis contra tam claras, firmáſque rei ipſius in eo deſcriptæ demonſtrationes ac probationes, ex mero pruritu omnia denegandi

quæ placitis ſuis obuerſantur, voluerit narrata à nobis repudiare, inaniáque & falſa eſſe eadem criminari: ſatis ſit quod minimè à nobis ſuppoſita, ſed antiquiſſima ex bibliotheca accepta, & validis pleriſque præſidiis fulta ac munita, hæc ipſa ſint, quæ in medium protulimus: magíſque mihi hæc depromenti ipſo iure fauendum non dubito, quàm contradicenti cuique; cùm ſufficiens probatio meram negationem deiiciat; ea verò quam adhibuimus vindicando Clodouæi adeo inſigni diplomati, eiuſmodi ſit, quæ æquum quemque Iudicem afficiat, aduerſariúmque mala fide inficiari demonſtret, quæ candida mente aſſerimus, tanta auctoritate confirmamus, tantáque euidentia oſtendimus cenſenda eſſe vera ac germaniſſima. Certè tituli longè exilioris, fidei auctoritate, ſibi qui noſtrum argumentum inficiabitur, amplam hæreditatem aſtrueret: quotidiéque in iudiciis, illi poſſeſſio vindicatur, qui minus authentica antiquáque profert proprietatis ſuæ indicia. Noſtra autem regalis perſcriptio, multa antiquitate non modò ſuffulta eſt, variíſque demonſtrationibus natiuæ ſynceritatis adminiculata: ſed iudiciali inſuper auctoritate corroborata: ſiquidem in tribunali Iuſtitiæ, non ſemel expoſitam atque examinatam comperimus: præſentibus nec oppugnantibus ipſiſmet regiis cenſoribus, quibus ex officio competebat, ſi quid ſuſpectæ fidei huic inſtrumento ſubeſſet, ſe approbationi eiuſdem oppo-

nere, atque pro virili, fauentibus etiam Iudicibus refragari.

Vindicato autem benè iuréque hoc Regali titulo, ac illo conſtante, egregiè de illorum pertinacia triumphamus, qui miſſos à ſancto Petro negant in Galliam SS. Sauinianum, Potentianum, ceteróſque primos Euangelij præcones: Gallicanæque Eccleſiæ cunabula quæ à ſtirpe originéque obſcurare tentant, magnificè illuſtramus; ſimúlque oſtendimus, vnde Natalis Domini ortum duxerit in Gallia, adeóque fortè in Occidente pia claráque celebritas. Stante etenim tituli huius auctoritate, hæc tria inconcuſſa, maximéque certa & explorata habemus; non ſolius Clodouæi Protochriſtiani Francorum Regis (cuius derogare fidem dictis ſcriptíſque, verè Francus quiſque numquam auderit:) inſigni adeo teſtificatione, ſed quod maius eſt Baptiſtæ eius, quem auctorem Rex ipſe laudat, cuique Chriſtum ſibi Euangelizanti feliciter credidit, religioſiſſimæ perſuaſioni, immò grauiſſimæ prædicationi. Quis enim ſine rubore, quis ſine impietate (verius dixerim) ſynceritatem in re ſacratiſſima, qualis eſt diuinæ veritatis enunciatio, pia Regum inſtructio, ex qua pendet tot populorum ſalus, tanto Doctori aſſertoríque vſquam denegabit? Remigio ſcilicet gratiæ ex promiſſione filio, Francorum Apoſtolo, Remorum ne dicam abſoluto numeris omnibus Antiſtiti, ſed & Galliarum incomparabili Epiſcopo, primóque

* Ado hos miſſos ab Apoſtolis diſertè fatetur, in libello de feſtiuitatib. 31 Decembris.

móque ſanctiſſimo Regum Chriſtianiſſimorum inauguratori : cui profectò Gallia ſalutaris prouectionis ſuæ in Chriſto ſi non primordia, ſaltem crepundia referre accepta debet: cuique ob ſalutis ſuæ tam temporalis quàm æternæ præſtita munera, numquam ſatis reddere vel laudis, vel honoris poteſt, at cuius beneficiis imparem rependendis ſeſe neceſſe habeat penitus profiteri: verè ſiquidem aptéque huic vni illud præconium poteſt occinere, quod Prudentius dudum propria occaſione cecinit, admodum paucis ſed præclaris voculis.

Hiſce pro donis tibi, fide paſtor,
Seruitus quænam poterit rependi?
Nulla compenſant præmia ſalutis,
Vota precantûm.

Sed nec ſolus quidem Remigius Apoſtolicus adeò vir, illa in Chartula Regis Clodouæi teſtis, quin auctor primarius eſt. Clodouæum ipſum Principem ſanè & emunctæ naris & incomparabilis virtutis, & ſingularis pietatis, res ipſa expreſſa in illius chirographo, aſſenſorem habet. Heraclium porrò Senonenſem Metropolitam ſanctiſſimum, quem annuis quoque ſacris Eccleſia colit, adſtipulatorem profert. Maccolúmque presbyterum laudatiſſimum (vtpote quem Remigius ipſe beatus ob virtutem apprimè dilexit, & commendatum præclaris apicibus ipſi Clodoueo Regi in epiſtola ad ipſum, conſolatoria ſuper obitu præmaturo ſororis eius Albofledis, ád

Abbatiæ nouæ Ferrarienſis regimen illius fauore prouexit) ſuffragatorem (vnde notatur primus poſt Regem illo in ſcripto, ob prærogatiuam loci, regiminis, religioníſque perfectæ decus) prorſus eximium. *Funiculus triplex* (ait Sapiens) *difficilè poteſt diſrumpi*: trinúmque hoc profectò teſtimonium, quod inſuper ſummi Pontifices plerique Apoſtolicis chirographis, nonnullíque Reges Chriſtianiſſimi propriis characteribus obſignârunt, probârunt iudices, agnouerunt hoſtes, tempora veneranda canitie veſtierunt; non poteſt infringi, cui tot ſuffragia inſignia, ſæculáque pleraque plenam omninò auctoritatem indiderunt.

Eccl. 4.12.

Ceterùm de feſti Euangelici, Natalis Domini, tam antiqua in Gallia origine (cæleſti etiam teſtimonio parta ac probata) eſt quòd nobis admodum gratulemur, qui huius celebritatis tanto munere primitias, vt reor, in occidente auctore ſancto Sauiniano, immò ipſo Domino percepimus: Patrúmque in ea caſtè, deuotéque ac ſolenniter peragenda ſtudia reueremur, exempla imitemur, placita exequamur. Sanxerunt enim feſtum hoc cum Paſchali præcipuo honore celebrandum, *in Agath. Synodo c. 21.* à Preſbyteris Diaconíſque cum Epiſcopo tranſigendum omni cum decore, *in Aruernenſi Concil. c. 5.* Nullatenus in villis à laicis prætereundum, niſi præpeditis aliqua graui infirmitate, *in Aurelian. I. c. 25.* Omnibus, ea ſolennitate, decreuerunt di-

diuinæ aræ eſſe communicandum: ſi quis verò ſecularis in tanta feſtiuitate, ſuâ deſidiâ, particeps Dominici altaris non fieret, nuſquam deinceps pro Catholico ſtatuerunt recenſendum, *in Agath. c. 18.* Quæ lex vt Galliæ peculiaris eſt, ita ortam in ea Natalis Dominici celebritatem, magis commendat, & dum indicat Patribus Galliæ ſic fuiſſe venerabilem: nobis certè, ſi eorum filij ſumus, inſinuat præ ceteris ſacris diebus exiſtimari honorabilem oportere.

Alium ritum ex ſancti Sauiniani facto huc referre, memoria eius reuerenda exigebat: quo docuit, ſigno crucis omnia à nobis ordienda eſſe. Legimus ſiquidem in eius actis, cùm Senonenſem ciuitatem adoriretur Christi imperio ſubigendam, in circuitu muros crucis Dominicæ trophæis ſubſignaſſe, quorum lapidibus duriſſimis impreſſa veſtigia conſpicua adhuc manent: hiſque fretus auſpiciis, felici & ingreſſu & exitu triumphaſſe.

Vide Martyrol. Gall. 31. Decemb.

SANCTVS POTENTIANVS II. SENONENSIVM ANTISTES,

Sancti Sauiniani ſocius, B. Petri Miſſus, Chriſtíque purpuratus teſtis, necnon incruenti Sacrificij quotidiauns immolator.

Acta ſancti Potentiani apud Guil. Brug. MSS.

IN actis paſſionis ſancti huius Pontificis legimus, cùm ab impio duce Seuero nefanda ad ſacra compelleretur, ipſum accenſum zelo Dei, vt verè, ita imperterritè reſpondiſſe: *Nos Deum in cælis habemus, cui quotidie offerimus ſacrificium laudis. non immolabimus diis tuis.* Ita breuiter & candidè fatus Sacerdos Chriſti, mox eiuſdem hoſtia victimáque effectus eſt. Sic S. Andreas Apoſtolus perhibetur à Preſbyteris & Diaconis Achaiæ, impellenti Ægeæ Proconſuli ad impia ſacrificia, reſpondiſſe. Vnde elicitur ritus ex more Apoſtolico, quotidianam faciēdi in Eccleſia Dei (quia perennis eſſe debet) incruenti agni immolationem: à qua SS. Apoſtoli & Martyres, etiam innumeris compreſſi preſſuris, nexibus conſtricti ferreis, tormentis horrendis attriti, nulla die etiam in carcere, imminente extremo quoque agone, non potuerunt à truculentiſſimis tyrannis quà vi vlla, quà aſtu, cohiberi. Nam Dionyſius ipſe die paſſionis, in carcere diuinam actio-

niem celebrauit: cui interfuit cum Angelis Chriſtus Dominus, ipſúmque pugilem ſuum, cum eius ſociis myſtico epulo ſumpto ex altari, confortauit. Sanctus quoque Sauinianus in mortis procinctu ſacrificauit. Beatus Lucianus preſbyter & Martyr in ergaſtulo poſitus, vinculíſque obſtrictus grauiſſimis, ſuper pectus, quod carcer neceſſariá, puritas gratiſſimam Deo fecerat aram; Euchariſtiam obtulit; veram vnicámque laudis, (hoc eſt gratiarum actionis pro redemptionis beneficio) hoſtiam. Sed de ritu quotidiani ſacrificij, quem acceptum ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris Romana etiamnum ſeruat Eccleſia, Gallicanáque à ſancto Potentiano diſcipulo S. Petri primùm accepit: in Commentariis ad Martyrologium noſtrum Gallicanum, vbi contra Græcos agimus de præſanctificatis, in quadrageſima potiſſimùm, celebrantes, ex profeſſo (Chriſto auſpice) diſſeremus, ſcilicet in illuſtratione elogij *S. Carileſi Presbyteri & eremitæ, die 1. Iulij, & præconij S. Goaris Sacerdotis & Confeſſoris 6. eiuſdem menſis.* Interim verò illud annotaſſe non pigeat, Potentianum Petri alumnum, ex eius ſchola accepiſſe morem illum, quo redemptionis hoſtiam incruenta immolatione quotidie litabat: nec enim ſanctus Petrus aliter docuit, aliter fecit in Oriente, ſecus autem in Occidente: vbi ſic ex eius actis ſcribebat Metaphraſtes, ex Petri ipſius comperta vbique Occidentali diſpenſatione, *Romæ*, inquit, *cùm quotidie ſynaxes celebra-* Ex actis eiuſdem.

ret Petrus, & vnum Deum Patrem Omnipotentem, & vnum Dominum Ieſum Chriſtum filium verum de Deo vero, & vnum Spiritum ſanctum Dominum & viuificum in Synagogis & domi doceret, attraxit multos ad fidem in Chriſtum, &c. Segregant igitur qui quotidianum ſacrificium ſubuertunt, *reique fiunt corporis & ſanguinis Domini*: quo viuificanti myſterio, quotidie in Eccleſia Dei (vt orat ſanctus Ambroſius in ſua precatione liturgica) *paſcimur & potamur, abluimur & ſanctificamur, atque vnius ſummæ diuinitatis participes efficimur.*

1. Cor 11.

Feria 6.

SANCTVS MARTIALIS

AQVITANIÆ VTRIVSQVE Apoſtolus,

Pontificalium benedictionum in ſacris myſteriis Inuentor.

Anno Chriſti 44. excurrente, ſeu incunte 45.

MARTIALIS EPISCOPVS, *Apoſtolorum diſcipulus, ex magiſterio Apoſtolorum benedictionem Epiſcopalem tradidit* (inquit Radulphus Decanus Tungrenſis, in libello de Canonum obſeruantia artic. vlt.) *quam probabile ſtudium ſeruientium auxit, Ambroſius dicere cœpit. Iſque mos vſquequaque conualuit. Apoſtolicus* autem hanc tantùm, quæ finita Miſſa dicitur, dicit.* In quæ verba Iacobus Pamelius Brugenſis in

* Hic eſt Papa.

prolegomenis in 2. tomum Liturgicon, appoſitè ſcribit. *Paucis profectò his verbis integram rei ſeriem complexus eſt, diuinorum officiorum indagator: ſi quis alius diligentiſſimus. Et verò primis illis ſæculis vſitatam hanc benedictionem, multis locis comprobari poteſt. Præſertim verò quarti & quinti ſæculi claſſibus, ex Sanctis Damaſo, Ambroſio, Hieronymo, Auguſtino, Carthaginenſis Concilij Patribus, Magno Leone & Agathenſi Concilio. Quorum loci citati (vt rectè interpretatur Micrologus cap. 21.) has benedictiones, ſicuti & in Toletano Concilio, ſtatutum fuit; ante communionem ab Epiſcopis olim factas indicant. Quod etiamnum obſeruari vidimus ab Epiſcopo Pariſienſi, dum publicum Miſſæ ſacrificium celebrat. Harum exemplar per anni circulum adieciſſe ſe dicto prologo, teſtatur* Grimoldus. *Addidimus etiam & benedictiones ſuper populum dicendas: quare & libro ſacramentorum eas ſubiecimus, in eorum gratiam apud quos adhuc viget hic benedictionum ritus: etiamſi iam inde ab ætate Radulphi, Romæ à ſummo Pontifice non obſeruatus.* Hæc ille de S. Martiale, de quo grandis ſermo & ferè ininterpretabilis ad dicendum, quoniam plurimi fortes videri volunt ad contradicendum, qui imbecilles facti ſunt ad audiendum.

Horum eſt princeps Petrus Molineus, ſubtractionis filius, erroris miniſter, errantium magiſter, hoſtis Catholicæ, Apoſtolicæ & Romanæ Eccleſiæ, hac tempeſtate, omnium feriſſimus. Is omnis modeſtiæ oblitus dudum fuerat, qui per-

petua ſcurrillitatis prurigine feruens, ſacra omnia & ſeria, in ludicra & leuia, affectatâ quaſi ex induſtriâ, peruertit. At hoc in negotio demùm omnem quam hactenus prodiderat petulantiam tranſgreſſus, vſque ad apertam impudentiam proripuit: quæ vtinam vltimam dementiam hominis tantùm promeret, non impeteret omnem ſimul cum religione honeſtatem & humanitatem, ne dicam impietatem omnem tranſcenderet. Et verò qui Sanctos viuentes in carne dudum occiderunt, corpora quidem eo-
Luc. 12. 4. rum exciderunt, animas neutiquam potuerint vel leuiori aggreſſu pertingere. *Sint Diui* (clamitabat Domitianus tyrannus immanis) *modò viui non ſint.* At iſte charos Dei amicos, felicitatíſque ſupernæ candidatos, *nec diuos eſſe ſinit, neque viuos.* Quos vt beatos inficietur, negat ipſe, perdita fronte, vſquam in rerum natura extitiſſe. Sectæ quam ſequitur parentes, Sanctorum non concuſſerant mores, ſed honores. Ipſe &
Sap. 2. 22. impetitis (quantum in ſe eſt) *honoribus ſanctarum animarum*, ridet illorum mores, cachinnis prorſus impiis, nec iis ſe ſiſtens terminis, animas eorum beatas quantum ſæuire poteſt, interimit. Fuiſſe negat Sanctos non dicam ſolùm, ſed homines. Confictos enim aſſerit, Deóque vnico ſoli ſcientiæ & gloriæ, & hominibus qui ab eo aliquid habent lucis, prorſus ignotos.

Quo in genere feritatis, ſancti Martialis glorioſam memoriam diriùs inſectatur, proteruiùs arietat,

arietat, at certè longè impotentiùs inuadit. Sic enim de eo ſcribit, in reſponſione ad librum Eminentiſſimi Cardinalis Peronij ad Sereniſſimum magnæ Britanniæ Regem lib. 7. c. 5. p. 506. * *In eorum* (inquit) *ordine qui numquam inter homines extiterunt, repono S. Martialem, quem eius vita B. Petri conſobrinum facit, additque quòd Chriſto in cœna miniſtrauit, cùm ipſe Dominus inſtituit Euchariſtiam, & quòd ethnicam ſuperſtitionem de Galliis profligauit, Gothorum ſcilicet tempore. Verùm ea ætate Gothi Gallias nondum ingreſſi erant, ethnicáque impietas, nonniſi diu poſtea in Galliis extincta eſt.* At virulentiori longè ſtylo, vtpote procaciſſimo & tam probroſo, quàm ſcurrili & impio lib. 1. c. 37. p. 137. addit. *Ioannes XX. Romualdum inter Sanctos retulit & ſanctum Martialem inter Apoſtolos eſſe voluit, quod perinde erat ac ſi diabolus animam in paradiſum importaſſet. Et quod magis abſurdum, id ſanè eſt, quòd Martialis iſte numquam fuit, qui in cælum euehitur, cùm nuſquam ſuper terram inceſſerit.* Hæc ille cuius procacem maledicendi libidinem, immò effrenatam proſcindendi Sanctos, ſedémq; Apoſtolicam laceſſendi rabiem, vtinam neotericus ille author qui S. Martialis nuper hiſtoriam ad ſummos iuris apices expendendam ſuſcepit * potiùs repreſſiſſet ac retudiſſet, quàm in Patrum ſcita, iamdiu recepta inſurgendo, dum ſancti Martialis vulgata geſta ſcriptáque oppugnat, furenti huic hoſti Catholicæ pietatis (cuius ipſe Scriptor, recentior profeſſor eſt) arma noua & noxia

* Verba eius Gallica ad amuſſim Latinè expreſſimus: quæ hîc referre patrio idiomate, pudebat.

* Laruâ ſibi impoſitâ ex emẽtitio nomine pij, docti, modeſtíq. viri, quem (dum auctorem facit huius

præbuiſſet, ſuâ tam aſperâ, quàm profuſa nimis hac de re diſputatione. Quam parum feliciter cedat Eccleſiæ Catholicæ nonnullorum eius filiorum intenſior hic zelus, nuperúſque conatus omnia noua faciendi, & prætextu indagandæ ſyncerae piarum rerum hiſtoriæ antiquas ferè omnes narrationes (quæ ad calculum illorum non veniunt, nec guſtui ipſorum ſapiunt) obliterandi, quasíque exitiales fabulas quæ fidem euerterent rigidè impugnandi; ſuas vt interim ſurrogent perſuaſiones, quas pro oraculis, ſpreta venerandæ antiquitatis auctoritate, haberi volunt: interímque ſibi vt quis repugnet canæ vetuſtatis tuendæ ſtudioſus, ferre nequeunt omninò, quin eum diris deuoueant, laceſſántque probris, ac modis quibuſque poſſunt tragicè inſectentur. Ita mecum à quibuſdam huius genij actum, quos in ſcriptis meis dudum nominaueram cum honore. *Retribuerunt mihi mala pro bonis, & odium pro dilectione mea.* Abſit autem vt ideo mala pro malis iis referam. Quos monitos hîc tantùm velim, vt aduertant quando diu receptas Eccleſiaſticas hiſtorias cõuellunt, ſe Eccleſiarum origines non tam ſcrutari, quàm illarum fundamenta concutere: fideíque inimicis ſubminiſtrare iacula, & funeſtos globos quibus ij inſtructi, auitæ religioni ſuperbè inſultant, eiúſque (cum hiſtoria, quam dubiam illi totam penè facere ſtudent) doctrinam, ipſis, quas conſtruunt nouelli ſacræ antiquitatis cenſores, machinis, labefactare nituntur.

[Margin: nouæ diſſertationis) indecorè traducit, quaſi is contra honorem Eccleſiæ cuius alumnus eſt arma ſubminiſtrare voluerit. Idémque expers Latinitatis (cuius longè maiora peritię ſpecimina pridem edidit) opera eius indiguerit, vt quæ vulgari idiomate cõſcribebat, nuperus hic cõſarcinator, Latina phraſi exprimeret. Pſal. 34. 12.]

Exemplo ſit nimium deplorabili, impia illa Molinæi criminatio, qua Catholicam arguit Eccleſiam idolatriæ & falſitatis, vt quæ Sanctos falſos confingat, eóſque colendos decernat, reponâtque ex iis quoſdam etiam inter Apoſtolos. *Martialis* (inquit) *quem eo honore Romana Eccleſia habendum ſtatuit, numquam fuit certè in humanis.* Mentitur ſanè putidè iniquitatis miniſter, ſed tamen non ſine colore. Antecedens enim quicumque dignitatem & ætatem S. Martialis exagitârunt, aliud cogitando, illi præfixère: ex quo conſequentiam illam arripuit, quamquam à mente illorum diſceptatorum, longè vt credo remotam, & nihil ferè ab ipſo antecedente pendentem. Quæ enim eſt conſecutio? Illi contra quinque Conciliorum placita & decreta Apoſtolicæ ſedis, receptámque iam olim (vt fatentur) & de contraria prorſus deuicta triumphantem ſententiam, quæ Martialem ipſum, ex ſeptuaginta duobus Chriſti diſcipulis; Petrum ſecutum Antiochiam, tum Romam: inde ab eo cum duobus Preſbyteris ad fidem Chriſti prædicandam Lemouicas miſſum, anno à reſurrectione Domini quadrageſimo vita exceſſiſſe refert: nec Chriſti fuiſſe diſcipulum, nec Petri ſectatorem, nec hoc quo memoratur tempore Galliæ fidei lumen intuliſſe, conteſtantur; at Decio imperante, circa annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum miſſum Româ Lemouicam contendunt. Hinc verò Molinæus infert tradi-

tionem omnem de Martiale, non eſſe hiſtoriam ſed fabulam. Et quia diſputant noui cenſores illi de Martialis ætate & dignitate : ille perſonam tollit penitus, negátque inde planè eiuſdem exiſtentiam. Quâ euersâ, vt putat, contra Eccleſiam calumniam ſtruit, quòd Martialem ſanctum illa confinxerit, impiéque colendum decreuerit. Spectabilis ſanè argutia, & ſuo digna auctore : quem equidem ad Logicam ſuam remittere operæpræcium foret. Nimirum vt memor regularum ſuarum, ſaniùs à ſeipſo aliquando demum ſapere, ratiocinaríque meliùs, reſciſcere non ſuppudeſceret.

At interim donec cum ſeipſo conueniat, non ſuperuacaneum puto, imperitiæ illum admonere, eúmque ad ſuos remittere (quò ſapiat, ſaltem eorũ more) primos Magiſtros. Caluinus ſanè quem ſectæ fuiſſe ſuæ Patriarcham nequit inficiari, odio infeſtiſſimo in ſedem ſummam Apoſtolicam ardebat : cuius decus iúſque omne cùm à Petro Apoſtolorum principe, ſeu primate (vt nominatur Matth. 10.) quòd aduerteret dimanare, Romæ vnquam viſum, ſummopere auebat refragari. Nec fuco deficiebat vafer impoſtor. Contendentes enim aliquot etiam priſcos ſcriptores de tempore, quo Petrus ipſe aduenerat Romam; quando hinc ad tempus exceſſerat, quando redierat, quamdiu ſederat ibi; quóque Neronis anno, egerat vel cum Simone extremam luctam, vel in cruce ſupremum peregerat

agonem, perſpiciebat. Hinc tamen licèt furore nimio abreperetur, quoties Romanæ Eccleſiæ ſeſe ſplendor obiiciebat, liuidis quibus laborabat in eam obtutibus: non tamen hinc intulit, Petrum nunquam fuiſſe hominem, ſed nec inficiari auſus eſt (ne prorſus deſipere videretur) illum Romæ prædicaſſe vel præfuiſſe: candidè quinimò faſſus eſt, *propter conſenſum* (vt ait) *ſcriptorum, Romæ Petrum mortuum.* Abnuit duntaxat, propter temporis diſſonantiam aliquantulam, quæ penes priſcos ſcriptores apparet, illum* tamdiu quamdiu aliqui volunt, cathedræ huic Apoſtolicæ (pacatiori etenim animo; titulum hunc genuinum eſſe apud veteres concedit) inſediſſe, *lib. 4. Inſt. c. 6. §. 15.* Certè ſi Molinæus rectè fuiſſet philoſophatus, ex diſſidio quod iam extat de S. Martiale, cum non agatur de illius perſona, quam omnes ex æquo agnoſcũt proculdubio veram & realem, conueniúntque Lemouicenſem eumdem fuiſſe proprium Apoſtolum, hoc eſt primum Doctorem & Paſtorem: non collegiſſet nuſquam Sanctum hunc, quem colit Eccleſia ſacris honoribus, fuiſſe in rerum natura exiſtentem: ſed duntaxat de eius ætate & dignitate controuerti; proindéque hanc diſcordiam, non eſſe de re, ſed de modo & tempore aduertere debuiſſet. Ideóque perſonam eſſe extra aleam controuerſiæ, vltro fateri; ſed ſolùm referre potuiſſet ad illius qualitatem, nempe an fuerit diſcipulus Domini: & ætatem, an à ſancto Petro tempore Claudij Im-

*Tamẽ (inquit) *propter conſenſum ſcriptorum non pugno, quem Romæ mortuus fuerit: ſed Epiſcopum fuiſſe præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.* Ibid.

peratoris, an à Fabiano ſub imperio Decij, Româ in Aquitaniam miſſus ſit: de híſque ſubnectere, à quibuſdam olim diſputatum, etiamnúmque diſceptari. Nam ſi ex eo quod non conuenit apud omnes de tempore rei actæ, ideo inferendum eſt, rem ipſam quæ aſſeritur omninò eſſe falſam: hinc certè neceſſe foret abſurda grauiſſima (quæ hoc ex principio ſequerentur) in rebus ſanctiſſimis admittere, v. g. Maxima eſt diſcordia de hebdomadibus Danielis, plurimæque ſunt opiniones de tempore quo incipiant & deſinant: quas tamen omnes fatentur in Chriſto impletas eſſe. Ita de annis Saulis, Samuelis, aliorúmque nonnullorum Principum Iudæorum. Item de annis Conſulum, Imperatorum, & ſummorum Pontificum. Item de annis Conciliorum. Nam ex diuerſis inſcriptionibus & ſubſcriptionibus, quæ variis in exemplaribus variè ſignantur, anni etiam diuerſi annotantur, per Synodalium decretorúmq. exſcriptores. Parum hoc eſſet: de tempore quo Chriſtus paſſus eſt pro mundi ſalute, nonnihil etiam apud graues auctores litigatur.[a] Tertullianus,[b] Clemens Alexandrinus,[c] Lactantius Firmianus, Chriſtum affixum cruci volunt anno Tiberij 15. qui ipſius Saluatoris ætatis triceſimus erat. Philaſtrius hæreſ. 107. Chriſtum vult in carne vixiſſe annos 31. quæ Gandentij Brixiani ſententia eſt *tract. 3. de primo Dom. Paſchate.* Epiphanius *hæreſ. 51.* aſſerit paſſum Dominum anno 32. ætatis impleto & 33. per

a Lib. cont. Iudæos.
b Lib. 1. Stromat.
c Lib. 4. diuinar. Inſt. c. 10.

tres tantùm menſes inchoato. Porrò immolatum in ara crucis Agnum ipſum generis humani expiatorem, anno eius ætatis 33. qui erat 18. Tiberij Cæſaris, ſcribit Euſebius Cæſarienſis *in Chronico*, cui aſtipulantur alij plerique. Quid quòd annos quadraginta excurriſſe Chriſtum apud mortales dudum etiam aliqui cenſuere? quos refert refellitque S. Auguſt. *lib. 2. de doctrina Chriſtiana c. 28.* Sunt qui affingant S. Irenæo longè magis aberrantem à ſcopo opinionem, nimirum Chriſtum annos vſque quinquaginta, in carne exoluiſſe. Iniuriâ equidem. Nam ſententiam quidem hanc exſcripſit *lib. 2. cap. 59.* at non credidit, cùm ipſe eodem loco diſertè affirmet, Dominum baptizatum cum annorum 30. eſſet; dehíncq. tria tantùm Paſchata enumeret. Præualuit autem veriſſima demum ſententia, quæ non Onuphrium, non Mercatorem, vt cenſuiſſe videtur Bellarminus, ſequitur *lib. 2. de Rom. Pont. c. 5.* primos duces, immò neque * Bedam, vt alij plerique putant: ſed ſanctum Ignatium Martyrem perilluſtrem, qui Chriſtum ipſum in carne vidit, habet auctorem. Scribit enim hic omnium primus expreſsè, Dominum (vt ex diuino codice liquet) tranſacto triennio in prædicatione, fuiſſe crucifixum, trimeſtri (vt accurati ſupputatores declarant) ſuperaddito. At non de anno tantùm quo paſſus eſt Redemptor controuertitur: verùm, & de menſe, & de die, atque etiam de hora, quo conſummato mandato pa-

* De ratione temporum c. 45. 6. mundi ætate.

tris, hoc eſt ſalutis noſtræ opere, in cruce expirauit. Qua de re Clemens Alexand. diſſerit, *lib. 1. Stromatum*, Bedáque ex ſententia Concilij Cæſarienſis, quod exſcribit *in fine lib. de æquinoct. ver.* Horum certè diſſidiorum, ſi Molinæus iudex fieret, funditus omnia ſubrueret. Ex eiuſmodi enim litibus Chronologicis, hiſtorias quaſque, negandas prorſus (ſi ageret vt ſupra) concluderet. At quàm ineptè & ridiculè, abſurdéque, nemo eſt qui prima mentis acie non deprehendat. Non enim in eiuſmodi controuerſiis leuioribus, colluctantur ſcriptores de re ipſa, ſed de tempore duntaxat velitant, quo res contigit. Nam, vt cetera quæuis exempla prætermittam: paſſum omnes Chriſtum pro mundi ſalute; in ara crucis ſuffixum fatentur æquè omnes: immò credunt, pariter ac Deum eſſe. In temporis calculis collocandis diſsident, hoc eſt de circumſtantia rei tantùm. Hinc diſcat igitur, tametſi nimium illuſtri, quàm par eſſet, exemplo Molinæus, à diſſonantia temporis ad falſitatem hiſtoriæ non eſſe concludendum: nec argumentum eſſe validum, quoniam de tempore S. Martialis diſcordant bina diſcreti acie Chronographi, dum alij ſub Claudio, alij ſub Decio claruiſſe volunt: hinc inferre illum nunquam in terris vidiſſe lumen, ideóque impiè, illum beatum in cælis, Romanam Eccleſiam (falſa deluſam opinione) venerari. Conueniunt enim omnes Martialem Eccleſiæ Lemouicenſis parentem

& Aqui-

& Aquitaniæ celebrem in Chriſto pedagogum, fidelem Chriſti ſeruum non extitiſſe modò, ſed innumeras cælo animas per Euangelium peperiſſe, eúmque tam veneranda nitere canitie, vt antiquitate (apud eos qui minus etiam ei tribuunt) ætatis annos iam ferè 1400. exuperet. Nec tantùm Chronologi in id conueniunt, ſecum & cum hiſtoricis: ſed inſigniora id probant longè teſtimonia. Sanè Tertullianus ſcribit *in præſcriptionibus*, argumenta quæ ducuntur ex Eccleſiaſticis diptychis, quibus Epiſcopalium ſedium origines & ſucceſſiones demonſtrantur validiſſima contra hæreticos eſſe: at verò Eccleſia Lemouicenſis quæ inter ſeniores Galliæ eſt perantiqua, ſacris ſuis in tabulis iam ab initio ſuſceptæ fidei S. Martialem, ſignat ſuum protopræſulem, ac vt proprium Apoſtolum & parentem honorat & celebrat. Gallia omnis huic aſtipulatur, quæ ob clara diuinarum virtutum ſigna quæ Lemouicis ad ſepulchrum tam illuſtris cœlitis coruſcabant, iam olim publicam duxit peregrinationem, ex omnibus ſuis prouinciis, qua populi deuotione incenſi Lemouicam ad eius tumulum, confluebant. Nam peritis Gallicanæ hiſtoriæ notiſſimum eſt, quàm à Patrum vetuſta memoria, fuerit concurſus ad S. Martialis limina, famoſus & celebris. Cuius rei inſinuationes proferemus in commentariis ad Martyrologium noſtrum Gallicanum *3. Kalend. Iulij.* Vrbſque regia Lutetia Pariſiorum eiuſdem eſt

exiſtentiæ S. Martialis teſtis, quæ longè ante mille annos, tantam eius memoriam, ob inſignia Euangelicæ prædicationis merita ſacris honoribus coluit, adeóque inter primores tutelares ſuos, eum annumerauit. Nam & in antiquiſſimis ſuis litaniis, illum non vt beatum modò ſibi beneuolum, ſed vt virum ætate & merito planè Apoſtolicum, proximè poſt Apoſtolos & Euangeliſtas inter Chriſti diſcipulos inuocabat Eccleſia Pariſienſis: quæ in diuino officio, vt patet ex *MSS. libris* & *Breuiario* ex iis edito anno 1551. illum Lemouicæ Præantiſtitem, Petri Apoſtolorum coryphæi ſectatorem, ab eóque miſſum in Galliam, prædicabat. Nec modò verbis hunc coluit iam pridem nobilis illa Eccleſia & regia ciuitas, ſed etiam factis. Quæ ſuo in ſinu & meditullio ſitam habet antiquiſſimam S. Martialis Eccleſiam, titulo parœciali inſignem, quam à primis religionis temporibus fundatam, S. Eligius origine Lemouix, memor Apoſtoli ſoli ſui natalis, collapſam vetuſtate inſtaurauit, ante annos mille (vt legitur in indubitatis eius geſtis.) Sic enim ibi ſcriptum eſt. * *Ædificauit S. Eligius, immò renouauit, Baſilicam in honorem S. Martialis Lemouicenſium Pontificis & Confeſſoris, eáque vrbanè ſtabilita, tecta eius plumbo veſtiuit.* Nec hîc ſtetit Eligij ipſius, in S. Martialem pietas, quem ſciebat fuiſſe virginis Valeriæ à Chriſto coronatæ inſtitutorem: trecentarum virginum ſacrarum (quarum is ſub eiuſdem S. Martialis titulo, nobile collegium inſtituit) il-

*Apud Surium tom. 6. die 1. Decembris.

lum delegit tutelarem & patronum, eiúſque in oppignerationem patrocinij, reliquias venerandas ibidem collocauit. Quarum obtentu & ſancti Antiſtitis inuocatione, ortum aliquanto poſt immane incendium, quo ciuitas valdè periclitabatur; idem beatus Eligius, ſuæ fidei conſecutus præmium, feliciter reſtinguens conſopiuit. At id actum non in angulo, non in antro, ſed in centro regni, adeóque in theatro patentiſſimo, nimirum in vrbis regiæ meditulio, in conſpectu Regis, Cleri & populi Pariſienſis: qui etiamnum auitæ fidei documenta tenet, reíque geſtæ clara obſeruat veſtigia ac teſtimonia. Accedunt iis certis exiſtentiæ S. Martialis argumentis, Scriptorum vetuſtorum qui S. Martialem inter Galliæ illuminatores reponunt ac enumerant, ſuffragia. Nempe Gregorij Turonenſis, qui etſi vacillantibus calculis non inter primos Galliæ Apoſtolos collocat, tamen vnum fuiſſe ex ſecundæ claſſis Galliæ Euangeliſtis aſſeuerat, *lib. 1. Hiſtor. Franc. cap. 30.* Et lib. *de gloria Confeſſ. cap. 27.* Petrus venerabilis, qui contra Petrobruſianos ſcribens, eumdem Martialem ſpectabili ordine inter Apoſtolos Galliæ primos (quos appellat *glorioſiſſimos fidei Patres*) conſtituit: nec modò Lemouicæ meminit illum piè prædicaſſe, at Burdigalæ quoque & Pictauis. Ita & Ordericus Vitalis, *in hiſtoria ſua Eccleſiaſtica*, præter recentiores omnes, qui ex antiquis monimentis, id elicitum, probauerunt. Quibus omnibus ſilere iuſſis, ſatis

ſupérque faciunt ad retundendam Molinei putidam *de ſuppoſititio quem dicit Martiale*, calumniam, quinque Conciliorum ante ſexcentos annos habitorum ſolennia decreta: quæ ortâ de dignitate ſancti Martialis, non de exiſtentia diſputatione, dum Apoſtolico honore illum proſequendum, ingentia ob merita, definiuerunt: præhabita accurata diſquiſitione eorum quæ ad illius memoriam & cultum pertinebant, Molinei & ſimilium impiorum, qui Sanctos tollere geſtiunt (quorum negant fidem) ora impudentia obſtruunt. Nec enim honore tantillo dignum pronunciaſſent, de quo tantiſper dubitari poſſe cenſuiſſent: an vnquam in natura rerum extitiſſet. Concilia iſta quinque fuerunt: duo Lemouicenſia, Pictauienſe, Bituricenſe, Francicum, ſeu Bellouacenſe; agente, præſentéque Roberto Francorum Rege doctiſſimo ac religioſiſſimo (cuius Fulbertus percelebris ſanctitate & doctrina Epiſcopus Carnotenſis, didaſcalus erat) anno 1022. celebratum. Ex cuius parte Regis necnon Guillelmi Ducis Aquitaniæ; Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Galliæ litteræ ad ſedem Apoſtolicam cùm fuiſſent directæ, ad actorum impetrandam probationem: reſponſum hoc tulerunt à Ioanne XIX. Pontificatum ineunte, quo quidem B. Martialem non confinxit Sanctum, nec conſtituit (vt mentitur Molineus) Apoſtolum: ſed quod Patres cenſuerant illum honore Apoſtolico venerandum, ſic Apoſtolica auctoritate

confirmauit, vt ad cautelam expreſſerit, *Apoſtolicum nomen largiori ſignificatione ei attribuendum, ratione non numeri* (id eſt principalis honoris) *ſed officij, quo, diuina gratia ad prædicandum qui mittuntur* (vt miſſum conſtabat Martialem) *& ſua pia exhortatione & exemplo, commiſſum ſibi diuinitus populum, à poteſtate diaboli liberarunt, non incongruè Apoſtoli dici poſſunt, quia Apoſtolus miſſus dicitur.* Sic igitur contentio omnis illa quieuit. Quæ duntaxat erat de Apoſtolatus titulo & honore, non de ſanctitate beati Martialis, nam (vt is ipſe fatetur, qui nuper hac de re monimenta ferè, vt ſibi vult, caducitate obliterata reuocauit ad lucem; vt redintegraret litem, tot annis, tam celebri funere, nimis altè ſepultam:) *illi qui de S. Martialis diſceptabant Apoſtolatu, in miſsione eius conueniebant, eúmque ex ſeptuaginta duobus diſcipulis communi conſenſu aſſerebant: at de ſolo Apoſtoli nomine diſputabant.* Hic ſatisfaciat ipſe ſibi. Nec enim Orthodoxos etſi contentioſos impugno. Nam affectu ſemper, ſi non actu, credo (digladientur modò citra fidem) benè ſentientes: præſertim qui fratres mei ſunt, digniorique quàm ego iure, ſacerdotio honorantur & funguntur. Ad Molineum redeo, agminum Iſraëlis (ſi quo ſæuit æſtu ageret) diuiſorem. Falſi enim, *Eccleſiam Dei, columnam ſcilicet veritatis* (Apoſtolus vt inſcribit) inſimulat & ſugillat. Quinimmò etiam impietatis reatu impetit, quòd Sanctos ſuppoſititios, in animarum offendiculum ipſa Romana 1. Timoth. 3. 15.

Eccleſia conſtituat, quinetiam intrudat. Hîc enim illi nos ex ſententia ſancti Auguſtini reſpondere operæprecium eſſe cenſeo, qui ſignatè quidem dictitabat, poſt reſponſa Apoſtolicæ ſedis nefas eſſe Chriſtiano dubitare (*in epiſtola ad Oceanum de origine animæ*) & poſt Concilij definitionem haud licere diſputare *cauſam enim eſſe finitam*. Chriſtus enim ſeſe (qui veritas eſt) inſigni verbo obſtrinxit, ad futurum vtique ſe *vbi tres in nomine ſuo* (quia vt ſanctus ait Petrus, *omnium Dominus eſt*) cõuenirent. Si enim vno id conuentu inter tres concordes pacificóſque homines fore promiſit: quis inficiabitur factum, quinque in ſacris Senatibus, vbi non tres, ſed longè plurimi alternis vicibus Chriſti in nomine (quid enim aliud quàm eius gloriam quærebant) homines ſacri conſedêre? Moderni fidei turbatores, nihil ſacerdotio tribuunt. Eſto, ſed Regi, ſed regno Francorum vniuerſo, qui conuenit in cauſa S. Martialis, immò orbi quoque toti, qui in vniuerſali Epiſcopo, ſedente in lumine Solis gloriæ & apertæ omnium oculis indaginis expetitæ veritatis loquitur, ſaltem id ponderis tribuant, quod teſtibus tribus vel duobus, in cauſa capitis hominis, ſi extarent iudices legitimi, forent, decernente (ſi nolunt, CHRISTO IESV, in Euangelio) ſaltem Cæſare in ciuilium legum codice, conceſſuri. Cuius tam Chriſtianæ quàm honeſtæ commonitionis, etiam noſtros pridem ſepultæ accidentariæ litis renouatores, obſecro in charitatis

S. Auguſt. contra epiſt. 2. Pelagij l. 4. c. vlt. & lib. 5. cont. Iulian. c. 1.

viſceribus, vt eſſe memores non grauentur. At rurſus Molineum, iam fugientem aggredior.

Obiicit vt non tam temerariæ negationis, quàm inuerecundæ calumniæ, labem diſpellat: actis ipſis ſe Martialis, quem ſanctum æquè ac hominem Romana Eccleſia confinxit, prorſus inniti, quæ ſe falſa produnt ſuamet congerie ac ſerie. Hominem quæſo audiamus, non vt rideamus abſit, ſed defleamus eius amentiam: quam equidem (cùm ipſe ex iis vnus ſit, quos dementes qui ſe ſapientes putant, luget Apoſtolus) magis arbitramur deplorandam. Rom. 1.

Primò, arguit falſam eſſe S. Martialis hiſtoriam, ex eo quòd ſancti Petri Martialem conſobrinum facit. Reſpondeo: non magis implicat ſanctum Petrum habuiſſe Martialem cognatum, quàm *Andream fratrem*, Matth. 10. Ioan. 1. propriámque eidem fuiſſe ſocrum & vxorem. Habuit ſancta Dei genitrix *cognatam Elizabeth*, Luc. 1. Quid obſtat igitur, cùm hiſtoria Martialis id proferat, ſine repugnantia cum diuinis litteris, Petrum illum conſanguineum habuiſſe?

Secundò. Ex eo quòd hæc hiſtoria narrat quòd Chriſto Martialis miniſtrauerit, quando ipſe Dominus Euchariſtiam inſtituit. Subindicat enim hoc eſſe falſum ex eo quòd ſcilicet in Euangelio apud *Marc. 14. 17. & Lucam 22. 15.* legitur, Dominum cum Apoſtolis duodecim Paſcha extremum celebraſſe. At nihil inde ſequitur ſimile. dicit enim diſertè S. Lucas, cum Chriſto diſcu-

buiſſe duodecim Apoſtolos. Non negat aliquem ex famulis domus illius, vbi paſcha Chriſto paratum fuit, ipſi Domino miniſtrâſſe. Non exclusit Chriſtus à domo illa ipſum patremfamilias, apud quem Paſcha hoc vltimum peragebat (ſicut ex eius voce iidem Euangeliſtæ diſertè teſtantur) proinde nec famulos eius, qualis ille erat homo baiulans aquæ lagenam, de quo ad indicium dixit Petro & Ioanni Dominus. *Ecce introeuntibus vobis in ciuitatem occurret vobis homo amphoram aquæ, ſequimini eum*, &c. *& dicetis patrifamilias domus: dicit tibi Magiſter: vbi eſt diuerſorium, vbi Paſcha cum diſcipulis meis manducem*, Luc. 22. 12. Negare enim famulos fuiſſe apud patrem familias illum, minimè eſt rationi congruum. Nullos igitur famulos cœnæ Domini interfuiſſe ad miniſterium, aſſerere, haud veriſimile: ex quibus vnum fuiſſe Martialem dicere nihil habet abſurdum. Paterfamilias enim ille erat Chriſto fidelis, proinde & benè in Chriſtum affecta fuiſſe credenda eius familia eſt. Non enim Dominus illum tot aliis prætuliſſet, cùm editurus erat ſuæ charitatis extremum & æternum mnemoſynon, niſi ſibi & impenſiùs addictum, & libentiùs obſequentem illum cognouiſſet. Euthimius ad Matth. 26. arbitratur illum fuiſſe Ioſephum Arimathienſem, aut Nicodemum, aliúmque ex Domini diſcipulis nobilem & locupletem: cuius nihil obſtat alumnum vel famulum Martialem tum fuiſſe. Quam ſententiam doctiſſimus Maldonatus

donatus amplectitur vt magis probabilem.

Tertiò, arguit falſitatis exiſtentiam S. Martialis Molineus, ex eo quod in actis eius vulgatis legatur illum ethnicam infidelitatem è Galliis profligaſſe, quam nonniſi diu poſtea ab iis liquet exterminatam. Reſpondeo ſi ita licet argumentari Molineo, etiam is poſſet Euangelio fidem abrogare. Dicebat enim Chriſtus paulò ante paſſionem ſuis Apoſtolis: *confidite, ego vici mundum*, Ioann. 16. 33. Et tamen adhuc mundus non eſt plenè deuictus. vnde Apoſtolus de ipſo Domino ſcribit, Heb. 10. 13. *Sedet in dextera Dei de cetero expectans donec ponantur inimici eius ſcabellum pedum eius.* ita & de morte, Rom. 7. 6. *Soluti ſumus à lege mortis*, & 1. Corinth. 15. 54. *Abſorpta eſt mors in victoria.* Et ibidem tamen, verſ. 23. *Nouiſſima autem inimica deſtruetur mors.* Ita de diabolo. *Nunc princeps huius mundi eiicietur foras*, Ioan. 12. 31. Et tamen adhuc *circuit quærens quem deuoret*, 1. Pet. 5. 8. Verè tamen mundum & mortem & diabolum deuicit Chriſtus. Sed nondum plenum victoriæ ſitæ triumphum egit, nec perfectum erexit de iis (quoad nos qui adhuc pugnamus ſub ſignis eius) trophæum. Bono ſenſu dici poteſt quod infidelitatis profanos ritus ſanctus Martialis in Gallia exciderit: eò quòd ſcilicet tam felici aggreſſu ipſam idolatriam ſit adorſus, vt vires deinceps illa ſuas amiſerit reſiſtendi, proſtratáque dextrâ tam potenti ea in parte Galliæ (pars enim inſignis pro toto paſſim ſumitur) vbi pri-

mus prædicauit, Chriſti fidem & gloriam ſenſim defecerit.

Quartò obiicit. Gothi in actis Martialis nominantur, quaſi tunc iam in Gallias irrupiſſent. Signum igitur eſt falſitatis. Nam Gothi nulli adhuc erant in Galliis, quando Martialis inibi prædicaſſe ſignatur. Sic ille. Et patet quidem ex Proſperi Chronico & Caſſiodoro, Gothos, anno Chriſti duntaxat 412. ab Italia penitus recedentes ſub Ataulpho Rege Gallias primùm inuaſiſſe. Sed frequens ſatis eſt in ſeriem hiſtoriam voculam vnam pro alia irrepere, exſcribentium vitio. Cùm etiam in Euangelium S. Matth. nonnulli velint cap. 23. verſ. 35. nomen Barachiæ pro Ioiadæ: & cap. 27. verſ. 9. nomen Ieremiæ pro Zachariæ, exſcribarum ſeu amanuenſium oſcitantiâ inuectum. Acta genuina & ſyncera ſancti Martialis, periiſſe ſub incurſionibus Barbarorum, *collectio antiqua miraculorum eius tranſlationis refert.* Ideo fortè non germana, hæc quæ iam circumferuntur facilè aduerſario concedimus. Quid igitur efficit ex hac corruptela? Martialem nunquam in humanis egiſſe? Ridiculè hæc colliget, ſi ita arguerit. Certè Petri & Apoſtolorum ferè omnium acta quæ ſyncerè deſcripta fuerant, ſucceſſu temporis fuere corrupta; immò pro illis alia ſuppoſita: vnde Gelaſius Papa, *in decreto de Apocryphis*, quod incipit *ſancta Romana Eccleſia*, illa vt ſpuria reiecit. Hinc ne ſequitur, Apoſtolos verè Martyrio quo affecti cre-

duntur ab Eccleſia, non fuiſſe coronatos, eáque omnia falſa eſſe quæ de eorumdem prædicatione & paſſione, ipſa Eccleſia ab initio credidit, abhíncque vſque nunc tradidit? Quis non videt quàm abſurda ſit huius ſequela argumenti? Inſtabit fortè Molineus, res tanti momenti non debuiſſe ſine authentico ſcripto credi, neque itidem tradi. Reſpondeo. Si ſine ſcripto nihil credi debet patentiſſimo, ſic neque Euangelium ipſum ſuſcipi debuiſſe antequam ſcriptum fuiſſet: neque ſubinde admitti apud pleraſque gentes, nec obſeruari; quod tamen apud nonnullas ſine ſcripto ſola traditione depoſitum ac conſeruatum & propagatum, per traducem ad poſteros, ita teſtatur ſanctus Irenæus Polycarpi beatiſſimi Apoſtolorum auditoris diſcipulus. *Quid autem ſi neque Apoſtoli ſcripturas reliquiſſent nobis? nónne oportebat ordinem ſequi traditionis, quam tradiderunt iis quibus committebant Eccleſias? Cui ordinationi aſſentiunt, multæ gentes Barbarorum eorum qui in Chriſtum credunt, ſine charactere vel atramento ſcriptam habentes per ſpiritum in cordibus ſuis ſalutem, & veterem traditionem diligenter cuſtodientes*, lib. 3. cap. 4. At verò ſi fides ipſa Chriſtiana traditione ſola conſignatur, & conſeruatur, cur non & ſimplex præconum illius hiſtoria? Non *oportet certè* (aiebat ipſemet B. Irenæus) *quærere apud Eccleſiæ hoſtes veritatem, quam facile eſt apud Eccleſiam ſumere*, ibid. cap. 2. & 3. Definiiſſe autem Eccleſiam non ſolùm de S.

Martialis exiſtentia (ne dicam realitate) at inſuper de Apoſtolico ſecundariæ claſſis gradu, prædicatione Euangelica, Gallicanáque primæua illuſtratione: ſuprà, per antiquam traditionem, apertámque conſtitutionem, immò per quinque in eius cauſa habitorum Conciliorum deciſionem, inſupérque ſedis Apoſtolicæ auctoritatem iuridicam tam euidenter quàm copioſè probauimus. Nihil igitur ſupereſt cum Molineo hîc agendum, quàm chamum & frenum, maxillis eius iniicere, quo renitens licet, coerceatur ab innata ſibi maledicentia.

Quâ re, vti reor, non infeliciter peracta, non loci huius fuerit, fuſiorem cum ceteris contendentibus funem diſputationis texere. Qui orthodoxi ſunt, credúntque nobiſcum, perſonalitatis ſancti Martialis veritatem non ſine graui reatu, in quæſtionem aduocari poſſe. Hic enim cùm quæſtio ſit de initiato ab ipſo celebri Chriſtianæ pietatis ritu: non de eius ætate & gradu, at de eſſentia ipſa actuali quæ fulcit, immò parit omnes perſonæ ipſius actus (quámque ideo fidei Catholicæ negant hoſtes:) neceſſe omnino fuerat illius exiſtentiæ probationem elicere. Primùm enim quod in re quæritur, immò de re ipſa eſt an ſit. Secundò quid ſit. Tertiò qualis ſit. Molineus ne doctrinam & res geſtas B. Martialis admittere cogeretur, perſonam prorſus negauit. Nos igitur perſonæ iura defendimus: ætatis autem eius leuiorem diſputationem, ne lineam pro-

ducamus in circulum, id eſt, libellum in amplum codicem per digreſſiones incongruas, ad aptiorem referimus ſeſſionem. *3. Kalendas Iulij in Martyrologio noſtræ Galliæ* hiſtoriam S. Martialis nitidam expreſſimus; locus ille eiuſdem elucidandæ atque vindicandæ accuratè aptior profectò erit, vbi per minutos apices rem totam (Chriſto auſpice) expendemus: ſimúlque quiſquilias illas excutiemus omnes, quas nouitatis amatores, vtque ſibi videntur antiquitatis vindices ſtrenui, in re tam tenuis momenti (ac ſunt temporis, de cuius periodis litigant, excurſus) congeſſerunt: & minimè neceſſario labore inuexerunt; quos ſanè miror plurimum, poſt definitam quinque Conciliorum auctoritate, iudicióque Apoſtolicæ ſedis controuerſiam: illam ad nouam diſcuſſionem reuocaſſe, prætextu ratiuncularum quæ certè & Patribus cognitæ atq. ab iis nullius ponderis cenſitæ fuerunt. Nec enim veriſimile eſt omnes Archiepiſcopos atque Epiſcopos Galliæ, immò Robertum Regem erudi-tiſſimum, qui examini huius quæſtionis iuridico interfuit: dum toties ſancti Martialis dignitatem & tempora diſcuterent, *Gregorij Turonenſis dicta ignoraſſe, eiúſque hiſtoriam non legiſſe*, quæ propria & ferè vnica de geſtis Francorum erat; quámque Fulbertus Epiſcopus doctiſſimus Carnotenſis, *Regis ipſius feliciſſimus eruditor, ipſorúmque ſuæ ætatis Præſulum generalis Magiſter, ac Galliæ hoc ipſo tempore commune ora- * Vide inter epiſtolas Fulbert. 95. 96. & 97.

culum; à Rege prædicto conſultus ſuper prodigio pluuiæ ſanguinis, qui in Aquitania tribus diebus de cælo fluxerat, exempla ſimilia in hiſtoria Galliæ perquirens, *ſolum Gregorium Turonenſem Epiſcopum teſtem produxit*, quem exiſtimabat *ſufficere*, vt ait, *propter auctoritatem religionis ſuæ*, quem citat lib. 6. Hiſtor. Francor. cap. 14. Sic Gauſlenus * eadem de re inquiſitus ille Archiepiſcopus Bituricenſis, qui præſes in hac cauſa ſedit, hiſtoriarum quàm eſſet peritus, ſua reſponſione ad ipſum Regem præclarè oſtendit. Pudor igitur eſſet tantis Epiſcopis, támque peritis, quàm probatis rerum hiſtoricarum diſquiſitoribus, támque doctis iudicibus ignorantiam ſcriptorum à Gregorio Turonenſi affigere, cuius lib ros ita diligenter euoluebant. Expenderunt igitur non dubito, eius, de Martiale, chronologicam narrationem, ſed erratum aduerterunt, huícque vni præferendam cenſuerunt, conſtanté vniuerſæ Galliæ ac antiquiſſimam traditionem. In Francia enim (ſicut idem nouus diſputator refert) ex litis toties diiudicatæ titulis, atque monimentis, etiam ex aduerſa parte prolatis, receptiſſima illa erat à Patrum omni memoria, ſententia, quæ S. Martialem Chriſti diſcipulum ex ſeptuaginta duobus aſſerebat, & eo nomine, ſecundarij Apoſtolatus honore illum reuerebatur: vt colligitur ex aduerſariorum obiectione, & reſponſione Gauſleni prædicti Archiepiſcopi Bituricenſis deſcripta à nupero collectore pag. 58. item ex facto

* Guarlinus dicitur apud. Fulbertum, epiſt. 95. & 56.

Azenerij Abbatis relato pag. 61. Item ex epiſtola ad Benedictum VII. Papam Iordani Lemouicenſis Epiſcopi, qui in odium Hugonis Abbatis ſancti Martialis, eiuſdem ſancti dignitatem Apoſtolicam (qua Græci, omnes honorant, Chriſti, ex ſeptuaginta duobus, diſcipulos) impugnabat. Hac enim ſignificat ſe contra omnes regni proceres & fideles, ipſúmque Regem hac in cauſa decertare. *Tibi verò ego Iordanus has litteras mitto, de parte iſtorum prædictorum, Regis ſcilicet Roberti, Guillelmi ducis Aquitanorum, Archiepiſcoporum, omnium videlicet Catholicorum, qui mihi contradicunt.* Vbi cùm *omnes Catholicos* ſibi aduerſari, ea in re, fateri non veretur, ſe ſuſpectum Catholicæ violatæ pietatis, atque ea in re fuiſſe ſchiſmaticum, niſi ſe ſubieciſſet auctoritati ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, & expetiiſſet iudicum ſummi Pontificis, ſatis apertè prodebat. Notatu etiam digna eſt illa antiquæ homiliæ MSS. cuius fragmentum citat nouus litigator, inſinuatio. *Hoc autem quare dixi* (inquit auctor illius homiliæ) *niſi quia ſuſurrones contra ſtatuta Patrum agentes perſenſi, qui rectè mentiti in capita ſua, in quantum ipſis eſt, per latibula garriunt, Martialem non eſſe vnum ex iis qui Dominum prædicauerunt Apoſtolis, ſed vnum ex poſtremis Confeſſoribus Epiſcopis, qui longè poſt Apoſtolorum tempora extiterunt.* Qua ex aſſertione palam eſt, illos qui ſententiam illam, quam nuperus collector deploratam ſuſcepit, poſt tot ſæcula, tótque non præiudicia tantùm

at iudicia celebria propugnandam; latenter duntaxat hanc diſſeminaſſe, muſſitandóque & ſuſurrando (quod erubeſcerent hanc altè enunciare, toties damnatam & profligatam) illam clanculum diſperſiſſe, propriámque peccaſſe in conſcientiam, cùm aperto mendacio inhæreſcerent: immò commiſiſſe in religionem, cùm aduerſus Patrum ſtatuta præſumerent agere. Qui reatus ſatis omnino facit illorum condemnationem. Orthodoxa enim hæc eſt ac perantiqua regula. *Prima pietas eſt in fidem non impingere, & à ſtatutis Patrum non deuiare.* Quíque hæc impetunt, peccare declarant eos ſacræ leges in Spiritum ſanctum, *can. violatores. 5. quæſt. 1.* à quo Eccleſia regitur, Conciliáque inſpirantur. Certè Pelagiani, in cauſa fidei, vno tantùm Innocentij Papæ decreto, vnius particularis Concilij (Arauſicani ſcilicet) ſententiâ, damnati ſunt. Quatuordecimani *in ritu Paſchalis diei*, quòd contra ſtatuta Patrum agerent, penè vt fidei temeratores ab Eccleſia ſunt habiti. Quo loco igitur ſeſe illi conſtituunt, qui poſt quinque Concilia, in cauſa ſancti Martialis habita, poſt Apoſtolicæ ſedis (cuius auctoritate ipſa generalia Concilia roborantur) latum ſuper his Synodicis geſtis, ſtatutíſque approbatorium iudicium, & decretum authenticum; litem præſumunt tanta Patrum ſollicitudine diſcuſſam, tanta auctoritate terminatam innouare, támque apertam Maiorum teſtificationem, tam eximiam conſpicuámque

cuámque ea de re Eccleſiæ & Regni; Papæ, Regis, Præſulum, Principum; Cleri, populíque Chriſtianiſſimi Francorum, conſenſionem, floccipendere & reſpuere? Dicunt, *minimè malos illos homines, non ita accuratè ſingula examinaſſe* *. Scilicet Gallicana Eccleſia vniuerſa ſtupidis Epiſcopis & doctoribus plena fuit, cæcutiit in toties iterato examine, ſedes Apoſtolica ipſa non vidit, errauit Pontifex, Réxque Chriſtianiſſimus Robertus, omnis ſcientiæ oblitus, veritatem hiſtoriæ quam iſti ſoli noui cenſores nouerunt, non aduertit, hanc exploſit, anilíque commento & fabulæ ſubſcribendo, vel lubens vel ignarus errauit. Fortè quia titulos qui mouent hos perditæ cauſæ aduocatos, nec Rex ipſe, nec Epiſcopi, nec Clerici toties congregati, non viderunt: videlicet quia vel quærere neglexerunt, vel prorſus non habuerunt. Sed ſi ita eſt, vnde illi ipſi qui ea monimenta nunc proferunt, illa potuerunt accipere? Certè ſi ita agere liceret, nulla eſt hæreſis damnata in Conciliis quæ non reuiuiſceret, ſegregéſque hodierni cauſam ex voto promouerent, qui cùm negare nequeant, ſua paradoxa antiquis in Conciliis damnata eſſe, nihil aliud quo poſſint hoc ex anfractu elabi, reſpondent niſi Concilia illa erraſſe, Patres non vidiſſe lumen, rationes ipſorum non audiiſſe, probationéſque ſuarum opinionum non fuiſſe his in Synodis productas, quas nuper illi ſoli Ariſtarchi poſt tot ſoles inuene-

* Boſquetus qui ideo *probos illos vocat & Sanctos*, ſed IMPERITOS, p. 62.

runt. At de eorum deliriis non vacat, nec opus eſt, profuſiùs agere. Quoad nouum ſpectat collectorem, qui fortè hæc abſurda, ſua ex noua litigatione ſequi non animaduertit, quæque nollet malo (vt reor) exemplo inducere: fuſiùs de dignitate ſancti Martialis *in Martyrologij noſtri commentario, quo ſatis illi fiat, ſuprà ſignato loco,* diſſeremus. Quem interim à lapſu erigere non grauabor, quo ruit in errorem exploratum dum Martialem ipſum, à Dorotheo non annumeratum fuiſſe aſſerit, inter ſeptuaginta duos diſcipulos Domini: quem ſub *Cephæ* nomine recenſuiſſe num. 48. *in noſtra ſynopſi ſeptuaginta duorum ipſorum diſcipulorum*, declarauimus. Cephas enim, Martialis cognomentum erat. Cepham autem fuiſſe vnum Chriſti diſcipulum, diſtinctum à Petro Apoſtolorum ſummo, intérque ſeptuaginta duos ipſius Domini diſcipulos, illuſtrem claruiſſe teſtatur quoque Hippolytus *in Catalogo ſeptuaginta diſcipulorum Chriſti*; Clemens Alexandr. *apud Euſebium lib.1. hiſtor. c.123.* Cuius & S. Hieronymus meminit, *in comment. cap.2. epiſt. ad Galatas.* Eumdem autem, *auctor culturæ vineæ*, in ſeptuaginta duorum diſcipulorum Domini nomenclatura recenſet, aſtruítque illum eſſe Martialem, quem in Gallia Aquitanica fidei parentem celebramus. Hunc talem agnoſcit & propugnat Baronius ad an. 74. vt etiam collector ille nouus fatetur *pag.63.* Vnde mirum prorſus mihi eſt, qua mente inductus ad calcem diſſerta-

tiunculæ ſuæ de S. Martiale, hæc ipſius Cardinalis ſibi aduerſi verba, ſpectabili ſerie appoſuerit. *Quod enim à recentiore auctore de rebus adeò antiquis, ſine alicuius vetuſtioris auctoritate profertur, contemnitur.* Subnotátque continuò, *Cæſar Baronius Cardin. tom. 1. Annal. c. 12.* (rectiùs §. nam in capita nuſquam vidi digeſtos Annales Baronij, ſed in annos & §. ſeu ſectiones.) Incongruum enim admodum eſt velle ſubindicare ſibi ea in re Patronum, quem ipſo in contextu ſuæ diſputationis, ſibimet refragantem, aduerſúmque penitus confeſſus eſt. At gloriatur plus æquo, quòd Bellarminum habeat ſibi fauentem, quem dicit doctrina & dignitate omnibus anteferendum. De dignitate nihil præualere poteſt, cùm Baronium æqualem habeat oppoſitum, qui in doctrina quoque dici æquè non poteſt Bellarmino inferior, præſertim in ſacræ hiſtoriæ ſcientia, in qua ſanè princeps Baronius, ſicut in controuerſiis theologicis generalibus Bellarminus coryphæus ferè paſſim prædicatur. At vtriuſque nouit merita Dominus, qui donis quibus voluit ambos pro ſua gloria, & Eccleſiæ Catholicæ tutela ac vtilitate ſigillatim illuſtrauit, laboréſque immenſos ſuperfluenti menſura remunerauit. Verùm Bellarminus ipſe erronea relatione Gregorij Turonenſis (quam infrà in Dionyſio refellimus) deceptus fuit: cùm fortè iudicium Baronij quem magnifacere ſolebat, *non legiſſet de hac opinione. Hanc autem non expendere ſtuduit, ſed ſo-

*Id indicat lib. de Eccl. ſcrip. in *Beda*.

lùm epiſtolas quæ ſub B. Martialis nomine circumferuntur, maculis aſperſas aduertens pleriſque, ex ipſarum ſerie arguere & euincere ſuppoſititiæ prænotationis, & non ſynceræ narrationis hiſtoricæ conatus eſt. *Multa ſunt*, inquit, *quæ eas epiſtolas ſuppoſititias eſſe indicare videntur.* Subdítque tamen tandem facto rigido earum examine. *Alioqui pias eſſe, & ex iis non pauca dogmata Eccleſiaſtica confirmari poſſe, aduerſus noſtri temporis hæreticos, ſi de tempore quo ſcriptæ ſunt planè conſtaret.* At qui vellet eas tueri epiſtolas, ei facile eſſet Bellarmini argumēta diluere, quæ potiſſimùm Gregorij Turonenſis & Sulpitij dictis erraticis innituntur.* Nam haud magni momenti ſunt, quæ ex ſcriptura contrà elicit, ſpicula, vt de citato libro Geneſeos ex verſione ſancti Hieronymi, quaſi ante ſanctum Hieronymum verſio nulla extitiſſet antiquior, cuius pleriſque locis texturam ſequi S. Hieronymus potuerit. Sanè ſi hac ex norma liceret Patrum ſcripta examinare, multa iam pro genuinis habentur quæ fictitia eſſe viderentur. Quod addit de cœna, in qua Martialis dicitur in iis epiſtolis Domino miniſtraſſe, ſuprà in argutiarum Molinei diſcuſſione clarè ſolutum eſt. Quod de horto, nihil ipſe affert quo poſſit Martialem hinc excludere. Nec enim Lucas & Marcus, dum referunt Chriſtum cum duodecim vltimam cœnam celebraſſe, & cum eiſdem in hortum ingreſſum, particulam excluſiuam, *tantùm*, adhibent: & non mirum quidem, nam ſic opor-

* à quibus ipſe diſceſſit præc. lib. *In Hildnino.*

tuiſſet etiam hortulanum expellere.

Præterea id quod dicit, ſuppoſititias epiſtolas videri, *quòd Regis cuiuſdam in Gallia, nimirum Aquitanica, ibi mentio fiat, cùm conſtet tum & diu poſtea Galliam nullos Reges habuiſſe, quæ Romano imperio ſubiecta erat:* leuis eſt momenti obiectio: quæ ſi valeret, poſſet 1. ſancti Pauli ad Timotheum epiſtola, aleam currere. Ibi enim præcipit Apoſtolus diſcipulo chariſſimo, curet ante omnia *vt fiant orationes pro Regibus*, qui tum nulli erant, ſiue Laodiceæ vbi ſcribebat Paulus, ſiue Epheſi vbi agebat Timotheus: immò in Oriente & Occidente Imperator Romanus potentiſſimè regnabat. Adde quòd ipſum Regis nomen non erat apud Romanos in vſu, à quibus ab aliquot ſæculis abrogatum fuerat. Sed Reges in ſcriptura non infrequenter in plurali ſumuntur, etiam pro inferioribus poteſtatibus, ducibus, magiſtratibus; non ſolùm pro ſummis Principibus & Monarchis: tametſi ſtrictè & propriè regium nomen his competat: præcipuéque de iis hîc accipiatur, quos futuros Chriſtianæ pietatis cultores, Apoſtolus in ſpiritu præuidebat. Sub quibus duces, Iudicéſque, & primarios ſub Regibus magiſtratus vt comprehendat, ſubiunxit fieri orationes inſuper *pro omnibus qui in ſublimitate conſtituti ſunt*, qualis poterat eſſe ille vir præpotens, dictus poſt ſuſceptum diuinum lauachrum Stephanus, qui quòd regeret prouinciam pro Cæſare, eo ex munere, honore quaſi regio

c 3.

præeminebat. Ita in Francica hiſtoria, coæuus Clodoueo Regi nominatur Ægidius quidam Rex, ſedens apud Sueſſiones, qui tamen non Rex, ſed rector pro Romanis erat.

Deinde quod adiicit *manifeſtè falſum videri, quòd in litteris legitur ædificatas fuiſſe Eccleſias in Gallia*, publica, ſeu vt ait, *regia auctoritate* (quæ verba apud Martialem non leguntur:) *pugnántque hæc certè* (inquit) *cum hiſtoriis Gregorij Turonici & Adonis & aliorum.* Optandum quidem fuiſſet, vt indicaſſet teſtimonia ſibi fauentia Gregorij & Adonis; quíque illi ſint alij auctores huius notæ, quibuſcum hæ ſacræ ædificationes pugnant. Nos certè *in Martyrologio noſtro Gallicano*, ex antiquiſſima Eccleſiarum traditione, propriis Sanctorum hiſtoriis, publicis ciuitatum teſtimoniis, Regni authenticis monimentis, claris actarum rerum veſtigiis; à Galliarum primis in Chriſto præceptoribus, diruta etiam per indicia diuinæ virtutis fuiſſe pſeudonuminum delubra, ædificata oratoria & aſceteria, & pleraque alia loca ſacra indigitauimus, horúmque exemplorum aliquot etiam in hocce opuſculo commeminimus, quæ in prædicti noſtri Martyrologij *commentariis*, ſigillatim recenſendo, fulcire & obfirmare, fauente Domino, intendimus. Quamobrem futilis eſt illa quam Bellarminus (pace tanti viri dixerim) elicit obiectio, ex falſitate narratorum in epiſtolis præſignatis: quæ ſi fuit ipſi quidem manifeſta, mihi non tantùm ignota eſt, ſed etiam

nulla, vtpote ex veræ lucis hiſtoriæ Gallicæ defectu, producta. Sanè Ado quem hac in cauſa laudat Bellarminus, diſertiſſimè teſtatur diu ante annum Chriſti 101. Religionem Chriſtianam ea firmitudine Viennæ (cuius fuit Epiſcopus) ſtabilitam fuiſſe, vt iam Eccleſia continuam haberet ibi Epiſcoporum Apoſtolicæ virtutis & ætatis ſucceſſionem. Qui ſanè cùm ſacerdotium Euangelicum obirent, non ſine altari, non ſine ſtatione loci ſacri, & diuina lauachra & tremenda myſteria peragebant. Sic enim ſcribit in Chronico ſignato anno ætate 6. *Sub hoc Imperatore* (Traiano) *glorioſiſſimus ſenex Zacharias Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Martyrio coronatur. Nam primus Creſcens diſcipulus Apoſtolorum Vienna aliquot annos reſedit, quo ad Galatiam reuerſo, tertius Martinus Epiſcopus & diſcipulus Apoſtolorum Viennæ reſedit.* Ita ille. Quid mirum igitur fieri poteſt, operâ Martialis factum Toloſæ, quod Viennæ Creſcentis, Zachariæ, & aliorum quos Apoſtoli inſtituerant, continua iam cura paſtorali, factum, omninò abſurdum ſit inficiari.

Vrget denique Bellarminus ex eo quòd eadem epiſtola 2. cap. 8. (nam ex 1. nihil ferè obiicere potuit) narratur, *Valeriam quandam in ipſa Gallia Martyrio coronatam. Id verò repugnat* (ait) *Sulpitio lib. 2. Hiſtoriæ & Gregor. Turonico lib. 1. cap. 28. Hiſtoriæ Francorum, qui ſcribunt temporibus M.* *Antonij primùm intra Gallias Martyria viſa.* Reſpondeo, quoad dictum Seueri Sulpitij id ex profeſſo

* ſcilicet Aurelij.

infrà *in Dionyſio*, excutiemus. Idque eſſe falſum iam patet ex citato proximè Adonis teſtimonio. Immò illud ſatis Bellarminus ipſe (ſui immemor)reuincit, dum etiam Hilduini ſententiam de Dionyſio Areopagita Pariſiis Martyrium paſſo, ratam habens, quo ad rei narratæ ſubſtantiam : extrema perpeſſum (vt ille aſtruxit) Dionyſium Pariſiis, non inficiatur, ſed in eo duntaxat corrigendum cenſet Hilduinum, quòd non ſub Domitiano (vt ſcripſit) at ſub Traiano vel Hadriano poſt annum Chriſti 100. laureatum Pariſ. Dionyſium exiſtimet. Igitur diu ante M. Antonini principatũ, *Martyria fuerant in Galliis viſa*. Proinde etiam ex iudicio Bellarmini, ſententia Sulpitij erronea prorſus debet cenſeri. Quoad Gregorium, etſi eodem telo perfodiatur quod ex eo eſt obiectum, alio inſuper detruditur iaculo. abſque probro enim obiicientis dixerim, quæ profert ex eo Bellarminus eo loco quem ſignat, nec alio quem legerim, nullatenus reperiri. Immò præſignato *cap. 28. lib. 1.* diſertè ſcribit Gre- multos ſub Antonino (Hadriani ſucceſſore) in *Galliis pro Chriſti nomine per Martyrium gemmis cæleſtib. coronatos, quorũ paſſionum hiſtoriæ* (ſubdit) *apud nos vſque hodie retinentur.* Ex quarum monimentis, è ſinu Eccleſiarum principantium ſuſceptis, illas in faſtis noſtris Galliæ Eccleſiaſticis nuper eorum trophæa præclara, quæ munire nobis ſupereſt tam promptis quàm paratis præſidiis, deſcripſimus. Quoad B. Valeriam pertinet, non

eſſe

eſſe ſanctam vmbratilem, inde patet; quòd illam virginitate Chriſto deditam, martyrio coronatam, nunc vſque coluerit magna veneratione Eccleſia Lemouicenſis: immò & Pariſienſis in perantiqua quam ſuprà commemorauimus parœcia S. Martialis, Regali palatio ſatis vicina. Quin & acta eius ſyncera leguntur in maiori Baſilica, inferioribúſque vrbicis Eccleſiis, & vniuerſa diœceſi quotannis in eius Natali 4. Nonas Decembris, ídque non ex nouo ritu ſed perantiquo more, qui perſpicuus eſt *in priſcis Codd. diuinorum officiorum, ſacríſque diptychis* ipſiuſmet Pariſienſis perinſignis Eccleſiæ.

His ita nebulis diſcuſſis, piaculũ mihi fore ingens arbitrarer, ipſius Bellarmini præclarum de iiſdem epiſtolis alibi editum iudicium prætermittere. Facit enim hoc mirificè ad illarum auctoritatem, quam hîc impugnauit tam acriter, commendandam. Extat id *lib. eius* 1. *de Chriſto cap.* 10. vbi cùm ex Patrum teſtimoniis probat diuinitatem ipſiuſmet incarnati filij Dei, ſtatim poſt ſanctum Dionyſium Areopagitam (talem enim hunc agnoſcit & inſcribit, eumdémque *tract. de ſcript. Eccleſ. in Hilduino* admittit Pariſienſem) atque immediatè ante ſanctum Ignatium, S. Martialem teſtem inducit, *cap.* 20. *epiſtolæ ad Burdegalenſes*, ſic orthodoxè docentem. *Nihil*, inquit, *diſcretum in diuinitate Trinitatis ſentiatis.* & infrà: *Et hæc, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus in perſonis tria diuiſa, in diuinitate vnus Deus indiuiſus eſt.*

Túmque ſubiungit *ſuſpicari ſe quidem multis de cauſis, hanc epiſtolam non eſſe illius Martialis, qui dicitur fuiſſe diſcipulus Chriſti. Tamen cuiuſcumque ſit* (ait) *nihil habet pro aduerſariis, ſed omnia pro nobis.* Quàm igitur *piam* in cenſura ſua agnouerat, hic *Catholicam* omnino fatetur. Porrò cùm ſub S. Martialis nomine, quem antefert S. Ignatio, eam proferat: alicuius Martialis fuiſſe concedit: qui auctoritatem habeat, aliàs fruſtra teſtimonium ex ea aduerſus hæreticos produceret, in tanti ponderis cauſa (qua nulla maior) vt quæ eſt de Chriſti diuinitatis, & vnitatis indiuiſæ Trinitatis, aſſertione. Cautè autem loquitur, etenim non dixit ſe non credere, at *ſuſpicari* tantùm, *eam haud eſſe illius Martialis, qui dicitur fuiſſe Chriſti diſcipulus*: vt innueret ſe non eſſe planè de contrario perſuaſum, ſéque non negare vt quem priſca traditio aſſerit, Martialem extitiſſe aliquem Chriſti diſcipulum (illum vtique quem talem habendum, quinque Concilia, & Apoſtolica ipſa ſedes definierunt, quémque miſſum à ſancto Petro in Galliam lex ipſa Eccleſiæ canonica ex conſtitutione Innocentij Papæ, relata *in titulo* * *de ſacr. vnct. lib. 1. tit. 15. cap. vnico in fine*, declarat & teſtatur) ſed videtur ſubindicare, alium eiuſdem nominis Sanctum, epiſtolarum illarum auctorem fuiſſe, ſe opinari. Quæ ſanè opinatio non ita eſt improbabilis, ſed minùs abſurda quàm perſuaſio illa noui collectoris, qui *in add. ad calcem 2. ſuæ part.*

*Vbi gloſ. *Propter hiſtoriam*: ita ſupplet. *Martialis vnus de diſcipulis Petri, quem poſuit Dominus inter diſcipulos, cùm dixit. Niſi efficiamini ſicut paruulus iſte, non intrabitis in regnum cælorum*, &c. *quem poſtea Petrus*, &c. *miſit in Germaniã*, &c. immò & Galliam.

vt teſtimonium apertum ſancti Epiphanij infringeret, quod dicit non eſſe *verum*; eo quod ipſi valde noceat; duos fuiſſe ſupponit Creſcentes, vt antea duos ſuppoſuit Trophimos, duos Paulos, Pauli Apoſtoli diſcipulos, &c. quæ accommodata geminatio, ſi in Martiale admittitur ex ſententia Bellarmini, omnia manebunt fixa & conſona. Nam & ſic Martialem haberemus Chriſti diſcipulum, à Petro miſſum, Lemouicenſem Apoſtolum: & Martialem alium iuniorem epiſtolarum de queis agitur auctorem. Sícque ceſſarent omnia quæ congerit aduerſus eas Bellarminus ex nota temporis argumenta. Gregoriíque Turon. minus abſurda eſſet relatio, ſalua maneret ſedis Apoſtolicæ dignitas & poteſtas, Conciliorúmque in cauſa Apoſtolatus S. Martialis habitorum auctoritas, Canonicæ conſtitutionis ſeries, epiſtolarum illarum quas pias & orthodoxas fatetur Bellarminus integritas, eáque quæ ex iis elici poteſt Eccleſiæ vtilitas; ipſiúſque noui collectoris diſſertatio, magis hinc pacifica euaderet. Sed quia duplicatio illa Martialis mihi videtur incerta, ſecuriùs ac ſynceriùs dici poſſe arbitror, vnum duntaxat fuiſſe Martialem, eumdémque Chriſti diſcipulum, ſancti Petri miſſum, Lemouicenſis Eccleſiæ parentem, harúmq. epiſtolarum auctorem: quas aliqua parte mutatas & deprauatas etiam (quamuis argumenta Bellarmini deducta minimè ad id concedendum nos cogant) melius foret agnoſcere. Sicut enim

ſcribit ipſe Bellarminus de recognitionibus S. Clementis (quas ipſius tempore ab hæreticis corruptas fuiſſe, ex eiuſmet teſtimonio ſanctus Epiphanius recitat *hæreſ. 30.*) facile fuit corruptoribus, addere vel minuere vel mutare. Quemadmodum igitur doctiſſimus Genebrardus *in Apologia pro Origene*, obſeruat ex operum eius contextu, ſententias erroneas, quæ in iis occurrunt eſſe ſpurias, atque doctrinæ ipſius Origenis contrarias*. Ideóque à fidei hoſtibus, vel gloriæ ipſius Origenis inimicis additas, & ſyncerè ab eo dictis & ſcriptis intermixtas, ex eo probat; quòd pleriſque in locis ſublatis eiuſmodi ſutelis, quæ errores inducunt, textus maneat & purus & continuus ac illæſus. Ita profectò de epiſtolis ſancti Martialis licet exiſtimare, ex quibus ſi pauca dempſeris, iis ſanè aliena manu ſuperaddita & intermixta genuino auctoris contextui, omnia conſona, integra, pura, pulchra & religioſa apparent, & permanent: vtque ſpiritum Apoſtolicum ſpirant, ſic & phraſim & ſtylum redolent primorum illorum Chriſti & Apoſtolorum eius diſcipulorum: dignæque ſunt prorſus præconio pietatis, quam iiſdem inſitam Bellarminus agnoſcit, immò & auctoritatis qua eas non deſtitutas cenſebat, dum in cauſa diuinitatis Verbi aduerſus nouos Arianos (qua nulla grauior eſſe poteſt) ad eos refellendos, & tuendam Eccleſiæ Catholicæ doctrinam produxit: quáque, vt ait, *ſi modo de nota temporis planè con-*

*Ita & Poſſeuinus cēſet in Apparatu.

ſtaret, quo ſcriptæ ſunt: (vt iam conſtat arbitror ſatis, per illarum auctoris perſpicuas vindicias quas hîc præſtitimus) *non pauca dogmata Eccleſiaſtica confirmari poſſent aduerſus noſtri temporis hæreticos.* Hæc ille tandem, in cuius adeo præclaris ac candidis verbis, B. Martialis perſonalis exiſtentiæ, eiuſdémque ætatis ac dignitatis atque doctrinæ, initam à me propugnationem, neceſſario memoriæ eiuſdem occurſu, (donec ad extremos iuris apices in commentariis noſtris expendatur, & terminetur) ſiſtere, congruentiſſimum eſſe cenſeo.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA

Sæculo 1. defluente, ac 2. ineunte.

GALLIÆ APOSTOLVS, LVTETIÆ PARISIORVM PRIMVS EPISCOPVS,

necnon

Primus diuinorum officiorum, ac myſticorum rituum in Gallia

DICTATOR ET INTERPRES.

. . . Athenæi ſapiens auriga Senatus
Hic de Principibus regnóque nouemplice diuûm,
Plurima conſcripſit, diuináque nomina fecit
Cognita ſub PAVLO, *qui tunc habitabat Athenis,* &c.

Baptiſta Mant. Faſtorum l. 10.

. . . .

Per freta deuenit Romam, poſt funera Petri
Poſt obitum Pauli, qua tempeſtate tenebat
Nauiculam Petri CLEMENS *Romanus, & ipſo*
Perſuadente viam, ſecuit DIONYSIVS *vltrà*

Attulit ad Celtas CHRISTVM, *tentoria figens*
PARRHISIOS *biſido quà Sequana circuit amne,*
Aëreas Alpes, Rhodanum tranſiuit, & omnes
Ut memini ceciniſſe olim maioribus orſis:
Cum ſociis pœna capitali affectus, in vlnas
Ipſe ſuum caput aſſumpſit, truncúſque propinquum
Attulit in collem, quo nunc ſublimia Regum
Buſta loco reſident, magni ſub culmine templi.

ELEGANTIORI ſanè penicillo, quàm calamo nobilis illius encomiaſtæ, arbitror magni noſtri Dionyſij decora & trophæa, hîc delineari, exprimíque non potuiſſe. Tam breui ſiquidem, quàm graui hoc præconio, eiuſdem cecinit Mantuanus curſum & triumphum; quin & omnem vitæ eius ſeriem, mortíſque agonem, & victoriæ quam retulit Athleta ille Chriſti illuſtriſſimus lauream, ex pietatis certamine, ortúmque inde nominis eius immortalis eximium ſplendorem, genuiſſimè depinxit: quódque ſtupendum iure videatur quindecim tantùm verſibus, at elegantiſſimis, ingentem eius hiſtoriam totam complexus eſt. Quam fusè pridem conſcriptam, atque ab HILDVINO Abbate ſancti Dionyſij iuſſione regia ſtudiosè ex antiquis collectam monimentis, & ſtrenuè inſuper ab ipſo vindicatam, deinde verò variè impugnatam à nonnullis, at numquam acriùs quàm hac noſtra ætate impetitam, hîc, AVSPICE CHRISTO (cuius ſalutiferum nomen

Gallis dudum feliciter intulit, & apud Pariſios tã ore quàm opere, demum effuſo etiam cruore ſuo pretioſo, beatus ipſe Dionyſius magnificè illuſtrauit) operæprecium ſtatuimus contra nouorum cenſorum argutias defendere, à quorum certè obiectionibus ſi hanc præſtiterimus immunem; ſimul eandem & veram & ſynceram validè aſſeremus. Hoc ſiquidem loco conſtringimur, eam ingredi palæſtram; vt aduerſantium ſtudiis noſtris oppoſitionem anteuertamus; qui, niſi iiſdem occurreremus hac neceſſaria anticipatione; DIONYSIVM AREOPAGITAM, nos ſine iure cooptâſſe inter Myſticos Galliæ ſcriptores, numquam, vt aiunt, Galliam ingreſſum, ſed Athenis vbi primus ſedit Epiſcopus, agone extremo coronatum, acriter omninò conquererentur.

APOLOGIA

PRO

HILDVINO ABBATE SANDIONYSIANO,
Areopagiticarum vindiciarum,
ex iuſſu

LVDOVICI PII IMPERATORIS
Regiſque Chriſtianiſſimi

CONDITORE.

Quâ, cùm ipſe Hilduinus, contra ſuorum aduerſariorum criminationes defenditur: tum ea quam poſt veterum traditionem aſſeruit, de S. DIONYSIO primo Epiſcopo PARISIENSI, eodémque AREOPAGITA, ſententia percelebris, vera ac ſyncera prorſus, demonſtratur.

PRÆFATIVNCVLA.

MAGNI *tres viri coætanei, Hilduinus nimirum Abbas ſancti Dionyſij, Hincmarus ex Monacho eiuſdem cœnobij (ſub ipſius* Hilduini *diſciplina) demum Remenſis Archiepiſcopus, & Anaſtaſius Bibliothecarius Apoſtolicæ ſedis: traditionis huius quæ* Dionyſium *Protopræſu-*

lem Pariſienſem & Martyrem, vnum eumdémque cum Areopagita *Pauli Apoſtoli diſcipulo, aſſerit, ante annos fermè* 800. *clariſsimi fuerunt in* Occidente *vindices. Quibus qui obſtiterint aperta fronte pedéque fixo antagoniſtæ, profectò vel nulli eodem ſæculo prodierunt, vel ſi fuerunt aliqui, obſcurâ ſanè famâ, vel impari longè celebritatis titulo extitêre. Et verò conqueritur Hilduinus, de quorumdam ſciolorum peruicacia, qui Areopagiticis ſuis vindiciis tam perſpicuis quàm ſolidis, malignè refragabantur, clandeſtinis potiùs ſuſurris obloquendo, quàm aptis apertíſque reſponſionibus obnitendo. magis enim oblatrabant ſibi à tergo, quàm à fronte certabant; dum ipſe via interim regia incederet, támque Eccleſiaſtica quàm Imperiali auctoritate munitus, innixúſque omnimodis antiquitatis venerandæ teſtimoniis, ac perſpicuis veritatis argumentis, gloriam integram beato Dionyſio vendicaret, titulúmque legitimum* Areopagitæ (*quo tenebriones illi eum ſpoliare nitebantur*) *ipſi tam fortiter quàm feliciter aſtrueret. Quia verò omnes ferè neoterici cenſores, Hilduinum, qui primus quidem non dixit, ſed, (vt aiunt) aſſeruit; hoc eſt oſtendit & aſtruxit ex maiorum probatiſsima ſententia:* Pariſienſem *primum Myſtam ſacrum Dionyſium verè fuiſſe Areopagitam illum, qui in Apoſtolorum Actis, pretioſa* Pauli *Gentium ſubiugatoris præda celebratur; coniunctis omnium virium arietibus impetunt, quem etiam piaculo impoſturæ admodum inſignis onerant, & aſpergunt labe grauiſsimæ iniuriæ : ideo non tam ipſius* Hilduini *intuitu (qui tamen iure ſuo, omni defenſione dignus eſt)*

quam Dionyſij beatiſsimi noſtri Apoſtoli amore ac reuerentia, Areopagitica iterum inſignia ipſimet beato Dionyſio adſcribemus; Hilduinique eiuſdem gloriæ aſſertoris cauſam ſuſcipiemus, qua nititur veritate, æquitate & pietate aſſeuerandam atque fulciendam. Et obiter quidem quia præproperè. Cùm enim de ſancto Dionyſio iam triplex extet controuerſia. Prima, de perſona eius, an ſcilicet, ipſe ſit qui primùm Athenis, Paulo initiatore, præfuerit religionis Antiſtes: deinde Lutetiæ Pariſiorum paſtorale munus exorſus, vitam Martyrio ibidem conſummârit. Secunda, de ſcriptis: num quæ eius feruntur nomine, eiuſdem ſint auctoris quo præſignantur. Tertia, de corpore eius, vtrùm ſcilicèt vbi primùm conditum fuit, in celeberrimo Franciæ tituli eiuſdem cœnobio, adhuc illibatum perſeueret: an inde ſublatum furtiua tranſlatione in Germaniam, Reginoburgi, ſeu Ratiſponæ, ad ſancti Eueramni monaſterium ante annos ferè 700. reconditum abhinc obſeruetur. Tres illæ quæſtiones congruentiſsimè in commentario noſtro Mart. Gall. tom. 4. ad diem 9. Octobris, qui Natali ipſius hieromartyris noſtri celebris eſt, diſcutiendæ fuerant. Et ſi qua hoc actitanda loco; certè quæ ad ſcripta eius pertinet, cùm hîc de Galliæ Myſticis Scriptoribus, ex inſtituto pertractetur. Verùm importuna illorum inſtantia, qui Romanæ Eccleſiæ, hoc eſt Apoſtolicæ ſedis, traditionem exploratam impugnant (quam in Martyrologij noſtri contextu omninò complexi ſumus) cogimur legitimum ordinem rerum præuertere, immò inuertere. Adeout quæſtionem ſecundam & tertiam, quæ ſunt de ſcriptis & corpore ſancti Dionyſij ad commentarios noſtros die

deſignata referamus. Hic verò etſi prematurè, certè neceſſariò, excutiamus tam ardenter propoſitam ſæpiúſque expetitam, quæſtionis de eius perſona & dignitate deciſionem.

CAPVT PRIMVM.

Areopagiticas vindicias, ab Hilduino fuiſſe tam piè quàm neceſſariè initas.

OMNIS *anima* (ait Apoſtolus, Magiſter Dionyſij noſtri) *poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. non tantùm propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Ideóque quando ſublimis poteſtas iubet, neceſſe ſit ſubditis quibuſque, eidem parere. Quo ſenſu ſanctus Auguſtinus, Papæ mandatum, iniunctam ſibi collegíſque neceſſitatem appellabat ep.157. ad Optatum. *Me* (ait) *apud Cæſaream præſente venerunt, quò nos, iniuncta nobis à venerabili Papa Zozimo Apoſtolicæ ſedis Epiſcopo Eccleſiaſtica neceſſitas traxerat.* Iuſſerat enim Zozimus Pontifex Romanus, vt Africæ Epiſcopi apud Cæſaream Concilium celebrarent: cuius mandato neceſſariò perendum, S. Auguſtinus, cum ceteris exiſtimauit. Non autem ex ſuprà inducto præcepto Apoſtoli, ſummæ tantùm poteſtati Eccleſiaſticæ iubenti neceſſariò obeditur: ſed ſummæ quoque temporali, quæ regia vel imperialis eſt. Hanc enim vt interpretantur Patres, Apoſtolus hîc ſignatè intelligit, quam *ſupereminen-*

Rom.13.1.

S. Bern. ad Loth. Imp.

1. Pet.2.13.

tem in autographo nominat; ſicut princeps Apoſtolorũ Petrus, Regem appellat *præcellentem:* huícque, quia à Deo inſtitutæ in apice rerum humanarum, timorem docet ab omnibus deferendum; hoc eſt reuerentiam, ſubiectionem, & inde conſequentem obedientiam. Quæ ratio fuit vt mandata & reſcripta Imperatorum, ab Eccleſiæ etiam ſanctiſſimis Præſulibus, ſumma obſeruantia ac obſequio ſuſciperentur in ſacris Eccleſiæ comitiis, omníque reuerentia legerentur poſt Apoſtolicas litteras; nec enim pragmaticum imperiale ad Patres, ſimpliciter pro epiſtola accipiebatur, ſed honoris causâ SACRA IVSSIO, SACRAQVE etiam abſolutè vocitari ſolebat*. ſacroſancta enim à qua manabat cenſebatur, propter diuinam inſtitutionem atque ſimilitudinem, ſacræque vnctionis decus & officium, ſublimis illa ac ſuprema inter homines poteſtas; cui parere religioſum, obniti, vel non obſequi, quaſi impium iudicabant diuinæ religionis Antiſtites.

*Quemadmodũ Imperatoris litteræ *ſacra* paſſim ab Epiſcopis dicebãtur: ita Regis Chriſtianiſſimi (qui Galliarum Auguſtus eſt) etiam iuſſio vel quæuis epiſtola aut reſcriptio; Sacra itidem, ob ſacram regiæ Maieſtatis è qua emanabat dignitatem, dudum appellabatur: vt legere eſt apud Fulbertum Epiſc anti-

Porro in cauſa vindiciarum ſancti Dionyſij Areopagitæ non ſpontanea ſolùm proceſſit illarum ſcriptoris intentio, ſed iuſſio ſacra præceſſit: nempe præceptum *Ludouici Pij* Francorum Chriſtianiſſimi Regis ac Imperatoris Auguſti. qui auctoritatis ſuæ, vt ipſe ait, iuſſione, præfatum Hilduinum compulit ac obſtrinxit, plenam hanc vt aggrederetur rerum S. Dionyſij collectionem: eiúſque abſolutam hiſtoriam præhabita

diſquiſitione accuratiſſima deſcriberet, ſuffultámque fixatum probationum argumentis, ad ſe omninò purgatam, atque ad ſummos iuris apices vindicatam, demum tranſmitteret. *Secundum quod rerum* (ait) *cauſarum etiam & temporum noueris: in corpus vnum redigas, atque vniformem textum exinde componas*, &c. *ſed & differenter ac cum integritate ſui, quæque eo reperta ſunt*, &c. *colligas diſtincta & correctè tranſcripta. quantocyúſque dirigas, aut præſentes*, &c. Neceſſe habuit igitur iuſſioni huic principali parere, cùm (vt docet ſanctus Auguſtinus ſerm. 6. de verbis Domini) *maior ſit auctoritas regis quàm patris;* Principíſq; mandatum, quando pium & iuſtum eſt, vt aſſerit ex ſcripturis ſanctus Bernardus *tract. de præcepto & diſpenſatione*, ſine culpa non poſſit negligi, nec ſine crimine contemni. *Siue Deus, ſiue homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profectò eſt cura, pari reuerentia deferendum, vbi tamen Deo contraria, non præcipit homo.* Quæ ſanè clauſula exceptiua, mandatum præſignatum Ludouici Pij Auguſti non excludit, quod iuſtum æquè ac pium proprio ſeſe contextus probat tenore. Tribus etenim ex cauſis ſibi conſcribi Areopagitica, vindicatáque vulgari; ipſemet optimus Imperator optauit & mandauit, quæquidem ſingulæ innixæ ſunt tam pietate quàm inſigni iuſtitia.

quum & percelebrẽ Carnotenſem, epiſt. 15. ad Robertum Regem Francorum. *Sacram* (ait) *Maieſtatis veſtra nuperrimè ſuſcepi, monentem me*, &c. & epiſt. 95. ad eumdem. *Sacrâ veſtra monitus ſum*, &c.

PRIMA erat, publicorum beneficiorum tam ſpiritualium quàm temporalium in Gallia receptorum, operâ & patrocinio ipſius beatiſſimi

Galliæ Apoſtoli, pia ac grata recordatio. *Cunctæ enim hæc* (inquit Ludouicus Imperator) *per tranſacta tempora Gallicæ generationes ſenſerunt, quæ eius inſigni Apoſtolatu fidei rudimenta ſumpſerunt, & ſalutis ſubſidia perceperunt.* Hinc indita priſcis Regibus Chriſtianiſſimis, supernè præſtitarum per ſui apud Deum eiuſdem patroni preces opitulationum, religioſa commemoratio: auitæ & paternæ exaltationis recordatio: ſed & à Ludouico iure debita ob opem liberationis, recèns auſpiciis eiuſdem Martyris diuinitus impetratæ, gratitudo. *Quia proauus noſter Karolus Princeps Francorum inclytus per orationes ipſius excellentiſſimi Martyris, indeptum* * *ſe fuiſſe gratulatus eſt, apicem principatus,* &c. *Sanctæ recordationis auus noſter Pipinus,* &c. *à B. & Angelico viro Stephano ſummo Pontifice* * *propter altare ſæpefati domni Dionyſij, vnà cum duobus filiis, Karlomanno videlicet, & diuæ memoriæ Domino ac genitore noſtro, iure prænominato magno,* &c. *in Regem Francorum vnctus,* &c. *Quique* (*Pipinus Rex*) *ante limina baſilicæ Sanctorum Martyrum defuncto huius vitæ curriculo, ſe ſepeliri præcepit,* &c. *Sed & nos multis ac frequentibus largitionibus, beneficia eius ſumus experti: præcipuè tamen in humanæ varietatis euentu, quo Dei (vt ſemper fatendum eſt) iuſto iudicio, in virga eruditionis viſitati & baculo ſpecioſæ miſericordiæ eius, ante præſcriptum altare, per merita & ſolatium domni ac piiſſimi Patris noſtri Dionyſij, virtute diuina reerecti & reſtituti ſumus, cingulúmque militare iudicio atque auctoritate Epiſcopali reſum-*

* *adeptus.*

* *prope.*

ſumpſimus, & vſque ad præſens gratioſo adiutorio ſuſtentamur.

Secvnda cauſa inſtitutæ Areopagiticæ defenſionis fuit: incenſa pio in hoc Principe erga proximum charitas. Scilicet vt ignari, de rebus ſancti Dionyſij geſtis benè inſtruerentur; vt eius Areopagitici honoris impugnatores reuincerentur; curioſiſque ſacræ antiquitatis lectoribus ad cumulum ſatisfieret. *Quatenus* (inquit) *deuotis compendioſiùs valeant innoteſci, & faſtidioſis minúſve capacibus, vel ſtudioſis, lectionis poßit tædium ſubleuari, paritérque omnibus ædificationis vtilitas prouideri.*

Tertia cauſa erat, ad eliciendum hinc fomentum ſpecialis ſuæ erga beatum ipſum Dionyſium deuotionis, *Quoniam maximum* (ſubnectit) *valdeque dulcißimum pignus deſiderabilis præſentiæ illius Domini & ſolatiatoris noſtri, vbicumque ſimus habere nos credimus, ſi cum eo, vel de eo, aut ab eo; dictis, oratione, collatione, lectione colloquimur.*

Non igitur ſe ingeſſit Hilduinus vlla præſumptione, vt Areopagitica colligeret atque conſcriberet: ſed iubenti Imperatori tam iuſtis piiſque motiuis inſtigato, morem geſſit, vt eius tam deuotis deſideriis famularetur, quàm ſeſe eiuſdem flagitationibus continuis eximeret. *Faciat Dominus* (inquit in reſcriptione ad ipſum Auguſtum) *vt & nos idonei cooperatores inueniamur, ad bonæ voluntatis veſtræ perfectionem, qui tan-*

tò ſine aliqua hæſitatione veſtris iuſſionibus obedimus, quantò illa rogatis ſeduli exactores, quæ exhibemus voluntarij executores. Nec modò id præſtitit piæ operæ Hilduinus, vt Imperialibus præceptis obediret, optatíſque priuatis pij eiuſdem Imperatoris obſequeretur: ſed etiam vt publicis ſubueniret & deſideriis & commodis, ſicut præfatur in epiſtola ſua hac de re inſcripta, *ad cunctos ſanctæ Catholicæ matris Eccleſiæ filios & fideles*, in ipſo limine, vbi ait *ſe admouiſſe manum* eiuſmodi ſcriptioni, *quoniam & pij Auguſti ſimúlque ad hoc plurimorum deſideria cognouerat anhelare.* Fuit igitur ab Hilduino inſtruenda plena hæc concinnatio Actorum ſancti Dionyſij, tam piè quàm neceſſariè ſuſcepta; non autem inita ex ſenſu eius abundanti & ſpontanea molitione, aut ambitu aliquo ciuilis fauoris, vel laudis captandæ affectu; ſed mero obedientiæ, charitatis & pietatis ſtudio atque officio.

CAPVT SECVNDVM.

Nec deceptum fuiſſe Hilduinum in Areopagiticarum vindiciarum collectione, neque deceptorem, in earumdem editione, conuici poſſe.

DECIPERE vel decipi, nihil intereſt in iis quæ ſpectant ad ſalutem, *gloſ. eadémque in can. quamuis, diſtinct. 38.* At intereſt multùm deceptio actiua à paſſiua in rebus ceteris. Decipi

enim in contractibus non eſt peccatum, *gloſ. non multùm, in can. ſi cupis 16. quæſt. 1.* At decipere in iis ſcelus eſt, *gloſ. ſuſtinere, in cap. ſanè, de renunciat.* Porrò ſicut in dictis, ita in factis. Fallitur non qui falſa legit, ſed qui credit: at fallit & falſarius eſt, qui falſa ſcribit, & ſub veri ſpecie contraria lubens obtrudit. Vtramque labem inurunt Hilduino in re Areopagitica, nuperi cenſores: qui punctum acu tetigiſſe putant, cùm originem eorum quæ ſcripſit de ſancto Dionyſio in collectione ſua, inquirendo, ab vtroque principio deceptionis actiuæ & paſſiuæ dicunt eadem, quæ veris aduerſa volunt, prodiiſſe. Vtramque viciſſim hîc excutiemus accuſationem, calumnioſámque facilè oſtendemus.

1. Exiit non ita diu in lucem *Franciſci Boſqueti Prætoris Narbonenſis* tractatulus, quem *Eccleſiæ Gallicanæ hiſtoriarum tomum 1. inſcripſit.* Quo in opuſculo totus eſt, vt Gallicanæ Eccleſiæ hiſtorias ferè omnes, quamuis vetuſtiſſimas ac receptiſſimas, non tam referat quàm refellat, atque oſtendat confictas & fabuloſas, quin & ridiculas eſſe. Hic igitur traditionem de ſancto Dionyſio Areopagita Pariſiorum Protomyſta, & Apoſtolo Galliæ, præ ceteris exagitat, paſsímque impetit, ac nititur quibúſque modis conuellere. Idcirco parte 2. p. 58. ita de Hilduini opere Areopagitico iudicat. *Hilduinus Abbas ſancti Dionyſij, circa annum Christi 830. arte Græcorum fauorem eius ambientium delusus, primus omnium Dionyſium Pa-*

riſienſem, Areopagitam Pauli diſcipulum eſſe aſſeruit. Hæc ille, qui prætoriali more ſententiam breui quidem enunciatione contra Hilduinum tulit: at à qua cuique prouocare licet. Hîc itaque prudenti lectore iudice diſquirendum, iure ne lata ſit ab hoc Prætore, vel iniuriâ. Et poſſem quidem primùm nullam hanc eſſe ſententiam, ex ipſo defectu iuriſdictionis, conuincere. Iudex enim ſi excedit terminos ſuæ iuriſdictionis, non valet ſententia, *can. ei qui, §. Item cùm certa 2. quæſt. 6.* non extenditur enim ipſius cognitio & poteſtas extra territorium eius iuriſdictionis. *& gloſ. 2. in cap. à nobis 21. de ſent. excomm.* At verò quid pertinet ad Prætorem Narbonenſem, iudicare de Pariſiorum negotiis? déque ſacris rebus cognoſcere, cùm ciuilis tantùm ſit iudex? Et quid Boſqueto iuris in Hilduinum Abbatem S. Dionyſij, Regibus dum hic viueret charum & venerabilem, póſtque funera piiſſima adhuc celebritate doctrinæ & religionis, viuentem in bona & inſigni memoria. Dicet fortè Boſquetus ex ſacri iuris diſpoſitione, ſicut honor fit mortuis, ex ſignis quæ ipſis viuis apparuerunt: ita mortuis quandoque pœnam dedecoris imponi, ex ſequela præcedentis delicti, *gloſ. fin. in Extra. Deteſtandæ, de ſepulturis inter communes.* At verò Hilduinus (quem alio loco tragicè prorſus habet) ſuis commentis poſteritati impoſuit, deceptuoſè etenim primus hanc traditionem, quæ induxit poſteros in errorem, inuexit; quâ contra ve-

ritatem rei, Areopagita Dionyſius, Pariſienſis quoque creditus eſt. Tranſeat, volo, vt ita ſit. Sed Iudex Hilduini Boſquetus Narbonenſis Prætor eſſe non poteſt. Sacer enim homo non debet à laico iudicari, nec Iudex temporalis de ſpirituali cauſa cognoſcere, nec Narbonenſis Prætor de iis decernere, vel rebus, vel perſonis, quæ extra terminos ſuos prorſus poſitæ ſunt. Adde quod *delictum committere dicitur ille, cuius auctoritate & mandato committitur, cap. Mulieres. §. 1. de ſent. excom.* At verò Hilduinus Areopagitica ſua, iuſſu & mandato Ludouici Pij Regis Chriſtianiſſimi, & Auguſti Imperatoris, ſæpius quidem iterato conſcripſit. Ergo ſi delictum in hoc fuit, vtrique communis reatus eſt. Immò, Ludouico Principi, magis quàm Hilduino Abbati, imperata ſibi ab eo exequenti, venit hoc crimen hac ex regula imputandum. Porro inquirere de facto Regis Chriſtianiſſimi, Prætori Narbonenſi nefas eſt: qui Hilduinum dum damnare audet, vnà Ludouicum impetit, Maieſtatémque lædit iubentis Regis, eo ipſo quod obſequentis eidem Hilduini, factum reprobat ac reſcindit. Sed hoc πάρεργον.

Ad ipſam rem, iam rectà progredior, ſeriò diſcutiendam. Tametſi Boſquetus Iudex in hac re legitimus extitiſſet, iniuſto tamen iudicio Hilduinum damnauit. Accuſator enim & Iudex eſſe ſimul, nemo poteſt. At verò vtrumque munus ſibi aduerſus Hilduinum Boſquetus adſcribit. Vt

Iudex enim, auctorem illum (æquiuocis vocibus) pronuntiat falſitatis: quem vt accuſator, circumuentum & deceptum ab aliis, nempe à Græcis affirmauit. Vbi ſimul quoque inuoluit pugnantia. Si enim Græci in aſſerendo Areopagita Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo, Hilduinum fefellerunt & deluſerunt: hic certè ita deceptus ac deluſus, fabulæ quam exiſtimat Boſquetus, iuuentor minimè fuit: ſed auctores illius commenti iidem Græci fuerunt, qui & deceptores Hilduini. Peto autem ab eo, qui fuerunt Græci, qui hanc ſtropham Hilduino impegerunt? ſícque illum, & per eum, vniuerſam Galliam, turpiter ſunt ludificati? Sanè quo ferè tempore ſcripſit de titulo Areopagitico, Hilduinus, Dionyſio Pariſienſi aſtruendo, ſanctus Theodorus Studites, vir admirandus & potens opere & ſermone, cum gloria ſanctitatis & doctrinæ florebat, qui Conſtantinopoli pro pietate dimicans, acerba multa perpeſſus eſt, multáque inſignia ſcripſit. At nec in catecheſibus eius ac homiliis, nec epiſtolis, cæteríſq. quæcumque oſtendi poſſunt eius ſcriptis vlla apparet ſcintilla, quæ illum confictæ (vt vult Boſquetus) à Græcis nouæ traditionis, vnde deceptus fuerit Hilduinus, auctorem fuiſſe prodat. Item neque in opuſculis ſancti Nicephori Conſtantinopolitani Patriarchæ, qui eodem tempore ſedit & ſcripſit contra Iconomachos, nec in eius Chronico, quod extat in Bibliotheca Patrum tom. 2. quo ſanè in

libello occaſio huius ingerendæ fraudis, fauente ipſa textura operis Chronologici, vltro ſe offerebat. Scripſerunt quidem paulo antè de ſancti Dionyſij Areopagitæ ſcriptis & geſtis, ex antiqua traditione Michaël Syngellus, aliàs Sincellus, Preſbyter Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & Methodius qui demum fuit Cõſtantinopolitanus Patriarcha: iíque ambo de ipſius in Gallia extremo Martyrio Pariſiis peracto luculẽter tractauêre. Verùm non vt gratiam Gallorum ambirent, ſuóque conciliarent Imperatori, cui prorſus exoſi erant, & à quo demum ob pietatis Catholicæ aſſertionem, miris at diris modis ad extrema vſque vexati ſunt. Neque ſuſpicione digni, affectati in veritatis detrimentum fauoris Gallorum ſancti illi viri, qui omnia, vt peripſemata pro Chriſto arbitrantes, horrenda pro fidei tuitione non dubitauêre, ab ipſo ſuo principe furente perpeti: vnde & ipſi honores ſacros ob merita inclytæ concertationis & victoriæ, generali Eccleſiæ iudicio retulerunt. Eodem autem ſæculo, ferè dimidio, claruit Simeon Metaphraſtes, qui ex profeſſo *Vitas Sanctorum* conſcripſit, pérque ſingulos menſes digeſſit: quo in hagiologio ad diem 9. Octobris ſancti Dionyſij Areopagitæ Martyrium deſcripſit, quem paſſum Lutetiæ Pariſiorum cum Ruſtico & Eleutherio fusè grauitérque commemorat. Tantíque ſemper habita fuit, apud Græcos illa Metaphraſtis perſcriptio, vt in Synodo Florentina ſeſſ. 7. aduer-

ſus eos, in controuerſia de proceſſione Spiritus ſancti, Latini teſtimonium hinc deprompſerint*, quod cùm illos premeret admodum (habet enim diſertè hæc agonis ſancti Dionyſij ſeries, *Spiritum ſanctum à filio quoque procedere:*) ipſi tamen Græci haud auſi ſunt hanc repellere auctoritatem. Ceterùm ſi eiuſmodi narrationem confictam à Simeone exiſtimaſſent, vt ſe extricarent faciliùs tanto incommodo, illam profectò non obliti fuiſſent doli, malæque auctoris fidei, arguere. Impoſuiſſe igitur Metaphraſtem Hilduino dici non poteſt: tum quia fraus eius nota fuiſſet apud Græcos; tum quod ante Hilduinum non ſcripſit, ſed paulò poſt ipſum Hilduinum, vt ex libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis Cardinalis Bellarmini* perſpicuum eſt. Sanctos autem præfatos, auctores coætaneos ferè omnes Hilduino, ipſum fefelliſſe tanta ludificatione, vel impium eſt opinari: vetat hoc enim vel tantillum ſuſpicari eorum explorata integritas, tam fidei quàm doctrinæ & vitæ: quin & eorum religioſiſſimus, è vita exceſſus, quo ſinguli penè perfuncti ſunt annis aliquot, antequam Areopagitica ſua Hilduinus conſtrueret. Ea enim hic delineauit poſt reſtitutionem Ludouici Pij, vt ex eius ad illum epiſtola conſtat, quæ facta eſt anno 834. At Nicephorus Conſtantinopolitanus Patriarcha obierat iam an. 828. (vt oſtendit Baronius tom. 9.) Theodorus autem, iam an. 826. vt idem notat eodem tomo, in cælum migrauerat. Scripſerant autem

*Cōc. Florent. ſeſſ. 7. *Imprimis igitur Simeon Metaphraſtes celeberrimus accedat: qui in B. Dionyſij vita inquit, &c.*

encomia

& res geſtas Dionyſij Areopagitæ Galliæ fortunatiſſimi Euangelizatoris, SS. Methodius & Michaël Syncellus anno circiter 818. vt infrà indicatur. Eodem autem ſæculo quo Hilduinus, vixit Photius, qui Scriptorum ſancti Dionyſij, in ſua Bibliotheca honorificè copioſéque meminit. De eius porrò martyrio non diſſerit, quia de geſtis eius non tractabat, quæ ab aliis Synchronis ferè ſuis, nuper deſcripta nouerat, & de quibus conuenire tam Græcos quàm Latinos probè ſciebat. At quamuis hic ſcripſiſſet ex profeſſo de ſancti Dionyſij peracta apud Gallos coronide, congruenter traditioni noſtræ (quam conformem gentilium ſuorum conſcriptionibus, nouerat:) non tamen decepiſſe Hilduinum, dicendus foret Photius, qui ſanè clarere cœpit, cùm iam ille humana exuiſſet. Verùm non à Græcorum Præſulibus, at Proceribus, Legatis ſcilicet Conſtantinopolitani Imperatoris, deceptum fuiſſe Hilduinum Boſquetus innuit, dum ait, *deluſum Græcorum arte, fauorem eius ambientium*. Certè ipſe potiùs deluſus videtur à ſeipſo, ex hiſtoriæ huius temporis non modica inſcitia. Ea enim erat rerum tum in orbe conditio, vt Græci non noſtram opem expoſcerent, minus ambirent Abbatis Dionyſiani, qui gratus tum erat Ludouico Imperatori, (cuius in indignationem paulò pòſt incidit grauem) ad eius inuocandum auxilium, quo aduerſas vires in ſe irruentes, amolirentur, fauorem. Quinimò afflictæ res Oc-

cidentis cogebant & Papam & Imperatorem, ob Saracenorum Maurorúmque formidabilem in Siciliam illapſum, inualeſcentem per Hiſpaniam potentiam, imminentémque eorumdem in Galliam irruptionem; Michaëlis Imperatoris Conſtantinopolitani, tum pace fruentis, legatione etiam miſſa, flagitare. Facile enim eſt id probare ex ſynchronis auctoribus, grauioribúſque inde Scriptoribus, qui res huius temporis certis calculis obſeruârunt. Boſqueti coniectura eum reuincit, inſinuationíque noſtræ aſſertionis aditum aperit. Quòd enim ſcripſit Hilduinus de miſſis ab Imperatore Biſantino Michaële, ad Ludouicum Occidentis Auguſtum, per ſolennem legationem, ſancti Dionyſij Areopagitæ libris*, non probat quòd intendit Boſquetus deluſum fuiſſe à Græcis Hilduinum, Græcorum arte fauorem eius, quâ apud Ludouicum Pium pollebat, ambientium: immò verò commentitiam eſſe huiuſmodi euaſionem apertiſſimè prodit. Neque enim miſit ad Ludouicum Michaël, ſed remiſit; cùm præuentus fuiſſet à Ludouico, deſiderio ac poſtulatione amicitiæ & confœderationis ineundæ. Anno ſiquidem ineunte 828. Irruentibus in Siciliam Saracenis, Gregorius Romanus Pontifex nomine IV. qui eoſdem in Hiſpania apud Barcinonem & Gerundam præualuiſſe nuper audiuerat, maioráque in dies moliri proſpiciebat: ad Ludouicum Lothariúmque Imperatores (aſciuerat enim iam Ludouicus in

* Hos diu antea Paulus Papa I. ad Pipinũ Regem, auum Ludouici hos expetenté miſerat, vt infrà probatur Sed veriſimile eſt quòd Michaël ad Ludouicum ipſa Dionyſij trãſmiſerit autographa, per quæ tot virtutes ſuper infirmos diuinitus editæ ſunt.

Imperium ipſum Lotharium, ſuum primogenitum) Angelóne (ſeu Angeriaco) prouincialem Conuentum habentes, Quirinum Primicerium & Theophilactum nomenclatorem, ſuppetias aduerſus Barbaros petiturum. Eóque ex conuentu Halitcarius Cameracenſis Antiſtes & Anfredus Nonantulanus Abbas ad Conſtantinopolitanum Cæſarem miſſi ſunt. Summa legationis erat, vt oratus à Pontifice Principibúſque Romanis Michaël commune cum ipſis bellum in Saracenos ſuſciperet. Cuius legationis ad hunc annum deſtinatæ & peractæ, expreſsè meminerunt Adelinus Benedictinus, qui Annales Francorum Regum Pipini, Caroli, Ludouici Pij per annos continuos 87. exarauit. Anonymus editus à Pithœo, cum Scriptoribus ſynchronis Annalium & hiſtoriæ Francorum ab anno 708. ad 890. Aimoinus lib. 4. de geſtis Francorum cap. 116. Quorum veſtigia inſecuti ſunt neoterici ſcriptores, Blondus lib. 31. hiſtoriarum ab inclinatione Imperij; Locrius in Chronico Belgico an. 828. nouiſſiméque Buzelinus in ſua Gallo-Flandria, ſub eodem anno, vbi ſic ait: *Imperator Ludouicus Epiſcopum Halitcarium è Daciorum finibus reuerſum ad Orientis Jmperatorem Biſantium mittit. Eò legationis cauſa tendebat, vt à Michaële pax & amicitia impetraretur.* Tantùm abeſt igitur vt Michaël, Ludouici tum opem, per Hilduini Abbatis Dionyſiani fauorem, ſeruili more (ſcilicet per fraudem & litteraria commenta, ad adula-

tionem compoſita,) expeteret. Remiſit fateor & ipſe ex Principum more ad Ludouicum Legatos Michaël: ſed honeſtatis causâ, non captandæ gratiæ neceſſitate. Acceſſum enim Græcorum ad Ludouicum factum fuiſſe, anno eodem labente, liquet ex ipſa contextus Hilduini ſerie, qua ſuſceptos commemorat eoſdem cum ſacris quæ exquiſierat Ludouicus è Græciæ penu monimentis, libris ſcilicet genuinis ac illibatis ſancti Dionyſij Areopagitæ ab ipſo deſideratiſſimis: cùm Legati eius, ſuo nomine, Michaëlis Conſtantinopolitani Imperatoris, amicitiam procurarent. *Ceterùm* (inquit Hilduinus) *de notitia librorum eius, quos patrio ſermone conſcripſit, & quibus petentibus illos compoſuit, lectio nobis, per Dei gratiam & veſtram ordinationem; cuius diſpenſatione interpretatos, ſcrinia noſtra petentibus reſerant, ſatisfacit. Authenticos autem eoſdem libros, Græca lingua conſcriptos, quando œconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, & cæteri Miſſi Michaëlis legatione publica, ad veſtram gloriam Compendio functi ſunt.* Contigit autem hæc ſuſceptio Græcorum Legatorum anno 829. ineunte, vt colligitur ex Annalibus præcitatis, cùm nimirùm Ludouicus ordinato exercitu in Hiſpaniam contra Mauros: ſeipſum in interiorem Galliam recepit, *& in ſaltibus Compendio & Cariſiaco contiguis venationi inſiſtebat*, ſcilicet Octobre menſe ineunte. Poſterior igitur fuit legatione à Ludouico ad Michaëlem directa, qua amicitiam illius, vt probatum eſt,

opémque Occidenti neceſſariò affectauit & impetrauit. Hæc enim illi cauſam præbuit, factáque eſt, ad petitū à Ludouico Imperatore & Gregorio PP. fœdus ſanciendum & obfirmandum: Neque tum Græci Legati acta S. Dionyſij corrupta ſeu conficta (vt Boſquetus ſomniat) ad fallendum Hilduinum attulerunt, ſed libros ipſius ſancti Dionyſij Areopagitæ, quos Ludouicus à Michaële ſibi authenticis è ſcriniis Patriarchij Conſtantinopolitani dari popoſcerat. Genuinos autem & ſynceros tranſmiſſos fuiſſe ſanctiſſimi huius auctoris fœtus, diuina Maieſtas teſtificatione magnifica demonſtrauit: qua de re ſic legitur in perantiquo codice Monaſterij ſancti Dionyſij, in quo geſta regia deſcribuntur. *Oeconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ & alij quidam Miſſi Michaëlis Imperatoris Græcorum, legatione publica, ad eundem Ludouicum, Compendio functi ſunt. Qui inter cetera plurima, quæ Imperialis munificentia, ad confirmanda in inuicem amicitiarum fœdera præfato Ludouico tranſmittere procurauit:* * *libros etiam Hierarchiæ, cum decem Epiſtolis Macarij Areopagitæ Dionyſij, tamquam patroni proprij, & ſpecialis defenſoris regni Regúmque Francorum,* (quod vbique notum iampridem erat) *pro magno munere præſentârunt. Ludouicus verò eoſdem lingua Græca conſcriptos, cum magna gratiarum actione ſuſcipiens, ad cænobium beati Dionyſij in Francia dirigere iudicauit. Quos in ipſa vigilia ſolemnitatis pretioſorum Martyrum, Hilduinus Abbas & Conuentus*

* Idipſum notauit Sigebertus in Chronico.

eiuſdem Eccleſiæ cum ineffabili lætitia ſuſceperunt. Quod donum deuotionis Imperatoriæ ac ſi cœlitus allatum, adeò diuina gratia proſecuta eſt, vt in eadem nocte decem & nouem nominatiſſimæ virtutes in ægrotorum ſanatione diuerſarum infirmitatum ex notiſſimis perſonis, & vicinitati ipſius Eccleſiæ contiguis, ad laudem & gloriam nominis ſui orationibus & meritis excellentiſſimi ſui Martyris, Dominus operari dignatus ſit. Quod idem teſtatur Hilduinus ipſe, tam nitida quàm breui relatione in ſua ſæpè memorata Epiſtola, ad ipſum Ludouicum Imperatorem Pium. Quomodo hîc effugiat Boſquetus non video. Vult libros quos Græci attulerunt Hilduinum deludendo fefelliſſe, ínque grauem conieciſſe errorem, quo Dionyſium Pariſienſem, Areopagitam eſſe, primus aſſeruit. At iam non eſt quòd Græcos deceptionis poſtulet atque criminetur, Hilduinúmque ſtupiditatis ſubarguat, qui dolum ipſorum non animaduertens ſeſe eorum imposturæ retibus, incautè illaqueauerit, quem certè prudentiſſimum fuiſſe diſertè ſcribit Hincmarus. Sed & quòd DIVINÆ AVCTORITATIS aſtipulantis his geſtis (quâ per tot editas curationum virtutes, & Græcorum ſyncera actio, & librorum ſancti Dionyſij germanitas, & Hilduini pia fides, approbatæ ſunt) adorandum ſigillum temeret & contemnat, operáque tam ſtupenda, eius magnificentiæ reſpuat vel deneget, quaſi conficta, quæ in tanta luce patrata ſunt, recentérque adhuc cùm eſſent edita, *in magno die feſtiuitatis,*

ſcilicet in ipſa ſolennitate natalis ſancti Dionyſij Areopagitæ, cùm ad eius baſilicam (ſeu vt loquebatur Hadrianus I. Papa, *ad ſancta eiuſdem limina*) ingens populi concurſus fieri ſolebat: Imperatori non longè cum Galliæ proceribus tum agenti, ab Hilduino (qui mendacij impudentiſſimi ſi res per eum conficta fuiſſet, è veſtigio ſanè potuiſſet conuinci;) tam celebri ſcripto fuêre renunciata, & à Sigeberto graui ſcriptore notata in Chronico ſub anno 824. vbi ſic eam rem commemorauit. *Legati Michaëlis Imperatoris inter cetera munera detulerunt Ludouico Imperatori libros Dionyſij Areopagitæ, de Hierarchia, id eſt, de ſacro principatu, petente ipſo Ludouico, de Græco in Latinum tranſlatos. Qui libri Pariſius in ipſo ſancti Martyris feſto, miſſi, cum gaudio ſuſcepti ſunt. Quod gaudium virtus ſancti Martyris* (ſcilicet eiuſdem Areopagitæ ibidem crediti ac celebris) *auxit, decem & nouem ægrotis in ipſa nocte ibi ſanatis.* Etenim ſi vera eſſe inficiari, diuina hæc teſtimonia, Boſquetus piè & candidè non poteſt: Græcos vtique non Hilduinum deluſiſſe tam fateri debet, quàm eſſe veram eam quam cum iis habuit non ſolus Hilduinus, ſed innumeri prodigiorum eiuſmodi conſpectores habuerunt, de Pariſienſi Dionyſio vero Areopagita perſuaſionem. Impium enim eſſet vel cogitare, Deum mendacio (quod duplicem inuolueret errorem: geminam nimirùm falſitatem, circa perſonam ſancti Dionyſij & ſcripta eiuſdem) voluiſſe patrocinari, tam patenti

quàm multiplici ſuæ auctoritatis teſtimonio: ſubinde etiam vt in geſtis S. Maioli Cluniacenſis Cœnobiarchæ legitur * iteratò. Eſt enim hîc, quò Richardi à S. Victore piam diuinæ veritatis conteſtationem in tam exploratæ aſſertionis præſidium vſurpemus. *Domine ſi error eſt quod credimus, à te decepti ſumus. Iſta enim in nobis iis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, quæ nonniſi à te fieri potuerunt*, lib.1.de Trinit.cap.2.

* In Bibliotheca Cluniac. col.304.

Itaque quamuis tunc à Græcis ſententiam Hilduinus mutùaſſet, nefas eſſet tamen ob diuinam aſtipulationem ipſum deceptum opinari. Nec enim decipi idem potuit in ſcriptis, quin auctoris eorumdem in perſona falleretur. Afferebant enim Græci ſancti Dionyſij ſcripta Areopagitæ, (vt rei geſtæ prænotata relatio diſertè habet) velut genuina opificia eiuſdem, *Patroni nimirùm proprij, & ſpecialis defenſoris Regum Regníq. Francorum.* Quæ Ludouicus Imperator hoc titulo popoſcerat, Michaël miſerat, Hilduinus, Ludouico à Michaële tramiſſa, ſibíque ab illo data ſuſceperat; Deus negotium nouemdecim miraculorū ſigillis obſignauerat: ideóque dolus Michaëli Bizantino Cæſari in hac celebri munificentia nequit imponi; nec Ludouico credula infauſtè ſimplicitas, nec Hilduino tribui prona ſtupiditas, vel atra malitia: niſi vnà in religionem committatur, ſupremáque Dei Maieſtas & veritas, inſimuletur erroris atque decipulæ. Quod cùm tantillum ſuſpicari ſit impiiſſimum, concludere ſupereſt,

ſupereſt, tametſi tunc primam opinionem hauſiſſet de Pariſienſis Dionyſij cum ipſo Areopagita identitate Hilduinus, eum tamen haud fuiſſe in hac humana arte deluſum; quem diuina virtute patentiſſima liquidò conſtat, in hac ſententia (longè antè tradita & recepta) confirmatum eſſe.

Quo ex argumento, ſanè admodum ſpectabili, & longè efficaciſſimo, licet aſſumere, neque ipſum Hilduinum, impoſturâ deluſum, poſtquam arte Græcorum fuerat deceptus, Gallos, immò Latinos ſubinde omnes, fraude duplicata fefelliſſe. Qui enim Deum ſequitur ducem, non errat, is etenim nec falli, nec fallere poteſt. Nec erroris auctor apud æquos Iudices habendus, qui errorem non peperit nec inuenit; neque itidem decipi ſeſe paſſus eſt: at veram, antéque diu exploratam ſententiam, demum eſt ſtrenuè tutatus. Ita verò ſupereſt de Hilduino æquè exiſtimandum, qui ſua fretus innocentiâ, fiduciáque eius quam nitebatur tam conſpicuæ quàm ſolidæ veritatis, ipſos aduerſarios clanculum contra ſua Areopagitica muſſitantes, ad veritatis inuitabat lucem, egredíque compellebat è latebris in palæſtram: dum intrepidè prouocabat ad rigidum examen ſuæ collectionis, eiuſdémq. probationum diſquiſitionem accuratam. *Quia verò* (inquit) *vt per quemdam ſapientem dicitur, multoties in vili perſona deſpicitur veritas, cui nihil præferri debuiſſet. Suppliciter omnes in quorum manus*

hæc venerint deprecor, ne in his noſtræ perſonæ humilitatem, & agreſtis orationis indiſciplinationem attendant, cùm perſonarum acceptatorem in hac duntaxat parte non eſſe Dominum ſciant. In qua tamen, me imperitum ſermone, non tamen ſcientiâ, fateor. Quin potiùs huc de quo res agitur, inclytum & verum Chriſti militem, ante oculos ponant, cui humanæ vocis dignitate impar omne erit, quicquid in laude eius aliquis mortalium dixerit, quoniam ab eo ſolo dignè poteſt laudari, à quo & per quem talis meruit fieri. Vera itaque à veracibus de eo ſcripta, & ſimpliciter in vnum collecta fideliter relegant; & ſi noſtræ imperitiæ fuerint indignati, ad veterum monumenta recurrant: quia nos non noſtra cudimus, ſed ANTIQVORVM ANTIQVA DICTA *de abditis admodum tomis eruimus, & veritatis ſynceritate ſeruata, paginis manifeſtioribus indimus.* Hæc ille.

CAPVT TERTIVM.

Errare potiùs qui criminantur Hilduinum: cuius Areopagitica plerique eorum non legerunt, ceteri non hactenus refutârunt.

QVI volunt igitur, Hilduinum fraude vel ignorantia peccâſſe, in tradenda aſſerendáque de Athenienſi Dionyſio vno eodémque cum Pariſienſi ſententia; mihi non videntur de re ipſa ex æquo iudicâſſe, ſiue quòd rationes prædictas non animaduerterint, ſiue potiùs quòd

ipſi decepti, ex malo aliorum iudicio, non alia de cauſa pium virum grauémque Scriptorem damnârint, quam quòd ſibi ignotus, illis exoſus erat. Neque enim puto nuperos illos cenſores, præhabito vllo ſcriptionis eius examine, illum proſcripſiſſe, de auctorum proborum ſyncerorúmque honorabili nomenclatura. Nec id temerè ego ſuſpicor: ſiquidem id vt ita exiſtimem, me duæ rationes mouent. Prior, quòd ſententiæ ſuæ Hilduinus ipſe confirmandæ multas prætexuit attulítque grauiſſimi momenti rationes & probationes, quæ, vt ait magnus Baronius, piis queiſque mentibus *ſatis eſſe poſſunt, ad perſuadendum*. Ergo eas non perceperunt, vel iiſdem debebant affici & moueri. Altera, quòd critici illi recentiores, argumenta quidem pleraque vt noua & inſolubilia ingerunt, quæ tamen iamdudum ipſemet Hilduinus ex profeſſo diſcuſſit & perſpicuè diremit: at verò auctoritatibus atque rationibus quas affert in præſidium aſſertionis ſuæ, illi acuti ceteroqui homines & pereruditi reſpondent nuſquam. Quis enim hactenus vidit illorum, ad Areopagitica Hilduini, accuratum ne dicam, at perfunctorium tantùm reſponſum?

In notis ad Martyrol. Rom. 7. idus Octob.

Profectò data opera perluſtraui aduerſariorum acies, quas in hoc bello, tumultuario impetu magis quàm ordinato certamine, contra Hilduinum direxerunt: has autem nonniſi hebetatis armis inſtructas, atque haſtarum ſæpiùs retuſis mucronibus certantes, omnes deprehendi.

Nihil enim dicunt quod non dictum ſit priùs, & validè iampridem repulſum. Porrò minimè ab Hilduini ipſius telis acerrimis, ſe defendunt, ſed iis vndequaque confoſſi, dum hæc in ſe vibrata non aduertere produnt, vel nihil ſe prorſus ſentire ſimulant, aut tot inflictis vulneribus ſeſe oblectari innuunt, magno certè ſuo damno & dedecore, at cum ingenti Hilduini triumphantis tripudio. Verùm antequam illi ad nouam colluctationem admitterentur, equidem condeceret, vt melius aliquando inſtructi progrederentur: nec iniquam in hoc conflictu illis quiſque præfigeret legem, qui ab iis exigeret; vt antequam recenti aggreſſu Hilduinum impetere iis liceret, ſagittas quibus eos transfixit, de ſuo pectore elicerent, depromptáſque tum in illum ſi poſſent retorquerent, propriáque curarent vulnera, antequam illi iacula ſua infligerent. Atque vt iuris regulis potiùs vtamur, quàm militiæ præceptis cum aduerſariis Hilduini agamus: profectò ſic decernunt ſacræ leges. Accuſatus, abſolutus, propoſita ab accuſatione tutus eſt. *gloſ. 1. in cap. de his. 6. tit. de accuſatione.* At verò reus abſolutus debet cenſeri, vel quando ſe ritè purgauit, vel quando accuſator quæ propoſuerat aduerſus illum non probauit *ibidem*, *& gloſ. 1. in ſumma 2. q. 5.* Porrò Hilduinus ſuorum accuſatorum obiectionibus ſe exemit egregiis reſponſionibus, quas ipſi nondum confutauerunt, nedum quod illi appingebant doli aut deceptio-

nis crimen, ſeu lapſum erroris, ipſimet probauerunt. Tutus eſt igitur ab illorum impetitione. Nam probandi ex iure quatuor modi ſunt, nempe per teſtes, per confeſſiones, per inſtrumenta, & per euidentiam facti. *cap. cùm ad ſedem. §. dicta. de reſtit. ſpoliat. & gloſ. tres in cap. form. de verb. ſignif.* probare enim qui tenetur, debet clarè & apertè probare, aliàs non prodeſt obſcura probatio, *gloſ. dubium in cap. in præſentia de probationibus.* Reum autem Hilduinum minimè ex iis modis (vt hoc ex apologetico clarum fiet) accuſatores peregerunt, itaque liber habendus eſt ab illorum accuſatione. At ipſi non ita euadunt hac ex contentione immunes. Accuſator enim tenetur periculo talionis, *can. fin. 1. 2. q.* & deficiendo in probatione accuſationis, hac pœna punitur, *in ſumma 2. q. 3. & can. calumniator ibidem.* Tum enim debet accuſator ſeipſum purgare de calumnia, *gloſ. ant. in canone omnibus 2. q. 5.* Et donec ſe purgauerit, non ampliùs accuſatoris, ſed rei loco cenſendus eſt, *can. neganda 3 quæſt. 11.* Hac ſorte igitur habendi iam veniunt impetitores Hilduini, qui & in probatione doli quem illi impingunt defecerunt: & purgationem ſuam quam præfixit ſancti Dionyſij Areopagitæ à ſe exarato elogio, & conſummato Pariſiis agoni, non potuerunt nunc vſque refellere. Verùm ne cum his ludere verbis, cuiquam videamur, litem integram refricare & totam propatulo exponere operæprecium exiſtimo. Falſa, aiunt, & con-

ficta eſt illa quam Hilduinus inuexit perſuaſio, de Dionyſio Areopagita Epiſcopo I. Pariſienſi. Sed veram ille probauit ſolidis perſpicuíſque demonſtrationibus, ſynceramque oſtendit hanc ſuam aſſertionem. Illi quidem argumenta quibus nititur hactenus non euerterunt, ne dicam non expenderunt: at ille quæ ipſi contra eius ſententiam obiiciunt tam ſolerter anticipauit, quàm fortiter expugnauit. Victoria igitur ipſi parta manet, illis verò iniuſtæ pugnæ exitus ſupereſt indecorus, ne dicam prorſus infauſtus. Ceterùm ita ſe habere litis huius ſeriem, vt propalemus capitula quæ ſubiungenda ſunt, ſtatuimus ad hunc ordinem, pro aptiori methodo, & euidentiori inſinuatione amicæ nobis veritatis, accuratè diſponere.

CAPVT QVARTVM.

Sententiam ſuam validis argumentis & probationibus legitimis veram eſſe, Hilduinum confirmâſſe: háncque neque confictam, neque nouam, ſed perantiquam & ſynceram indicâſſe.

INTER argutè dicta S. Thomæ ſcholæ Theologicæ principis, quæ refert non ſegnis geſtorum eius obſeruator, id certè apophtegma huic loco benè congruit, quòd conſulentibus, *quî fieri poſſet, vt non errarent?* reſpondit: *ita ſingula agite, vt rationem reddere poſſitis, cur ita faciatis.* Sed

videtur longè antea Hilduinus ſapientiſſimum hoc monitum præuertiſſe: qui cùm ſancti Dionyſij Areopagitæ primi Hierarchæ Pariſienſis trophæa deſcribere ordiretur, non à ſimplici narratione quæ tradebat poſteritati, exorſus eſt: at cùm tanti Martyris gloriæ Satanam inuidere plurimùm, intelligeret, iámque hoc auctore nonnullos contradictores, qui tamen in latebris tantùm murmurabant (vnde *ſuſurrones* eos appellat) aduerteret contra ſententiam veram quam vindicabat, inſurgere: plurimóſque futuros per temporum vices ſibi hac in re aduerſarios ſolerti mente præuideret, vir certè ſapientiſſimus, nudam noluit delineare hiſtoriæ ſancti Galliæ Apoſtoli deſcriptionem. Verùm ſicut fortiſſimis propugnaculis arx in fronte hoſtium poſita ab iiſque haud ſemel impetenda, cautiùs muniri ſolet: ita dictorum ſuorum ſeriem, affixo horum limini Apologetico præpotenti, ſtuduit præfulcire, quo & aſſerta ſua aduerſus eorum inſultus tueretur, identidémque omnes eorum aduerſus ſe inſtructas machinas eliderect atque deiiceret. Quàm verò fortunatè ita ſe geſſerit prudens ſcriptor, ſpectanti cuique patebit, ex ipſarum probationum eius accurato, quod mox exprompturi ſumus, examine.

In Reſcripto ad Ludouic. Imper. c. 14.

Certè antiquitatis vis ſemper magna fuit, quæ etiam apud Tertullianum *index ac vindex eſt veritatis*. Nouitatis è contra inuidioſum eſt nomen, quoniam nouitas ipſa malos plerumque

In præſcript.

euentus parit, rixas ſerit, falsíque vehementem inducit ſuſpicionem. Quæ vt grata vulgo imperito eſſe ſolet: ita viris ſapientibus ſemper exoſa eſſe conſueuit. Cùm igitur Hilduinus Areopagitica ſua concinnare iuſſu Ludouici Imperatoris aggreſſus eſt, certè hoc debuit imprimis præcauere, ne quid contra venerandæ antiquitatis fidem ingereret: ſic enim labem incurriſſet exitioſæ nouitatis & propudioſæ temeritatis atque fallaciæ: dúmque vulgo ignaro atque deſpicabili placuiſſet,

(Cantio enim hæc hominum longè eſt celeberrima, vulgò
Et gratiſsima, quæ nuperrima venit in aures.)

Certè interim peritis queiſque atque probis viris, qui ſola ſunt generis humani lumina, ſeſe inuiſum penitus præbuiſſet, omniúmque eorum in ſe concitaſſet odia, linguas & calamos exacuiſſet tam temerario auſu, exitialíque, falſa pro veris poſteris conſignandi exemplo: publicéque per orbem impoſtor omnium illorum ore proclamari meruiſſet. At tantùm abeſt vt ſic contigerit cùm vulgaſſet, ſacris ſub Imperatoris titulis, atque omnium benè videntium obtutibus, ſuam de Athenienſi Dionyſio Pariſienſi protomartyre ac Epiſcopo collectionem*: quin potiùs Imperator benè exacti muneris, eidem emeritam gratiam rependit; Apoſtolica ſedes, quæ ſcripſerat vt conſona Romanis diptychis probauit, atque deinde ſemper tenuit & defendit: Sancti qui nonnulli tum viuebant huic traditioni vt

*Hinc verè & ſyncerè Poſſeuinus in apparatu ſacro tom. 1. pag. 405. *Et B. de* (inquit) *tempore quod vnus idem-*

vt veræ & antiquæ aſſenſerunt; eorúmque iudicio adhæſerunt, etiam docti quique aulici, & quicquid erat tum in Republica Chriſtiana ornamenti, fauendo ipſius ſynceri ſcriptoris, ac ſtrenui vindicis tam exploratæ veritatis aſſertioni, eiuſdem partibus communi gratulatione acceſſit. At ei duntaxat repugnarunt, ídque clanculum pauculi ex fæce vulgi *ſuſurrones*, quos dicit fuiſſe *omnium minus ſcientes*, adeóque inter ſe diſcordes; quorum *dementatæ mentis nonnullorum peruerſitatem* deplorat, aliorum ſimplicitatem & leuitatem excuſat, qui decepti corruptis quibuſdam libellis de geſtis ſancti Dionyſij, ſecus quàm veneranda tradidiſſet antiquitas ſentiebant. Hos verò ſic ab errore deducere nititur: **quia*, inquit, *nos plures codicillos exinde vidimus.* Vnde infert: *procul dubio ſciant, quòd aut prædictam paßionem ex veris & emendatioribus exemplaribus non ſuſceperunt, aut ſcriptorum vitio deprauatam legerunt.* deinde ſubnectit, *Nulla hiſtoria ſic probabilis poterit vel debet haberi, cum eæ quæ de veridicorum, præcipuè orthodoxorum, collatione poterit colligi. Et ideo certiùs tenenda ſunt quæ modò de hoc eximio Martyre collecta conſcribimus, quàm illa quæ ſine auctoris nomine paßim ſcripta relegimus.* Et re vera quemadmodum refertur apud Abaillardum **, omnem diligentiam conquirendis ac colligendis authenticis hiſtoriæ ſancti Dionyſij monimentis, Hilduinus inueſtigando adhibuit, *qui eo fine Græciam diù perluſtrauit, & rei veritate agnita, in geſtis illius quæ verus*

que eſſet Dionyſius Areopagita cum Pariſiorum Epiſcopo adeò ſunt habita pro certo, vt deinceps Ludouico Pio Imperatori, ad quem Hilduinus commentarium ab eo rogatus ſcripſit, qui extat, ſine vlla haſitatione fuerint admiſſa, & pro iiſdem recognita quæ in omnibus ſibi conſtarent, ex antiquis videlicet Græcorum Archiuis, ſide publica obſeruata, &c. Quæ etiam Baronij obſeruatio eſt, vt notat tom. 1. ad an. 109.

* In reſcripto ad Ludouic. Imper.

** In epiſ. quæ calamitatum eius hiſtoriam deſcribit ſerie 1. circa med.

teſtis conſcripſit, dubitationem veraciter remouit. Ita errantibus ex inuoluntaria deflexione ſatisfacit benignè ſufficientérque Hilduinus. At verò iis qui *peruerſa*, vt ait, *mente*, honorem quem vindicabat aſſerebátque S. Dionyſio Francorum Regni tutelari, detrahere *famæ minoratione* (vt inquit) conabantur: ipſúmque ob hanc cauſam, per cuniculos, beati Dionyſij gloriæ defenſorem impetebant, cùm in arenam non deſcenderent, manus cum eo conſerturi; alia longè via occurrit. Horum enim tela præuertit, confregítque priuſquam in ſe ab iis vibrata fuiſſent. Duo igitur crimina quæ auctori hiſtoriæ plerunque ab inuidis imponi ſolent, nihil ſe afficere præclarè oſtendit; nempe labem mendacij & notam nouitatis. Quoad prius piaculum, illud potenter à ſe depellit, ex ipſius ſubiecto operis, & fine ſuſcepti laboris: quo Deum in ſuo athleta glorificare, ipſúmque Martyrem eius pretioſum honorare, promerita laude, voluit. Sicut enim benè S. Hieronymus dudum acri ſchommate illos perſtringebat, qui in feſtis Martyrum, epulis & comeſſationibus ſe dedebant, quaſi Sanctorum gloriam ſua intemperantia exiſtimarent congruè celebrari poſſe. Nimia, dicebat, ſtultitia eſt, putare Martyrem crapula colendum eſſe, *quem ſcimus Deo placuiſſe ieiuniis*: Ita acutè Hilduinus, malitiam ſuorum æmulorum redarguit. Dionyſius glorioſiſſimus Chriſti Martyr pro veritate occubuit: impium igitur eſſet illum per mendacij

artificia celebrare. *Veritas* (inquit) *pro qua precioſum ſanguinem hic ſeruus & amicus Domini fuderat, noſtro mendacio adſtipulari non indiget, quæ ſuo ſibi teſtimonio ſufficit, quæque teſtes veraciſſimos quos repleuerit, teſtificantes veracia efficit.* Quâ fretus innocentiæ ſuæ ſynceritatíſque fiducia, ſic Ludouicum Imp. cui Areopagitica ſua eius ex iuſſione tranſmittit, candidè alloquitur. *Hæc interim donec plura ſumatis*, de cognitione ſuffragatoris veſtri, Auguſte Sereniſſime, ſumite, & veraciter innoteſcite omnibus, quia hæc fideliter veſtræ dominationi dirigimus, veraciter ex veracibus Hiſtoriographis, & hiſtoriarum paginis, colligere procurauimus.* Qua fronte autem Imperatori hæc ſcribere auſus fuiſſet Hilduinus, ſi de falſitate conuinci timuiſſet, vel quomodo id dixiſſet impunè, ſi à quoquam iure potuiſſet poſtulari de reatu mendacij? Certè de actis, ex habitibus iudicatur. Clarus fuit ſua ætate Hilduinus de quo ſcriptores coæui, aliíque proximè iis hærentes, plura litteris mandauêre. Nullum autem reperire eſt, qui de eo nominatim ſcripſerit, qui eiuſdem non meminerit, cum laude, multis equidem virtutum titulis exornata. Rabanus qui ei commentarios ſuos in libros Regum dicauit, omni cum non doctrinæ modò, ſed pietatis virtutíſque non fucatæ, ſed veræ & ſolidæ præconio concelebrat. Hincmarus qui quòd eius alumnus fuerat, de eius diſciplina gloriatur, præclaris ſemper nominibus eum commemorat, potiſſimùm epiſt. 3. cap. 15. Lupus Ferrarienſis

In reſcripto ad eũdem cap. 16. & vlt.

*alia deinde enim de eodem cõtexuit metrico ſtylo opuſcula. De quibus infrà vberiùs.

In epiſt. ad Carol. Caluum Imp.

de S. Dionyſio Areopag. cap. 1. vide & Flodoard. l. 3. hiſt. Eccl. Rem. c. 1.

Extat inter eius poëmata, ſerie 26. apud Henric. Caniſ. tom 6. & vlt. antiq. lect. p. 621.

epiſt. 8. eundem his honorat elogiis, quibus neminem ſua ætate, illi parem fuiſſe clarè innuit: vocat eum ſiquidem, non modò *nobilitatis, dignitatis, & moderationis apicem*, at quod longè illuſtrius nomen eſt, *communem Eccleſiarum Magiſtrum*. Cecinit de eodem carmen Walfridus Strabus, vbi eum, *quem Hilduinum inſcribit Archicapellanum* inſinuat, ſuæ ætatis Aaronem extitiſſe, aliúmque Chriſti Apoſtolum prædicat, ipſúmque decus mundi nominat, ac commendat potiſſimùm à morum nitore, doctrinæ ſalutis peritia, fidei integritate, pietate & probitate omnibus notiſſima. Subſequentes nolim ſcriptores in tanti viri laudem conſpirantes, hîc in teſtimonium eius candoris & integritatis adducere. Satis ſupérque conferunt eius commendationi teſtes ſuprà inducti, qui vidêre in humanis agentem, audiêre docentem, conſpexêre ſcribentem, déque eius geſtis & ſcriptis publica, omnium qui conuixerunt ei ſibíque, iudicia retulerunt, hac communi ſua aſtipulatione: aduerſus quorum teſtimonia inſurgere, vel falſitatis illum accuſare, quem à fide, à probitate, ab omni ſynceritate, & ſanctimonia tot laudatiſſimi viri collaudarunt, piaculum reor apud æquos iudices non ferendum.

Ceterùm vt ſe defendit ipſe Hilduinus à falſitatis calumnia, ita etiam egregiè ſeſe abſtergit à nota nouitatis, à ſe per Areopagiticas vindicias (vt inſimulabatur à detractoribus ſuis) in-

nectæ. Quàm enim immunis eſſet ab hac macula, præclarè demonſtrat, dum contradictores quoſuis prouocat ad natiuos veritatis diſquirendum, immò repetendum, fontes. *Minus ſcientibus*, inquit, (en quales aduerſarios ſuſtinebat;) *velut ex ſuperfluo (propter ſatisfactionem inſipientium) reſpondemus, tàm veram de hoc ſancto Pontifice & Martyre narrationem veratium hiſtoriarum habeamus: primò quidem petentes, vt in hoc iure contentioſi, ab albugine contracta arrogantiæ, ex vſurpata ſapientia, qua videri ſe ſcioli volunt, oculos tergant, quò perſpicacia perſpicaciter, & vera fideliter relegant.* Et infrà: *tantis enim & tam manifeſtis teſtimoniorum aſſertionibus de hoc ſanctiſſimo & antiquiſſimo Patre*, ad liquidam elucubratam & propalatam omnibus ſcire volentibus veritatem, & ita neſcire volentibus ingeſtam certiſſimam rationem, vt etiamſi velint, quod ex illo verum eſt, ignorare non poßint.* Atque in epiſtola, quam hac de re direxit *ad cunctos ſanctæ Catholicæ matris Eccleſiæ filios & fideles*, ipſo in limine cùm inſinuaſſet ſe Areopagiticas quas in lucem emittebat vindicias, ex antiquorum ſcriniis deprompſiſſe, vt plenam dictis præberet fidem, ſubinde ſtudioſum quemque perquirendæ ſcriptorum à ſe veritatis ad primæuæ antiquitatis, vnde ſuam collectionem ſumpſit, monumenta perſcrutanda candidè inuitans ſubtexuit ad oram eiuſdem epiſtolæ. *De his autem & aliis quibuſcumqae vnde ſumpta ſunt omnia, quæ præ manibus tenentur collecta; ſi benignitati legentis, comme-*

In reſcripto ad Ludouic. Imper. c. 9. & 12.

*deeſt verbum *credimus* vel aliud huiuſmodi.

dum ac placitum fuerit, & alibi inuenire nequiuerit &c. *ipſorum librorum plenitudinem, ſi indiguerit ab archiuo noſtræ Eccleſiæ* (immò Cathedralicæ Pariſienſis ſcriniis, vt ad Ludouicum Imperatorem præfatur, cui ipſa autographa oſtenderat) *mutuare quibit*. Ita ille benè ſibi conſcius, vtpote titulis fretus authenticis venerandæ nitidæque antiquitatis, editæ à ſe hiſtoriæ. Ad quorum priſcorum monimentorum inſpectionem aduerſantes tam exploratæ veritati, non tam verbis inuitat, quàm affectibus miris compellit.

CAPVT QVINTVM.

Ex intima Galliæ conteſtatione Hilduinum oſtendiſſe, aſſertionis ſuæ de identitate Dionyſij Athenienſis cum Pariſienſi, veritatem.

PRINCIPIA rerum diligenter conſideranda ſunt, vt earum natura & ſtatus optimè cognoſcantur. Nam principia nullam originem habent, at ex principiis omnia oriuntur. Vnde à quo fluit quælibet res principio, ſuam mutuatur ſpeciem, & quale eſt talis illa ex eo efficitur. Hinc ſanctus Auguſtinus regulam conficit & aſſignat, qua hæreſes diſtinguantur à dogmatibus Catholicis. Monet enim aduertenda eſſe maximè principia vnde fluant. Nota ſiquidem eſt Catholicæ doctrinæ, manans ab vniuerſalis Eccle-

ſiæ natiua traditione,& conſenſu œcumenico fidelium, documenti cuiuſque aſſertio. Indicium verò perſpicuum eſt hæreſis, particularis & noua opinatio dogmatis, quæ pertinaciter propugnata, & diſſenſionem excitat & parit diuiſionem. *Omnis enim hæreſis* (inquit) *eſt recens à reliqua Chriſtianorum congregatione ex aliqua ſententiarum diuerſitate diſſenſio, lib. 2. contra Creſc. cap. 7.* Certè ſi qui poſtulant Hilduinum de crimine inuecti in ſeriem ſacræ hiſtoriæ erroris: eum ex hac regula conuincere poſſent errati, etſi hæreticum non peragerent, quia ipſa materia de qua agitur, minimè eſt de Catholica fide: tamen reum facerent mendacij & impoſturæ; ſententiam verò nouam & particularem, cuius fallax auctor fuiſſet & pertinax aſſertor, meritò damnarent apertæ falſitatis. Sed longè ſunt plurimùm, ab eiuſmodi euictione: cùm ex aduerſo Hilduinus aſſertionem quam tuetur, non eſſe nouam, ſed antiquiſſimam, non ſuam ſed traditam & acceptam à publicæ teſtificationis, auctoritatis & conſenſionis origine, præclarè demonſtrauerit. Quod enim de ſancto Dionyſio Areopagita primo Pariſienſi Epiſcopo & Martyre ſuis Areopagiticis inſinuauit, vndequaque (vt ſcribebat paulò pòſt Hincmarus Archiepiſcopus Remenſis ad Carolum Caluum Imperatorem) *Græca teſtificatio, & ſanctæ Romanæ ſedis atteſtatio ac Gallicanæ Eccleſiæ intima * conteſtatio* fulciunt & obfirmant. Ex ſerie infrà dicendorum patebit, quàm perfectè & ad amuſſim

*Sic legitur in antiquis MSS. non *intimat* vnde & infrà legi debet: *ratum eſt in hac cauſa: non ratum &c.*

eidem adſtipuletur Græca teſtificatio, atque inſuper aſtipulatio Apoſtolicæ ſedis. Hîc autem oſtendere operæprecium eſt, quomodo Galliæ eidem patrocinetur non modò generalis conſenſio, ſed *intima*, vt loquitur Hincmarus, *conteſtatio* eidem ſuffragetur. Elicere facile eſt quid ſibi velit phraſis illa, *intima Galliæ conteſtatio*, ex verbis Ludouici Imperatoris in epiſt. ad Hilduinum cap. 3. *Idcirco*, ait, *venerabilis cuſtos ac cultor ipſius *prouiſoris & adiutoris noſtri Domni Dionyſij, monere te volumus, vt quicquid de eius notitia ex Græcorum hiſtoriis per interpretationem ſumptum, vel quod ex libris ab eo patrio ſermone conſcriptis, & auctoritatis noſtræ iuſſione, ac tuo ſagaci ſtudio, interpretúmque ſudore, in noſtram linguam explicatis, huic negotio inſeri fuerit congruum: quódque etiam in Latinis Codicibus iam inde habes inuentum, adiunctis eis quæ in libello eius paſſionis continentur, necnon & illis quæ in tomis vel chartis vetuſtiſſimis armarij Pariſiacæ Eccleſiæ; videlicet ſedis ſuæ, prolatum inueneras, & obtutibus noſtræ Serenitatis oſtenderas*, &c. *in corpus vnum redigas*, &c. Quibus ex regiis dictis ſex inſignia ſunt annotanda.

* Meliùs fortè *protectoris* legeretur.

Primum, quòd Ludouicus Imperator cauſam iſtam quam dilucidari accuratè cupiebat, non ex placitis vnius Sapientis, ſed ex totius orbis ſuffragio & conſpiratione voluit diſquiri & definiri. Vnde iuſſit Græcorum pariter ac Latinorum, non recentiorum ſed veterum teſtimonia perquiri, & præterea intimam Galliæ conteſta-

teſtationem adhiberi.

Secundum. hanc intimam Galliæ conteſtationem cenſuiſſe, Pariſienſis Eccleſiæ teſtificationem, apud quam vtpote in corde Galliæ *ſedes Regni* conſtabat, ex inſtitutione Clodouæi Protochriſtiani Francorum Regis, ſicut Gregorius Turon. lib. 2. * recitat: cuique Eccleſiæ, communis Apoſtolus Gallorum ipſe Dionyſius hieromartyr, primus Antiſtes fuerat.

* Cap. 38. *Egreſſus autem à Turonis Pariſios venit, ibique Cathedram regni conſtituit.*

Tertium. Pariſienſem Eccleſiam in ea ſententia longè diu antè edita ab Hilduino Areopagitica extitiſſe, vt crederet primum illum ſuum Epiſcopum Dionyſium Areopagitam diuinis in ſcripturis celebratum, Pauli Apoſtoli diſcipulum, S. Clementis cooperatorem, ab eo in Gallias Apoſtolica miſſione Legatum; Lutetiæque quam Chriſto conſecrauit ſacratiſſimo ore ac cruore, inclyto Martyrio laureatum.

Quartum. traditionem illam Eccleſiæ Pariſienſis non fuiſſe tantùm verbalem, ſed authenticis monimentis, ſeu, vt ait Ludouicus Imperator, *tomis vel chartis vetuſtiſſimis quæ in Armario eiuſdem Eccleſiæ conſeruabantur*, ſcriptam & conſignatam, hoc eſt ſacro chyrographo venerandæ antiquitatis, quæ rem à principio attingebat obſignatam & ſuffultam. Etenim Cerannus Epiſcopus Pariſienſis ſanctiſſimus, qui ducentis ferè annis ante Hilduini ſcripta ſedens, acta Martyrum Galliæ Lutetiæ collegerat, vt vnum ex his Martryologium plenum conficeret, Pariſienſium

ſanè tutelarium oblitus non fuerat: Sed diligenter, ſi quæ alia Sanctorum Chriſti teſtium geſta, ex antiquiſſimis codicibus, acta illorum puriora & magis authentica ſelegerat, & in ſcriniis ſuæ Eccleſiæ depoſuerat: vnde ſaltem ab hoc tempore non dubium quin certa & ſyncera hiſtoria ſancti Dionyſij & ſociorum ex primæuo fonte delibata, in Pariſienſis Eccleſiæ archiuis aſſeruaretur. Quam muniebat inſuper antiquiſſimus ille libellus paſſionis ipſius B. Dionyſij & ſociorum, diuino beneficio Pariſiis inuentus, & à Viſbio Martyrij eiuſdem ſpectatore iam ab eo tempore conſcriptus: tantæ quidem vetuſtatis codex, vt ſuam antiquitatem ipſo inſpectu proderet, ex quo in diuinæ Liturgiæ officia tenor agonis glorioſi illius Chriſti præconis & athletæ, ac comilitonum eius, graphicè referebatur. Iámque ex tunc recitari conſueuerat inter tremendorum myſteriorum ſolennia, more Gallico; ſcilicet (vt oſtendit per inductionem Hilduinus) *ab initio receptæ fidei in Gallia.*

Quintum. eiuſmodi vetuſtiſſima monumenta in ſinu Pariſienſis Eccleſiæ aſſeruari, non ex mera relatione, Ludouicum Imperatorem didiciſſe, ſed vt id in mentem induceret, ſuis crediſſe oculis. Hæc enim antiquiſſima autographa hiſtoriæ ſancti Dionyſij Areopagitæ Pariſiorum Epiſcopi ſibi exhibita Imperator ipſe, ſe inſpexiſſe teſtatur.

Sextum. hanc Eccleſiæ Pariſienſis teſtificatio-

nem ingentis eſſe ponderis. Quia ſedes hæc illa erat, quam tantus Martyr & Pontifex ſua erexerat prædicatione, initiauerat Præſulatu, conſecrauerat paſſione. Sicut enim Tertullianus docebat *in præſcriptionibus cap. 36.* quiſquis velit ea diſcere quæ Romæ Petrus & Paulus docuerunt, à Romana Eccleſia id eſſe (*cui totam doctrinam ipſi Apoſtoli* ſummi *cum ſanguine profuderant*) perquirendum. Doctrinámque & facta Apoſtolorum ceterorum à cathedris * quibus præſederant ſinguli, repetenda eſſe. Si quis autem cuperet Apoſtolicarum Eccleſiarum venari origines, ab iiſdem illas perdiſcendas eſſe: eos euoluendo codices, quibus illæ, ſiue ab Apoſtolis fundatæ, ſiue ab Apoſtolicis viris; *ſuos cenſus referunt.* Idem ib. cap. 32. Non dubium quin ex hac regula quam ſemper Patres magnifecerunt **, Pariſienſis Eccleſia fuerat de ſui auctoris nomine, ætate, qualitate, geſtis & paſſione conſulenda. Quâ, illum Dionyſium quem parentem agnoſcit indicante, non eſſet vllo modo de eius ſpecificatione ambigendum: maximè cùm, quæ de ipſo ſuo auctore credebat & aſſerebat, non recenti perſuaſione ſuſcepta proderet; ſed accepta ex antiquiſſima traditione, ab ipſo ſibi infuſæ diuinæ religionis fonte defluente, & authenticis ſuffulta rerum geſtarum monimentis; deſcriptáque, non in nuperis codicibus, non nouis characteribus, *at vetuſtiſſimis tomis, ſeu chartis* (vt aſſerit idem Imperator, ex ſuorum oculorum te-

* *Age iam qui voles curioſitatem melius exercere, &c. percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſa Cathedra Apoſtolorũ ſuis locis præſidentur.*

** Iren. lib. 3. c. 3. Cyprian. l. 1. ep 3. & 6. & l. de Simpl. Præl. Auguſt. epiſt. 165. ad Generoſum & cont. epiſt. Fund. c. 4. Optat. lib. 2. contra Parm. &c.

ſtimonio) *antiquiſſimis* exarata indigitaret. Quam traditionem ita certam & indubitatam eſſe credebat ipſa Eccleſia Pariſienſis, vt non tantùm in ſcriniis hanc ſcriptam in codicibus vetuſtiſſimis approbaret: ſed etiam illius ſeriem in diuinis liturgiæ myſteriis ex peruetuſto recitaret ritu: vt patenti indicio erant duo præmemorati Miſſales libri magnæ vetuſtatis, in quib. glorioſiſſimi ipſius Areopagitæ, Lutetiæ vrbis regiæ Protopræſulis & Martyris, ſociorúmque paſſio, ita graphicè referebatur, *vt nulli tum dubium eſſe poſſet* (cùm hæc inquiſitio facta eſt Imperatoris Ludouici Pij iuſſione) *à teſte illorum Martyrij*, hoc ſacro tenore *illorum agones fuiſſe deſcriptos.* Quid hîc reſpondeant contradictores non video, nec vſquam vllum ad hanc rationem, immò demonſtrationem tam potentem, tam perſpicuam illorum reſponſum legi. Hîc enim iam oportet vt Hilduinum victorem fateantur, vel illo ſtante in arena, relicto; manus cum Ludouico Imperatore conſerant, cúmque quaſi falſa retulerit, cùm vidiſſe monumenta illa vetuſtiſſima Pariſienſis Eccleſiæ teſtatus eſt, damnent malæ fidei: vel Pariſienſis Eccleſiæ *ſuos cenſus referentis* * antiquiſſimíſque ex codicibus, ac primigenis ritibus, celebrantis parentis ſui trophæa ſacratiſſima, auctoritatem proculcent, fidem impetant, traditionem inſectentur, monumenta diripiant, antiquitatem obliterent, originem conuellant, temerent integritatem, contaminent dignitatem,

* *Apoſtolici cenſus Eccleſias* agnoſcebat Tertullianus, non illas modò quæq. habebant ſuũ ex Apoſtolis auctorem: at etiã eas quæ anteceſſorem ſuum acceperãt *ex viris Apoſtolicis*: qualis ſanè Dionyſius Areopagita fuit. *Vide præd. Tertull. de præſcript. cap. 32. Et lib. 1. & 4. aduerſus Marc.* Ex cuius ſententia, Apoſtolica cenſenda venit Eccleſia Pariſienſis, ob originalem emanationem.

teſtimonium aſpernentur. Quæ ſi iis impunè liceat, ruunt Patrum oracula, decidunt Eccleſiarum omnium fundamenta; originis Apoſtolicæ, communionis Catholicæ, auctoritatis Eccleſiaſticæ, ſacræ traditionis, Epiſcopalis ſucceſſionis, poſitæ (vti propugnacula firmiſſima) à SS. Patribus aduerſus Chriſtianæ vnitatis diuiſores & diuinæ veritatis corruptores, regulæ euertuntur: & non modò Eccleſiaſticæ omnes hiſtoriæ concidunt, ſed Catholicæ Eccleſiæ per totum orbem diffuſæ propagatio, ſucceſſio, & progreſſus certa deſignatione carebunt; proindéque incerta omnia quæ poſt Apoſtolos in Chriſti regno acta ſunt, & obſcura, penitúſque incomperta relinquentur.

Et aduerſarios quidem ad hæc abſurda per regulas Patrum cogeremus, tametſi Eccleſiæ ſolius Pariſienſis, quam illuſtrem & *perantiquam* eſſe abnegare nequeunt * haberemus, tam apertam authenticam & priſcam teſtificationem. Verùm non ſola Pariſienſis Eccleſia ante Hilduini tempora, in hac ſententia fuit. At Galliarum aliæ Eccleſiæ perinſignes, eandem iam olim profeſſæ ſunt, retinéntque hodie ex perantiqua traditione. Quòd enim hæc recepta fuerit iamdudum in Gallia, facilè oſtendi poteſt ex multiplici obſeruatione. Certè S. Paſchaſius Ratbertus, Abbas antiquus ac percelebris Corbeienſis, qui magni pietatis Sacramenti, realitatis ſcilicet Chriſti corporis & ſanguinis in diuino Euchariſtiæ my-

* Aduerſarij etenim ipſi, annos vt minimũ 1400. tribuunt origini Eccleſiæ Pariſiẽſis: quam ſub Decio ſaltem fundatam volunt; aliqui etiam diu antè non abnuunt initiatam.

ſterio primarius ac præcipuus ſuo ſæculo, contra erumpentem iam hæreſim, aſſertor extitit ac propugnator perſtrenuus: (cuius integra opera R. P. Iacobus Sirmondus, præcipuum hac ætate, Societatis IESV in Gallia lumen, *ex Bibliotheca Monaſterij Corbeienſis*, à ſe elicita, collecta & recenſita, anno 1618. Pariſiis, ex typis Michaëlis Sonnij in lucem emiſit) in libello *paßionis Sanctorum Rufini & Valerij*, poſt iteratum proëmium diſertè ſcribit: Dionyſium qui Galliarum Apoſtolus fuit, minimè ad poſteriora Apoſtolicis temporibus ſæcula referendum eſſe; *fuiſſe enim hunc certè à S. Clemente miſſum, vt frigida gentilium corda fidei calore animaret, ideóque Galliarum fines penetraſſe iiſque illuxiſſe tanquam* LVCIFERVM MATVTINVM, * *qui perfidiæ tenebras ab incredulorum mentibus amoueret. Eumdem igitur cum ſociis, Gallorum populis propalatam veritatis viam initiâſſe.* Ne autem ex mente propria id quis exiſtimet Paſchaſium hanc hauſiſſe aſſertionem, quam prodit vt certam & exploratam: moneri debet, quicumque ita ſiniſtrè de tanto viro ſuſpicaretur, ipſum Paſchaſium hanc auſpicatò calumniam anteuertiſſe. Etenim ipſo in huius opuſculi exordio proteſtatur, ſe nihil ex ſuo cerebro in hac conſcriptione depromprturum: ſed ab antiquitatis probatiſſimis (ad quæ libenter Ariſtarchos ſuos ablegat) & perſpicuis monimentis. *Qua de re*, ait, *meritò nos non redarguendos exiſtimo, quoniam ſtuduimus deprauata corrigere, inueterata reparare,*

* Ita teſtabatur ante Paſchaſiũ, Pipinus Rex in diplomate dato apud S. Dionyſiũ anno regni ſui 17. qui fuit eius vltimus.

quandoquidem per hæc vtilitati legentium deſeruire quæſiuimus (v. g. dum errorem emaculauit, qui in acta quædam illorum Martyrum corrupta irrepſerat, de horum qui ſub Diocletiano paſſi erant, cum B. Dionyſio, qui, vt certiora & puriora teſtimonia probabant, miſſus à S. Clemente venit in Galliam, coætanea profectione.) *Non enim geſtorum fidem corrupimus, ſed noſtro ſub eloquio, priorum ſcriptorum texuimus hiſtoriam. Quòd ſi quis noſtram ſpreuerit, legat ſi maluerit antiquam.* Siquidem benè ſibi de ſynceritate ſua in obſeruantia veritatis, & conformitate dictorum ſuorum cum antiquorum auctorum ſcriptis, conſcius ipſe erat. Quem eius candorem inter ceteras eius virtutes egregiè celebrauit, Engelmodus Epiſcopus Sueſſionenſis in carmine ad eundem, vbi ſic ipſum compellando, cecinit.

Ergo beate Pater, decus & lux aurea mundi
Eccleſiæ columen, paradiſi maxima cedrus,
Relligionis apex, fidei fortiſſimus vmbo

. . . .

Quem non ira ferox, non atri ruga tumoris
Virus non odij, inuidiæ non denique peſtis
Non laſciuus amor, fœdus non ardor habendi
Non mentita fidem, ſimulatio crimine fallens

. . . .

Sed pia ſimplicitas, virtus & conſcia recti.

Senex autem Paſchaſius erat, cùm hæc dictabat Engelmodus: vnde ſubdit

Corporis in geſtu radiant inſignia mentis

. . . .

Cæſaries etenim niueo candore niteſcens
Virgineum cordi præpandit ineſſe pudorem.

Engelmodus enim qui iam Antiſtes factus hæc ſcribebat (vt conſtat ex titulo eius poëmatis) nonniſi anno circiter 867. labente demortuo Rothardo ſuffectus fuit. At Paſchaſius ex Bellarmino *in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis* maximè clarebat *anno 820.* immò vt cenſet Poſſeuinus iam *anno 808.* ſcriptis ſuis claruerat, quo tempore nondum Hilduinus ſua Areopagitica meditatus fuerat, quæ vt capite ſequenti demonſtrabimus, nonniſi *anno 838.* ex iuſſione Ludouici Pij ſcribere aggreſſus eſt. Vnde elicitur, quòd ea ſententia, quam aſſeruit Paſchaſius, de Dionyſio Pariſienſi ipſis temporibus Apoſtolicis exiſtente, atque ad extremum in Galliis pro Chriſto pugnante, & Pariſiis triumphante, ſanctíque Clementis ſynchrono, & ab eo (neutiquam verò à Sixto, Fabiano, vel Marcellino, vt quidam mediæ ætatis fabulatores ſomniarunt) has in prouincias Galliarum ablegato; ipſam ante commentationem Hilduini in Gallia recepta, & à Sapientibus, vt genuina & ſyncera probata erat: qui, vt Paſchaſius inuenerat, ita illam traditam à maioribus, immò litteris conſignatam, à prioribus ſcriptoribus; quin & ab integræ fidei (quam corrumpere nefas eſt) Martyrum actis delibatam, & expreſſam legebant, & hinc acceptam ſuo ſuffragio perennabant. Ideóque

que Eccleſiis Galliæ iam tum inditam illam fuiſſe ab antiquo traditionem probatiſſimam, actis germanis Martyrum Galliæ primitiuorum obſignatam, ſuffultámque veterum, vt aſtruit Scriptorum certa ac patenti quibuſque veri indagatoribus, adſtipulatione. Habemus alia huius veritatis indicia, ipſóque Paſchaſio antiquiorum Galliæ Patrum teſtimonia, quæ infrà in ſupplemento probationum, quas pro ſuppetiis Hilduino conferemus, aptiùs vt reor proferemus. Interim hic pius Lector accipiat *ex peruetuſto Codice* diuinorum officiorum priſco ritu Gallico, breuem hiſtoriæ tenorem glorioſi Martyris Dionyſij: quem Gallia ſemper credidit eundem omnino eſſe Athenis ortum, qui Pariſiis laureatum. Quo perantiquo contextu, Eccleſiarum Galliæ traditio graphicè deſcribitur, compendioſè exprimitur, eóque ſtylo conſignatur, quì ipſam ſpirat, qua conſertus eſt, antiquæ ſimplicitatis germanitatem. *Beatus Paulus Apoſtolus à Deo conſtitutus Magiſter omnium gentium, peragrans ciuitates & regiones, tempore quo Claudius agebat in ſceptris, peruenit Athenas. Tunc Dionyſius anno ætatis triginta & quinque agens, & cunctis penè artibus imbutus, aliorum quoque doctor exiſtebat**. *Tunc plurima Paulo prædicante, Dionyſius doctrinam & dogma ſalutis audiens, & nihil eſſe idola quibus ſeruiebat agnoſcens, credidit cum omni domo ſua, & abnegatis erroribus Paganorum ſacri baptiſmatis vnda reſperſus eſt: ac demum ſe tradidit Pauli magiſterio ple-*

* Succinit Euſebius in Chronico ex recẽſione Pontaci: vbi ſic legitur notatum anno Domini 52. *Dionyſius Areopagita præſtabilis olim Philoſophus claret*, ſcilicet regnãte Claudio.

*niùs imbuendum. Adhæſit tunc Dionyſius B. Paulo inſeparabilis per triennium, quocumque greſſum mouerat, & poſt hæc Athenienſium eſt ordinatus Antiſtes. Denique ipſo iubente, Chriſti Euangelium prædicauit, eandémque ciuitatem & maximam partem prouinciæ ad fidem veritatis annectit. Scripſit tunc ad Timotheum Epiſcopum ſuúmque * diſcipulum tres libros. Poſt multos autem annos, quia Petrum & Paulum Romæ tentos comperiſſet, Athenas rediens, ſubrogato ſibi Epiſcopo plebem tradidit, & verbi ſpargens ſemina Romam peruenit. Denique Sanctus Clemens videns eum dixit ei. Vides frater mi quia Dominicæ. . . . & quoniam pauci ſunt operarij. Tradente igitur beato Clemente parturienda gentibus ſemina diuina ſuſcepit: qui ei ſocios quoque & comminiſtros verbi plures & probatos adhibuit, & dans pacem omnibus . . . . fraternitatis ſocietatem iuſſit abire. Qui ſimul properantes & circumquaque Deum prædicantes, tenuerunt Arelatenſis ciuitatis portum. Exinde Macarius Dionyſius, qui ſedis Apoſtolicæ priuilegio, à beato Clemente verbi diuini ſemina Gallicis gentibus eroganda ſuſceperat; quo ampliùs gentilitatis feruere cognouit errorem, illuc diuina protectione munitus, fortis & verus prælιator ſe immerſit. A-*

* Igitur, hic Timotheus, ille Epheſiorũ Epiſcopus, non erat qui longè ante Dionyſiũ Pauli fuit auditor & adiutor: ſed alius inferioris ætatis & dignitatis. Vnde habes quo ductam ſoluas ex inſcriptione Libb. Dionyſij ad Timotheum (quẽ in fine libri *de cæleſti hierarchia, filium* nominat) quorundã qui illos repudiare conantur obiectionem. Nam ex hiſtoria in textu recitata, patet Dionyſium habuiſſe proprium diſcipulum nomine Timotheum, ad quem ſanè libros direxit, & quem filium (quòd ſuus eſſet diſcipulus) iure meritò appellauit. Fruſtra igitur ſudant qui Timotheum, quem ſic compellat Dionyſius, Epheſinum illum percelebrem Pauli alumnum & cooperarium fuiſſe exiſtimantes, titulum *filij* à Dionyſio, illi recto ſenſu tributum nituntur perſuadere. Cùm hac diſtinctione Timotheorum admiſſa, non opus ſit has in anguſtias vt ſe illi coniiciant. Manent enim opera ſancti Dionyſij à prædicta obiectione prorſus libera. Biuarius ad ſuum Dextrum anno Chriſti 100. conatur probare Timotheum quem *filium* vocat Dionyſius, fuiſſe Eugenium Toletanum, de quo infra.

quitaniæ partibus Saturnino directo, Pariſius Domino ducente peruenit. In quo loco Deum & Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM *quem corde ardentiſſimo nouerat inſinuabat gentibus. Quare ab apparitoribus capitur, conſpuitur, illuditur, trahitur, & cum S. Ruſtico presbytero & Eleuthero Diacono, Præfecto . . . . . prouinciæ ſiſtitur . . . . . Qui in eadem omnes fidei conſtantia permanentes, amputatis capitibus, beatas animas cælo cum gaudio intulerunt.* Ita ſine fuco dictionis, & ſine vllis verborum ambagibus ſancti Dionyſij & ſociorum ſacro hoc in perueteri codice exprimitur felix concurſus & paſſio. Ex cuius ſerie clarum eſt quem Gallia fuiſſe Dionyſium Apoſtolum ſuum pridem crediderit, quem in diuinis ipſis officiis talem qualem hodiéq. credimus illum fuiſſe profeſſa ſit. Nec enim vnius Eccleſiæ illa fuit in Gallia perſuaſio, ſed omnium certè fides communis, vt teſtatur vetuſtiſſimum Martyrologium Gallicani ritus, adeo characteribus perantiquis exaratum, vt vetuſtiore nota delineati libri in Gallia vix reperiantur: iamdudum in bibliotheca Monaſterij ſancti Mauri Foſſatenſis, ante mille ferè annos conditi, aſſeruatum, cenſitúmque in voluminum inſignium ſerie ſub notula E. in quo hæc leguntur die 9. Octobris. *Paſſio ſanctiſſimi Dionyſij, qui à loco Areopagita*, &c. *à ſancto Paulo Athenienſium ordinatus* * *Archiepiſcopus, Apoſtolica verò auctoritate B. Clementis Papæ, vniuerſalis Galliæ conſtitutus Apoſtolus*, &c. quæ pau-

*Archiepiſcopi nomē in Gallia ante 1050. annos fuiſſe in vſu, liquet ex canon. 6. 1. Concilij Matiſc. *Vt Archiepiſcopus ſine pallio, Miſſas dicere non præſumat.*

lo fuſiora ſunt quàm hîc per ſeriem conueniat integrè retexere, ſúntque prorſus eadem (quoad rei geſtæ ſubſtantiam) cum iis quæ in Eccleſiarum Galliæ libris myſticis, ſeu diuinorum officiorum codicibus tam manuſcriptis quàm impreſſis: maximè verò Metropolitanorum Eccleſiarum *Arelatenſis, Narbonenſis, Bituricenſis, Turonenſis, Remenſis, Rotomagenſis, Senonenſis, & Pariſienſis; Epiſcopalium verò Gratianopolitanæ, Agennenſis, Lemouicenſis, Claromontanæ, Velaunenſis, ſeu Podienſis, Floriacenſis, Andegauenſis, Cenomanenſis, Nannetenſis, Catalaunenſis, Sueſſionenſis, Siluanectenſis, Bellouacenſis, Laudunenſis, Ambianenſis, Nouiomenſis, Lingonenſis, Metenſis, Ebroicenſis, Bajocenſis, Conſtantienſis, Abrincenſis; Carnotenſis, Aurelianenſis, Meldenſis, Niuernenſis, Autiſsiodorenſis, Trecenſis*, vniformi traditione, quamquam verbis paululum diuerſis, de eodem beati Dionyſij ortu, curſu, miſſione, Martyrio exprimuntur & leguntur. Quibus nulla prorſus in Galliæ Eccleſiarum officiis, tam antiquis quàm recenter editis (quæ ſunt germana ortus Chriſtianiſmi & progreſſus, per ipſius religionis parentes & Eccleſiarum Apoſtolos, monimenta; atque perſpicua præcipuáque rerum geſtarum ab iis indicia, perenniáque agnitæ à maioribus illius veritatis teſtimonia) reperire eſt quæ aduerſentur, at potiùs omnia quæ adamuſſim cohæreant, & adſtipulentur. Vnde dicitur perpetuus hanc in ſententiam Eccleſiarum regni Chriſtianiſſimi con-

ſenſus : quem ſpernere ſine ingentis temeritatis (ne duriùs dicam) labe, reatúque non ferendæ contumaciæ nemo profectò poteſt. Si enim Chriſti hæc eſt inuiolabilis promiſſio, vt *vbi duo vel tres in ſuo nomine congregantur, ibi ſit eorum in medio adfuturus*, eis vt adſit ac aſpiret : quis auderit ſi piè ſentiat de eius veracitate, tot lapſas Eccleſias vna in re conſpirantes, contra veritatis tenorem ſentiendo & docendo, criminari? Nónne hoc *in Spiritus veritatis qui Eccleſiis loquitur* (vt S. Ioannes inſinuat) & eas dirigit, redundaret offenſam? Nónne in illorum hæc calumnia rediret deliria impia, qui à Tertulliano tam durè redarguuntur quòd dicerent*: *Omnes errauerunt Eccleſiæ, nullam Spiritus ſanctus reſpexit.* Scílicet in Gallia, ex quo Chriſti Euangelium ab ea ſuſceptum eſt nulla fuit Eccleſia Epiſcopalis, cui Spiritus veritatis aſtiterit, aſpirârit, vt errantes ceteras tam pudendæ deflectionis tam inſulſæ fabulæ admoneret, atque in rectam reuocaret ſemitam, ſacræ ſcilicet hiſtoriæ (quâ edocerentur populi, per quos Chriſtus ipſe ſol iuſtitiæ, Galliis patefactus illuxit) cognitionem: vt iis Eccleſiarum Patribus quæ iuſta debentur gratitudinis officia, quæque Apoſtolus ob illorum merita iubet à fidelibus iis referri piæ recordationis**, imitationis & honorificationis obſequia, congruè rependerentur. Abſurdum eſt nimis hoc exiſtimare. Tametſi enim ea non pertineant quæ dicta ſunt, ad Catholicæ fidei ſubſtantiam,

Apoc. 1 & 2.

* In præſcript. vide & S. Aug. in Pſalm. 101. Conc. 2. diſputãtem contra Donatiſtas.

** Heb 13. *Mementote præpoſitorũ veſtrorum qui vobis locuti ſunt verbũ Dei: quorum intuentes exitum conuerſationis. imitamini fidẽ.*

tamen ſpectant ad veritatis ſacræ hiſtoriæ ſynceritatem, quæ ſi per omnes regni ampliſſimi prouincias corrumpatur, nutabit etiam in ceteris quæ attinent ad religionem traditionibus, illarum auctoritas, eneruabitur vis earumdem conſenſus, abrumpetur nexus myſticæ ipſarum compaginis: hæreticorum & impiorum cachinnis ſacrorum patebit officiorum, tot aſperſorũ fabulis, recepta vbique perpetuóque ſeruata ſeries. Tanto enim magis illis videbitur riſu digna diuinorum præconiorum congeries, quo magis longè latéque diffuſa, à tot ſæculis ſine vlla emendatione conſignata & celebrata deprehendetur. Nec enim tam duram conſecutionem quis emolliret, excuſando Patres ab incuria non adhibitæ correctionis, quoniam res hæc, in qua tam diu erratum fuerit viſa iiſdem ſit vel ex ſe indifferens, vel certè tam leuis momenti, vt parum referre putauerint, ſi pro re vera, vel fabula à quibuſque acciperetur. Etenim ab Eccleſia debent omnia quæ falſa ſunt repudiari, atque in diuinis officiis nulla tolerari debent mendacia. Vnde Concilium Africanum prohibuit, *can. 70.* quicquam in Eccleſia legi quod non ſynodico iudicio, vel aliàs iuſtè fuiſſet comprobatum. Et Carolus Magnus in legibus Franciæ conſtituit, vt Miſſalia videantur, & ea reiiciantur quæ ab Eccleſia minimè probata ſunt. *lib.1.Capit. cap.78.* Qui ſanè Princeps nitoris & puritatis diuinorum officiorum ita ſtudioſus fuit, vt homilias

iuxta Patrum autographa recognoſci, atque geſta Sanctorum ad perpendiculum veritatis recenſeri ac diſponi per congruum ordinem curauerit per Paulum Diaconum *, quem huic recenſioni idoneum Iudicem adhibuit. Inſuper in Francofordienſi Concilio canonem 42. fecit decerni, quo ſancitum eſt, *vt paßiones Sanctorum quæ auctoritatem non haberent* (ſcilicet ſyngrapham Eccleſiaſticæ approbationis) *minimè admitterentur*. Quis igitur in mentem induxerit tam oculatum Principem, tam rigidum hiſtoricæ puritatis, in Eccleſiaſticis lectionibus, de Sanctorum geſtis, exactorem, ſancti Dionyſij præcipui regni ſui protectoris acta legi, in Eccleſiis vniuerſis, Galliæ, ſpuria vel corrupta paſſurum fuiſſe? Sancti, inquam, Dionyſij, in quem tota deuotione ſemper flagrauit, totámque poſt Deum & beatiſſimam Deiparam ſuam conieceerat fiduciam, adeovt victoriam ſibi non ceſſuram ſperaret ** progrediens contra Saxones; niſi pignora ſacra ſui huius præpotentis tutelaris & ſociorum eius ſecum deferri feciſſet per Furaldum Abbatem Sandionyſianum, & delectos ad hoc ſacerdotes. Nec elabi poſſunt critici noſtri ex hoc anfractu ſi dixerint, Carolum Magnum non emendaſſe vel corrigi iuſſiſſe officium ſancti Dionyſij, quoniam corruptela illa, quâ auctore Hilduino, Dionyſius Epiſcopus Pariſienſis Areopagita credi cœpit (qui ab eo omnino diuerſus erat:) nondum ſacra in officia Eccleſiarum Gal-

* Sigebert. in Chronico an. 807.

** Vetus Cod. MSS. Monaſt. S. Dionyſij.

liæ irrepſerat. Etenim ſi Hilduinus inuexiſſet hanc ſuo ex genio opinionem, Eccleſiæ quæ de aduerſa fuiſſent imbutæ ſententia, ſuis antiquis fultæ diuinorum officiorum codicibus, illi continuò vt impoſtori repugnâſſent: & ſi aliquæ per incuriam lapſæ fuiſſent in hanc decipulam, certè non omnes ſuſtinuiſſent ſe decipi, vt vniuerſali conſpiratione, quæ adhuc perdurat, nouæ & confictæ quam cognouiſſent opinationi priuati ſcriptoris, aſſentirentur. Falſum inſuper eſt quod hæc euaſio ſupponit, non adhuc tempore Caroli Magni creditum fuiſſe Pariſienſem Dionyſium illum eſſe virum Apoſtolicum, quem Hilduinus, vt volunt, ob nominis celebritatem cum Pariſienſi conflauit. docuit enim Hilduinus ex veteri Eccleſiarum Galliæ fide, (quarum liturgicos libros antiquiſſimos proferebat,) Pariſienſem Dionyſium ſcholæ Apoſtolicæ alumnum fuiſſe, à S. Clemente Apoſtolorum ſucceſſore, in Galliam, quam Euangelico ſplendore illuſtraret, amandatum. Idipſum Carolus Magnus credidit (quemadmodum infrà oſtendemus longè antè in Gallia, ſic fuiſſe & traditum & creditum.) immò hoc ipſum præclarè profeſſus eſt: cùm ſcilicet iam ætate grauatus, Aquiſgranum demum, ad piæ ſe morti diſponendum, recepturus, ad Dionyſianum cœnobium venit; beato ipſi Martyri ſuo opitulatori, propter tot ſuſceptas per eius patrocinia victorias, debitas grates retulit, atque vltimum vale dixit, in ſplendida Principum ac

Præſulum

Præſulum ad ſe conuocatorum corona. Etenim ſignate perhibent vetera geſtorum eius, in hoc inclyto Monaſterio monimenta MSS. quomodo actis ſanctiſſimo illi Martyri (quem diſertè ipſum eſſe *Areopagitam* : vt infrà indicabitur ex eius inſigni diplomate, agnoſcebat) vberrimis gratiarum præconiis, demum intulerit. *Domine ſancte Dionyſi à vobis nunc licentiam abeundi accipio : vobiſque Franciam relinquo, vt poſt Deum ſis eius Dominus & cuſtos.* Túmque vniuerſam Galliam deuinctam eius clientelæ eſſe voluit, *ſicut antea B. Clemens Papa Apoſtolatui eius illam præbuerat.* Et Franci quidem ab antiquo de hac Apoſtolica ſancti Dionyſij ætate, initiatione, dignitate : immò Apoſtolatu, non Gallicano ſolùm, ſed longè ampliori certò perſuaſi fuerunt, vt hinc etiam magnum Galliæ decus vendicârint ſemper, atque etiam titulum ſpecialis honoris, Galliæ regno exiſtimauerint hoc ipſo iure competere. Quod ſingulari quidem ac perilluſtri valdéque memorabili exemplo hîc oſtendere, non abs re fore iudico. Mortuo Cœleſtino IV. Gregorij IX. ſucceſſore, cùm Cardinales Anagniæ in deligendo Pontifice moras necterent, miſit ſanctus Ludouicus Rex & Clerus Galliæ ad eos, nuntios interminantes, ſe Papam in Gallia electuros, ſi diutiùs iniunctam illis ex muneris debito, Pontificis deſignationem protelarent. *Hoc verò* (ſubnectit Matthæus Paris rei geſtæ enarrator, in Henrico ſuo III. pag. 582.) *audacter*

ſignificabant, confiſi de antiquo priuilegio ſuo, per S. Clementem beato Dionyſio conceſſo & obtento, qui conceſſit Apoſtolatum eidem Dionyſio, ſuper gentem Occidentalem.* Etſi enim S. Clemens ſpecialem Galliæ eſſe voluerit beatum Dionyſium curatorem, Paſtorémque proprium nouæ Eccleſiæ Pariſienſis: tamen ſuum quaſi Legatum & Vicarium in vniuerſo occidente illum conſtituit: vt Dextri Chronicon (quod ſcriptum tempore S. Hieronymi**, ådeóque illi dicatum, Franciſcus Biuarius nuper acerrimè propugnauit) diſertè notat anno 110. quæ cauſa fuit vt de ipſa Hiſpania ſollicitus, Eugenium diſcipulum, eò tranſmiſerit, Euangelium prædicaturum, qui ab eo Epiſcopus ordinatus, Toleti primam paſtoralem ſpeculam Cathedrámque Epiſcopalem collocauit, quod teſtatur Martyrologium Romanum 15. Nouembris, & vniuerſa Hiſpania etiamnum confitetur: quin & hac de miſſione ſui Protopræſulis, facta per tantæ gloriæ virum Apoſtolis ſupparem, Clementis eorum ſucceſſoris Vicarium, admodum gloriantur: vnde hodiéque canit ſibimet gratulando Toletana primatialis Eccleſia.

Doctus alumnus Graciæ
Miſit hunc Dionyſius,
Ut eſſet ſolis radius
In tenebris Hiſpaniæ.

Miſſóſque à ſancto Dionyſio nonnullos in Germaniam Britanniámque ex ſuis ſectatoribus qui

* Nota quàm certa ſemper illa habita fit traditio, apud Gallos non ſolùm, ſed & apud exteras quoque nationes.

Vide ſanctum Antoninum 1. part. Chr. tit. 6. cap. 26 &c.

** S. Hieronym. in lib. de ſcriptorib. Eccleſ. verſus finem. *Dexter (ait) Paciani, de quo ſuprà dixi, filius, clarus apud ſaeculum, & Chriſti fidei deditus, fertur ad me omnimodã hiſtoriam texuiſſe. Quam necdum legi.*

has nationes fidei luce illuſtrarent, illarum gentium priſca monumenta produnt, & veſtigia quæ deſtinatorum ab eo illuc cæleſtium nunciorum, adhuc impreſſa apud hos populos remanent, ſatis indicant & teſtantur. Sed hæc non perſequimur, quia ad rem non ita faciunt propoſitam. Galliæ curam, vt præindicauimus, ſic generalem ſuſcepit à S. Clemente B. Dionyſius, vt ſpecialem iniuncto ex munere habuerit. Seruatur apud Corbolium perantiquum hagiologium, in Eccleſia ſancti Exuperij, in quo inter cetera hæc leguntur. *Septuaginta duo diſcipuli beati Dionyſij Areopagitæ tempore Domitiani Imperatoris, vſque Pariſius* (cum eo) *venerunt, qui omnem Galliam circuierunt.* Nec enim mirum ſi tot adhibuerit ſubſidiarios, *magnum enim oſtium ipſi apertum erat*, & ſollicitudo id exigebat, qua vrgebatur, ſalutis tot Galliæ populorum procurandæ. Ideóque S. Clemens oneris eius grauitatem perpendens cùm in Galliam illum mitteret, *plures eidem Coepiſcopos, Presbyteros ac Diaconos* (vt refertur in veteri MSS. Codice Prioratus de Dulio *) *in comitatu ei adhibuit*, &c. quos Miniſtros haberet verbi Dei, longè latéque ſcilicet tota Gallia, per eorum operam diſſeminandi coöperarios. Et reipſa plurimæ ſunt in Gallia Eccleſiæ Cathedraticæ, quæ ex eius manu primos ſuos Doctores & Paſtores accepiſſe profitentur: quarum tædioſum foret (immò potiùs ſuperfluum, cùm res illa per ſe notiſſima ſit) indicem exarare **. Communis eſt

* aliàs Diogilo.

** Præcipuæ tamen ex iis ſunt

Rotomagenſis Metropol Ebroicenſis, Bajocenſis, Meldēſis, Virdunēſis, Bellouacenſis, Santonenſis. &c. prę-ter illuſtriſſimam omnium Pariſienſem.

illa fuítque ſemper non iſtarum modò, ſed omnium Gallicarum traditio, quòd Dionyſius vir Apoſtolicus, quem S. Clemens, Petri Apoſtolorum principis in cura vniuerſalis Eccleſiæ meritiſſimus ſucceſſor, Galliarum doctorem & Apoſtolum delegauit, has Apoſtolatu ſuo vndique illuſtrauerit, & Pariſienſem Eccleſiam quam diuino ore progenuit proprio labore excoluit, ſanguinéque pretioſo irriguit; idem ipſe primus illius Pater, doctor & Antiſtes, ad mortem vſque curauerit & confirmauerit inclyto ſuo Martyrio. Cuius rei adeo conſona ſunt omnium Eccleſiarum Galliç teſtimonia, reíque ipſius geſtæ in maximo orbis ſplendore veſtigia adeò perſpicua ſunt, vt ſi tacerent hac de re homines, *lapides ipſi loquerentur.* Quamobrem præclarè Aloyſius Lipomanus vir grauiſſimus, Epiſcopus Veronenſis, qui in Galliam veniens, totius Regni Chriſtianiſſimi hanc in rem conſenſum intemeratum cognouerat, patentiáque indicia tam exploratæ veritatis perſpexerat; iudicauit id pro rato & conſtanti prorſus habendum, nec contrarium, apud Francos qui dicerent, ab iiſdem ferri poſſe. *Hæc*, inquit, *manifeſtam nobis hac de re fidem conciliant, vt contrarium aſſerere in partibus illis, piaculum eſſet maximum.* Quæ intima (hoc eſt è viſceribus ipſis natæ in Gallia religionis elicita, ex diuinorum officiorum libris antiquiſſimis expreſſa, hauſta è primæuis ſacræ traditionis fontibus) Gallicanæ Eccleſiæ conteſtatio, non

recens cenſeri poteſt, quam Hincmarus ferè ante 800. annos, vt antiquiſſimam * in præſidium tam perſpicuæ veritatis, quàm vbique receptæ traditionis afferebat: quámque nos illo eſſe & Hilduino longè antiquiorem, ſuprà indicauimus, inferiúſque adhuc luculentiùs oſtendemus, vbi illarum probationum, quas non aſpexit vel induxit Hilduinus, proferemus vberius ſupplementum.

*In epiſt. ad Carol. Caluum c. 2. *ratum in hac cauſa eſſe, quod longè ante nos dictum eſt, recognoſcans: quia veritas ſæpiùs exagitata, magis ſplendeſcit in lucem.*

Capvt Sextvm.

De Græcæ Eccleſiæ multiplici, cui inhæſit, Hilduinus teſtificatione.

EX Græcorum fontibus ſe hauſiſſe aſſertionis ſuæ inſinuationem ac confirmationem Hilduinus cap. 3. epiſtolæ ſuæ ad Ludouicum Pium profitetur. Qua de cauſa profectum etiam illum in Græciam, vt vberiùs rei totius notitiam inueſtigando perdiſceret, ſupra ex Abaillardo obſeruauimus. Quando autem hanc inierit perluſtrationem, coniicere licet ex Flodoardo, qui lib. 3. hiſtor. ſuæ cap. 1. commemorat ipſum Hilduinum Abbatem (quem nominat Ludouici Pij Imperatoris *Archicapellanum*) in eiuſdem Auguſti cum aliis regni Primoribus offenſam incurriſſe, ablatíſque Abbatiis in Saxoniam eſſe abire iuſſum. Tum enim facilè potuit tranſire in Græciam. Porro hanc procerum Galliæ re-

legationem, notat Sigebertus eueniſſe anno 835. Reſtitutum autem fuiſſe poſtea Hilduinum operâ Hincmari ſui diſcipuli, gratiâ apud Ludouicum præpollentis, Flodoardus idem commemorat: annum autem non deſignat quo reuocatus in Galliam, duabus Abbatiis ſuis, ſcilicet Monaſterio ſancti Dionyſij, & cœnobio ſancti Medardi Sueſſionenſis, priſtino cum fauore redditus fuerit. Triennium ſaltem inchoatum ſi non abſolutum abfuiſſe à Gallia Hilduinum, elicio ex inſtrumento dedicationis Monaſterij Hirſaugienſis, cui Hilduinus ipſe cum Rabano adhuc Abbate Fuldenſi, immò & Ebbone ante depoſitionem Remenſi Archiepiſcopo, tunc verò Heildeshemenſi Antiſtite, multíſque aliis Galliæ proceribus, tam ſacris quàm ſæcularibus (& ipſis à beneuolentia Imperatoris hoc tempore alienis, ſed paulò pòſt in gratiam receptis) interfuit *anno 838. indict. 1. menſe verò Septembri*, quemadmodum notat Trithemius *in ſuo Chronico Monaſterij Hirſaugienſis tit. 3.* Durante autem hac temporis intercapedine, ſatis otij habuiſſe Hilduinum, huc illúcque diſcurrendi, & Græciam maximè ob ſtudium B. Dionyſij perluſtrandi, vt quæ ad eius memoriæ plenam clarificationem conferebant, inueſtigaret, conſentaneum eſt fateri. Nam Areopagitica quæ ſcripſit nonniſi ab eo exarata fuiſſe poſt Imperatoris Ludouici reſtitutionem (quæ, vt obſeruat Sigebertus, facta eſt anno excurrente 834.) Liquet ex eiuſdem Au-

guſti ad ipſum Hilduinum mandato, de collectione plenaria ineunda actorum ſancti Dionyſij: cuius hieromartyris ſuffragiis, ſeſe profitebatur fuiſſe Imperio reſtitutum. Non quòd eodem anno hanc iuſſionem à Ludouico ipſo acceperit Hilduinus, qui ſequenti anno ab eodem Imperatore in ſe irato, ſolum vertere, cum pleriſque aliis aulicis, immò & Præſulibus coactus eſt: ſed poſtquam placato Imperatore, reuocatus, priſtinam dignitatem & gratiam apud eum recuperauit, cuius fortè immerito incurrerat offenſam. Id verò ante annum præſignatum 838. ob adductam rationem fieri non potuit: quo anno comete in ſigno Libræ apparente, terrefactus Ludouicus, qui patrem Carolum Magnum tali prognoſtico præmonitum obiiſſe non imparatum meminerat: Lotharium filium ad ſe paterno affectu aduocâſſe, eundémque ſub primordiis ſequentis anni ad ſe venientem ſibi reconciliaſſe, & dignitatem imperij tribuiſſe, idem Sigebertus annotat*. Tum enim Ludouicum ipſum de non longinqua morte ſua, quæ biennio pòſt contigit ſerio cogitantem miſericordiæ affectibus plus ſolito indulſiſſe, ideóque pleroſque quos eiecerat Lotharij filij intuitu, reuocâſſe, & cùm tranſitum ad Deum diſponeret, vt feliciter ſibi ſuccederet hoc ex ſæculo exitus, pia ſtudia & opera adauxiſſe, conſtans eſt ſcriptorum geſtorum eius, teſtificatio. Tunc igitur vt quem ſemper in aduerſitatibus ſibi adfuiſſe

* Ita etiam teſtâtur Annales incerti auctoris, apud Pithœum.

expertus fuerat, præcipuum apud Deum patronum ac adiutorem beatiſſimum Dionyſium. Magis ſibi deuinciret illum impenſiùs ſtuduit colere; & quo ſibi in ipſis extremis propenſiorem fieri auxiliatorem eumdem promereretur, nomen & gloriam illius magnificare ſtatuit. Hilduino itaque, Abbati inclyti Monaſterij vbi Hieromartyr ipſe venerabilis in corpore quieſcebat; velut magis quàm quiſque eſſet alius, ad hoc apto, (vtpote huius rei quam ex profeſſo tandiu inueſtigauerat peritiſſimo:) pietate ſiquidem inſigni, doctrina conſpicuo, experientia præſtanti, Græcis & Latinis litteris erudito, ac ſingulari inſuper deuotione in ipſum glorioſiſſimum Martyrem, cuius Eccleſiæ Antiſtes erat flagranti, negotium demandauit, non ſolùm geſta eius præclariſſima in vnum colligendi, atque ab omni ſqualore purgandi & corruptione vindicandi: ſed & ſcripta eiuſdem, diuini viri pretioſa vnum in volumen redigendi; ab ipſomet Hilduino tranſcripta & correcta. Inſuper concinnandi integrum eius officium, adiunctis hymnis de eodem, & Stephani Papæ de apparitione ſibi facta B. Dionyſij, in eius Eccleſia, relatione authentica. Ceterùm his ita compoſitis quantocyus eadem ad ſe dirigendi, quoniam, vt addit ipſe Imperator piiſſimus ad oram ſuæ præceptionis, *maximum, valdéque dulciſſimum pignus præſentis illius Domini & ſolatiatoris noſtri, vbicumque ſumus habere nos credimus, ſi cum eo, vel de eo, aut ab eo, dictis,*

oratione,

oratione, collatione, lectione colloquimur.

Igitur Hilduinus vt pareret piiſſimo Imperatori, collectionem plenam & accuratam geſtorum ſancti Dionyſij Areopagitæ Pariſiorum Eccleſiæ fundatoris, Galliarum Apoſtoli, immò Chriſti purpurati teſtis, aggreſſus, ad natiuum rei principium recurrit. Profectus erat è Græcia, vbi primus Athenienſis Epiſcopus fuerat Martyr fortiſſimus. Idcirco Græciæ Hilduinus inueſtiganda eſſe cenſuit de illo teſtimonia: namque noſter eſſe non poterat Dionyſius, niſi hinc ad nos commigrâſſet. Tranſiiſſe verò hinc ad nos Græcia ægrè conſenſiſſet annuere, niſi veritas explorata vniuerſo orbi, illam compuliſſet hoc fateri. Talis enim erat Dionyſius, vt poſt Apoſtolos Græcia maius lumen non viderit, digniorem nunquam pepererit prolem, diuiniorem ex ſuo gremio Scriptorem minimè vnquam tulerit. Sed nec tanto ornamento ſe priuari vt Galliam illuſtraret (affatim ſiquidem cupida gloriæ, ſua ſemper præconia auxit, quin externa etiam decora deprædata, ſibi perenni ambitu famam nominis ex alienis diſpendiis arrogauit) vnquam paſſam iri Græciam, facile eſt aduertere; niſi coacta euidentiâ facti, hoc ipſum vt vel inuitè crederet & palam profiteretur ſeſe ſenſiſſet, obſtrictam. Rurſus qui ipſo in Occidente Galliæ rutilantem magis ac magis nominis & gloriæ ſplendorem liuidis aſpiciebant oculis, Græciam ſi reluctantem hoc in negotio,

Gallicæ vt dixiſſent iactantiæ, comperiiſſent; falſitatē huius opinionis, quâ nouos titulos honoris ſibi adſcribere viſa fuiſſet, non prætermiſiſſent redarguere; Francíſque, quorum felicitas inuidiam ceterorum populorum in dies excitabat, ſanè exprobraſſent, fucatæ huius laudis inanitatem. Nec dubium quòd exteri ita feciſſent omni ardore, cùm in ipſa Gallia inuenirentur, qui tametſi vniuerſus orbis in ſententiam, quam propugnabat Hilduinus conſpiraret, auderent tamen contra muſſitare, atque quam non poſſent expugnare, tamen variis impetere modis conniterentur*. Hos igitur ſimiléſque ſuſurrones quò firmiori freno coërceret Hilduinus, ſententiam quam veram tuebatur de Athenienſi Dionyſio primo Præſule Pariſienſi, vt inexpugnabilibus muniret propugnaculis, Græciæ adſtipulationem (quam ſibi ſuffragari compererat) voluit ſuis Areopagiticis præfigere, eámque tam notabiliter quàm multipliciter litteris edere conſignatam.

Et primùm quidem diptycha ſacra antiquiſſima protulit, qua Græcia in myſteriis diuinis iam olim vſa fuerat, ab Euſebio Cæſarienſi cum Martyrum acta iuſſione Conſtantini Magni collegit, conſcripta: *Habemus*, inquit, *Græcæ auctoritatis Martyrologion de tomo Chartiſſcriniis*** *Con-*

* De iis ita conqueritur Hilduinus, in ep. ad Ludonic. præcit. c. 14. & 15. *Et quanta ſit hebetudo ſuſurronum peſsimi generis hominum, æſtimare non valeo, qui doctorem egregium & eximium Martyrem ſe habere, ſi gloriam patria ſua, ſuámq. quærerent, contendere debuiſſent: potiùs ſe cùm habeant, nō habere immurmurent. Et quem votis & laudum præconiis Martyrem glorioſum ſuis iniquitatibus debuiſſent conciliare: detractione & ſiniſtra mineratione laborant, quantum in ipſis eſt, ſibi habere infeſtum.*

** Chartiſcriniis melius *Chartophylaciis.*

ſtantinopolitanis adeptum : qui tanta vetuſtate diſſoluitur, vt maximam cautelam à ſe contingentibus exigat, in quo diem natalitij eius (Dionyſij ſcilicet noſtri) *deſignatum, & quia Athenienſium Epiſcopus fuerit reperimus annotatum. Quod Martyrologium, vt antiquitas eius demonſtrat, ex eo tempore conſtare poſſe non incongruè remur, quo Conſtantino iubente, nota occaſione, Martyria Sanctorum Domini de toto orbe collecta & Cæſaream ſunt conuecta. Sed & vſque hodie Græcorum maiores, & Athenæ incolæ* (ad quos, qui refert, ad rem indagandam perrexerat) *perhibent, hiſtoriarum ſcriptis & ſucceſſionum traditionibus docti, in eadem ciuitate Dionyſium tum temporis primum fuiſſe Epiſcopum, quando Timotheus Pauli æquè diſcipulus Epheſiorum rexit Eccleſiam, ipſúmque ſubrogato ſibi Epiſcopo* (Publio ſcilicet de quo ipſe Euſebius lib.4. cap.22.) *Romam adiiſſe, & vt compererunt apud Gallorum gentem glorioſo Martyrio conſummatum fuiſſe.* En intima Græciæ conteſtatio, quæ Athenienſis ipſius Eccleſiæ (vnde ortum vt à natiuo principio illa certa perſuaſio duxit) magnifico præconio, quin & expreſſo teſtimonio comprobatur : inſuper etiam Taraſij Patriarchæ, qui antea facta inquiſitione de geſtis ſancti Dionyſij, Metropolicum decus Athenienſi Eccleſiæ reddiderat, peremptorio iudicio.

At non protulit (obiicient impugnatores huius antiquiſſimæ traditionis) Hilduinus ipſa Martyrologij Græci verba, quibus potiſſimùm niti-

tur, de cuiuſque auctoritate tanta verborum pompa gloriatur. Fateor, ſed cauſa fuit, quia tunc Græcæ linguæ vſus Latino in orbe ferè exoleuerat, ipſáque in Gallia nullus ferè erat præter ipſum Hilduinum qui ſcriptionis Græcæ noſceret apices, ſenſúmque verborum intelligeret. Quem ſi ad vnguem voluiſſet Latina phraſi exprimere, vel ipſe non perfectè valuiſſet*, vel ſi voluiſſet præſtare, nihil effeciſſet; quia mala fide verba reddidiſſe ex autographo aduerſarij eius fuiſſent calumniati. Quæ etiam cauſa fuit cur epiſtolam Ariſtarchi ad Oneſiphorum (de qua infrà) non ad verbum ſuo in Apologetico exſcripſerit, ſed contractum eiuſdem retulerit ſenſum, ad cuius ſynceritatis oſtenſionem, illius apographum ſeorſim miſit Ludouico Imperatori, à ſe quàm fideliter potuit latium in ſtylum tranſcriptum. Et verò ſi quæ Hilduinus citat de Græcorum diptychis, exinde in illis non repertum fuiſſet; cum Latinis tum Græcæ linguæ ignaris, impoſuiſſe per fraudem & dolum, non abſque veri ſpecie quiſquam potuiſſet equidem criminari. Verùm Græcia tam patenti quàm conſtanti adſtipulatione, ſynceritatem Hilduini confirmat, quæ abhinc in hac teſtificatione perſiſtens, ſuo in Menologio (quod Martyrologium Hilduinus appellabat) idipſum quod inde collegit atque inſinuauit idem Hilduinus, apertiſſima declaratione prodit, & candida prorſus prædicatione profitetur. Tertio ſiquidem die Octobris

*Hinc Ioãnes Brygena Scotus, qui paulò pòſt, librũ S. Dionyſij *de diuinis nominibus* ſub Carolo Caluo Latinum de Græco fecit, quamuis perdoctus cenſeretur, tamẽ parum feliciter verſionem illam præſtitit. De qua malè Nicolaus Papa ominatus eſt, in epiſt. ad Carol. Imp. præſignatum.

quo die ob rationem infrà indicandam * feſtum eius neceſſariò anticipatum percelebrat, natalem ſignat S. Dionyſij Areopagitæ quem ex Athenis ad Pariſiorum Lutetiam tranſiiſſe, ibidémq. poſt diffuſum copioſè Euangelium glorioſè occubuiſſe, teſtatur hac ſerie.

*In obiectionũ ſolutione.

TRANSVMPTVM EX MENOLOGIO Græcorum typis mandato Venetiis, apud Antonium Pinel ἔτει, α, χ, κ, η. anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octauo.

Τῷ αὐτῷ μηνὶ γ. τοῦ ἁγίου ἱερομάρτυρος Διονυσίου τοῦ Αρεοπαγίτου.

Eodem menſe, tertius dies eſt ſacroſancti Martyris Dionyſij Areopagitæ.

Poſt permulta.

Πολλὰ θαύματα ἐπιδειξάμενος ἐν Παρησίᾳ τῇ πόλει, τὴν κεφαλὴν ἀποτέμνεται, καὶ αὐταῖς ἰδίαις χερσὶν ὑποδεξάμενος, μέχρι δύο μιλίων ἐβάδισε.

Multa cùm edidiſſet miracula (Dionyſius) *Pariſiis in vrbe, capite truncatur, &* (illud) *propriis manibus ſuſcipiens, vſque ad duo miliaria ſe contulit.*

Et infrà.

Τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ, τῶν ἁγίων μαρτύρων Ρουστικοῦ καὶ Ἐλευθερίου.

Eadem die Sanctorum Martyrum Ruſtici & Eleutherij.

Hîc hiſcere non dubito aduerſarios & ſtupere, cùm penitus obmuteſcere conſtringantur. Quid enim dicturi ſint, quò elabi queant per-

arduo ex hoc amfractu non video. At audio quidem quid iis iam ſilentib. hinc inferat Hilduinus: idem ſcilicet quod S. Hieronymus ſeipſum defendens dudum, ex perſimili argumento afferebat, cùm ſcriberet ad S. Aug. *Si quid reprehenſione dignum putaueras, in explanatione noſtra, eruditionis tuæ fuerat, quærere, vtrùm ea quæ ſcripſimus, haberentur in Græcis; vt ſi illi non dixiſſent, tunc meam propriè ſententiam condemnares.* At cùm ita disertè Græci, Hilduino, hac in re patrocinentur: certè malæ fidei Hilduinum non poſſunt eius impetitores ſugillare. Græcos enim concordes eſſe cum ipſo Hilduino, immò cum Latina tota Eccleſia in hac aſſertione, palam eſt. Neque enim dicere poſſunt Menologium Græcorum eſſe confictum, quod hodiéque in Græcorum vſu eſt, eodem prorſus quo tenore apud Latinos editum fuit primùm, ex manuſcriptis Codicibus perantiquis, à Guillelmo Cardinale Sirleto, qui id ex Græcorum fontibus delibatum, dilucidè Latinam quoque in phraſim refudit. Ex cuius interpretatione acceptum ſuum in tom. 2. *antiquæ lectionis* retulit Henricus Caniſius, quem excudi Ingolſtadij curauit anno 1604. apud Andream Angermarium. Extat Græcè quoque Menæum Græcorum manuſcriptum in Bibliotheca Bauariæ (vt Poſſeuinus aſſeuerat:) ſed aliquot duntaxat menſes continens, quos omnes complectitur plenum illud Menologium Venetiis editum exſcriptúmque ex Codicibus probatiſſimis, vt liquet ex col-

lectionis ipſius (cuius ſynceritas eodem in opere aſtruitur) inſpectione. Cui annecti poteſt abbreuiatum ipſum Menologium, quod doctiſſimus Genebrardus à ſe Latinè verſum ex autographo Græco, Pſalmis Dauidicis (quos eruditiſſima explanatione illuſtrauit) cum variis aliis Kalendariis Hebræorum, ſcilicet Syrorum, & Latinorum, præfixit. Igitur iam Menologium ipſum Græcorum, ab eorum acceptum manibus eſt toto Latino orbe perſpectiſſimum, atque certiſſimum. Vnde ſuppoſitionis notam minimè poſſunt hîc aduerſarij contra aſtruentes ex eo Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi identitatem, incutere. Ceterùm etiam manifeſtum eſt Græcos ſemper ſacra eiuſmodi diptycha habuiſſe, quibus Sanctorum cum Chriſto regnantium glorioſa memoria & triumphi diſtincti ex rerum & dierum ſerie, cum fidelibus commendabatur, tum in ipſis diuinis recolebantur myſteriis; ſicut liquet ex liturgia ſancti Marci, & lib. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Dionyſij noſtri cap. 3. Item ex epiſtola Smyrnenſis Eccleſiæ de Martyribus illic paſſis ſub Marco Aurelio & Lucio Vero Imperatoribus apud Euſebium lib. 4. hiſtor. cap. 15. éxque Dionyſij Alexandrini epiſtolis apud eundem Euſebium lib. 6. cap. 33. & 34. & lib. 7. cap. 10. de cuius Euſebij Martyrologio celeberrimo (cuius fidem ſe ſequi Hilduinus ſuprà innuit) meminit, præter ipſum Euſebium variis locis hiſtoriæ ſuæ Eccleſiaſticæ, quæ infrà in eius

teſtimonio indicabimus; Eulogius Patriarcha Alexandrinus apud ſanctum Gregorium in epiſt. mox citanda. Inſuper idem habet ſanctus Cyrillus Hieroſol. *Catecheſi 5.* necnon Chryſoſtom. *homil. 25. in Acta.* Et Eudoxia Auguſta *in epiſt. ad Innocentium*, qua nomen ipſius Chryſoſtomi orat, vt iubeat PP. ſacris inſcribi diptychis apud Gregorium Alexandriæ Archiepiſcopum, *in eius commentario de Chryſoſtomi vita.* Item liquet ex epiſtola Procli Patriarchæ Conſtantinopolitani *ad Domninum Epiſcopum Antiochenum, quæ extat in Conc. Chalcedonenſi act. 14. & ex 1. act. quintæ Synodi* quæ refertur *can. ſanè 14. quæſt. 1.* Item ex Nicephoro Greg. *lib. 3.* & Nicephor. Call. *lib. 16. cap. 16.* atque ex fragmentis Pachimeri *lib. 5.* Et ne nimium videar diuagari, ex epiſtola ſancti Gregorij Papæ ad Eulogium Archiepiſcopum Alexandrinum, qua de Martyrologio Romano diſſerens, ſimile haberi Alexandriæ innuit, *lib. 7. epiſt. 29. indict. 1.* vbi inter cetera, ſic ait. *Nos penè omnium Martyrum, diſtinctis per dies ſingulos paſſionibus, collecta ex vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione miſſarum ſolennia agimus*, &c. *vnde fit vt multi ex diuerſis terris atque Prouinciis per dies (vt prædixi) ſingulos cognoſcantur Martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatiſſimos credimus.* Habebant igitur Orientales Eccleſiæ Martyrologium, ídque Romanæ Eccleſiæ hagiologio perſimile. Quamobrem antiquiſſimum eſſe illius apud Græcos ritum & vſum,

qui

qui ſanè cum ipſa religione cœpit, nemo peritus ſacræ lectionis qui candidè agat inficiari auderit. Sed verò fortè aduerſarij excipient: Menologium Græcorum, non eſſe vbi de Dionyſio agit, ſyncerum, ſed deprauatum & corruptum in Francorum gratiam, cui voluerunt hac in re ipſi Græci adulari. Id ſanè ad eorum partes tum pertinebit quod ſomniant demonſtrare, atq. aſtruere probatione legitima. Nam ſi liceat ad eludendum publica Eccleſiarum teſtimonia his confictis euaſionibus ſubterfugere, nihil ita authenticum erit, quod ſimili ludificatione non poſſit eludi. Gratis igitur hoc ſupponent æmuli noſtri, donec quæ ſola obtrudunt dicacitate, ſolida probatione aſtruxerint, indicauerintque à quo & quando & quomodo *Menologium illud fuerit adulteratum*, aliúdque proferant incorruptum & indubitatum, quo iſtius excidant auctoritatem, noſtram labefactent ſententiam, & Græcorum perſuaſionem huic innixam, quam pro certa hactenus habuerunt de communi noſtro Dionyſio Athenienſi & Pariſienſi, Græco & Gallico in contrariam queant opinionem reflectere. Vereor ne malè apud eos hoc ſi tantauerint excipiantur, parique cenſura repellantur, quâ Hieremias illorum Patriarcha ſuperiori ſæculo perſtrinxit & perculit, nouas opiniones, aduerſáſque antiquis placitis, illorum auribus ingerentes. At interim repelluntur ipſo iure ſacro, quo decernitur exceptiones nihil valere, ſi proponantur ſolùm,

& non probentur *cap. 1. §. ſi quis de exceptionib. lib. 6. & cap. cupientes. §. quòd ſi per viginti de Elect. l. ead. & cap. ſi contra de off. delegati ibidem.* tum enim friuolas, & contemnendas eſſe, *cap. dilect. 34. de præbendis.* At dimiſſis tam ludicris aduerſariorum effugiis: cetera Hilduini argumenta ex Græcorum teſtimoniis ſunt perpendenda & obfirmanda ex præfixa ſerie.

A Græcorum itaque ſacris hiſtoriis petit veritatis Hilduinus ſubſidium, atque imprimis ponit teſtimonium illuſtre Ariſtarchi, Græcorum Chronographi, qui *in epiſtola*, inquit, *ad Oneſiphorum Primicerium de ſitu Athenæ ciuitatis & geſtis ibidem Apoſtolorum temporibus ſcribens, ortum proſapiæ, & doctrinam Dionyſij atque conuerſationis ordinem, ſiue ætatis tempus, necnon & ordinationem ipſius, ac prædicationem, ſubrogationem etiam Epiſcopi loco ſuo, & aduentum illius Romam ordinabiliter narrat.* Nihil proferri potuit luculentius, nihil efficacius, nihil aptius aſſerendæ Dionyſij Athenienſis Gallicíque identitati. Non enim dubium in eo verſatur, vnde acceperit ſuum Dionyſium Gallia: quem omnes fatentur Româ miſſum, Lutetiam aduenisse, (ídque iubente Clemente Papa vt infrà dilucidè demonſtrabitur.) Sed an Dionyſius Areopagita Epiſcopus Athenienſis Athenis ſedens, ad extrema hic vſque perſtiterit: vel ſuffecto ſibi ſucceſſore, à Spiritu ſancto maiorem ad meſſem impulſus, Romam (è qua ſubinde in agrum Gallicum miſſus fuit) demum

petierit, vnde ad ampliorem digrederetur Apoſtolica delegatione, ſubeundam cæleſtis Patris familias villicationem. Aſſerit hoc vltimum Hilduinus, probátque ex Ariſtarcho Græco ſcriptore antiquiſſimo, diſertè hæc referente atque ex profeſſo deſcribente in inſigni epiſtola ad virum illuſtrem Oneſiphorum Primicerium directa: in qua de Athenienſis ciuitatis tractans ſitu, rebúſque ibi Apoſtolorum ætate geſtis, Dionyſium Pauli ex regeneratione filium à natalibus depingit, à doctrina celebrat, eiuſdem ſignat ætatem, narrat conuerſationis ordinem, ordinationem Epiſcopalem commemorat, prædicationem deſcribit, ſucceſſoris in hac Cathedra factam ab illo denotat ſurrogationem: diſceſſum è Græcia refert, eiuſdémque hinc ad Romanam vrbem, orbis Dominam, recenſet acceſſum. Dionyſius igitur Areopagita hic eſt & non alius, qui ſedente Clemente Romam venit: idémque (quis enim ei æquiuocus, ipſi tunc fuit tanta in obeunda Prouincia, præferendus?) ab eo lectus in Galliam, Pariſiis Chriſti primus trophæa ſalutaria inuexit & infixit perpeti ſplendore micantia. Et ſtante quidem Ariſtarchi teſtimonio, tam patenti, tam vberi, aduerſariorum concidunt vires: neque enim habent deinceps vllum robur, quicquid contra Hilduinum ſolent de conflato in vnum gemino Dionyſio per Athenienſis Romam profecti tranſmigrationé (quam confictam ab eo volunt) obiicere. Supereſt vt

iacula in Ariſtarchum intorqueant, cuius vel dicta clara adeò obnubilent, vel eleuent prorſus auctoritatem. Nec enim locus eſt eis aduerſus Hilduinum conquerendi, quaſi Ariſtarchi finxerit fauentem ſibi aſtipulationem. In luce Solis etenim ſcripſit Areopagiticas ſuas vindicias Hilduinus, qui cùm Ariſtarchum in teſtem aduocat, & peruetuſtum & celebrem indicat fuiſſe tum adhuc apud Græcos auctorem: à quibus, eius quam laudat notabilem epiſtolam, ſe accepiſſe ſic candidè affirmat, vt eius exemplar ad Imperatorem in dictorum fidem mittere non vereatur, ipſóſque ſibi obuerſantes non dubitet, vel ad Græcos remittere fontes, vel ad delibandum riuuli quem hinc hauſit latices, nitida prorſus mente ac candido ore inuitare. *Quam epiſtolam* (infit ad Imperatorem) *veſtræ dominationi dirigimus, & quiſque ſtudioſus apud nos præualet inuenire. Curioſus autem ex Græcorum fontibus, vnde & nos illam ſumpſimus poterit mutuare.* At fortè, inquient, mentitus eſt ille Ariſtarchus. Sed quæſo quo fine? vt Francis non adhuc nominatis adularetur, vt Regum Chriſtianiſſimorum, qui nondum exiſtebant, fauorem captaret? vt Hilduino nondum nato opitularetur? vt Dionyſium maiorem & illuſtriorem faceret? vt Lectores deciperet? vt poſteritati per fabulam imponeret? vt famam de mendacio quæreret? vt veritatis aſſertoribus poneret obicem? & malam cauſam contra eos per impoſturam tueretur? Vix de peſſi-

mo nebulone, horum quid vel minimum à quouis probo & perito iudice æſtimari poteſt: nedum de Ariſtarcho, cuius vt integritas appareat, & ſeruetur auctoritas, propria prædicamenta hîc ideò neceſſe eſt diſquirere. Plures equidem hoc nomine inter Scriptores claruerunt, nempe Ariſtarchus ille celebris Grammaticus Alexandrinus, qui ſub Ptolomæo Philometore floruit, plúſque quàm mille commentarios fertur conſcripſiſſe. De quo Ælianus refert, eum tam caſtigato fuiſſe ingenio, vt Homeri verſus non putaretur, quem ipſe non probaret: vnde etiam hodie Ariſtarchos vocamus alienorum ſcriptorum cenſores. De hoc Ouidius de Ponto,

Corrigere res eſt tantò magis ardua, quantò
Magnus Ariſtarcho maior Homerus erat.

Hic eſſe non potuit, qui res Apoſtolorum geſtas Athenis deſcripſit: cùm ante Chriſti ſalutiferum ortum defecerit. Sicut nec alter ille Ariſtarchus Tegealis poëta Tragicus, qui tragœdias 78. docuit, duabúſque victor euaſit: claruit enim temporibus Archelai Macedonum Regis, qui diu ante Euangelium regnauit. Meminit Suidas Ariſtarchi Mathematici, ac huic noſtro prorſus diſſimilis: quemadmodum & Tragicus alter, qui non Græcus, ſed Etruſcus fuit. Miſſis igitur retrò profanis, ſacris in litteris (legis ſcilicet gratiæ diuino codice) Apoſtolica conuerſatione & laboribus illuſtris pro Chriſto, Ariſtarchus non ſemel commemoratur. Nempe Act. 19. 29. Apud Horat.

vbi cùm de tumultu otto Epheſi, Paulo hîc prædicante ſcribit S. Lucas, hæc ſignatè dicit. *Impetum fecerunt vno animo in theatrum, rapto Caio & Ariſtarcho Macedonibus, comitibus Pauli.* Et cap. 20. verſ. 3. & 4. *habuit conſilium Paulus vt reuerteretur per Macedoniam: comitatus eſt autem cum Sopater Pyrrhi Beroënſis; Theſſalonicenſium autem Ariſtarchus*, &c. De hoc ita legitur in Martyrologio Romano prid. non. Auguſti *Theſſalonicæ Natalis B. Ariſtarchi diſcipuli & comitis indiuidui ſancti Pauli Apoſtoli, de quo ipſe ad Coloſſenſes* (è Romanis vinculis) *ſcribit. Salutat vos Ariſtarchus concaptiuus meus. Js ab eodem Apoſtolo Theſſalonicenſium Epiſcopus ordinatus, poſt longos agones ſub Nerone coronatus à Chriſto, quieuit.* Porrò Menologium Græcorum die 14. Aprilis eiuſdem Ariſtarchi natalem ponit: quem maximis effert laudibus, Apoſtolatus etiam titulo cohoneſtat, ob diſcipuli Chriſti ex 72. numero dignitatem, & perennem cum Paulo collaborationem; quo cum Romæ obtruncatum à Nerone idem Menologium aſſerit. Et fuiſſe quidem hunc Domini ex 72. claſſe diſcipulũ, ex profeſſo, *in noſtra ipſorum Septuaginta duorũ Chriſti diſcipulorum Synopſi* demonſtrauimus num. 66. innixi non ſolùm prædicto Menologio, ſed pleriſque aliis auctoritatibus, quas hîc referre longum eſſet. Notandum tamen quòd Hippolytus Portuenſis Epiſcopus & Martyr *in ſuo 72. diſcipulorum Chriſti Catalogo* duos Ariſtarchos recenſeat, quos vt diſtinctos oſtendat; quo-

Col. c. vlt. ver. 10. & in epiſt. ad Philem. ad oram.

niam notum erat Macedonem præſignatū fuiſſe Theſſalonicenſium primum Antiſtitem: alterum, fuiſſe Apameæ Epiſcopum aſſerit. Quicquid ſit præter commemoratos Ariſtarchos, neminem hoc nomine illuſtrem apud profanos vel ſacros ſcriptores licuit reperire. Cùm igitur in Ethnicorum ſerie cenſeri non debeat Ariſtarchus ille, cuius affert teſtimonium Hilduinus ex epiſtola, qua auctor ille res geſtas, Apoſtolorum temporibus, Athenis, recitat: Dionyſiique conuerſionem factam à Paulo Apoſtolo & ordinationem Epiſcopalem, diſceſſúmque deſcribit: vnde Chriſtianum eundem conſtat fuiſſe ſcriptorem, rerúmque Chriſtianarum apprimè peritum, adeóque Apoſtolorum temporibus coæuum: non temerè quis fortè opinaretur, tam pium præſtantémque actorum Chriſti primorum Athletarum enarratorem, fuiſſe illum ipſum Ariſtarchum, qui Pauli comes indiuiduus, quæ geſſit Athenis (vbi Dionyſium Chriſto peperit, & Eccleſiæ nouellæ præfecit paſtorem) conſpexit, atque inde litteris conſignauit. Tamen quia Menologium Græcorum tradit (cui adhæret Petrus Epiſcopus Exquilinus in Sanctorum Catalogo l. 7. c. 19.) Ariſtarchum illum cum Paulo ſub Nerone Romæ fuiſſe gladio necatum: porrò Ariſtarchus ille quem laudat Hilduinus, rem poſteriorem Pauli Martyrio commemorat, nempe factam Athenis à Dionyſio ſucceſſoris ſubrogationem, & hinc Romanam

ad vrbem eiuſdem acceſſum; meliùs, vt reor, iudicabit, qui epiſtolam citatam ab Hilduino, non huic Ariſtarcho Theſſalonicenſi cenſuerit adſcribendam. At hanc ſi quis illi alteri Apoſtolico Ariſtarcho (quem Hippolytus Apameæ Epiſcopum fuiſſe aſtruit) tribuere voluerit; magis congruè (cùm nihil eiuſmodi ſententiæ repugnet) id exiſtimo fieri poſſe. Fauet ſumpta ex Hippolyto coniectura. Cùm enim Ariſtarchus, quem alterum à Theſſalonicenſi aſſerit, fuerit Epiſcopus Apameæ, non ita remotus ab Athenis reſediſſe videtur, vt facilè non potuerit quæ illic faciebat Dionyſius, perdiſcere immò perſpicere. Apamea enim, vt Athenæ, ſita eſt in Hellade, ſeu Achaia, vnde ſub eodem Patriarchatu Conſtantinopolitano, inter metropolitanas ſedes conſiſtebat, vt videre eſt in nomenclatura facta ſub Leone ſapiente Imperatore apud Leunclauium *tomo 2. Iuris Græcorum*, & ſerie reformata ab Andronico ſeniore, apud Curopalatem *lib. de officialibus, Palatij & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.* Eligant litigatores noſtri cui Ariſtarcho, ex duobus ſacris quos deſignauimus, epiſtolam citatam ab Hilduino referant: vel alium indigitent, cui congruentiùs putent attribuendam eſſe. Si hoc fecerint, noſtrum fuerit quem alium indicauerint Ariſtarchum conſpicere, atque diſcutere. Si illud, omnes quas in tantum teſtem auſi fuerint proponere recuſationes, ipſo ſanctitatis ejus ſplendore, & Apoſtolicæ ætatis ac virtutis

tis titulo & merito, (ſicut tenues nebulæ, coruſcante ſolis facie profligantur) facilè ab ipſo longéque depellentur: Hilduiníque cauſæ, magnæ auctoritatis inde fiet acceſſio, qui teſtimonio nixus viri Apoſtolici, Dionyſij ſynchroni; tranſitum eius ex Oriente in Occidentem valuerit confirmare. Nec enim derogat Apoſtolicæ Ariſtarchi ætati & gratiæ, titulus ille, quo Hilduinus illum deſignat, *Græcorum Chronographum* nominans: non enim intelligit Græcorum Ethnicorum *: ſed Chriſtianorum, vt res ipſæ Apoſtolicæ, quas narratas ab illo refert indicant. Tales autem ab initio Chriſtianæ religionis fuiſſe ſcriptores, patet ex eo quod niſi præfulſiſſent ſequentibus rerum Chriſtianarum collectoribus, ipsíque Euſebio: hiſtorias Eccleſiaſticas hi non potuiſſent ab Eccleſiæ exordio repetitas conſcribere. Et videtur ipſe Euſebius Chronica eiuſmodi Chriſtianæ Eccleſiæ, quæ cõpendiosè primorum fidei ſatorum aſſertorúmque, ac eorum ſequacium acta indicarent, conſpexiſſe. Hinc enim collegiſſe liquet ſuæ hiſtoriæ conſtructionem, in ipſo cuius procemio fatetur, ſe quædam ex his accepiſſe, edendi operis ſui ſubſidia. *Quibus* (inquit) *alius aliter, ſuis quiſque temporibus; particulares* (qualis illa erat Ariſtarchi de Areopagita Dionyſio, ab Hilduino allegata) *narratiunculas, quaſi faculas quaſdas reliquerunt*, &c.

* Sic Græcorum nomen abſolutè accipitur Act. 6. 1. vbi legimus. *Factū eſt murmur Græcorum contra Hebraeos.*

II. EVSEBIO itaque ipſi CÆSARIENSI, quem Ec-

cleſiaſticæ hiſtoriæ conſtat celeberrimum eſſe cõditorem, vt Græcorum eliciat ſuam in ſententiam aſſenſum: immò ſe antiquam ſequi Græcorum innuat de Dionyſio Areopagita traditionem, maximè ſe inniti, Hilduinus affirmat auctori. Qui ſanè noſtri Dionyſij ſæpè ſuis in ſcriptis meminit: videlicet lib.3.cap.4.vbi enumerans Pauli Apoſtoli ſectatores ſic ait. *Ex reliquis verò ſectatoribus Pauli, Creſcens in Galliam miſſus eſſe, ab ipſo Apoſtolo teſtimonium habet. Clemens qui tertius Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus conſtitutus, Pauli cooperarius & commilito fuiſſe ipſius teſtimonio probatur. Ad hæc &* DIONYSIVM ILLVM AREOPAGITAM, *quem Lucas in Actis, poſt Pauli concionem ad Athenienſes in Areopago habitam primùm credidiſſe ſcripſit; primum, Eccleſiæ Athenienſis Epiſcopum fuiſſe, alius quidem Dionyſius ex veteribus, parœciæ Corinthiorum paſtor, ſcribit. Verùm in progreſſu narrationis, ſuo loco, de ſucceſſoribus Apoſtolorum, quo quiſque tempore ſucceſſerit, dicemus.* Et reipsâ lib. 4. cap. 23. Eccleſiæ Athenienſis, cui præfuit inſtitutus ab Apoſtolo Paulo Dionyſius noſter, Epiſcopalem ſucceſſionem ſic retrogradiendo, ex epiſtola Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi ad Athenienſes, aſſignat. *Animos*, inquit, *fidelium* (*Dionyſius ille Corinthiorum Antiſtes*) *ad fidem*, &c. *excitat, contemptoréſque illius ac negligentes redarguit, quod parùm abſit, quin à doctrina fidei deficiant: ex eo quod Publius eorum Epiſcopus Martyrium ſit temporum illo-*

rum perſecutionibus paſſus. Meminit & Quadrati, Publij poſt Martyrium in Epiſcopatu ſucceſſoris : déque illo teſtificatur quod ipſius ſtudio congregati, & fidei excitationem ſint conſecuti. Indicat & præterea quomodo DIONYSIVS AREOPAGITES, *ab Apoſtolo Paulo ad fidem, ſecundum eam quæ in Actis ſunt ſcripta, conuerſus, primus Athenienſis parœciæ Epiſcopatum ſuſceperit.* Sic igitur ſe habuit à Paulo Apoſtolo in primitiis conſecrata, ſucceſſio Eccleſiæ Athenienſis. Dionyſij, primi à B. Paulo ordinati Epiſcopi vicem repleuit Publius, huius verò Quadratus. Hac autem ex ſerie delineata ab Euſebio Cæſarienſi, mirè Hilduini aſſertio de tranſmigratione Dionyſij in occidentem confirmatur. Conſtat enim quod ſub Hadriano ſederit tertius iam Præſul Athenienſis Quadratus, qui ipſi Imperatori Athenis agenti, *porrexit ei librum pro religione noſtra compoſitum* (vt refert ſanctus Hieronymus num. 30. in Quadrato. in Catalogo.) *plenum*, ait, *rationis & fidei, & Apoſtolica doctrina dignum, in quo & antiquitatem ſuæ ætatis oſtendens, ait, plurimos à ſe viſos, qui ſub Domino variis in Iudæa oppreſſi calamitatibus ſanati fuerant, & qui à mortuis reſurrexerant.* Ergo diu ante Hadriani imperium Dionyſius ſuum Epiſcopatum Athenienſem finierat, ſiue per mortem, ſiue per ſpontaneam diſceſſionem (nam Quadratus grandæuus non Dionyſio, ſed Publio, vt oſtendimus, inſigni martyrio laureato ſucceſſerat.) ceterùm Dionyſij Epiſcopatus Athenienſis, non ceſſauerat per eius mortem. Quia

nondum ipſe cùm Publius eius ſucceſſor ſederet, Martyrium peregerat ſuum. hoc ſiquidem nonniſi ſub Hadriano (ſub quo præerat Eccleſiæ Athenienſi Quadratus Publij ſucceſſor) demum conſummauit; ſicut Ariſtides & ipſe Athenienſis, *ſub philiſophi habitu Chriſti diſcipulus, Quadrati ipſius coætaneus , in libro de Chriſtiana religione* (ſeu vt ait ſanctus Hieronymus) *in Apologetico pro Chriſtianis*, à ſe oblato ipſimet Imperatori Hadriano, expreſsè teſtificatur. Igitur per diſceſſum Dionyſij, & ſpontaneam quam fecit ipſe ſubrogationem, Publius Athenienſis Eccleſiæ clauum obtinuit. Proindéque ex ſententia Euſebij atque Ariſtidis , Dionyſius ipſe non Athenis ſedit vſque ad mortem Epiſcopus , ſed hinc diu antè diſceſſit, diúque poſtquam abiit inde, Martyrium ſub Hadriano, alibi quàm Athenis (vbi tertius iam ab eo Quadratus, præſente illic eodem Principe præerat) inclytum ſanè, quod Ariſtides ipſe celebrat ſuo in Apologetico , perpeſſus eſt. Vbi verò ? niſi eo quem ſignat loco idem Euſebius in ſua Martyrum conſcriptione. ad quam quòd in hiſtoria nimis vrgeatur , lectorem ſuum paſſim remittit, lib. 5. in prooemio necnon c. 4. Idem verò ipſo tempore quo Ignatius pugnabat (cuius ſibi coæui Dionyſius meminit) multos Apoſtolorum diſcipulos, ſtationib. ex fidei propugnandæ zelo dimiſſis , longinquas in orbis percurriſſe plagas inſinuat : præſertim lib. 3. cap. 37. vbi ita ſcribit. *Plures eodem tempore innotuerunt, qui primum gra-*

S. Hieron. in Ariſtide nu. 31. Catalogi.

dum ſucceſſionis habuerunt, & tanquam ſummorum virorum diuini diſcipuli exiſtentes, cuncta paſſim Eccleſiarum fundamenta iacta, ædificârunt, & prædicationem ac ſalutaria regni cælorum ſemina, per vniuerſum orbem quaquà patet (igitur & in Gallia) *ſuperſeminantes auctiora reddiderunt. Etenim quamplurimi tum viuentium diſcipulorum, vehementiore philoſophiæ amore, erga diuinum verbum affecti, primum ſalutare mandatum adimplentes, facultates ſuas egenis diſtribuerunt, ac deinde peregre profecti* (ſicut feciſſe liquet Dionyſium Pauli diſcipulum, Ignatiíque, de cuius coætaneis Euſebius hîc loquitur, ſynchronum) *opus Euangeliſtarum perfecerunt, hoc eſt illis qui de doctrina fidei, nihil prorſus audierant Chriſtum prædicare; ac diuinorum Euangeliorum tradere ſcripturam magno ſtudio ſatagerunt. Hi autem fidei fundamentis, nouis quibuſdam & peregrinis locis à ſe iactis, alios illic paſtores* * *conſtituerunt* (ſicut feciſſe Dionyſius perhibetur) *atque illic culturam eorum qui recèns fuerant adducti commendarunt. Ac tum alias ipſi regiones ac gentes, gratiâ & cooperatione Dei adiuti acceſſerunt.* Ita Euſebius. Quibus verbis Dionyſij, & ſimilium eius, Apoſtolicorum virorum; longinquas in orbis partes è Græcia tranſmigrationes graphicè deſcribit, vt ſpecialem hiſtoriam, delineâſſe videatur, cùm omnium texit ſub eodem typo generalem. Sanè hîc adamuſſim Dionyſio omnia cohærent: vt res eius geſtas, videre ſit quaſi collectas in faſciculum, breui encomio Euſebium datâ operâ exprimere voluiſſe. Qui

* Nota diligenter.

quòd illum hoc in loco, nec ceteros eius ſimiles orbis peragratores, nominatus, non deſignat, ideo ſic facit, quia aliam conſcriptionem de omnibus & ſingulis Eccleſiarum per orbem parentibus, ſeu primariis Chriſti teſtibus, & ceteris Martyribus texuerat, ad quam paſſim ſuum remittit lectorem: præſertim in procemio lib. 5. vbi hanc collectionem Martyrum, pleniſſimum Catalogum appellat. & cap. 4. vbi ſic ait, *Et cùm ſi cuipiam placet, etenim ipſa facile & quampleniſſime cognoſcere poterit, ſi commentarium in manus ſumat, qui Martyrum à nobis, ſicut diximus, adiunctus eſt collectioni.* Hanc porrò ſe authenticam vidiſſe & habuiſſe allatam ex ſcriniis Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ Hilduinus in reſcripto ad Ludouicum Auguſtum grauiter profitetur. Cuius fidei aſtipulatur publica Græcarum Eccleſiarum confeſſio, expreſſa in Menologio earumdem prælibato: quod certè ex Euſebij Martyrologio, ſicut riuus à fonte, emanauit: nam antiquorum Martyrum, qui ante pacem datam Eccleſiæ à Conſtantino magno paſſi ſunt, notitiam nullam aliam habent Orientales Eccleſiæ, quàm eam, quæ ex ipſius Euſebij collectione facta, iuſſu præfati Conſtantini Principis, delibari potuit: cùm primus fuerit qui hagiologium concinnauit, ſolúſque qui ab exordio Euangelij ad ſuam vſque ætatem Martyrum agones natalé ſque proprio edidit opere, vnóque codice etiam cum illorum doctrinæ ſynopſi, vt ipſe teſtatur, com-

plexus eſt. Quod deinde totum per orbem opus diffuſum, auctúmque à poſteris, ipſum Græcorum Menologium, & Latinorum plenum Martyrologium, progenuit. Dicent verò Hilduini oppugnatores. Vnde Euſebius ipſe notitiam illam de diſceſſu Dionyſij ab Athenis, & ſubrogatione Publij, Quadrati ſucceſſione, quin & ſæpè dicti Dionyſij Martyrio (quod vis ex eius collectione relatum in Menologium Græcorum ſuprà inductum) haurire potuit? Reſpondeo ex Ariſtarchi ſupra memorata teſtificatione, Ariſtidíſque etiam Apologetico, Eccleſiarúmque Galliæ (à quibus ipſe Martyrum Lugdunenſium & Viennenſium agonem didicit & deſcripſit) illatione. Nam ipſe apertè fatetur ſe quod litteris prodidit ex Eccleſiarum inſignium cenſibus, antiquiorúmque ſcriptorum collegiſſe monumentis: *Qui particulares narratiunculas*, ait, *quaſi faculas quaſdam reliquerunt, dum voces ſuas è longinquo emiſerunt, & de ſupernis velut è ſpecula vociferantes, quà eundem & quomodo, ſermonis iter abſque errore & periculo dirigendum ſit, præcipiunt. Quæcumque igitur ad propoſitum argumentum profutura putabimus, quæ ab illis ſparſim ſunt commemorata colligentes, & velut è rationalibus pratis accommodas eorum quæ olim ſcripſerunt voces, quaſi floſculos decerpentes, hiſtorica narratione in vnum corpus redigere conabimur.* Hæc ille: de cuius teſtimonio ſatis ſupérque pro opuſculi huius inſtituto.

Cùm autem ex Græcorum codicibus ea quæ

aſtruit Hilduinus profiteatur ſeſe mutuatum: aliorum non dubito auctorum (qui poſt Euſebium , alióſque antiquiores , in Græcia ſcripſerunt de ſancti Dionyſij Areopagitæ actis & Martyrio) eundem primæuæ veritatis vindicem, libellos quos aſſequi potuit , à ſe perluſtratos ſubindicare.

Michaelis igitur Syngeli Preſbyteri Hieroſolymitani opuſculum, reor, *de vita & laudibus beati Dionyſij Areopagitæ* , Hilduinum legiſſe, in quo planè idem cum Pariſienſi Dionyſius ipſe Athenienſis aſſeritur , Martyriúmque apud nos proditur illuſtriſſimum peregiſſe. Quod opuſculum aureum Godefridus Tilmannus Carthuſianus Pariſienſis, antiquitatis Patrum diligens inueſtigator, Græcè ac Latinè Lutetiæ edidit anno 1548. Portò Aloyſius Lipomanus Epiſcopus Veronenſis hinc acceptum, Latina phraſi retulit *in 1. part. de Vitis Sanctorum , à ſe collectis.* Quo in libello poſtquam vir ille Sanctiſſimus Michaël ſub Theophilo Iconomacho Imperatore, Confeſſor illuſtriſſimus, diras pro orthodoxa fide excruciationes pertulit, beati Dionyſij ortum, progreſſum , illuminationem, ordinationem (quam à ſancto Paulo ſuſcepit Athenis) Epiſcopalem adminiſtrationem; doctrinam cæleſtem, libros admirabiles, Apoſtolicos labores, peregrinationes, & eiuſdem ex Græcia in Occidentem tranſitum, ſalutarémque ad Galliam profectionem,& Lutetiam vſque Pariſiorum acceſſum , ſtylo tam encomiaſtico

comiaſtico quàm hiſtorico deſcripſit: Martyrij eius ibidem peracti etiam agonem glorioſiſſimum igneo prorſus pectore enarrat; ex cuius meditatione, Pariſiorum felicitatem demiratus, has in gratulabundas voces erumpit erga hanc vrbem, quæ fauſtiſſimo tanti Martyris aduentu & præclariſſimo triumpho, ex ignobili, vt ait, oppidulo, in eximiam celebritatem & conſpicuam toto orbe poſtea claritudinem, euaſit. *Quàm verè beata* (exclamabat vir ſanctiſſimus) *Pariſia eſt, quæ magnitudine quidem Galliæ ciuitatibus cedit, dum verò te, ô Doctor præſtantiſſime, theſaurum omnibus diuitiis precioſiorem in hereditatem accepit, patronúmque & excubatorem acquiſiuit, ſplendidior cunctis & beatior appellata eſt!* póſtque multa alia encomia de felicitate quam eius præſentia & patrocinio Lutetia aſſecuta eſt, ſic ad ipſum Hieromartyrem ſermonem ſuum reflectit. *Es igitur Pariſiæ diuino & ſublimi altari impoſitus, inter eos qui tecum coronati ſunt medius aſſiſtens, benignum* IESVM *verum Deum ſummúmque ſacerdotem, coronatorem, & omnis benignitatis auctorem vniuerſo mundo propicium reddens, quem dilexiſti, quem prædicaſti, per* * *quem capite truncatus coronam dignè retuliſti*, &c. *Nunc benignum Deum propicium reddere & precibus compellare velis, te maxime ac diuiniſſime Præſul, Martyrum illuſtriſſime obſecramus*, &c. Quid clarius, luculentius, magnificentius ſanctus hic ſcriptor dicere potuit, vt Athenienſem Dionyſium, Pariſiis coronatum, triumphare & regna-

* *melius* propter.

re, per Apoſtolicæ prædicationis merita & trophæa feliciſſimi certaminis, laureaníque perennis gloriæ innueret ac aſſeueraret. Huic autem Synchronus, & fide ac charitate intime coniunctus extitit.

III. S. METHODIVS qui dum Apocriſiarius Nicephori Patriarchæ Conſtantinopolitani ad Paſchalem Papam, beatiſſimi ipſius Doctoris & Martyris Dionyſij res geſtas ſtylo hiſtorico proſecutus, quicquid antiquiores auctores Græci de eodem ſcripſerant, in compendium retulit & contraxit, ſuámque Epitomem Romæ conſcriptam reliquit, quam vidiſſe ſe teſtatur dum tenera adhuc eſſet ætate, Anaſtaſius Bibliothecarius Apoſtolicæ ſedis, in epiſtola ad Carolum Caluum Imperatorem, inſcripta, *contra falſas quorumdam opiniones aſſerentium beatum Dionyſium Pariſiorum primum Epiſcopum non eſſe Areopagitam: Huius autem*, inquit Anaſtaſius, *paſſionis textum B. Methodius* * *qui ad ſedem Apoſtolicam Conſtantinopoli presbyter miſſus, eiuſdem vrbis* (nam poſtea Patriarcha Conſtantinopolitanus ipſe fuit) *tenuit Pontificium & ex tunc inter Sanctos ab omnibus, ob ſuæ confeſſionis & agonis* (pro ſacrarum imaginum pio vſu initi) *certamen veraciter veneratur & colitur, edidit, pauca de præcedentibus excerpens.* Non igitur hic ſanctus ſcriptor beati Dionyſij Areo-

* Malè apud Suriū legitur, à *ſede Apoſtolica Conſtātinopolim presbyter miſſus*. Cōſtat enim ex Curopalata, atque ex epiſtola Theodori Studitarū præpoſiti ad Epiphanium: miſſum fuiſſe Methodium à Nicephoro Patriarcha, accuſationibus iniuſtis onerato, ad Papam qui tum Paſchalis I. erat. Poſſet tamen & Surij textura his conciliari, ſi Methodium poſtquam functus eſt legatione pro ſuo Patriarcha, apud Papam, ab eo remiſſum quis dixerit Conſtantinopolim, cum iniuncta Apoſtolicæ ſedis aliqua præceptione.

pagitæ acta Martyriúmque Pariſiis conſummatum ex ſuo genio depinxit: at ex antiquorum Græcorum fuſioribus monimentis excerpta contractáque in epitomem Romæ exaratam edidit: vbi inter cetera ipſe B. Methodius prodit ſanctum Dionyſium è Græcia Romam, hinc in Galliam, profectum diuina voluntate Pariſios vſque directum, οὐρανίῳ καὶ θείῳ θελήματι, ὡς ὑπὸ Θεοῦ ἠγαπημένος, ὁδηγούμενος. *cæleſti & diuina voluntate, tamquam dilectus à Deo, per iter deductus.* Quod breuiori ſerie reddidit Metaphraſtes, diuino nutu immò iuſſu eo profectum indicans: ait enim, ἄνωθεν αὐτῷ κεχρηματισμένον. *ſupernè oraculum ei redditum.*

Porrò tam Michaëlem Syngelum, quàm B. Methodium ante Hilduinum ſcripſiſſe ex antiquiſſimis monumentis Areopagitæ Dionyſij Gal- ad an. 818. n. 14. tom. 9.
liarum illuminatoris res geſtas & encomia: maniſeſtiſſimum eſt. Baronius enim non recta linea inceſſit, dum cenſuit eodem tempore quo Hilduinus ſua concinnauit Areopagitica in Occidente: Michaëlem & Methodium ſupradictos in Oriente ſua de eodem opuſcula texuiſſe, adeóque id curante Hilduino, qui certè nondum Abbas ſancti Dionyſij erat, cùm Methodius Romæ exiſtens ſecundæ ſedis Patriarchæ Apocriſiarius, libellum de geſtis ſancti Dionyſij Areopagitæ ex priſcorum auctorum fuſioribus commentariis, vt prænotatum eſt concinnaui, nempe ſub Paſchale Papa, cuius anno 2. qui Chriſti fuit 818.

igitized by G

ipſe Baronius, legationis eiuſdem Methodij ad ſedem Apoſtolicam commeminit. Quo tempore Fredulfus* Abbas erat Dionyſiani cœnobij, vt ex indicibus certiſſimis patet. Iam verò eodem tempore quo Methodius hiſtoriam ſancti Dionyſij compédio expreſſit, Michaël Syngellus Hieroſolymitanus presbyter, Methodio compar, encomium eiuſdem Martyris edidit, vt Baronius fatetur, fieri itaque non potuit vt concurrerit cum iis Hilduinus in Areopagiticorum ſuorum collectione. Siquidem ex Sacra Ludouici Pij ad ipſum Hilduinum, ſuper horum indagine & vindicatione ſuſcipienda; manifeſtum eſt, hanc non directam fuiſſe ad illum Imperialem iuſſionem, niſi poſt reſtitutionem eiuſdem Ludouici, quæ anno tantùm 834. facta eſt, vt Sigebertus notat in Chronico. Itaque Methodius & Michaël ſcripſerunt ſub Paſchale I. Pontifice: Hilduinus ſub Gregorio IV. adeóque Pontificatu eiuſdem longè protracto, nimirum non antè annum 838. vt in limine huius articuli demonſtratum eſt. Hauſit igitur Hilduinus ex illorum ſcriptis Græcæ conteſtationis fluenta, quæ ipſimet ex antiquis fontibus prælibauerant ſuæ gentis; fuſioribus ſcilicet de Dionyſij geſtis Græcorum, commentariis, vt ſuprà ex Anaſtaſio Bibliothecario cùm ſpecialiter agebamus de Epitome Methodij, præſignauimus.

* De quo meminit MSS. Cod. Dionyſianus antiquiſſ. productus à Dubletio pag. 206.

Ceterùm illorum qui poſtea inter Græcos, Maiorum veſtigiis inhærentes, eadem de ſancto

Dionyſio Areopagita Gallorum Apoſtolo (quos vt Michaël prædictus ſcribebat, tribus machinis inclytus Dionyſius Chriſto ſubegit, ſcilicet *præconio veritatis, doctrinæ ſplendore, miraculorum prodigiis*) ſuis libris prodiderunt, ſeu potiùs per manum à patribus ſuis accepta, poſteris quoque ſuis, eadem veritatis ſynceritate tradiderunt, opus non eſt, hîc continuum catalogum texere. Quoniam qui Hilduinum impugnant, non inficiantur poſterioribus ab eo temporibus, fuiſſe ſic à Græcis etiam doctiſſimis ad hos vſque dies creditum & aſſertum. Immò Boſquetus pag. 51. diſertè fatetur Hilduinum ipſum *fultum Græcorum auctoritate, ad Apoſtolorum tempora, Patronum* (ſcilicet Dionyſium) *retuliſſe*. Satis ſit nobis igitur, quod pro opinatione ſua aduerſarij certum perſuadere nituntur, alienum eſſe à recto rationis tramite euiciſſe. Ampliùs enim non poteſt quod aiunt ſubſiſtere: nimirum auctorem Hilduinum huius ſententiæ fuiſſe, quæ Athenienſem Dionyſium Pariſienſis Eccleſiæ parentem fuiſſe prædicat. Conſtat enim ex dictis, hanc traditionem fuiſſe Gallis cum Græcis ipſis, ab initio communem, adeóque antiquam, vt non alia huius exordia queant indicari, quam ab eo delibata fonte, vnde Chriſtianæ hiſtoriæ purioris, & authenticæ traditionis, ſacri riui dimanarunt. Quamobrem aptè hîc poſſe mihi videor, aculeata Anaſtaſij Bibliothecarij verba, immò verbera, quibus illorum pertinaciam contundit,

DE ATTESTATIONE APOSTOLICÆ SEDIS.

Cuius traditione ſuffultus Hilduinus, Dionyſium Galliæ illuminatorem à ſancto Clemente miſſum; fuiſſe illum ipſum, quem Athenis Paulus Apoſtolus conuertit, tinxit & ſacrauit, Dionyſium Areopagitam aſſeruit.

SEDES *Apoſtolica toto orbe mirabilis* (ſcribebat dudum ad Ioannem I. Pontificem * Caſſiodorus tum præfectus Prætorio vrbis) *proprio tegit affectu cultores : & qua diuinitus commiſſâ ſibi omnium cuſtodiâ, Chriſtiano populo præſidet, paterno amore diligit vniuerſa.* Inde eſt quòd omnium nationum populos, quos fide connectit, amore fouet, perpetua ſollicitudine curat, paſtorali ſpeculatione regit, ſummáque, quam Petro Chriſtus tradidit, auctoritate gubernat, ita vbique complectitur, vt collectos in ſinum ſuum ac gremium proprios, velut filios omnes, (ſine differentia) intimis affectibus dilectionis proſequatur. Catholica eſt enim Romana Eccleſia, quia vice Chriſti Antiſtes illius, omnes dominici gregis paſcit ac dirigit oues. Alienum igitur à ſua ſollicitudine neminem cenſere poteſt, qui omnium curam ac tutelam ſuſcepit. Ideóque rectè omnino ac piè præfatus Caſſiodorus aſſeruit, ſibi vrbis quidem, at Ioanni Papæ, orbis curam

*Variarum lib. 11. ep. 11.

competere. *Vos*, inquit, *ſpeculatores populo Chriſtiano præſidetis*, &c. *quapropter nos decet cuſtodire aliqua, ſed vos omnia.*

Curam hanc œcumenicam, immò Apoſtolicam ſollicitudinem, (qua perfungens Petri ſucceſſor perpetuâ inſtantiâ, omnes per Eccleſias vigilantiæ Paſtoralis officia intendit:) cùm in omnibus, quæ ad Dei cultum, tum ad fidei tutelam & propagationem, pacis & vnitatis conteſſerationem, canonum obſeruantiam, diſciplinæ integritatem, & omne publici boni ſtudium, quod conferre poſſit ad maiorem Dei gloriam, Eccleſiarúmque commodum & ornamentum, ab ipſo ſuſceptæ diuinæ religionis exordio, & Apoſtolicæ poteſtatis, ac paſtoralis curæ ſimul recepto officio; Eccleſia ipſa Romana, *in petra à Deo exaltata*, vniuerſis gentibus quas ſub alas collegit maternas, perenniter exhibuit. Quæ cauſa etiam fuit, vt ad omnes populos * iam cùm fides oriretur in mundo, Doctores ſcientiæ ſalutis non ſolùm tranſmiſerit; ſed de horum progreſſibus ſollicita, ſcire etiam cupidè ſtuduerit, quis quantúſque fuiſſet laboris eorum fructus, quis eorum ad quoſcumque perrexiſſent populos ingreſſus & exitus, vt & quibuſque gentibus, quæ orbatæ eſſent his ſideribus gratiæ, noua lumina produceret, & perfunctis Euangelica prædicatione, paſtorali officio, fidei ſuprema teſtificatione, iuſta rependeret debitæ laudis præconia, & piæ erga eorum beatiſſimam memoriam

* Hinc notat Fúccius Lutheranus l. 6. Commen. in ſuâ Chronol. ann. 178. *Quo in honore Romani Pontifices eo tẽpore fuerint, ex hoc ſatis apparet, quod potentiſſimus Britanniarum Rex Lucius, qui ea tempeſtate Chriſti fidem primitus ex continenti vltra Germanicum Oceanum in Britannicam Inſulã publicè vocauit, non ab alio quodam Epiſcopo, doctores veritatis petiit, quàm à Romano, cùm tamen eo tẽpore multi per Gallias clariſsimi haberentur Epiſcopi.*

riam præſtaret officia gratæ Deo honorificationis. Inſuper de eorum victoria, & gloria, vt gratias Chriſto illorum coronatori, perennes ageret, populíſque dum illorum perpetuam proderet ad exemplum imitationem, illis vnà beatorum ipſorum in cælis triumphantium, felicem conciliaret opitulationem. *Ideò ipſa Romana Ecſia* *, inquit grauiter magnus Baronius, *quæ Apoſtolica auctoritate ceteris præeſt, & materna caritate fideles omnes, filios ſuos eſſe nouit, non tantùm Romæ paſſos Martyres cenſuit eſſe ſuos: ſed omnes vbique gentium ſe cum dolore peperiſſe congaudens, materno fouet amplexu, & quos ſcit coronis triumphalibus auctos, in cæleſti gloria collocatos, debito religionis obſequio veneratur.*

*In præcapit. ad Roman. Martyrolog. c. 8. inter medium & finem.

Idcirco iam ab initio Martyrum nomina & res geſtas toto terrarum orbe conquiſiuit, & acta quidem illorum inter publica religionis monimenta ſuis in archiuis conſeruauit: nomina verò glorioſa in catalogum retulit, quem (quòd Martyrum memoriam ipſis diebus, quibus ſinguli eorum iam victores, de fidei certamine ad triumphum proceſſerant, ſempiternum colendam apud poſteros annuis ſacris indicâret) MARTYROLOGIVM Patres congruentiſſimè appellauêre. De hoc ſanctus Gregorius in epiſt. ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum epiſt. 29. lib. 7. ind. 1. *Nos*, inquit, *penè omnium Martyrum diſtrictis per ſingulos dies paſſionibus, collecta in vno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eo-*

rum veneratione Miſſarum ſolennia agimus. Et verò nihil antiquius vnquam fuit apud S. R. Eccleſiæ Præſules, quàm vt Chriſtianorum acta fortia, ipſæ Sanctorum res præclariſſimæ, perpetuæ memoriæ monimentis conſignarentur. Cui rei egregiam operam nauatam primùm fuiſſe conſtat à S. Clemente. Hoc enim geſta huius S. Pontificis & Martyris apertè teſtantur, quæ perhibent *eum feciſſe diuidi regiones notariis fidelibus Eccleſiæ, qui geſta Martyrum ſollicitè & curiosè, vnuſquiſque per regionem ſuam perquirerent.* Nec vrbis ſolùm ſtudioſum par eſt credere fuiſſe, Martyrum geſta colligendi, & illuſtrandi trophæa, Apoſtolicum illum Antiſtitem: ſed orbis quoque vniuerſi, cuius propter dignitatem ſedis, cui præerat, cuique adiunctam mundi nouerat ex inſtitutione Domini, & ſancti Petri hæreditate generalem curam; ex officij debito gerebat paſtoralem ſollicitudinem & ſpeculationem. Inde eſt quòd diſſidentes* Corinthios Apoſtolicis litteris ad vnitatem & pacem reuocabat: epiſtolas vbique, quibus in fide oues Chriſti perſecutionibus infidelium perterritas confirmaret; Doctoréſq. veritatis, & nuncios diuinæ miſericordiæ & gloriæ, ad gentes tam longè, quàm prope poſitas dirigebat; horum perſpiciebat agones, & communem in nomenclaturam collecta eorumdem nomina, acta, natalitia tranſcribebat. Refert hoc ex antiquis monimentis Hincmarus in epiſtola ad Carolum Caluum

* S. Hieronym. lib. de ſcript. Eccleſ. *in Clemente.*

Imperat. *quòd ſanctus Dionyſius, cùm ſibi iam propè imminere extremam pro Chriſto colluctationem cerneret, ex Iatino Meldorum, Sanctinum, & Antoninum diſcipulos ſuos euocauerit, iiſque præceperit, vt ſermones & agones ſuos ſolerter intenderent & memoriæ commendarent, ac quibus tormentorum generibus, per paſſionum ſupplicia corporis vitam finiret conſpicientes, ad ſedis Apoſtolicæ Romanæ Antiſtitem Romanámque Eccleſiam, per ordinem renuntiare ſtuderent, eóſque obnixè depoſcerent Athenienſium ciuibus ea nota facere, quatenus & ipſi Domino pro curſu laborum eius impleto gratias agerent, & erga cultum eius bono animo fierent.* Vnde conciliatur quod apud Hilduinum aliquatenus diſſonare videtur, vbi ait: Græcos ſcriptores de Dionyſij ipſius obitu nihil dixiſſe, *quia propter longinquitatem terrarum tranſitus ipſius penitus eis fuiſſet ignotus.* Et tamen *ad ſuam vbique ætatem Græcorum Maiores & Athenarum incolas perhibere, doctos hiſtoriarum ſcriptis, & ſucceſſionum traditionibus, primum fuiſſe Athenienſem Epiſcopum, eo tempore, quo Timotheus Pauli æquè diſcipulus, Epheſiorum Eccleſiam rexit: ipſúmque Dionyſium ſubrogato ſibi Epiſcopo Romam adiiſſe & vt compererant, apud Gallorum gentem glorioſo Martyrio conſummatum fuiſſe.* Non enim voluit dicere Hilduinus, quòd apud veteres Græcos nihil prorſus de tranſitu ſancti Dionyſij in Galliam, eiúſque Lutetiæ Pariſiorum acto Epiſcopatu & Martyrio ſcriptum fuerit: hoc enim quomodo cum eo, quod dicit ibidem conſtaret? nempe Præſu-

les *Græcorum & Athenienſium incolas edoctos hiſtoriarum ſcriptis & ſucceſſionum traditionibus, Martyrium Dionyſij ſui peractum in Gallia perhibere.* Sed tantùm innuere voluit Hilduinus (qui alioqui ex ipſorum Græcorum priſcis codicibus aſſertionem ſuam de identitate Dionyſij Athenienſis cum Pariſienſi confirmabat; Græcos, actorum aliorum SS. Martyrum deſcriptores (quiquidem inſpectores agonum teſtéſque oculati geſtorum eorumdem, iidémque ex more Eccleſiarum exceptores eſſe ſolebant geſta extrema ſancti Dionyſij non conſcripſiſſe, ſicut ceterorum Sanctorum, qui apud eos occubuerant, quorúmque ſupremos ipſimet inſpexerant agones. Sed tamen ſancti Dionyſij paſſionem conſummatam Lutetiæ Pariſiorum in Gallia; apud Græcos, adeóque ipſos Athenienſes, quos primùm ipſe paſtorali officio curauerat, compertiſſimam eſſe, immò & illorum hiſtoriis libris inſcriptam ſucceſſionúmque Epiſcopalium indicibus (quos ab initio diffuſæ fidei ipſa in Græcia, & vbique alibi, Tertullianus accuratè ſignatos ac aſſeruatos de more teſtatur) proditam & teſtatam. Quòd ſi quæras vnde Græci potuerint huius notitiam, quam proprios in faſtos, &, vt Tertullianus loquitur, in *cenſus Eccleſiaſticos* tranſcriberent, addiſcere? iam ex præmiſſis peruia & facilis reſponſio eſt. à Romanæ Eccleſiæ hanc cognitionem accepiſſe manibus, à qua, vt liquet ex Euſebio, atque ex Eulogij Alexandrini facta ad S. Gregorium petitione; ſo-

lebant ſacros Martyrum indices & res geſtas, ipſorúmque natales perquirere & depoſcere. Romana itaque Eccleſia, ad quam (vt Hincmarus commemorat) Sanctinus & Antoninus ſpectatores & exceptores extremæ concertationis ſancti Dionyſij, eius ex præiuncta ſibi iuſſione, ſeriem retulerant: hanc vt ipſemet etiam Dionyſius optauerat, ad Athenienſium tranſmiſit Eccleſiam, è cuius hinc confectis tabulis, Ariſtides Athenienſis hanc expreſſit in ſuo *pro Chriſtianis Apologetico* *, quod Athenis obtulit Hadriano Imp. ſed & ceteri inde Græci mutuarunt, ſuáſque in collectiones ſacrarum hiſtoriarum relatam ad poſteros tranſmiſerunt. Nec enim dubitandum puto, quin tanti viri coronidem, quam Athenienſes ſcire percupiebant; Dionyſius ipſe ad extrema properans pro ſupremo voto, iiſdem per Romanam Eccleſiam notificari rogauerat; Anacletus Papa, ſucceſſor S. Clementis (qui vice eius, acta paſſionis B. Dionyſij Lutetiæ conſcripta & hinc allata Romam per præfatos exceptores acceperat) continuò ad Athenienſes tranſmiſerit, quorum ipſe conciuis ** Anacletus erat. *Romam auxiliante Deo*, (ſcribit Hincmarus ex antiquis monimentis) *peruenerunt & iam beato Clemente coronato, in eadem ſede ſanctum Anacletum natione Græcum de Athenis, qui fuerat à beato Petro presbyter ordinatus, conſecratum Pontificem inuenerunt; cui per omnia, ſicut eis beatus Dionyſius iuſſerat, actus & Martyrij eius ordinem narrauerunt.* Quæ

In epiſt. ad Carol. Caluum Imp. c. 5. & 6.

* Vide Adonem in Martyrol. die 3. Octobris.

** Athenienſis enim erat, vt teſtãtur tã priſci quàm nuperi Roman. Pontiff. nomẽclatores.

mouit autem S. Dionyſium ratio, vt id illis præciperet, non vna fuit. Prima, vt notatum eſt ex dictis eius apud Hincmarum, hæc erat vt Deo debita de eius felici conſummatione, gloria redderetur. Secunda, vt patriæ, boni exacti certaminis exemplum, quo confirmarentur Athenienſes ipſi, in fide præberetur. Tertia, vt diſpenſationis ſibi à ſede ſancti Petri creditæ, rationem eidem redderet, officiíque Apoſtolici perfunctionem fidelem fuiſſe, ex Dei munere oſtenderet. Quarta, vt S. Clementis, qui Martyrum glorioſas concertationes pro Chriſto, ad ſtimulum fortitudinis & fidei munimentum, Dei gloriam, honorificationémque eius athletarum ſtudioſè colligi procurabat, votis obſecundaret: ad cuius ipſe manus, acta triumphi ſancti Eutropij primi Epiſcopi Santonenſis, commilitonis ſui, Græcè à ſe ſcripta ante direxerat, quæ Calixtus II. Pontifex origine Burgundus, adeóque Guillelmi Comitis Burgundiæ filius, ante Apoſtolatum Archiepiſcopus Viennenſis, cùm Conſtantinopoli ageret * *in ſchola Græcorum, reperit in quodam codice, multorum Martyrum acta continente, atque è Græco in Latinum vertit.* Clemens enim ſic illa Eutropij acta ſcripta à beato Dionyſio, & ad ſe ab ipſo directa, acceperat **, vt & noui Martyris felicem exitum cognoſceret, & huius notitiam Græcis, ex quibus ipſe quoque Eutropius erat, communicaret; qui illam inde acceptam hiſtoriam, ſuum in hagiologium, in quo tran-

* Ita refert Vincentius lib. 10. ſpeculi hiſtor. c. 18. extátque adhuc Romę Gręcè ſcriptus hic Cod. in Vat. Bib.

** De Eutropio eiúſque actis infrà ex profeſſo c. 8. art. 1. §. 6.

ſcripta erat, retulerunt, ex quo codice deprom-ptam Calixtus II. vt dictum eſt, (dum nondum Pontifex, Conſtantinopoli verſaretur) Latinam in phraſim traduxit.

Ex inductis autem liquet, paſſionis S. Dionyſij tenorem, Romanam Eccleſiam, madente adhuc eius ſanguine, fideli relatione (quæ ſpectatores ipſius beati athletæ certaminis, conſcriptores eiuſdem habebat & delatores) nuncio ſanè ſpectabili percepiſſe. A quo tempore, vt Romana ipſa Eccleſia, acta purpuratorum omnium Chriſti teſtium ſollicitè perquiſiuit, vndique collegit, & diligenter conſeruauit (ſicut liquet ex frequenti Gregorij Turonenſis * teſtimonio) quæ Galliarum Eccleſiæ, res geſtas propriorum tutelarium (ob illatam à Barbaris ſæpè in has prouincias erumpentibus, multiplicem ſacrorum monimentorum iacturam) neſcientes, à ſede Apoſtolica inde repetita, ſuam hinc in vtilitatem delibârunt: ita ſanè non dubium eſſe debet quin ſancti Dionyſij, Galliarum Apoſtoli, acta Martyrij glorioſa, ipſa Romana matrix Eccleſia (è cuius ſinu ille ad nos prodierat Gallicanæ Eccleſiæ pater) religiosè aſſeruauerit, incorruptè cuſtodierit, & deinceps in ſcrinio ſacro ſemper illibata poſſederit: proinde & genuina atque certa & indubitata eadem nobis prodiderit.

* De glor. Martyrum c. 40. 51. & 64.

Et verò licèt Hincmari aſſeueratio de conſcriptis à Sanctino & Antonino iuſſu ſancti Diony-

ſij, ipſius Martyrij & ſociorum tabulis, ab aduerſariis reiiceretur (tametſi hoc ſine iniuria fieri non poſſit, cùm nulla ſubſit repulſæ cauſa legitima) tamen negare nequirent, mox ac coronam extremo agone Dionyſius ipſe cum ſymmyſtis adeptus eſt, Romanam Eccleſiam, illius triumphalem de ſtadio exitum, cognouiſſe. Tum quòd Gallicana Eccleſia, ipſi Romanæ vt matri honoratiſſimæ (hoc ipſo tempore exorientis religionis) iuſtæ obſeruantiæ officia referens, res ſuas de more illi notificabat, præſertim quæ grauis momenti erant; vtpote perſecutionum, quas perpetiebatur, ſæuitiam; confeſſorum conſtantiam, Martyrum pro fide coronatorum neces. Qua de cauſa Athalus à Lugdunenſi & Viennenſi Eccleſiis miſſus ad Pium Papam, Martyrum illi res geſtas nuntiauit, quod ipſe Pius teſtatur in epiſtola ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem, vbi ſubnectit: gaudium ſe ineffabile de eorum triumpho (quem ab ipſo Athalo didicerat) percepiſſe. Sed & Irenæum ita fuiſſe miſſum, vt de ſtatu Lugdunenſis Eccleſiæ referret ad Eleutherium Papam, atque ab eo (Principis vtique Apoſtolorum ſucceſſore) reſponſa nonnulla ſuper quibuſdam quæſtionibus acciperet. Sanctus Hieronymus in Catalogo teſtatur, & Euſebius lib. 5. cap. 3. Multæ iam tunc in Galliis Eccleſiæ erant, vt Euſebius indicat lib. 4. cap. 23. & 25. Nec mirum cùm idem aſſeueret lib. 3. cap. 37. *Eccleſias toto terrarum orbe, ab ipſis Apoſtolorum*

diſcipulis

diſcipulis excitatas, atque iam tunc paſtoribus, quos illi ordinabant, commiſſas fuiſſe. Has autem, quæ in Galliis erant, eodem ſpiritu animatas, eodem ordine conſtitutas quo Lugdunenſis & Viennenſis erant, eadem quoque doctrina, ac eadem diſciplina informatas par eſt credere. Idcirco ſegniores fuiſſe in percolenda Petri ſede, (à qua, vt ait ſanctus Cyprianus, *vnitas ſacerdotalis orta erat,*) & ſacræ vnitatis cum ea conteſſeratione obſeruanda, vnde vniuerſalis Eccleſiæ pendebat ſtabilitas, & membrorum myſtici corporis cum viſibili capite firmabatur connexio, non pium foret exiſtimare. Pariſienſem itaque Eccleſiam, quam hac primæua Chriſtianæ religionis ætate fundatam à viro Apoſtolico Dionyſio, antiqua monumenta produnt, ipſáque teſtatur & profitetur Romana matrix Eccleſia; officio defuiſſe ſuo, vt genitrici ſuæ ipſi Romanæ (à qua parentem illum ſuum acceperat) non cupidè cohæſerit *, non debita venerationis obſequia, & ſacræ conteſſerationis iura reddiderit: adeovt Apoſtoli & Protomartyris ſui glorioſum in ſupremo certamine fidei triumphum eidem non ſignificauerit, paſtoraléque ſolatium, à capite ſacerdotalis ordinis, à fonte religionis, ab vberibus maternis, in hac orbatione non requiſierit: nemo qui æquè cenſeat de virente, illa præſertim ætate, Chriſtiana iuſtitia, & florente pietate, poterit arbitrari. Quamquam verò deſidioſa fuiſſet & oblita officij tum nouella hæc Eccleſia Pariſienſis, procul-

* Innocentius II. Cæleſtinus II. Eugenius III. & Alexander III. in diplomatib. ſuis Apoſtolicis deſcriptis in veteri codice faſtorum & cenſuum Eccleſiæ Pariſiēſis, appellant ipſam Eccleſiam, *nobilem & glorioſam & in amore & reuerentia B. Petri, & S. R. E. deuotiſſimam.*

dubio aliæ vicinæ, quæ & feruētiores fuiſſent, eius negligentiam ocyus suppleuiſſent: in iiſq. ſaltem præmemoratæ Viennenſis & Lugdunenſis, quas fide plenas, zelo ingenti arſiſſe pro Chriſto patiendi, & Martyrum pro eo certamina & triumphos, non Romæ tantùm denuntiandi, ſed Orientalibus quoq. Eccleſiis notificandi, idem Euſebius lib. 5. cap. 2. & 3. honorifica relatione commemorat. Quòd ſi illæ quoque Eccleſiæ in hoc fuiſſent pio ſtudio deſides: Romana tamen Eccleſia omnium mater de omnibus ſollicita, curam illam reſciſcendi Martyrum luctas & agones, non deſeruiſſet; quam conſtat ad obſeruationem Martyriorum, alias Eccleſias vigili prouidentia incitâſſe. Quo ex affectu Pium Papam & Martyrem, inſtigâſſe Iuſtum Viennenſem Antiſtitem legimus: monendo vt non ſolùm interemptorum pro fide corpora ſicut Dei membra curaret: quemadmodum Apoſtoli curauerant Stephani ſaxis obruti venerabile corpus; ſed vt etiam *Spiritu ſancto duce ſancta probaret Martyria*, hoc eſt, attenderet, diſcerneret, deſcriberet; & ſibi renuntiaret, vti Athalum Romam ad ſe profectū, feciſſe, idem teſtificatur ſummus Chriſtianorum Antiſtes *. Quam curam & ſtudium cognoſcendi colligendíque Martyrum præclaros agones, cœpiſſe in Clemente Martyrologij auctore ſuprà oſtendimus, atque per ſeriem non ad Pium vſque duntaxat deriuatum, ſed ex traduce Apoſtolicæ ſucceſſionis & gratiæ ad poſte-

* Agnoſcit hoc Pij PP. ad Iuſtum Epiſc. reſcriptum Boſquet⁹: Idque datū indicat an. 166. lib. 2. hiſtoriar. ſuarum p. 73.

ros quoque Pontifices propagatum, demonſtrauimus *in apparatu noſtro ad Martyrologium Gallicanum cap.4.5.& 11.§.5.* Idque tam verum, vt Hagiomachi neoterici propterea Romanæ Eccleſiæ improperent, quòd memoriæ Sanctorum obſeruationi & venerationi ſemper plus æquo fuerit addicta: quaſi piaculo* illi vertentes, quòd *pretioſam in conſpectu Domini Sanctorum eius mortem*, charam & commendabilem perpetuò habuerit, quòd amicos Dei (quos ipſe Deus immensè honorificat) illa ſtudiosè honorauerit; quod ſtellarum paradiſi, quarum Deus ipſe multitudinem numerat, quarum nomina vocat, nomenclaturam habere, multitudinem ſuſpicere, ſplendores mirari, indicare virtutes, illa vera Chriſti ſponſa (cuius hæc cæleſtia ſidera natiui ſunt fœtus) perenni deſiderio affectarit, ſeduláque cura vbique inſtiterit.

*Molineus in ſua quá Papatus dicit nouitate lib. 7. c. 12. p. 544. quam propterea ſic in materiarum indice ſignat.

Ardeur incroyable de l'Egliſe Romaine au ſeruice des Sainɛts.

Hæc verò quæ præmiſimus, haud ita longè vagando extra oleas dicta puto. Saltem id ſiquidem certum & exploratum efficiunt, quòd ab initio Romana Eccleſia Martyrum res præclarè geſtas vndique indagare contenderit, réque ipſa collegerit in faſciculum: quódque ſpeciatim perſpectas habuerit Martyrum concertationes, háſque (nominatim Pariſienſis Eccleſiæ anteſignani Dionyſij, & commilitonum eius) fidelibus relationibus acceptas, ſuos in cenſus & faſtos, qui orbi (cujus generalem agit ſolicitudinem) vniuerſo communes erant, iam ab ortu Euangelici lumi-

nis tranſcribere cœperit. Proinde quæ acta Dionyſij habet & prædicat, pro indubitatis & germanis veritatis hiſtoriæ monimentis, computanda eſſe. Sed quamquam Romana ipſa Eccleſia hanc curam inueſtigandi conſcribendíque in ſacros cenſus Martyrum cuiuſque gentis trophæa; & Gallicana Eccleſia morem illum, quæ ſibi propria eſſent, eidem referendi ab exordio ſuſceptæ fidei non obſeruâſſet, nihílque de Dionyſio hæc illi renuntiaſſet: ſufficeret tamen Eccleſiæ Romanæ iam ab initio religionis vigens hac de re traditio, & expreſſa, quæ ſumma eſt, eiuſdem auctoritas, vt Areopagiticam infulam, Pariſienſi coniunctam laureæ, Dionyſio legitimè illi competere aſſereremus, atque quantumuis reclamantibus gloriæ eius æmulis, illi vt iuſto poſſeſſori, gemini honoris faſces adiudicaremus. Parum eſſet quidem ad eas vindicias ineundum, ſi Eccleſia Romana tantùm teſtificaretur, & doceret, Dionyſium illum quem miſit in Galliam ad nuntiandum æternæ ſalutis præconium, Pariſiis bono functum certamine, lauream gloriæ immarceſſibilem reportâſſe. Peruium enim eſſet aduerſariorum effugium: hoc teſtimonium non efficere quæ prætendimus, nempe noſtrum Dionyſium illum eſſe, quem in Actis Apoſtolorum commemoratum legimus. At verò Romanam Eccleſiam (quæ Dionyſium, ſelectum è millibus præſtantiſſimis Chriſtianæ militiæ ducibus ad nos miſit belli ſacri ſigniferum, immò æternæ

pacis & felicitatis caduceatorem:) illum profectò optimè omnium nouiſſe, fatendum eſt; ipſámq. ſententię noſtræ ſubſcribere penitus, háncque ſua vndiq. munire ſacra ſyngrapha, eſt ſanè patentiſſimum. Hæc enim quæ illum in Galliam, Lutetiam vſque Pariſiorum, ad pugnam & certum triumphum direxit, hoc ipſum quod profitemur, aſſerit & teſtatur, ſempérque id docuit & credidit. Nempe Dionyſium illum eſſe ipſum Pauli diſcipulum, cognomine Areopagitam, ab ipſo Apoſtolo baptizatum, & primum Athenienſem Epiſcopum ordinatum; deinde diuino monitu ex ardore propagandi Chriſti gloriam & hominum ſalutem, ex Oriente vt ſolem beneficentiſſimum ad Occidentem conuerſum, Romam profectum. Hinc à Clemente, qui fuerat eius ſub Paulo ſymmyſta, inde Petri in Apoſtolico orbis Pontificatu ſucceſſore, illuminationis Galliæ cupidiſſimo; gentis Gallicæ proprium Apoſtolum conſtitutum, Lutetiam (quæ haud diu pòſt futura erat, diuinitus orituri Chriſtianiſſimi Imperij ſumma ſedes) ex eiuſdem hortatu & mandato adiiſſe, illîc fundâſſe nobiliſſimam (quæ abhinc iugi decore emicuit) Eccleſiam, háncque non ore & opere ſolùm, hoc eſt, prædicatione & miraculis: ſed ipſo cruore profuſo in ſupremo agone, cum ſociis diuinæ diſpenſationis adminiſtris, conſummato, feliciter conſecrâſſe, reciſúmque caput venerandum ſuſtuliſſe manibus, atque ad duo vſque milliaria, quaſi triumphando vecti-

tâſſe. Eum ſcilicet ad locum, quo quieſcens triumphum ſibimet erexit, toto orbe iam abhinc conſpicuum, ipſis Pontificibus ſummis venerabilem, Regibúſque Christianiſſimis adeò charum & reuerendum, vt, quemadmodum de magno Imper. Conſtantino ſanctus Chryſoſtomus ſcribebat, * *qui ad valuas Apoſtolorum* Conſtantinopoli voluit ſepeliri, *Ianitorem piſcatoris illum ſic effectum*, inde magis quàm de titulo Imperij gloriari: de ipſis Chriſtianiſſimis Galliarum Auguſtis, ſine iniuria dici poſſit, illos apud ſancti Dionyſij Baſilicam, quam eius amore omnibus aliis prætulerunt, continua ſerie voluiſſe tumulari, vt Apoſtoli Galliæ ibi cum triumpho regnantis & quieſcentis, fierent quaſi excubitores: cuius deuotiſſimi dùm viuebant clientes, ſperauerunt præpotenti apud Deum ſuffragatione poſſe adiuuari. Hæc eſt, hæc fuit ſemper de Dionyſij (cuius titulos propugnauimus) ortu, nomine, dignitate, progreſſu ad Gallias, acceſſu & fine ibidem illuſtriſſimo, S.R. Eccleſiæ certa fides, & inuiolabilis traditio, cui innixus Hilduinus, aut (vt Hincmarus loquitur) *clara atteſtatione ſuffultus*, Dionyſium noſtrum verè illum eſſe Areopagitam in diuinis litteris celebratum, aſſeuerauit. Quod ne vmbratili fuco ab eo dictum quis opinetur, hîc per inductionem euidentium demonſtrationum illius antiquæ & perennis traditionis Romanæ Eccleſiæ, operæprecium indigitare voluimus.

* S. Chryſoſt. hom. 26 in ep. 2. ad Corint. & hom. 66. ad popul. Antioch.

ARTICVLVS I.

Dionyſium primum Epiſcopum Pariſienſem, eſſe vnum eumdémque cum Athenienſi, ex Romanæ Eccleſiæ doctrina & traditione, quæ ex ſacris eius antiquis tabulis, etiam à Beda tranſcriptis, elicitur, apertè demonſtrari.

NEGARE non poſſunt aduerſarij, Romanam Eccleſiam in ſuo Martyrologio, necnon ſuo in breuiario: vnum eumdémque Dionyſium Areopagitam, ac Pariſienſem primum Epiſcopum & Martyrem, manifeſto præconio profiteri: ſic enim habent ſacræ ſedis Apoſtolicæ tabulæ 7. Idus Octobris. *Lutetiæ Pariſiorum natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi, Ruſtici presbyteri & Eleutherij Diaconi. ex quibus Dionyſius ab Apoſtolo Paulo baptizatus, primus Athenienſium Epiſcopus eſt ordinatus, deinde Romam veniens à beato Clemente Romano Pontifice, in Gallias prædicandi gratiâ directus eſt, & ad præfatam vrbem deueniens, cùm ibi per aliquos annos commiſſum ſibi opus fideliter perſequeretur, tandem à Præfecto Feſcennino, poſt grauiſſima tormentorum genera, vnà cum ſociis gladio animaduerſus Martyrium compleuit.* Hæc ibi nitidiſſimè. Nec id, (ut præfati ſumus) negant aduerſarij in Martyrologio Romano ita legi: ſed excipiunt, ita ſolùm haberi in Martyrologio illo, quod Baronius recenſuit & edidit. Qui textum ita ad perſuaſionis ſuæ amuſſim adaptauit, quâ

cùm Dionyſium Pariſienſem vnum eundémque cum Areopagita permiſceret, ne ſibimet aduerſaretur, eandem quam delineauit in ſerie Martyrologij ſententiam, contra antiquorum exemplarium tenorem, ſuis tam in notis aſſeruit, quàm ſacris annalib. tutatus eſt. Quibus reſpondeo, antequam Baronius recenſioni Romani Martyrologij manum admoueret, exiit Romæ editum ipſum Martyrologium Romanum iuſſu Gregorij XIII. apud Dominicum Baſam ann. 1584. in quo totidem verbis atque apicibus Dionyſij Areopagitæ primi Pariſienſis Epiſcopi, miſſi à ſancto Clemente; porrò à Feſcennino Præfecto gladio animaduerſi, cum ſociis Ruſtico & Eleutherio, apud Lutetiam Pariſiorum natalis conſignatur. Sed verò dici non poteſt addititia commentatione, & noua opinione illorum, qui editioni illi præfuerunt, textum Martyrologij Romani fuiſſe hac in re deprauatum. Teſtatur enim in liminari diplomate ſanctiſſimus hic Pontifex, *omnia ex fide vetuſtorum codicum emendatiorúmque fuiſſe circa rerum geſtarum, perſonarum, locorum, temporum veritatem recognita ac digeſta.* Vnde patet quæ de Dionyſio vnico hìc habentur, fuiſſe à Pontifice & eruditis, quos vt teſtatur adhibuit, cenſoribus, reperta, iudicatáque antiquis Romanæ Eccleſiæ diptychis vndequaque conſona atque affinia. Ita quoque Galeſinius in Martyrologio Romanæ Eccleſiæ, Mediolani edito, apud Pacificum Pontium anno 1578. dicatóque

præ-

præmemorato Pontifici Gregorio XIII. inſinuauit. Sic enim ibi ex antiquis ſacris tabulis legendum prodidit Protonotarius hic ſedis Apoſtolicæ eruditiſſimus. *Septimo Idus Octobris, Sanctorum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij Martyrum. Dionyſius ciuis Athenienſis, opibus, gloria, ſapientiáque clarus, vnus ex Areopagitis iudicibus, in Chriſtum credidit, quo tempore B. Paulus Apoſtolus Athenas venit, à quo baptizatus Athenienſium Eccleſiæ præficitur. Inde poſtea Romam profectus, à Clemente Pontifice prædicationis causâ, in Galliam mittitur, vbi Pariſiis, quoniam multos ad Chriſti religionem perduxerat, vnà cum ſociis Ruſtico Presbytero, & Eleutherio Diacono, Feſcennij præſidis iuſſu, primò virgis cæſus, poſt multis etiam cruciamentis affectus, ſecuri demum percuſſus coronatur.* Inſtant tamen aduerſarij arguentes, ante illas Martyrologij Romani editiones, diſtinctos fuiſſe duos Dionyſios, colendos eodem menſe: ſignatum enim fuiſſe in veteri Romano Martyrologio (quod Roſvveidus poſtea edidit) Dionyſium Areopagitam laureatum Athenis die 3. Octobris: at verò Dionyſium Pariſienſem perfunctum extremo agone cum ſociis nono die eiuſdem menſis. Quod etiam expreſsè legitur in Martyrologio Bedæ, aliiſque poſterioribus, quæ tamen antiquiora fuerunt Hilduino. Sed nihil hæc euaſio illis proficit. Nam perſpicuè inferiùs, argumenta aduerſariorum ſpeciali ſerie recenſendo, oſtendemus, diſtinctionem illam duorum natalium,

non inducere dualitatem perſonarum. Vbi etiam Roſyveidi Martyrologium, in quo multas ſe habere vires æmuli fruſtra putant, expendemus, miniméque eſſe genuinum & nitidum vetus Romanum, fauente Chriſto, euincemus. Vbi etiam reſpondere Deo dante, pollicemur inſtantiæ, quam aſſerunt ex Vſuardo, Bedâ recentiore. Interim verò dicimus neque ſyncerum vetus Romanum, neque verum priſcúmque Bedæ Maryrologium, duos diſtinctos Dionyſios Martyrio affectos indicatis diebus, ſingillatim commemorare: minus verò diſcernere Pariſienſem ab Areopagita, ſed & vnicum ſignare, & ideo Athenienſem à Pariſienſi minimè diſtinguendum, ſed pro vno eodémque accipiendum manifeſtè innuere, hac ſingulari nomenclatura. Et verò ingenuè quiſquis ſe geſſerit fatebitur, Martyrologium vetus Romanum, è Gazophylacio potiùs Romanæ Eccleſiæ, quàm alterius cuiuſque ſcriniis, eſſe repetendum. At verò res comperta eſt atque explorata prorſus, Romæ antiquiſſimum ſeruari, Romanæ Eccleſiæ Martyrologium, acceptum olim ex reliquiis peruetuſti monaſterij ſancti Cyriaci: item & perantiquum Bedæ Martyrologium, quod teſtatur Baronius apud Patres Oratorij, quibuſcum viuebat, ſe vidiſſe & habuiſſe, in quibus legere eſt VNVM DIONYSIVM, illúmque Pariſiis (non alibi) laureatum, ſeptimo Idus Octobris. Vnde optimè infert idem Baronius perilluſtris Eccleſiæ Catholicæ annaliſta, diſtinctionem, quæ

in recentioribus exemplaribus Martyrologij Bedæ cernitur, de Dionyſio Areopagita, diuerſo à Pariſienſi, non à Beda poſitam, ſed ad Bedam additam fuiſſe; quod & Poſſeuinus, tam de ipſius Bedæ, quàm veteris Romani, aucto, immò deprauato per additionem illam recentiorum, contextu, in poſterioribus aliquot exemplaribus, pari inductus facti euidentiâ, fatendum æquè rectè arbitratur. Sed prætermiſſo Baronij oculati referendarij, tam inſigni, quàm irrefragabili teſtimonio; iudicióque & aſtipulatione illa Poſſeuini: manifeſtiſſimè indigitare volo priſcas tabulas Romanæ Eccleſiæ, à Beda venerabili (qui annis ſuprà centum, ante Hilduinum effloruit) deſcriptas & illuſtratas, duos Dionyſios alterum Athenienſem, Pariſienſem alterum neutiquam prodidiſſe: ſed vnum ſignâſſe tantùm, quem ipſum fuiſſe Græcum innuebant, ac Gallicum; nec alium coli Pariſiis cum ſociis Martyrem, quàm qui ex Athenis Romam profectum, Gallia ipſa miſſum ad ſuam illuminationem Apoſtolum, Lutetiáq. primum Antiſtitem, Dei ſingulari munere ſuſcepit.

Et primùm quidem ſi coniecturis inueſtiganda eſſet huius aſſertionis certitudo, non temerè dici poſſet ante ſancti Bernardi ætatem, qui ab annis plus minus quingentis fulgebat, additionem illam contexui venerabilis Bedæ Martyrologij, qua menſe Octobri geminus iam indicatur Dionyſius, aſſutam nondum fuiſſe. Id pa-

tet ex inſigni facto Petri * Abailardi, quem coæuum & æmulum ſanctus ipſe Bernardus habuit, atque aberrantem à recto tramite ſapientiæ Chriſtianæ, feliciter demum reuocauit ad veritatis ſemitam. Is enim cùm Monachus adhuc degeret in cœnobio ſancti Dionyſij; mota, ex inopinato caſu, quæſtione de B. Dionyſio loci illius tutelari, interrogatúſque à Monachis, qui Areopagitam illum ſuum patronum, ex antiqua vindicatáq. ab Hilduino traditione, aſtruebant; quid de eo ſentiret, ambiguéque reſpondiſſet non ex propria ſententia locutus, ſed Bedæ, apud quem, quoniam legerat, *in expoſitione Actuum Apoſtolorum*, illum Dionyſium, qui Areopagita vocitatur, Corinthiorum fuiſſe Epiſcopum (contra Dionyſij ipſius Corinthij & Euſebij Cæſarienſis auctoritatem, qui illum primum Athenienſem fuiſſe teſtificantur:) etſi haud negâſſet Areopagitam illum, Pariſienſis fuiſſe demum Eccleſiæ fundatorem: ſed de primo tantùm Epiſcopatu dubitari poſſe **, ob dictum Bedæ cenſuiſſet, ſubindéque verbis ſibi contradicentium irritatus, adiunxiſſet, *non referre multum, vtrùm Dionyſius ille, qui apud illos Martyr*

* Abailardus epiſt. 1. quæ eſt hiſtoria calamitatum eius, ad amicũ ſcripta, inter med. & finem, (ſeu p. 25. & 26.) inter epiſtolas Abailardi ipſius & Heloiſſæ.

** Sic enim ſcribit Beda (cuius ſententiam allegabat Abailardus) in Acta Apoſt. c. 17. tom. 5. ad illa verba, *In quibus & Dionyſius Areopagita. Hic eſt Dionyſius qui poſt Epiſcopus Corinthiorum glorioſè Eccleſiam rexit, multáque ad vtilitatem Eccleſiæ pertinentia, quæ hactenus manent ingenij ſui volumina reliquit, cognomen à loco cui præerat accipiens. Areopagus eſt enim Athenarum curia, nomen à Marte trahens. Siquidem Græcè, Mars* Ἄρης *& villa* Πάγος *dicitur.* At de Corinthiorum Epiſcopatu qui nihil ſententiæ noſtræ officit, etiam ſententiam Beda retractauit, vt obſeruat Hilduinus ſed vbi, non innuit. Elici autem hoc poteſt ex libello Bedæ de ſex ætatibus to. 2. In quo dum Dionyſium Corinthi Epiſcopum florentem, ſub M. Aurelio ponit: illum apertè diſtinguit à Dionyſio Areopagita, qui claruit Apoſtolorum ætate: & non Corinthiorum ſed Athenienſium fuit primus Epiſcopus, demúmque Galliæ Doctor, vt ipſemet Beda teſtatur in ſua Ephemeride, inferiùs proferenda.

quieſcebat, Areopagita fuerit, vel alius, dummodo tantam crederetur à Deo adeptus eſſe coronam. Illi excandeſcentes ex hac ancipiti reſponſione, hominem ad Abbatem continuò detulerunt, qui acriter increpatum, grauiori etiam quàm regulari diſciplina eundem reum cenſuit, ob tantum temeritatis piaculum, quo adeo patentem veritatem, in dubium reuocare viſus erat. Datus igitur in cuſtodiam, vt pœnas meritas lueret, inde fratrum quorundam commiſeratione noctu eductus, verberáque metuens aufugit, atque in Campaniam ſub Theobaldi Comitis tutelam euolauit. Tum verò cùm ibi ſecurè iam ageret, ſibi liber, ad Abbatem & Monachos ſancti Dionyſij è veſtigio ſcripſit, mentem ſuam innuens longè alienam ab errore de quo accuſabatur: quaſi Areopagitæ dignitatem illorum patrono derogaret. Id enim nec minimum cogitâſſe, ſed mouiſſe duntaxat quæſtionem ex dicto Bedæ, an Dionyſius Areopagita, Corinthiorum Eccleſiæ, vel Athenienſi præfuiſſet: éxque mente Bedæ tum cenſuiſſe Corinthiorum Protopræſulem Dionyſium Areopagitam, non Athenarum extitiſſe. At verò re magis penſiculatè examinata, errorem qui in Bedæ commentarium irrepſerat, ex antiquorum ſcriptorum teſtimoniis deprehendiſſe. Nempe * quòd Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, per obreptionem cum Areopagita, Beda vel qui eius ſcripta malè tranſcripſit confudiſſet. Cùm tamen liqueat

* Idem in altero epiſtolarũ codice epiſt. 2. *Qua ad Abbatẽ & Monachos cœnobij glo-*

rioſiſſimorũ Martyrum Dionyſij, R. & El. directa eſt aduerſus eos, qui ex auctoritate Bedæ presbyteri arguere conantur Dionyſium Areopagitam fuiſſe Dionyſium Corinthiorum Epiſcopum, & non magis fuiſſe Athenienſium Epiſcopum.

Areopagitam Apoſtolorum ætate, Corinthium ſub Marco Antonino Vero, & Lucio Aurelio Cõmodo (vt teſtatur ſanctus Hieronymus in catalogo) hoc eſt annis poſtea pleriſque, claruiſſe. Erraticam eſſe igitur manifeſtè hanc quam apud Bedam legerat opinionem, niſi dicendum cuipiam videatur, Areopagitam Dionyſium Athenis primùm; deinde etiam Corintho, Epiſcopum præfuiſſe, ante illum poſteriorem ſibi æquiuocum. Aliàs concludit Bedam deceptum fuiſſe, vel duos eiuſdem nominis Epiſcopos Corinthiorum extitiſſe. Ceterùm indubitatum innuit ſe ſentire Areopagitam Dionyſium, poſtquam Athenienſi Eccleſiæ præfuit (& ſi Bedæ dictum benignè explicandum eſt, alio tempore Corinthiorum Antiſtes quoque fuit) poſtmodum à ſancto Clemente Galliarum ordinatum Apoſtolum: ſéque non modò in fine epiſtolæ, at in ipſo limine, hanc cum Sandionyſianis profitetur aſcetis tenere veritatem. At quæſo ſi in Bedæ Martyrologio (cuius opera ſanè in manibus tum habebat Abailardus, qui ea legebat) reperiiſſet geminum Dionyſium menſe Octobri conſignatum; alterum Areopagitam paſſum Athenis die tertio, alterum Pariſiis die nono eiuſdem menſis: nónne auidè arripuiſſet hoc longè illuſtrius Bedæ teſtimonium, quo magno cum faſtu de ipſis Dionyſianis ſibi infeſtis iam in tuto poſitus triumphâſſet? De Epiſcopatu hoc vel illo Dionyſij etenim, non cenſuiſſet ambigen-

dum, ſed de ipſo Areopagitæ titulo, quem Dionyſiani cœnobitæ tanto cum æſtu ſuo patrono arrogabant. Nónne dixiſſet, ſe cum illis de lana caprina luſiſſe, cùm, Athenarum vel Corinthi Areopagita an Dionyſius fuiſſet necne Epiſcopus, ex Bedæ ſententia ſecum diſputabant? Areopagitam ſiquidem, ex Bedæ patentiſſimo teſtimonio (quod in illius Martyrologio oſtendiſſet ſcriptum) nihil prorſus ad illos, nec ad Galliam pertinere, quem conſtaret omnino à Pariſienſi, qui apud eos colebatur, diuerſum eſſe, vtpote diſtinctum cognomine ipſo Areopagitæ, Epiſcopali ſede, natali die, & Martyrij loco. At Abailardus quamuis ſolers, acutus, & eruditus Monachus, atque à Dionyſianis, quod maximè notari debet, rigidè habitus, ac ita aſperè, vt dictum eſt, exagitatus; ex Martyrologio Bedæ, id quod ſibi proprium robur ad perſecutores ſuos debellandos allaturum fuerat, non deprompſit. Certè quia tum ſcriptum apud Bedam non reperit: aliàs enim ſeipſum, qui gloriæ adeo cupidus erat, palma priuâſſet victoriæ, tam obuia quàm parata. Nec enim metus illi Monachorum ſancti Dionyſij affingi poteſt, è quorum manibus elapſus erat, tutéque & ſecurè iam longè ab iis agebat. Et qui auſus eſt ſancto Bernardo ſeſe antagoniſtam opponere, tot aduerſarios excitare, & cum iis ſæpè pugnaces conſerere manus; haud credibile quidem eſt, timore Monachorum ſancti Dionyſij perterritum, illis in re apertiſſima, fer-

uente diſputatione, fauente ſibi longè euidentiùs Beda, de cuius leuiori dicto diſceptabatur, non auſum obniti, aduerſúſque eos tam validum telum intorquere, quo eorũ clypeatas quantumuis acies transfixiſſet, triumphúmque de iiſdem ceciniſſet præclariſſimum. Sed verò vt tacuiſſet ipſe, tamen illi non ſiluiſſent, quos prædictæ mendoſæ vel ſcriptioni vel lectioni Bedæ fauentes ipſe (vt patet ex ipſius epiſtolæ titulo) redarguerat. Sed minimè opus eſt coniecturis agere, vt demonſtremus Bedam ſuo in Martyrologio neutiquam duos Dionyſios planè diuerſos, nempe Areopagitam à Pariſienſi tot prædicamentis diſtinctum; propriis diebus, eodem menſe, immò nec alio quouis poſuiſſe. Tantum enim hoc abeſt, quantum ab oppoſito, diſtat oppoſitum. Contrarium enim docuit apertiſſimè, doctor ille ſanctus, *ſelectúmque*, vt Piſeus aptè ait, *Spiritus ſancti organum*, inſigni teſtimonio enuntians, ſe Dionyſium, qui Pauli diſcipulus fuit percelebris, non alium à noſtro, ſed eumdem prorſus cum eo, qui Galliæ illuſtrator cum bino ſocio paſſus eſt, credidiſſe. Sanè tom. 1. eius operum extat tractatus, cuius hic titulus eſt. *Bedæ presbyteri computus vulgaris, qui dicitur Ephemeris, de feria, de luna, & iis quæ ad lunam pertinent, id eſt, epactis, menſibus, ſignis, terminis anni cycli decennouenalis:* in quo metrico ſtylo, Sanctorum, qui ſingulis menſibus occurrunt natales ſignat, cum breuiſſimo cuiuſque ferè elogio. Sic autem ibi de Dionyſio canit,

* De illuſtr. Angliæ ſcriptorib. ætate 8. n. 101. p. 132.

canit, quem vnicum collocat menſe Octobri, & non die quidem 3. ſed 9. quâ illius, quem aſtruimus Areopagitam, vnáque Galliæ Apoſtolum, celebramus, cum ſancta Romana Eccleſia, Catholica & Apoſtolica, (cuius dogmatum, morum & rituum Beda ipſe obſeruantiſſimus fuit) triumphalis agonis feſtiuitatem. Vbi enim Abraham fidelium patrem commemorâſſet, continuo filo quáuis rudiori, ſubnectit, ſeptimo Idus Octobris.

Has quoque Martyrio inſigni trinóque coruſcant
Vrbem, templa ſuo luſtrantia lumine cunctum,
DIONYSIVS *ætherio, qui ſplendet honore;*
Gallia Doctorem PAVLO *inſtituente beatum,*
Quem meruit gemino comptum, iunctúmque miniſtrum.

Hæc ſcribebat in ſacra ſua Ephemeride, metricóque Kalendario, ſeu abbreuiato Martyrologio centum fere annis ante Hilduini vindicias Areopagiticas venerabilis Beda. Eſſe enim germanum hoc opus Bedæ patet, tum ex eo quod in omnibus editionibus ad primum tomum eiuſdem operum refertur (cùm dubia, vel ſuppoſititia auctorum opera, ſoleant ad calcem collectionis, vt extra claſſem reiici) tum quod exploſa opinione cuiuſdam nuperi, leuiſſimis coniecturis nitẽtis, ſapientiſſimi cenſores Bellarminus & Poſſeuinus, inter proprios Bedæ fœtus, hunc tractatum annumerandum iudicârunt, nec minimum de eo dubitârunt. Immò Pitſeus in libro *de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus ætate 8.* Vbi ple-

num & accuratum catalogum deſcribit operum Bedæ venerabilis, ex veterum Angliæ nomenclatorum iudicio, adeóque Academiarum Angliæ ſententia, quæ gentilis ſui Bedæ antiqua monimenta ſtudioſè ſeruârunt, germanáque eius opera longè meliùs, quàm exteri quique ſcire diſcernere exiſtimandi ſunt; ſignatè recenſet illum libellum pag. 137. ſub hac epigraphe. *Ephemerim*, ſeu *computum vulgarem librum vnum*; ponítque eius initium. *Quadratus hic æquilaterus:* vt dubium nullum eſſe poſſit, hunc ipſum eſſe tractatum, cuius ex ſerie, Bedam natiuum illius auctorem, vnum agnouiſſe Dionyſium menſe Octobri celebrem demonſtramus; Areopagitam vtique (nam Pauli dicit diſcipulum) quem ipſum Galliæ eſſe Doctorem magnificè prædicat, paſſúmque cum bino ſocio; qui Lutetiæ cum ipſo Martyres hac die honorantur, eundem euidenter inſinuat. Porrò eam fuiſſe ſententiam Bedæ perpetuam, patet ex diſcipuli eius aſtipulatione, Rabani ſcilicet, quem Simplicij Bedæ diſcipuli, non fuiſſe modò auditorem (vt recentior ſcriptor deceptus cenſuit) at Bedæ ipſius alumnum*, vetus catalogus Epiſcoporum Moguntinorum (cui ſedi ipſe præfuit) diſertè prodit numero 22. vbi ſic legitur. *Rabanus patria Fuldenſis,* alibi *Magnentius Maurus appellatus, Bedæ Anglici diſcipulus, poëta mirificus, Theologus inſignis, qui tota biblia commentariis illuſtrauit, & multa etiam alia, cùm proſâ, tum ligata oratione ſcripſit; vir vita*

* ſcilicet in tenera ætate.

innocentia, & morum ſanctimonia clariſſimus. Hic igitur inſignis auctor à Beda ſymmyſtiſq. eius edoctus Martyrologium breue texuit, quod ex priſcis codicibus Monaſterij ſancti Galli depromptum edidit Henricus Caniſius, *tom. 6. & vltimo antiquæ lectionis*. Porrò illic menſe Octob. die 3. nullum Rabanus Dionyſium ponit recolendum, at die 9. duntaxat, hunc quem vnicum faciebat: vtique tam ex magiſtri iudicio, quàm ex communi traditione, Dionyſium illum inſcribit, quem à S. Clemente Papa in Galliam *ad prædicandum verbum Dei miſſum*, & Pariſiis, ſeu vt loquitur *in Pariſio*, cum duobus ſociis notiſſimis martyrizatum commemorat. Verùm ille Dionyſius, quem miſit Clemens in Galliam, cum duobus illis ſymmyſtis, non alius fuit ex ſuprà indicata ſententia Bedæ, Rabani inſtitutoris, quàm ille magnus Dionyſius qui à ſancto Paulo cæleſti doctrina imbutus fuit. Iam verò pudor eſt trahere ad cenſuram iudicium Bedæ, immò factum adeo manifeſtum, vt reus poſtuletur affectati erroris, immò ſpontaneæ malitiæ: qua Eccleſiaſticas tabulas deſcribens, voluerit de induſtria, Romanæ Eccleſiæ vel diptycha corrumpere, vel apertè eius traditioni refragari. Quod certè piaculum admiſiſſet, ſi vbi reperiiſſet ab illa, eodem menſe duos Dionyſios percolendos aſſignari, à ſe inuicem prorſus diuerſos, loco, ætate, dignitate, natali, martyrio; alterius & præcipui quidem vtpote prioris, ac maioris voluiſſet claram memoriam extinguere,

poſterioris verò minus clarum nomen, illius diſpendiis illuſtrare. Duos quidquid ſit in vnum conflare, cum propriæ conſcientiæ piaculo, multorum offendiculo, detrimento tam militantis, quàm triumphantis Eccleſiæ: pius nemo & ſenſatus, ita de venerabili Beda potuerit opinari, quem ſuo ſæculo tam inſigni ſanctitate, quàm rara eruditione, immò incomparabili doctrina præcelluiſſe, omnes fatentur: quem & Romanæ Eccleſiæ fuiſſe addictiſſimum, eidémque chariſſimum ſatis liquet, tum ex eius ceteris ſcriptis cedrina capſa digniſſimis; tum ex epiſtola Sergij Papæ, qua Ceolfrido ſanctiſſimo Abbati* (ſub quo degebat Beda) iubet vt ipſum, quem ſibi notum innuit ex diffuſa toto orbe fama nominis, *Bedam Dei famulum ſine omni repugnantia deſtinet ad limina Apoſtolorum*, eò quòd *præſentia eius in arduis cauſis fidei, Eccleſiæ Dei valde vtilis, vel potiùs, neceſſaria eſſet.* Hunc igitur nemo dixerit Romanæ Eccleſiæ infeſtum fuiſſe, vel inuiſum: minus autem rerum eius ignarum, quem in arduis cauſis fidei, Sergius Papa, ſicut quondam Hieronymum Damaſus, intimum Conſiliarium, præcipuúmque adiutorem aduocauit. Ideóque cum diptycha Apoſtolicæ ſedis Romanæ, quæ diu antea ipſo in Oriente vulgatiſſima erant, (vt teſtis eſt ſanctus Gregorius in epiſtola ad Eulogium Alexandrinum Patriarcham) Bedam ignoràſſe tam doctum Scriptorem, & peruigilem omnium rerum, maximè hiſtoriæ ſacræ, ſcrutato-

* De hoc vide Martyrol. noſtrum Gallican. 7. Kal. Octobris & lib. quoq. noſtrum de Epiſcop. Monoga. part. 2. cauſa 3. §. 11.

rem : etiam cùm Martyrologium retexeret, faſtos caneret ſacros, abſurdum eſt vel tantillum ſuſpicari. Porrò placitis, & traditionis indicibus Romanæ Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ, in ſacris ipſius tabulis expreſſis, illum voluiſſe de induſtria cum certo reatu contradicere, immò diptycha ipſa ſacra reſcribendo corrumpere, tam patenti, quàm non ferenda illuſtriſſimi Martyris ſuppreſſione, vel confuſione eiuſdem cum minori æquiuoco, nefas prorſus reputo de ſanctiſſimo ſapientiſſimóque homine cogitare. Quamobrem perſpicuum euadit ex inductione præmiſſa, in antiquiſſimis Romanæ Eccleſiæ tabulis, ſeu perueteri Martyrologio, vnum duntaxat Dionyſium menſe Octobri fuiſſe, ad annuam venerationem annotatum : ipſúmque non alium fuiſſe, quàm Areopagitam, eundémque Pariſienſem Protomartyrem & Præſulem, 7. Idus Octobris Lutetiæ cum ſociis coronatum; ſícque Bedam venerabilem legiſſe, ſcripſiſſe in Martyrologio ſuo veriſſimo, & in Ephemeride clariſſimè expreſſiſſe.

ARTICVLVS II.

Idem probari ex ſummorum Pontificum epiſtolis Innocentij, Gelaſij & Gregorij Magni ad Pariſienſem Eccleſiam directis; inſupérque ex alio inſigni documento ipſius beati Gregorij.

GALLICANAM Eccleſiam edoctam à Chriſti Domini Apoſtolorúmque diſcipulis, ſediſque Apoſtolicæ Legatis, doctrinæ cum ſumma illa ſede religionis fonte, vnitatis matrice, ſacerdotij apice vnanimitatem ſemper illibatam coluiſſe, res compertiſſima eſt, adeóque decantata, clariſſimis plurimorum ſummorum Pontificum præconiis. Eandem tamen ſpeciales ſuos ritus & proprios mores habuiſſe in modo, at non in re, à Romanæ Eccleſiæ theoriis & myſticis praxibus differentes, Gregorius Magnus, qui Gallicam ipſam Eccleſiam miris laudibus efferebat, manifeſtè teſtatus eſt, in inſtructione, quam Auguſtino dedit à ſe delecto Anglorum Apoſtolo. Vbi inter cetera eum admonet, eam ad gentem profecturum, vt diligenter pias religioſáſque, quas compererit, ſiue Romanæ, in cuius ſinu enutritus fuerat, ſiue Gallicanæ, quam in tranſitu luſtraturus erat, ſiue cuiuſque Eccleſiæ conſuetudines, colligat, & quaſi conſertas in *faſciculum, apud Anglorum mentes* in obſeruantiam *deponat*. Porrò Eccleſia Pariſienſis, quæ inter pri-

mas Galliæ ſemper celeberrima fuit: cuiúſque ante ipſum Gregorium, Venantius Fortunatus pulchram diſciplinam, & egregiam in diuinis officiis œconomiam, inſigni carmine celebrauit: ſuos habuiſſe à primordiis ſuis, proprios mores, praxéſque ſeu cæremonias ſacras peculiares, peritis ſanè Chriſtianæ hiſtoriæ ſatis eſt exploratum. Certè Honorius Auguſtodunenſis in lib. dicto *Gemma animæ*, & ex eo Radulphus Tungr. *de canon. obſeruantia propoſit. vlt.* ſcribunt Dionyſium Areopagitam ritum liturgicarum præfationum initiâſſe. Id verò apparet ex cap. 3. Hierarchiæ Eccleſiaſticæ, vbi diuinæ ſynaxeos Liturgiam deſcribit: ibi enim Antiſtitem cum ſymmyſtis, Deo laudem & gloriam primùm referre docet, túmque diuiniſſimam perficere actionem. Sed ſi de præfationis ipſa origine ſermo eſt, aperta eſt libri Pontificalis notatio, quâ inſtitutio præfationis Liturgicæ, cap. 50. Gelaſio Papæ aſſcribitur, cui ſanè competere non poteſt. Nata enim videtur cum ipſo diuino nouæ legis ſacrificio ante conſecrationem hoſtiæ viuificæ, laus illa ſolennis diuinæ maieſtatis; à qua inſtitutionis illius primordium Chriſtus ipſe duxit. Qui cùm acciperet panem, ſuum in corpus tranſmutandum, gratias egit, hincque diuini illius myſterii celebratio, Euchariſtia appellata eſt. Vnde & in liturgiis ſancti Iacobi Apoſtoli, & S. Clementis præfatio illa collaudatoria diuinæ gloriæ, recitanda ante conſecrationem aſ-

Lib. 1. carm. 10.

Lege Docharem tom. 4. de ſacrificio, cap. 14.

ſignatur. Quin & S. Cyprianus, necnõ Chryſoſtomus, & Baſilius præfationis meminerũt. Illíq. ſuis in liturgiis præfixas habent ex generali vſu: hic verba etiam huius communis, quæ apud Latinos vſurpatur, propria aliquot refert. Sanctus Ambroſius ſubiunctum hinc recolit triſagium: quem & *librum præfationum* ordinâſſe notat Radulphus Tungrenſ. *prop. vlt.* ex quibus vnam citat, Algerus *lib. 1. de ſacramento corporis Chriſti contra Berengarium.* Non igitur ſanctus Dionyſius abſolutè præfationes inſtituit, quæ fuſiſſima ſerie etiam apud S. Clementem, qui eum ad nos tranſmiſit ritum, deſcriptæ ſunt. Mos enim illas ante tremendam ipſam actionem frequentandi fluxit ab ipſa, vt præoſtenſum eſt, Domini inſtitutione, & eius Apoſtolorum praxi. Sed hoc primus inuexit in vſum B. Dionyſius, vt Sacerdos vel Pontifex, dum hac inſigni laude diuinam maieſtatem in ſacrificio adoraret, atque plebem ſanctam, ad cultum ſummæ glorificationis ipſi diuinitati referendum, ſecum hoc ſolenni præconio inſtrueret, ſacra Dei opera magnificans; ipſum etiam Deum in Sanctis ſuis collaudaret, déque Martyrum, qui pro teſtamento eius in fidei prælio occubuerant, palmis, coronis, & triumphis, gratias ipſi publicas rependeret. vt verò hoc fieret, cum diuina vberiori gloria, & cum populi ſimul inſtructione, quem exemplis ad agonem animare ob inſtantes pugnas, opus erat: inſtituit vir Apoſtolicus,

vt in ipſa conficiendæ Euchariſtiæ myſtica præfatione, ſummatim athletarum illorum diuinorum paſſio, quæ Dominicæ in hoc ſacrificio *commemoratæ mortis* imitatio erat, illo, quo triumphauerant, die, recitaretur. Hunc itaque tradidit ritum obſeruandum nouellæ Eccleſiæ, quam informabat, Pariſienſi: quæ ita edocta, morem ipſum, quem ſibi cum aliis ritibus ſanctus ipſe Dionyſius tradiderat, intemeratè ſeruauit; quamuis non ad amuſſim cum Romano vſu conſonaret, quem etiam longè latéque propagauit. Enimuerò in Miſſali ſancti Ambroſij (quem in Gallia tradunt primum hauſiſſe lumen) leguntur ſingulis ferè natalibus Martyrum, propriæ illorum præfationes, in quibus illorum vita, mórſque glorioſa compendio referuntur: tametſi Romana Eccleſia ex veteri vſu, quem ſuo firmauit decreto Pelagius II. nouem duntaxat admitteret. Hunc morem celebrem & perantiquum Eccleſiæ Pariſienſis, immò vniuerſalis Gallicanæ, notat Hilduinus in ſua, ad Ludouicum Pium, reſcriptione, vbi ait, traditioni quam vindicat paſſionis ſancti Dionyſij Areopagitæ, Pariſiis cum ſociis coronati, *duos antiquiſſimos & nimia penè vetuſtate conſumptos Miſſales libros adſtipulari, continentes Miſſæ ordinem more Gallico, qui ab initio receptæ fidei, vſu, ibidem eſt habitus, vſquequo tenorem, quo nunc vtitur, Romanum, Gallia* (iuſſu Caroli Magni capit. lib. 1. c. 80.) *ſuſcepit, In quibus voluminibus habebantur duæ Miſſæ* (ſcilicet vna I. Cor. 11.

Digitized by

pro vigiliæ officio: alia, pro ipſa illorum Martyrum natali ſolennitate; *quæ ſic inter celebrandum ad prouocandam diuinæ miſerationis clementiam, & corda populorum ad deuotionis ſtudium excitanda, tormenta Martyris ſociorúmque ſuccinctè commemorabant, ſicut & reliquæ Miſſæ ibidem ſcriptæ aliorum Apoſtolorum, vel Martyrum quorum paſſiones habebantur, nobiliſſimè decantabant. Quarum duarum Miſſarum, cantus, ſenſus & verba paſſionis eorundem, quam vobis* (Ludouicum Auguſtum alloquitur) *miſimus, ſeriei concordare videntur, vt nulli ſit dubium, à teſte illorum Martyrij agones eorum fuiſſe deſcriptos, & ex ipſa veraci hiſtoria, memoriam tormentorum ſuorum, in præfatis precibus fuiſſe mandatam.* Subnectit verò antiquas illas Liturgias à priſcis ſummis Pontificibus Innocentio, Gelaſio & Gregorio, cum paſſionis illorum Martyrum hiſtoria, agnitas, & auctoritate illorum probatas, nunc ferè vſque in vſu retentas fuiſſe: qua de re eorundem Pontificum Apoſtolicæ ſedis, Lutetiæ etiamnum extare ac aſſeruari, ſacras reſcriptiones grauiter aſſeuerat. Quem ſanè tanto Imperatori, hæc publico ſcripto ingerentem, putidè mentitum fuiſſe, pudor eſt opinari, maximè cùm in luce ſolis ageret; ideóque ſi impoſuiſſet credulitati Principis, de falſitate & dolo, mox potuiſſet à ſuſurronibus, qui ſcriptis eius detrahebant, redargui, meritóque damnari patentis impoſturæ ab * Inchado Pariſienſi Epiſcopo, qui ſanè cum clero ſuo, qui viris

*Ichardo.

doctis * nunquam caruit, probè ſciebat, ſi ſua Pariſienſis Eccleſia Miſſalia hæc haberet, atque Pontificalia, quæ ad eorum approbationem allegabat ipſe Hilduinus tanta certitudine reſcripta. Nec enim dubium quòd ſi falſa illũ narrare in re tanti ponderis, Epiſcopus tam vigilans, clerúſq. tã oculatus cognouiſſent, & Imperatorẽ admonuiſſent tam apertę fraudis, & auctorem impunè hanc inferre non tuliſſent. At à nullo homine, nedum ab æmulis ſuis, hac de re, reprehenſus inuenitur Hilduinus: cuius aſſertionem Berno Abbas Augienſis, qui ducentis ab illo annis claruit, quaſi ſynceram & intemeratam recitat, immò approbat ſpeciali argumento in libello *de quibuſdam rebus ad Miſſæ officium pertinentibus, cap. 2. inſerto tom. 10. Bibliothecæ Patrum editionis nouæ.* Fateor illas quidem epiſtolas Pontificum Romanorum lapſu temporis deletas, illóſque antiquos Liturgicos Codd. ritus Gallici excidiſſe, vti pleraque alia ſacræ antiquitatis monimenta **: ſed ſatis eſt ad fidem Hilduino conciliandam, quod cùm illorum auctoritate niteretur, Pariſiis adhuc exiſterent, ad quorum conſpectum dum aduerſarios prouocâſſet, nullus repertus eſt, qui auſus ſit illum euidentis fallaciæ & temeritatis inſimulare, quin potiùs aſſertum eius ita abhinc inualuit (vtpote verum & compertum) vt inde in auctoritatem tranſierit, & à tractatore inſigni diuinæ Liturgiæ Bernone inductum fuerit, quaſi irreprehenſibile teſtimonium. Fauet etiam Hil-

* Hinc illud Stephani Tornacẽſis epiſt. 160. *Vſurpabant ſibi hactenus, nec immerito Pariſienſis ciuitas doctrinam, Remẽſis Eccleſia diſciplinam. illa vtrumque retinet quod incœpit. Hæc ſi declinare cœperit, &c.* At diu ante laudabat maioribus longè encomiis Clerum Pariſ. Fortunatus lib. 2. carm. 10.

** Immò in diuinis oraculis v. g. *Liber Iuſtorum, & epiſt. ad Laodicenſ.* euanuerunt.

duino, auctoritatem ſancti Gregorij proferenti; eiuſdem ſancti Gregorij *Antiphoniarius liber per anni circulum*, in quo geminum officium conſignatur ſancti Dionyſij menſe Octobri. At non niſi vnici, illiúſque, quem ſuum aſtruit Eccleſia Pariſienſis: Officium etenim illud bipartitum eſt, nec Dionyſio ſoli, ſed ſociis quoque ſimul inſcriptum, alterúmque *in vigilia*, alterum in natali eorundem recitandum notatur. Palam eſt autem, quòd ſi ſanctus Gregorius duos diuerſos Dionyſios menſe Octobri colendos ex more & tabulis Romanæ Eccleſiæ cognouiſſet, non dubium vtique, quin anniuerſarium ſacrum vtrique aſſignâſſet, aut certè digniori tribuiſſet vnicum officium. Iam verò aduerſarij volunt Dionyſium Areopagitam die 3. Octobris Athenis paſſum, & in priſcis Eccleſiæ Romanæ tabulis (quas certè ſi ita eſt, vel non vidit, vel ſpreuit S. Gregorius) annotatum illa die. Porrò Pariſienſem, quem Apoſtolico illo viro longè minorem faciunt, die 9. ictum gladio cum ſociis commemoratum. Et tamen priori ſcilicet Areopagitæ, quem *antiquum & venerabilem Patrem* appellabat ſanctus Gregorius *, ipſe nihilominus nullum ſacrum commemorationis officium aſſignauit, ſed poſteriori tantùm, vt liquet, quia vigilia natalis illius, quem hoc honorat ſacro decoro, poſt natalem S. Marci Papæ, qui die 7. colitur, immediatè, vt incidit, collocat: & ſequenti die, eiuſdem & ſociorum natalem ponit celebré.

* Hom. 34. quæ eſt de drachma perdita.

Igitur vel maioris gloriam datâ operâ extinxit, vt minoris illuſtriorem faceret memoriam : vel certè in tabulis Eccleſiaſticis, ad quarum regulam officium ſacrum ordinatur, vnum ſignatum legit Dionyſium : & quoniam illic Areopagitam vnum eundémque cum Pariſienſi perſpexit ; ideo non bino, ſed vni prorſus eidémque Dionyſio tam orto Athenis, quàm Pariſiis obtruncato, laureatóque cum ſociis, anniuerſariæ celebritatis ſolénem cultum adſcripſit. Qua in re hoc ſingulari obſeruatione dignum eſt, quòd non vno tantùm diei natalis officio, illius memoriam honorificauerit, vti ceterorum penè omnium Martyrum dies ordinat natales : ſed præuiæ etiam vigiliæ officio inſuper decorauerit, quod, prætcrquam vni beato Laurentio, non niſi ſolis attribuit Apoſtolis. Vnde patet, quo gradu honoris dignum Dionyſium noſtrum ſanctus ipſe Gregorius, cenſuerit, quem ferè Apoſtolis æquiparauit: non alia certè de cauſa, quàm quòd illum ipſum Areopagitam eſſe crediderit, quem alibi tanto cum honore ſcribens de Angelis * commemorabat : & quem vbique conſtabat virum planè fuiſſe Apoſtolicum, ab Apoſtolorum principis conſorte eruditum ordinatúmque, & ab ipſius Apoſtolorum coryphæi ſucceſſore Clemente, in opus Euangelij delectum, Galliæ datum Apoſtolum, & Apoſtolicæ diſpenſationis, tam fortiter, quàm feliciter conſummato munere; tandem triumpho nobiliſſimo, in cælos cum in-

* Hom. 34. ſupra ſignata.

clytis ſuis commilitonibus ad gloriam ſempiternam euectum, proptérque hos glorioſos titulos, Martyribus ceteris, per inſignia duplicati honoris anteferendum eſſe. Neque enim hanc eludent illationem aduerſarij, ſi Antiphonarij S. Gregorij, ex quo elicitur (hanc vt conſequentiam elidant) extenuarint auctoritatem, hunc librum planè vel eius eſſe negantes, vel ſaltem reuocantes in dubium. Auctor enim doctæ præfationis in ipſum S. Gregorij Antiphonarium & librum eiuſdem Sacramentorum, hoc illis effugium auſpicatâ ſanè anticipatione præcluſit, ita grauiter prolocutus. *Horum autem librorum auctorem eſſe S. Gregorium Magnum, difficile in dubium reuocari poteſt, cùm ex vetuſtiſſimorum codicum MSS. inſcriptionibus liquidò conſtet, & Ioannis Diaconi lib. 2. vitæ eiuſdem beati Pontificis, cap. 6. & 17. Vulafridi Strabonis de rebus Eccleſiaſticis, cap. 22. Bernonis Augienſis lib. ſuprà citato, cap. 1. Micrologi de rebus Eccleſiaſticis, cap. 24. 25. 28. 31. 39. 42. 43. 49. Amal. lib. 3. de Eccleſ. offic. cap. 5. & aliorum, qui de diuinis officiis ſcripſerunt atteſtationibus comprobetur, nec vllius in contrarium extet auctoritas.* Stat igitur pro nobis Gregorius Magnus, háncque non poſſunt columnam tam firmam, tam excelſam (quæ noſtram mirificè fulcit cauſam) aduerſarij noſtri quouis impellant ariete, ſubuertere.

Editionis Romanæ anni 1593.

ARTICVLVS III.

Aliorum Pontificum Hilduini ætate antiquiorum, tam factis, quàm ſcriptis, eandem quam ille aſſeruit de B. Dionyſio, ſententiam confirmari.

§. I.

Stephani III. Papæ hac de re illuſtre teſtimonium tam Apoſtolicis literis, quàm opere memorabili declaratum.

STEPHANVS III. Apoſtolicæ ſedis Pontifex, ab Aiſtulpho Rege Longobardorum iniquè oppreſſus, expetitis fruſtra ab Imperatore Conſtantinopolitano, impio ſcilicet Conſtantino Copronymo, auxiliis: demum ad Pipinum Francorum Regem, ſecretò litteras direxit, obnixè petens vt Romanæ Eccleſiæ defenſionem ſuſciperet, mitteret verò qui ipſum Pontificem tutò in Galliam deducerent. Annuit Pipinus precibus Pontificis, procerêſque ocyus ad eum miſit, qui inuito Aiſtulpho illum incolumem perduxerunt, vbi tanto illum honore excepit Chriſtianiſſimus Rex, vt obuiam ei cum vxore & liberis profectus, pedibus ſeſe eius non ſolùm proſtrauerit, ſed & vice functus ſtratoris, eius equum ambulans, aliquantum itineris deduxerit. Ceterùm ſic perbenignè ac religiosè ſuſcepto, ſpopondit ſe primo vere in Aiſtulphum ducturum, & opem afflictæ Italiæ, vrbíque ipſi

& Pontifici quietem & pacem allaturum. Interim *apud Pariſius ciuitatem* (ſcribit Fredegarius Scholaſticus in Chronico*) *In Monaſterio ſancti Dionyſij Martyris cum ingenti cura & diligentia, ipſum Papam hyemare præcepit.* Qui Pontifex interea tam ex itinerum laboribus, quam ex iniuriis temporum lapſus in grauiſſimam ægritudinem, deſperata iam cùm eſſet valetudine, Medicorum iudicio: omnem ſuam fiduciam & ſpem in Deum & Sanctos eius qui ibi colebantur, glorioſiſſimos Martyres, repoſuit. Cùm itaque ſe in Eccleſiam nocte qnadam ad cæleſtia ſuffragia exorandum deferri feciſſet: ecce dum in Martyrum baſilica preces fundit, ipſi per viſum apparent principes Apoſtolorum Petrus & Paulus, & cum illis vnà templi Præſes ipſe eorum aſſecla Dionyſius, & hic quidem gracili ac procero corpore, vultu amœno, coma candida, tunica niuea clauo purpureo iuncta, pallio conchyliato ſtellulis aureis intertexto, & hi inter ſe læto vultu ac hilari ore ſermocinantes, Dionyſio medendi munus deferunt. Tum ille palmam & thuribulum manu geſtans cum ſymmyſtis ſuis Ruſtico presbytero & Eleutherio Diacono, qui ſeorſum adhuc ſteterant, ad ægrum Pontificem propiùs accedit, ſalutánſque ait. *Pax tecum frater, noli timere, non morieris donec ad ſedem tuam proſperè reuertaris. Surge ſanus, & hoc altare in honorem Dei & Apoſtolorum eius quos vides dedica, Miſſas gratiarum agens. Erat verò ibidem* (vt ipſe retulit viſi huius ſpectator

* Sub anno Christi 753. Sigeb. tamen notat ann. 752.

ſpectator Stephanus) *inæſtimabilis quædam, cum mira ſuauitate charitas.* Mox ergo ſanitati eſt reſtitutus. *Et ab iis* (vt refert Anaſtaſius) *qui eum manè mortuum inuenire putabant, ſubitò illo die ſanus repertus eſt.* Réque Pipino Regi & Optimatibus ſerie denarratâ, mandatum Dionyſij iam incolumis cœpit exequi, & Apoſtolorum demonſtratam aram, in Dei & Apoſtolorũ ipſorũ honorem conſecrare: ritéque ſacris operatus, eam ipſam aram Pontificali ſolennitate dedicauit, *& ſuper eam pallium Apoſtolicæ dignitatis pro benedictione ſancti Petri reliquit, & claues ob venerationem prærogatiuæ eius, qui in ligandi & abſoluendi Pontificio, claues regni cælorum à Domino* IESV CHRISTO *accepit, hic in memoria & honore atque reuerentia principis Apoſtolorum dimiſit*, atque in rei perenne indicium depoſuit. Annus tunc agebatur Domini 754. ipſius autem Pontificis, *tertius*, quo feliciter reductus ad ſedem per Chriſtianiſſimum Regem Pipinum (quem in ipſa baſilica ſancti Dionyſij cum filiis ſolenni ritu perunxerat) acceptas ex ipſius templi ſacrario reliquias aliquot beati ſui opitulatoris, Romam ad perennem obſeruantiam aſportauit, ac Monaſterium ædificare cœpit in eiuſdem beati Dionyſij memoriam: (quem cùm Areopagitam illum eſſe ſciret, in Apoſtolorum Actis celebratum) Græcis ideo illud cœnobium aſcetis, ad diuinum famulatum voluit committi. Ceterùm ipſum Monaſterium S. Dionyſij, vbi gratiam ſanitatis tam mirabili be-

neficio adeptus fuerat, pleriſque prærogatiuis decorauit. Nam eiuſdem immunitatem confirmauit à ſancto Landerico Pariſienſi Epiſcopo Synodali priuilegio conceſſam: Abbati, quicumque foret in perpetuum, licentiam monaſteria erigendi ſibi ſubiacentia, toto Franciæ regno, contulit; decreuit etiam vt ad decorum memoriæ tanti cælitis, ibi cum ſociis honorati, Abbati diebus ſolennioribus ſacrificanti ad ſummũ altare, terni, aut quini, aut ſepteni Diaconi, ſtola, dalmaticíſque ornati aſſiſterent: qui etiam, vt ex ſedis Apoſtolicæ more, cum celebrante bina ſub ſpecie, corpori ſanguiníque Domini communicarent, iiſdem tum indulſit*; ad húncque vſum calamum aureum quo diuini liquoris poculum haurire conſueuerat, ipſe ſummus religionis Antiſtes, Monaſterio ſæpè dicto donauit: quo ab hinc illic ſeruato etiamnum vtuntur, annuis ſemique-annuis ſolennitatibus (hoc eſt celebrioribus anni feſtiuitatibus) ipſius Monaſterij Myſtæ, auguſtiori more litantes. Pallium inſuper Apoſtolicum ab eodem Papa ibi relictum, religiosè dehinc ſeruatum, in recenſione cemeliorum & donariorum regiæ huius Eccleſiæ, facta iuſſu Franciſci Magni Galliarum Auguſti, inuentum ac deſcriptum fuit, in qua hac eſſe forma exprimitur.* *Stola Pontificalis ex candida lana, in vtraque ora cruce inſignita, clauéque vna aurea ſingulæ cruci appensâ; crucifixi Seruatoris figurâ, tiſſura prominenti aurea eidem ſtolæ intextâ, defluentibus*

* Apoſtolica ſyngrapha exarata in tabula corticea, quæ edita notatur 4. Kal. Martias an. 18. Conſtant. Copron. Imp.

*Nota formam antiqui pallij Papalis: ſic enim habet originalis textus huius

à ſuperiori parte hinc in le qua aperitur vel ſtringitur duobus laneis funiculis, quibus plumbea patena in vtriuſque extremitate eſt indita. Quæ ſtola pontificia ſeu pallium vetus Apoſtolicum, amictu ſeu ſudariolo ex tela goſſipina circumuoluitur, ſícque ab eo tempore quo donata fuit conſeruatur in Cemeliarchia regalis illius delubri : vbi quotannis, in beatæ Annæ matris Virginis Deiparæ feſtiuitate, populo ad ſpiritualia quæ conceſſit præfatus Pontifex in rei memoriam xenia promerenda confluenti, ad ſummum altare exhibetur. In cuius rei inſignius monimentum, ſingulis annis ibidem feſtiuitas *Conſecrationis altaris Apoſtolorum factæ.* ab ſæpè dicto Stephano Papa ex S. Dionyſij ſui ſoſpitatoris monitu, celebratur ad modum feſti dedicationis Eccleſiæ, exceptis aliquot nocturnæ ſynaxis lectionibus, quæ ſanationis eiuſdem Pontificis diuinitus factæ referunt hiſtoriam. Ad cuius perpetuum monimentum & irrefragabile teſtimonium, Pontifex ipſe narratorias litteras conſcripſit, grauiſſime totam rei ſeriem poſteritati referentes : quas Hilduinus ex mandato expreſſo Ludouici Imperatoris ſuis Areopagiticis adiunxit. Surius verò ad calcem illorum edidit, ſubiuncta Hincmari Remenſis Archiepiſcopi inſigni epiſtola ad Carolum Caluum Imperatorem, de eodem ſancto Dionyſio Areopagita verò Galliarum Apoſtolo, ac primo Epiſcopo Pariſienſi. Ceterùm *teſtificationem illam Apoſtolicam* quam *reuelationem inſcribit Stephani II.*

Regiæ recenſionis, patrio perſcripta idiomate. *Vne eſtole de laine blanche, & aux deux bouts d'icelle deux croix & vn Crucifix enleué au deſſus, à chacune croix une eſtoffe pendante, le tout d'or. Pareillement deux cordons pendans (attachez à vn trou pour paſſer la teſte) de laine, & au bout d'iceux vne platine de plomb: enueloppez leſdites eſtole & pendans dedãs vn couurechef de coton.* Ita habet ad verbum ille index ſacrorum Dionyſiani templi cemeliorum.

(omiſſo eius deceſſore æquiuoco, qui die 3. creationis obiit,) retulit ſuum in tom. 2. Concil. Galliæ Sirmondus pag. 13. omiſſa tamen voti eiuſmodi cohærenti in aliis quibuſque Codd. narratione *: quam Quercetanus luculenter retulit in ſua ſummorum Pontificum hiſtoria, ſub Stephano III.

* Ludouic. Imp. non ſolam illã apparitionem, ſed geſta Stephani ex hac ſecuta eiúſque relationi ſubiuncta, Hilduino ſimul edere mandauit. *Hæ ita contextis* (inquit) *volumus vt* reuelationem *oſtenſam B. Papæ Stephano in Eccleſia eiuſdem ſanctiſſimi Dionyſij, ſicut ab eo dictata eſt, & geſta, quæ eidem ſubnixa ſunt,* &c. *ſubiungas.*

§. 2.

Pauli Papæ I. Aſtipulatio inſignis, quæ facto eius atque ſcripto conſpicuo probatur, ſuffragióque munitur Pipini Regis Chriſtianiſſimi.

HIC Stephano præmemorato Pontifici, benemeritus ſucceſſit, cuius frater germanus erat. Cúmque ille votum quo memoriam ſancti Dionyſij Areopagitæ Romæ illuſtrare ſtatuerat, non potuiſſet morte præuentus adimplere: is laudabili æmulatione perſoluit. Iuſſerat id quidem illi moriendo Stephanus, vt incœptum à ſe ſancti Dionyſij Monaſterium paterno in fundo, abſolueret, ibíque cùm foret perfectum *famulatores Domini natione Græcos* (quoniam ortu Græcum fuiſſe B. Dionyſium, quem colebat Gallia Apoſtolum, ipſéque ſpecialem ſenſerat opitulatorem, notum erat) *conſtitueret, & idem Monaſterium ad Sanctos Martyres in ſchola Græcorum appellari faceret, ad honorem & memoriam precioſiſſimi Dionyſij ſociorúmq. eius.* Paulus igitur diuino nutu factus in lo-

cum fratris ſummus Pontifex, magnificè quæ hic ſibi commendauerat abſoluit, illatíſque in nouam illam baſilicam compluribus Sanctorum Martyrum pignoribus, eam ritu ſolenni conſecrauit, & Græcis hominibus Deo famulaturis, in memoriam & honorem Dionyſij Areopagitæ, vt frater & deceſſor eius pro extremo voto illi præceperat attribuit. Locúmque ipſum *ad Sanctos Martyres in ſchola Græcorum* nominauit. Et quid cauſæ erat bene hinc infert ſuis in notis magnus Baronius, cur ſancti Dionyſij, illud Monaſterium, Stephanus Papa, adeo ſolenni ex voto *Græcis Monachis attribueret, & Græcorum ſchola* ſupremis tabulis *dici vellet;* fratríque tanto affectu ſic appellare commendaret, *niſi vt in ædibus Græci hominis* (qualis Dionyſius erat, cuius in Gallia Stephanus ſupernam opem præſenſerat) *Græci gentiles eius, veluti iure hoſpitij conſiderent?* * In eadem igitur qua frater ſententia Paulus Papa perſtitit, qui ſuprema illius vota, germana charitate exequens, alumnos Græcos illam in ædem ſacram introduxit, qui vt ſub diuini Doctoris ſui Dionyſij Martyrio felicibúſque auſpiciis cæleſtibus theoriis inſiſterent; ipsíque nouo cœnobio *Scholæ Græcorum ad Sanctos Martyres*, nobilem indidit, quam deinceps retinuit locus ille, nuncupationem. Non paſſi ſunt tamen poſteri Pontifices ipſum ſacratiſſimum ſancti Dionyſij pignus, quod Stephanus è Gallia attulerat illícque reponi iuſſerat, in minori Eccleſia aſſeruari. Tantum

* Hoc ipſũ inde benè collegit Querecetanus loco ſuprà notato p. 754. vbi ſic habet. *Suiuant le commandement de ſon frere & predeceſſeur il donna le nõ de monaſtere des SS. Martyrs en l'Eſchole des Grecs, en memoire & reuerence du tres-precieux Denis & de ſes cõpagnõs Martyrs, leſquels* ON CROIOIT DES LORS *eſtre venus de Grece en France, & auoir conuerty les Pariſiens à la foy Chreſtienne.*

munus dignum cenſuêre ſacrario digniori. Precioſum igitur os illud, quod ſpatulam dicunt, in ſancti Pauli baſilicam, ſecundam ex ſeptem maioribus, tranſtulerunt, * ſupérque ſummum altare cum pleriſque inſignium cælitum reliquiis in ſacrario repoſuerunt, vbi nunc vſque obſeruatur. Nempe vt à magiſtro diſcipulus, à Patre filius non diſiungeretur, ſed Paulo Dionyſius, (qui dudum credens ei adhæſerat) poſt glorioſa fidei certamina, ſaltem aliqua pignorum parte recollectus & copulatus cohæreret, eiúſque gloriæ particeps, eodem quaſi euectus curru, in orbis theatro & Chriſtianorum Metropoli, ſimul cum illo triumpharet.

* Vide M. Attilij Serani Libellum de 7. vrbis Eccleſiis c. 2. de Eccleſia S. Pauli via Oſtienſi p. 52. & ſeqq. necnon in Indice reliquiarum eiuſdē Eccleſiæ pag. 218.

Notandum verò Maiorum ſemper intentum fuiſſe ſtudium, vt quibuſque patentibus indiciis, Dionyſium noſtrum ſe credere Pauli alumnum, & Clementis Petri ſucceſſoris Symmyſtam ac Legatum, poſteritati proderent. Hinc vt Romæ Pontifices illi ſacrauerunt *ſcholam Græcorum*; ipſiúſque venerandum pignus, in ſancti Pauli Apoſtoli eius in Chriſto parentis vlnis depoſuerunt, quo Areopagitam illum indicarent & non alium. Ita Reges Chriſtianiſſimi qui Mauſolæum illi nobiliſſimum, quo quieſcit & colitur excitârunt; prope hoc illuſtre templum Apoſtoli Galliæ, Sancti Pauli vaſis electionis & gentium Doctoris, qui ipſum Dionyſium ſalutis ſcientia informauit, Eccleſiam ferè magno illi delubro hærentem, extrui voluerunt; & fabrica non igno-

bilem, & collegio canonicorum, quos Cantor regit inſignem. Cuius ſacræ ædis maximam partem ſegreges cùm illic furerent diruerunt. Supereſt tamen adhuc pars aliqua ſtructuræ antiquiſſimæ, in qua ipſi Canonici diuina obeunt quotidie officia. Hoc igitur monimento peruetuſto, ſatis patet, quæ fuerit Patrum de ſancto Dionyſio exiſtimatio: quem vt Areopagitam omnes ſcirent, eius titulo glorioſo, Pauli Apoſtoli adiunxerunt memoriam, vt ſcilicet ipſe Paulus eſſet quaſi teſtis, & indigitator, Dionyſij ſui alumni, hic repoſiti poſt victorialem agonem. Accedit huic inſinuationi, antiquiſſimæ Eccleſiæ ſancti Clementis, Pariſiis ab exordiis ſuſceptæ Chriſtianæ religionis, conditæ in ſuburbiis, primæua origo ac nuncupatio, in qua B. Marcellus ſanctiſſimus Antiſtes, qui ante annos 1200. Pariſienſi Eccleſiæ præfuit, ſedem Epiſcopalem, ex maiorum more tenebat: & ideo eius in veteri crypta ſepultus eſt, in qua ſanctus Dionyſius & primi Lutetiæ Præſules, vt ethnicorum declinarent æſtuantem in ſe fideléſque furorem *, ſacra munera peragebant. At ſancti Marcelli quæ mortem eius ſecuta eſt per diuina prodigia crebra clarificatio, antiquam illam denominationem immutauit. Ex cuius gloria, ipſa ſancti Marcelli inuocatio & patroci-

*Hinc cryptæ nomē inditū: nā κρύπτειν eſt occultare: de qua hoc ſenſu legēdus Greg. Turonenſ. lib. 10. hiſtor. c. extremo. Cui præluxit Prudentius, vbi ſic canit de cœmeterio Cyriacæ in agro Verano.

Haut procul extremo culta ad pomaria vallo,
Merſa latebroſis, crypta patet foueis.

nium iam olim veteri huic Eccleſiæ tribui conſueuit: qua etiamnum cenſetur appellatione. Colitur tamen ibi ex primæua inſtitutione S. Clemens Papa & Martyr, qui S. Dionyſium nobis dedit Apoſtolum, & in Chriſto parentem. Honoratur inquam ibidem ſolenni cultu S. Clemens, non modò ex titulo antiquæ patrocinationis, ſed etiam quod magis eſt, ex fauſtæ oppignerationis iure. Hic enim magna pars eius reliquiarum beneficio Romanæ Eccleſiæ acceptarum, in lypſanodochio religiosè ſeruatur, & magna incolarum deuotione frequentatur, quoties publicum aliquod imminet vel premit incommodum. Tunc enim conuocatis inferioribus, huic collegiatæ baſilicæ ſubiunctis Eccleſiis, celebri triumpho capſa illa B. Clementis, ad Archipreſbyteralem ſancti Seuerini Eccleſiam, quæ primarium colit etiam ſanctum ipſum Clementem tutelarem, tranſuehitur, perſolutíſque hic ſacræ eius memoriæ præconiis, hinc ad baſilicam ſancti Victoris quæ Abbatiali decore fulget, eadem pompa defertur: vbi diuina fit Liturgia. híncque peractis ſacris, pretioſa illa pignora propriam ad ſedem referuntur, non ſine præſentis opitulationis S. Clementis (quem primum patronum colunt ſupplices incolæ) experientia. Ceterùm quid cauſæ exiſtimamus vt frementibus adhuc perſecutionum procellis, Pariſienſes Epiſcopi ſedem in crypta priſcæ ædis ſancti Clementis iam haberent, niſi quod ſub eius auſpiciis tra-

dita

dita illic à ſancto Dionyſio, quem miſerat Lutetiam, Chriſtianæ fidei primordia recordabantur. Ideóque magnum ſibi honorem accedere cenſebant, ſi ſub tam inſigni ac fortunato patrocinio, ſub quo cunabula ſua Pariſienſis Eccleſia accepit, ſepeliri promererentur. Quæ inſita regiæ vrbi abhinc, pia in hanc ſacram ædem affectio, ad tempora vſque Petri Lombardi Magiſtri ſententiarum peruiguit, qui in eadem Eccleſia, pro voto ſupremo tumulatus eſt, vbi ſepulchrum eius etiamnum cernitur*, & à Theologis Pariſienſibus annuali ſolet ad illud conuentu honorari. Quam cauſam etenim adeò grauem & vrgentem fuiſſe putamus, quæ Caroli Magni animum eò impellere potuerit, vt inſtauratam illam Eccleſiam per Rolandum Comitem Blauiæ, non modò cenſu augeret, priuilegiíſque permultis decoraret; quin & poſt mortem orari pro ſe ſub tanti cælitis ſuffragatione, inſigni deuotione (cuius veſtigia hactenus permanent) ordinaret? niſi quòd flagrantiſſimo quo feruebat in ſanctum Dionyſium amore, ad ſanctum Clementem ſuam mentem reflectebat, cuius Apoſtolica prouidentia Galliam non ignorabat generalem Apoſtolum, Lutetiámque proprium Paſtorem & primum Epiſcopum, ipſum B. Dionyſium accepiſſe. Quídque etiam cenſemus mouerit ſedis Apoſtolicæ Præſides, vt quaſi incenſo illam in antiquiſſimam Eccleſiam affectu, ipſam eius tutelaris primi ſancti Clementis pretioſiſſi-

* Cui inſculpta viſitur prominere è defixo terræ ſilice, eius effigies, cum hac circúſcriptione. *Hic iacet Magiſter Petrus Lumbardus, Pariſienſis Epiſcopus, qui compoſuit librum ſententiarum, gloſſas Pſalmorum & epiſtolarũ. cuius obitus dies eſt 13 Kal. Augusti.* Qua die inter pios Galliæ Patres illum conſignauimus cum proprio elogio in Corollario ad Martyrolog. Gallic. p. 1209. & 1210.

mis ſibi pignoribus, non exiguis quidem at copioſis, honorarent? niſi quòd verſarent in animo, illius venerandam originem à ſancto Dionyſio profectam, quem beatus ipſe Clemens auſpicatiſſima miſſione in Galliam vice ſua tranſmiſerat. Vnde memores Pariſienſes primi Epiſcopi, ſacram hanc ædem, in cuius crypta Dionyſius ipſe beatiſſimus rudimenta fidei Pariſienſibus tradiderat, ſibi in ſedem Pontificalem delegerunt: vtque ſe reſpicere innuerent ad lapidem vndè ipſorum Pater exciſus fuerat Dionyſius: hanc ædiculam S. Clementis (quem is auctorem Apoſtolatus ſui habuerat) veneranda inſignierunt nuncupatione.

Sed hoc ex non inani nec iniucundo (vt puto) diuerticulo, rectam in viam, demum placet, nec ſine cauſa quidem redire. Aſſeruimus in huius §. limine nos habere Paulum Papam primum, in cauſa ſancti Dionyſij Areopagitæ Galliarum Apoſtoli, Regum Regníque Francorum præcipui tutelaris, aſtipulatorem: ídque magis ex eius factis quàm verbis teſtatâ ſententiâ ſuprà indicauimus. Colebat Pipinus Rex deuotiſſimo affectu ſanctum Dionyſium, apud cuius templum humilem habere poſt obitum ſuum ſepulturam ſibi honorificentiſſimum ac auſpicatiſſimum exiſtimauit. Cuius ideò Eccleſiam quam vnicè in deliciis habebat, innumeris cumulauit diplomatibus munificis: quibus numquam ſine titulis illum magnificis commemorat & nominat. At

quem qualémve exiſtimabimus Dionyſium, Chriſtianiſſimus ille Rex (quem natus nondum haud potuit decipere Hilduinus) tantopere reuerebatur? Miſſúmne ſub Decio longè poſt Apoſtolica tempora minoris claſſis Epiſcopum, vt aduerſarij contendunt? Minimè profectò, at illum Galliæ Doctorem, ſuúmque ſpecialem & Regni Francorum protectorem venerabatur, Magnum ipſum Dionyſium, quem *poſt Apoſtolos* (vt ex inſignis eius diplomatis infrà proferendis verbis omninò perſpicuum euadit) *Gallias primum ingreſſum, ex S. Clementis miſſione*, ſcientiam ſalutis Gallis inuexiſſe, & cruore fuſo ſuam ſalutiferam prædicationem obſignâſſe, perſuaſiſſimum habebat, certiſſimè credebat, regiíſque litteris ad perpetuam teſtificationem profitebatur. Honorabat inquam magnus ille Monarcha Galliarum, illum ipſum Dionyſium, cuius non modò memoriam tot beneuolentiæ & venerationis indiciis proſequebatur, nomen tot titulis attollebat magnificis, ſepulchrum tot obſequiis, Monaſterium tot beneficiis afficiebat, cumulabat: cuiúſque intenſo quo in eius recordatione ferebatur amore, diuinos libros toto orbe celebratos apud ſedem Apoſtolicam (quæ depoſitorium eſt Chriſtianæ veritatis) iamdudum aſſeruatos intellexerat: igitur ſtatuit eorum apographum à Paulo Papa cum aliis aliquot raris voluminibus depoſcere, nec deſtitit, nec quieuit, donec miſſos ad ſe pretioſos codices, Apoſtolico munere conſe-

quereretur. Quos ſic teſtatur prædictus Papa (in Embolo epiſtolæ, per Langbardh virum illuſtrem miſſum Pipini Regis, ad eúmque Româ à Pontifice remiſſum, directæ,) ad ipſum Chriſtianiſſimum Regem tranſmiſiſſe. *Direximus etiam excellentiſſimæ præcellentiæ veſtræ & libros quantos reperire potuimus. Id eſt Antiphonale & Reſponſale, inſimul*, &c. DIONYSII AREOPAGITÆ LIBROS. Cur enim libros Dionyſij Areopagitæ mittere ad ipſum Pipinum Regem, potiùs quàm alterius Dionyſij opera, vel aliorum Patrum tractatus, ſummus iſte Pontifex curâſſet, niſi hos ab illo ſpecialiter expeti, vt natiuos illius quem is tam ardenter colebat diuini Doctoris & Martyris fœtus, benè prænôſſet? Palam eſt igitur ex hoc deſiderio Pipini & facto Pauli Pontificis, Dionyſium Areopagitam & non alium Dionyſium, à Pipino ipſo Chriſtianiſſimo Francorum Rege, pro Patrono & tutelari, (quem ſuum Galliæ Apoſtolum & Doctorem venerabatur) agnitum, habitum & perenni pietatis inſtantia excultum fuiſſe. Authentica enim eſt hæc epiſtola, atque Caroli Magni iudicio & mandato in ordinem illarum relata, quas Pontifices ſummi ad auum ſuum Carolum, parentem Pipinum, & ſeipſum ſerie continua direxerunt: Codicíque illarum, quem ex perueteri MSS. Viennenſi, cum genuina & inſigni inſcriptione iuſſu ipſius Caroli Magni huic indita, edidit Ingolſtadij anno 1613. Iacobus Gretſerus Societatis IESV peril-

luſtris Theologus. Quem Sirmondus *Codicem Carolinum* ideò aptè vocitat, ex quo aliquot tantùm epiſtolas Pauli Papæ depromens ſuum in 2. Tomum tranſcripſit Conciliorum Galliæ. Porrò 31. epiſtolas Pauli Papæ ad Pipinum & eius liberos ſcriptas Magdeburgenſes Centuriatores fatentur, hánceque agnoſcunt & numerant octauam decimam*, quam eadem ſerie Baronius collocandam cenſet, & eius ſummam ſeu compendium refert ex Panuino* tomo 9. ſub anno 767. hac ſerie XVIII. epiſt. *Continentur gratiarum actiones & celeberrimæ benedictiones pro vita & incolumitate Pipini, Caroli & Carolomanni nobiliſſimorum filiorum eius: multis adiurationibus contra Longobardos auxilium flagitans. In embolio adiuncto præceptum, quod Marino presbytero de titulo Chryſogoni dedit, & de libris quos Pipino tranſmiſit, continetur.* Verè igitur vt libros ſancti Dionyſij Areopagitæ Pipinus Rex petiit, illos ad eum hoc tenore miſit Paulus Pontifex.

*Cent. 8. p. 725.

* In vitis Pōtificum Rom.

§. 3.

Sequentium ſummorum Pontificum, ad tempora vſque Ludouici Pij (ſub quo demum ſua Areopagitica Hilduinus ſcripſit) continuus ea de re conſenſus.

GRANDE fuit Cluniaci decus, vt Abbas Archidiaconum, velut Epiſcopus Cathedraticus, habuerit: ſed hoc longè ſplendidius acceſſit Dionyſiano monaſterio ornamentum, vt pro-

Vide Bibliothec. Cluniac.

prium Epiſcopum habere ſua in terminatione, Abbati & Aſcetis licuerit, qui pontificalia quidem vniuerſa ita perageret; vt ipſemet, Abbatis auctoritati ex cuius alumnis erat, penitus ſubiiceretur. Conceſſerat primitus hoc priuilegium Stephanus III. Papa gratiæ memor, ope ſancti Dionyſij illic dum deſperata valetudine laboraret, diuinitus ſuſceptæ, diplomate munifico, quo ſic cetera inter eloquitur. *Nos etiam habere vobis Epiſcopum, per* SINGVLARE PRIVILEGIVM *concedimus*, &c. Hoc verò tam rarum ac perilluſtre indultum Adrianus Pontifex, qui Paulo fratri & ſucceſſori præfati Stephani mediatè ſuffectus fuit, ſpeciali diplomate innouauit. *Auctoritate B. Petri Apoſtolorum principis fulti, in* TAM VENERABILI MONASTERIO *dicto veſtro, ſtatuentes promulgamus, vt pariter liceat ibidem habere Epiſcopum, ſicut à priſcis temporibus, & vſque hactenus fuit. Per cuius prædicationem**, *populus qui à diuerſis regionibus, deuota mente quotidie ad ſancta eiuſdem Martyris Chriſti Monaſterij limina concurrit, remedium conſequi mereatur. Qui Epiſcopus ex ipſo venerabili Monaſterio, canonicè curam Paſtoralem & ſollicitudinem miniſterij ſui habeat, in ſubiacentibus eidem monaſterio locis, & quæ emendanda & corrigenda ſunt, cum conſenſu Abbatis ipſius monaſterij, canonica inſtitutione & ſecundùm ordinem cuncta peragat. Quando autem Epiſcopus præfati ſancti loci de hoc ſæculo migrauerit, & alius ab Abbate ex Monachis dignus electus fuerit, ſine qualibet controuerſia*, &c. *à vicinis Epiſcopis, ſicut*

* Prædicatio eſt enim proprium officium Epiſcopale. Vide ſuprà in S. Paulo Ritu 2. p. 17. & 18.

mos extitit conſecretur. Ita & Leo III. qui Imperiali diademate Carolum Magnum in natali Domini redimiuit, ſua Apoſtolica ratum eſſe voluit ſanctione, in tabula corticea exarata, ſicut præmemorata quoque ſunt, Stephani & Adriani reſcripta. *Nullus Epiſcopus vel ſacerdos abſq. voluntate præcellentiſſimi filij noſtri Caroli Regis, vel tua (Furalde Abba) licentiam habeat Miſſas celebrare niſi per veſtram conuocationem: ſed proprium * hauentes Epiſcopum* (ad) *tabulas ** vel Chryſma conſecrandum vel ceteros ſacros ordines, ſicut in priuilegio Domini Stephani Papæ continetur, auctoritatem & licentiam attribuimus.* Vbi cùm ad priuilegium Stephani Papæ remittit: ſe idem innouando innuit manifeſtè, eadem qua ille ductus ratione (nempe conſideratione ſancti Dionyſij) tam ſingularem & præcellentem licentiam & facultatem impendere, quæ ſanè gratia & ſtupenda poteſtas, * nulli vnquam alteri monaſterio, attributa fuiſſe à ſummis Pontificibus legitur. Nec alia reor de cauſa, niſi ob præeminentem ipſam ſancti Dionyſij hoc in monaſterio quieſcentis dignitatem, quem cum Stephano & Paulo deceſſoribus ſuis, Adrianus ipſe & Leo Pontifices, non gregalem Epiſcopum, poſterioriſque ætatis Doctorem, vel Martyrem ex poſtremis, ſed virum planè Apoſtolicum, Pauli vtpote diſcipulum, & Areopagitam genuinum, diuinúmque inter primos Doctorem & præcellentiſſimum ætate ac meritis Martyrem, indubitatè crederent: vnde Adrianus

* Ita in autographo, non *habentes.*

** id eſt, *altaria.*

* Nota ſingulare Eccleſiæ ſancti Dionyſij priuilegium.

ſancti Dionyſij Eccleſiam, toto occidente celebrem, ferè principum Apoſtolorum baſilicæ * æquiparat: ad quam non ſolùm peregrinationes vndique ait confluere: ſed quod longè dictu inſignius eſt, teſtatur & prædicat à diuerſis regionibus populos, deuota mente quotidiè *ad ſancta eiuſdem Martyris Chriſti Monaſterij* LIMINA concurrere. Ceterùm expreſsè præfatus Leo III. Dionyſium noſtrum, verum Areopagitam agnouit & confeſſus eſt, in diplomate quod inferiùs, (ſcilicet in probationum Supplemento) aptiori ordine patentíq. magis argumento, proferemus.

*Sic edixerat diu antè Dagobert⁹ Rex, fundator Dionyſiani cœnobij. *Vt honor & reuerentia* (inquit) *ſanctæ matris Eccleſiæ, vbi Domnus & Patronus noſter ſanctiſſim. Dionyſius requieſcit, in omnibus cõſeruetur, ſicut Roma Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli per priuilegium Conſtantini Imperat. obtinere dignoſcitur.* Dato diplomate die 7. Kalend. Iunias anno 5. regni Cleypiaci, ſub recenſione Dadonis. Idem Clodoueus II. Dagoberti prædicti filius ordinauit ſanctione ibidem condita, anno regni ſeptimo.

ARTICVLVS IV.

Romanam Eccleſiam antiquis ſuis monumentis inſtructam, eadem quæ nunc vſque ſentit de Dionyſio noſtro, ante Hilduini ætatem cenſuiſſe & docuiſſe.

TITVLI huius veritas, ſatis iam ſupérque patet ex articulis præmiſſis. Nam ſi (vt propalatum eſt articulo 1. huius capitis) Romana Eccleſia ſuis in ſacris tabulis, quas Martyrologium vocauit; vnicum Dionyſium, & quidem 7. Idus Octobris inſignem, anniuerſario natali celebrauit, quem ortu Athenienſem, cognomine Areopagitam, Pauli inſtitutione Chriſtianum,

eius

eius conſecratione vrbis cuius ciuis erat, primum Epiſcopum: miſſione verò ſancti Clementis Galliarum Apoſtolum, prædicatione Euangelica Pariſienſis Eccleſiæ Patrem & Paſtorem, eiuſdémque glorioſiſſimo agone Protomartyrem, ab initio agnouit, híſque titulis coluit, vt ex vetuſtiſſimo Romano Martyrologio, quod etiamnum Romæ aſſeruatur, expreſſa Bedæ teſtificatione, Rabani eius diſcipuli aſtipulatione patentiſſimè declaratum eſt. Si quemadmodum articulo 2. fuit inſinuatum, hæc ipſa priſca Romanæ ſedis Apoſtolicæ traditio confirmatur, ex Innocentij I. Gelaſij I. & Gregorij magni epiſtolis (Eccleſiæ Pariſienſis diptycha ſacra, ſpeciali hac in re iudicio, approbantibus) immò ex ipſius ſancti Gregorij myſtico Antiphonario. Si, vt articulo 3. oſtendimus, ex Stephani Papæ III. probatur factis potiùs quàm dictis, hæc teſtata ſententia. Si ex Pauli eius fratris & ſucceſſoris, etiam inſigni teſtificatione elicitur, tam facto memorabili, quàm epiſtola eiuſdem munifica ad Pipinum Regem, libros non alterius Dionyſij, quàm Areopagitæ, ab illo petentem & ſuſcipientem: epiſtola inquam indubitata & germaniſſima, etiam ab hæreticis cognita, & ceteris genuinis annumerata. Si idipſum etiam indicatur veriſſimum, ex ſequentium Pontificum Adriani, & Leonis III. qui, antequam Hilduinus ſcriberet ſua Areopagitica, ita cenſuerunt, non obſcuro conſenſu: immò ex patentiſſima Leonis ipſius ſyngrapha,

qua nominatim Dionyſius Pariſiorum Præantiſtes, Areopagita appellatur. Certè iis ex principiis, rectè, immò neceſſariò colligitur, hanc natiuam eſſe Romanæ Eccleſiæ traditionem & conſtantem doctrinam; quam non ab Hilduino mutuauit, ſed is ab illa accepit, didicit & aſſeruit. Superfluum igitur iure videri poſſit, plura circa hanc rem, traditionis ſedis Apoſtolicæ edita ante collectionem Hilduini indicia, quin & iudicia congerere; cùm ea quæ præſignata ſunt cumulatè ſatisfaciant, rigido cuiuis demonſtrationum exactori.

Verumtamen ad maiorem veritatis confirmationem, aliam adhuc probationem afferemus, ex vetuſtiſſimis monumentis Romanæ Eccleſiæ depromptam. Sanè, *in Apparatu ad Martyrologium noſtrum Gallicanum cap. 4.* oſtendimus, ex inſtitutione ſancti Clementis, Romæ à delectis viris non nomina ſolùm occumbentium pro Chriſti fide Martyrum fuiſſe diligenter annotata, & in catalogum iudicio Apoſtolici Præſulis relata: ſed acta quoq. integra collecta, quæ & adſcriptionem cuiuſque athletæ in ſacram illam Matriculam, legitimam fuiſſe proderent, & poſteris traderent ad imitandum, beatorum religionis aſſertorum geſta fortiſſima atque ſanctiſſima. *Fabianus enim poſt Clementem regiones diuiſit Diaconibus* (habet liber Pontificalis) *& fecit ſeptem Diacones, qui ſeptem Notariis imminerent, qui geſta Martyrum in integrum colligebant.* Anteros autem Papa, ſolli-

citè ab Eccleſiaſticis illis exceptoribus, collectionem illam plenam & integram, ſuam vſque ad ætatem requiſiuit, & ad amplius veritatis munimentum, in Eccleſia recondidit. Porrò in hac collectione fuiſſe acta ſyncera ſancti Dionyſij Areopagitæ, qui annis ſupra centum ante Anteri Epiſcopatum Lutetiæ paſſus fuerat, non eſt omninò ambigendum: cùm ex Anaſtaſij Bibliothecarij epiſtola ad Carolum Caluum inſcripta, *aduerſus falſas quorumdam opiniones aſſerentium beatum Dionyſium Pariſiorum primum Epiſcopum, non eſſe Areopagitam*, liquidò conſtet, paſſionem ipſius Martyris Areopagitæ, primi Pariſiorum Hierarchæ, iam dudum Romæ aſſeruatam, atque à tempore quidem reconditam in ſcriniis Eccleſiaſticis, quod memoriam omnium hominum ſuperabat; ibidem cùm à Conſtantinopolitanis Legatis expeteretur, atque ab iiſdem ſollicitè quæreretur (ſcilicet vt Græcæ Eccleſiæ, firmarent aſtipulatione ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, hoc eſt auctoritate Apoſtolicæ ſedis, antiquam de Dionyſio in Gallia pro Chriſto laureato in extremo conflictu, ſententiam:) iuſſione etiam ipſius Caroli Imperatoris & Regis Chriſtianiſſimi ſtudioſè perquiſitam, demum auxiliante Deo repertam fuiſſe. *Paſſionem* (inquit Anaſtaſius) *ſancti Hieromartyris Dionyſij quondam Areopagitæ, póſtque Athenarum Antiſtitis, quam Romæ legi cùm puer eſſem, quámque à Conſtantinopolitanis Legatis audieram ſecundùm iuſſionem veſtram diu quæſitam, tandem-*

quæ in maximo Monaſteriorum Romæ ſitorum repertam : & etiam inter diuerſos langores poſitus arrepto interpretandi certamine Latino eloquio tradidi, quantum potui, auxiliante Deo, etſi non ex toto, verbum è verbo, ſenſum tamen penitus hauriens, &c. Sed verò in antiqua illa paſſione, expreſsè traditum fuiſſe Areopagitam Dionyſium illum eſſe, qui poſt Apoſtolicæ diſpenſationis progreſſum, Lutetiæ Pariſiorum primus Paſtor & Antiſtes, illuſtri certans agone triũphauit; continua id teſtatur ſerie præfatus Anaſtaſius, ſubdit etenim. *Ceſſet ergo iam quorumdam opinio, perhibentium non eſſe Dionyſium Areopagitam eum, qui prope Pariſium corpore ac virtutibus redolet : cùm hoc & Græcorum quoque ſtylus* (quorum fidem eandem de Dionyſio, S. Methodius, exaratâ ex ipſorum Græcorum monimentis hiſtoriâ, & relicta Romæ ad conſenſum vtriuſque Eccleſiæ Orientalis & Occidentalis circa hanc rem demonſtrandum, teſtatus fuerat) *cum Latina lingua concordans teſtetur & prædicet.* Ex cuius Anaſtaſij relatione duo notare operæprecium eſt. Primum, quòd affirmat, ſe cùm adhuc puer eſſet paſſionem illam antiquam quæ Romæ aſſeruatur, legiſſe. At verò cùm puer adhuc eſſet Anaſtaſius qui Hilduini ſynchronus fuit, ipſe Hilduinus longè à meditanda editione Areopagiticarum vindiciarum adhuc erat. Quapropter, Romæ quæ adeò antiqua ſeruabatur geſtorum ſancti Dionyſij Areopagitæ narratio, Hilduini ætatem longè ſuperabat. Ideó-

que ante Hilduini ſcripta, Romana Eccleſia hoc perſuaſum & ſuis tabulis conſignatum habebat. Alterũ quòd addit, illam veterem paſſionem diu poſtea requiſitam regia iuſsione, & diuino munere repertam, Latina lingua ſe non ad verbum, ſed iuxta ſenſum expreſsiſſe; antiquitatem venerandam indicat: ſiquidem ſcripta Græcè erat, qua phraſi ex Latina ſerie, ab Anacleto Papa ortu Athenienſi, qui acta ſancti Dionyſij tranſmittenda ad Gentiles ſuos Athenienſes, ex ipſius Martyris ſuprema ordinatione, ab Antonino & Sanctino ſpectatoribus illius paſsionis cõſcripta, & ad ſe delata ſuſceperat (vt præmemorauimus in huius capitis priori parte) omninò conſentaneum eſt exiſtimare fuiſſe deſcriptam. Quod vltimum, ſi noluerint æmuli ex innato genio cõtradicendi, nobis concedere: ſaltem ex dictis Anaſtaſij, immò teſtimonio tam ſolenni, coram ſummo Rege & Imperatore præſtito, inficiari nequeunt, id conſtans & ratum permanere: quòd in Romanæ Eccleſiæ tabulario, hiſtoria S. Dionyſij Areopagitæ, Epiſcopi Pariſienſis, conſona penitus Græcæ fidei, Gallicæque itidem atteſtationi, aſſeruabatur, vt vera & illibata; longè diu antequam illam priſcam Orientis & Occidentis traditionem recolligere, ac contra neotericos ſciolos in mediũ proferre cœpiſſet Hilduinus, immò necdum cogitaſſet. Quod ſatis ſupérque nobis eſſe debet. Etenim ſic Hilduinus à nota imposturæ fit immunis, & natiua hæc eſſe antiquiſsimáque & firmiſ-

ſima oſtenditur Romanæ Eccleſiæ doctrina atque traditio. Quæ cùm tot irrefragabilibus teſtimoniis ſummorum Pontificum ſit aſſerta, myſticis eiuſdem Eccleſiæ libris approbata, innixáque etiam priſcis genuiníſque ſedis ipſius Apoſtolicæ diptychis : non poteſt ſine deliquio pudoris immò conſcientiæ graui reatu, à quoquam pio & erudito negari. Stante enim demonſtratione præinducta, nemo abnuerit cum leuiori coloris fuco, Romanam Eccleſiam ita diu ante Hilduinum, vt deinceps cenſuit hodiéque credit, de Dionyſio noſtro ſyncero Areopagita, ſenſiſſe : immò ab religionis initio conſtanter idipſum hactenus tradidiſſe. Ceterùm ſi id ſemel firmum ac certum permaneat (vt reor euerti non poſſe, cum ita ſolidis argumentis ſit ſuffultum) ceſſare omnis hæc impoſterum controuerſia debet, cùm Romanæ Eccleſiæ auctoritas, ea ſit ob diuinam quam cælitus accepit *principatus ſedis Apoſtolicæ prærogatiuam*, quam & ſanctus Irenæus appellabat *potentiorem principalitatem*, ſanctus Cyprianus *centrum, ſeu radicem ſacerdotalis vnitatis, & matricem Catholicæ communionis*, quin (vt loquitur ſanctus Auguſtinus) ob petræ fidei cui inædificata eſt, ineluctabilem firmitudiné *, & cathedræ ipſius beati Petri Apoſtolorum principis poſſeſſionem, doctrinæque quam ſemper docuit & tradidit, puritatem ; vt nefas ſit prorſus Catholicis contra patentes eius traditiones diſputare, placita eius ſacra conuellere, reſpuere teſtimo-

Epiſt 117. lib.3.ep.3.

* In Pſalm. cont. part. Donati tom.7.

nia, laceſſere iudicia, oracula contemnere. *Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem, oportet*, inquit præfatus ſanctus Irenæus, *conuenire omnes qui ſunt vndique fideles.* Ideò ſi quæ emergunt ſcandala aut diſſidia, de fide, de traditione, de Chriſtiana doctrina aut diſciplina, *hæc omnia referenda cenſet* ſanctus Bernardus *ad ſedis Apoſtolicæ* examen & iudicium, quo ſemel audito omnes debent acquieſcere: vti iam olim ipſo in Oriente Sozomenus commemorat fuiſſe obſeruatum, lib. 6. cap. 22. Nec abs re. ſiquidem, vti iampridem ſcribebant ſanctiſſimi Galliarum Antiſtites ad Leonem Magnum. *Meritò illic principatum ſedis Apoſtolicæ fuiſſe fatendum eſt conſtitutum, vnde adhuc Apoſtolici Spiritus* (qui eſt Spiritus veritatis) *oracula reſonant.* Cùm igitur orta lite de Eccleſiæ Gallicanæ, & Pariſienſis maximè tam veteri perſuaſione, quàm celebri ſententia, qua Areopagitam Dionyſium ad ſe miſſum à S. Clemente ſe accepiſſe primum Doctorem & Epiſcopum gloriatur, illúmque extremo agone apud ſe profitetur coronatum: plerique aliquot abhinc ſæculis falſam hanc eſſe opinionem contendiſſent, multáſque ea de cauſa diſcordias excitaſſent: non meliùs poterat hoc diſſidium terminari, quàm ſi vtraque pars, vt *in maioribus* * *cauſis* ſemper fieri conſueuit atque debet, referret ad S. R. E. contentionis huius quæ citra ſcandalum perdurare tandiu non poterat, abſolutam diſcuſsionem & deciſionem. Sedes autem Apoſtolica,

Epiſt. 190. ad Innocent.

Apud Sirmond. tom. 1. Concil. Gall. anno Chriſti 451. p. 92. & 93.

* Vide cap. 1. de iuram. calumn.

Romanáque tota Eccleſia, re ad amuſsim veritatis examinata, & per tot ſæcula accuratè ſæpè iudicata, recognita, aſſerta, declarauit ſplendidiori quo potuit iudicio: Dionyſium, quem ab ipſa ſede ſancti Petri miſſum, Apoſtolum Gallia accepit, quíque ore Euangelico Pariſienſem Eccleſiam peperit, cruoréque ſacratiſsimo feliciter eandem Chriſto progenitam conſecrauit: minimè fuiſſe à Cornelio, Lucio, Stephano, vel Sixto II. Præſulibus Apoſtolicis ſub Decio, vel poſterioribus Principibus ad Gallias ablegatum: ſed à Clemente beatiſsimo Petri herede eò deſtinatum; nec Italum fuiſſe vel Romanum, ſed Græcum atque Athenienſem, adeóque Areopagitam, illum percelebrem, quem ſemine diuini verbi Paulus edoctus in cælo, orbis terrarum didaſcalus, in fide genuit, lauacro tinxit myſtico, ſacrúmque myſtam ordinauit. Id verò ſe ita credidiſſe iam à natiuis rei geſtæ exordiis prodidit ipſa Mater ac Magiſtra omnium fidelium, per ſuos antiquiſsimos ſacræ hiſtoriæ codices, per ſuorum Pontificum epiſtolas, per diplomata immò facta & alia quæuis teſtimonia perſpicua: inſuper per antiquos libros rituales ſuos, veteráque diptycha; & omnia quæ ſibi etiamnum ſuppetunt veritatis huius ſententiæ monimenta: quam omnibus populis pro certa & ſyncera tradidit, quam inconcuſsè tenuit, à qua nullis potuit hactenus argumentis contradicentium diuelli. Nam in ea vſque hodie immobiliter perſeuerat, quam ſuis anna-

annalibus voluit pro comperta & vindicata inſeri, diptychis ſacris inſcriptam ſeruari, verbíſque clariſſimis quæ omnem ambiguitatem excludunt explicari, nec in textu tantùm Martyrologij, ad perpendiculum ſynceræ quam nouit veritatis, quam diſcreuit veræ à falſa opinione traditionis, hanc ſuam (quæ noſtra ideò eſt erítque ſemper) ſententiam, expenſam declarari, at etiam notationibus luculentiſſimis quæ eam roborant vndequaque confirmari: exprimi denique per ſeriem contractæ quidem, at apertæ & vindicatæ hiſtoriæ in diuinorum officiorum codice; interſeri lectionibus ſacræ Scripturæ; legi in diuinæ Maieſtatis præconiis, in natali tanti Doctoris & Martyris quem ſplendido cultu veneratur; pro ſyncero eius encomio, non modò in vrbe at toto in orbe, per os ſacerdotum recitari, & populo Catholico prædicari. Id igitur quod de ſancto Dionyſio tam apertè Eccleſia Catholica, Apoſtolica & Romana definiuit, debet à quocumque ſummæ illius Eccleſiæ obſequenti filio, ſedíſque Apoſtolicæ ſyncero cultore, pro rato & conſtanti admitti & teneri. Aliàs illam inſigniter & pertinaciter erráſſe, erraréque in falſæ perſuaſionis tam ardenti aſſeueratione, & perpetua ſpuriæ traditionis propagatione, cum ſpontanea euidentis deceptionis fallacia, profectò, qui ei hac in re obuerſantur, dicere neceſſe habent: quod à pia illorum mente arbitror omninò abhorrere. Quieſcant iam igitur exemplo

Sſſ

Ezech.1. illorum cæleſtium curſorum, qui cùm vox fieret ſub firmamento ſiſtebant greſſus ſuos, aláſque (per quas particularis iudicij deſignatur erraticus volatus & excurſus) ſuas ocyus ſummittebant. Hinc diſcant cùm audiunt vocem ſupremo è throno Eccleſiæ lapſam, pennas priuati ſenſus conſtringere. Firmamentum Eccleſię eſt Apoſtolica ſedes, immobili petræ innixa: cuius cùm oracula, in quauis ſacræ rei (qualis Eccleſiaſtica traditio eſt) declaratione perſonāt iudicij particularis ſenſa reprimere, ſentētiæ latæ à ſede ſuprema cui Chriſti Vicarius præeſt, in quo Chriſtus ipſe loquitur protinus obſecundare oportet: illorum priſcorum fidelium imitatione, qui etiam in maiori cauſa Chriſtianæ pietatis, *rebus ſemel à Romana Eccleſia iudicatis* (vt præcitatus ait Sozomenus) *vtrimque conquieuerunt*, ſeu vt alia phraſi legitur, *ſinguli acquieuerunt*. Certè ſi ita æmuli noſtri morem geſſerint ſedis Apoſtolicæ ſolenni iudicio, de Dionyſij quem colimus qualitate, eandem omninò laudem veræ Chriſtianæ docilitatis & obedientiæ cum priſcis Patribus promerebuntur: & nos cum ipſis protinus concordes efficiemur. At ſi traditionem contemnendo Romanæ Eccleſiæ, immò determinationem tam authenticam Apoſtolicæ ſedis, obfirmatè ſua in priuata opinione perſtant; eſt quòd vereantur, ne dum plus æquo ſibi ſapiunt, à veritatis via deflectant, quam ipſius veritatis columna ſola poteſt, ſoléṫque indigitare: *ſpargántque* (vt loquitur S. Hiero-

nymus) *dum ſeorſim à Petri ſucceſſore colligere nituntur.* Ad Damaſ.
Nos certè interim in Apoſtolicæ ſedis traditione & ſententia, conſtanter permanere haud dubitabimus, qui cum noſtro Ambroſio, *Romanam Eccleſiam, ſequi in omnibus* profitemur. Lib. 3. de Sacramentis cap. 1.

CAPVT OCTAVVM.

Priorem probationum, quæ Hilduini Areopagitica muniunt, ſupplementi proferens partem. Nempe ea complectens teſtimonia & argumenta, quæ Hilduinus vel non aduertit, vel non notauit aut induxit in vindiciarum ſuarum collectione; tametſi illa ipſimet Hilduino, vt ſcriptis eius antiquiora, non potuerint ignota eſſe.

LABIVM *veritatis firmum erit in perpetuum* (ait diuina Sapientia) *cuius verbis qui vllo modo contradicit, de mendacio & ineruditione confundetur.* Prouerb. 12. Eccleſ. 4.
Talis enim eſt conditio falſitatis vel erroris, vt etiam nullo ſibi renitente conſeneſcat & defluat: talis autem è diuerſo veritatis ſtatus, vt etiam multis impugnantibus ſuſcitetur & creſcat. Hinc præclarè à Seneca dictum, *Magna eſt vis veritatis quæ contra omnia ingenia, calliditatem, ſolertiam, contra fictas hominum inſidias facilè ſe per ſeipſam defendit: quæ adeò ſi ab omnibus impugnetur, & omnis generis ſuadelæ vnà cum mendacio aduerſus eam armentur, neſcio quomodo ipſa per ſe animis mortalium illabatur, & nonnumquam confeſtim vires ſuas exercet,*

mendacium manifeſtet, & victrix demum emergat. Fortior eſt enim, & ſemper præualet. Perit tandem
3. Eſdr. 4. 38. 42. mendacium, at *illa permanet & inualeſcit in æternum.*

Certè hæc veritatis tam pura quàm pulchra præconia, multum conferunt ad defenſionis Hilduini, auctoris Areopagiticarum vindiciarum (quam ineundam ſuſcepimus) præſens inſtitutum. Nam ille quidem à pleriſque liuidis ſuæ collectionis cenſoribus, falſitatis perperam inſimulatus plerumque fuit. Sed calumniam illorum veritas ipſa detexit, ſempérque victrix de mendacio triumphans, Hilduini amici ſui ſynceritatem propalauit: qui quò acriùs impetitus, fretus ipſa veritate, ſemper eò fortior hac ex lucta rediit, proſtratiſque aduerſariorum viribûs, ex quibuſque ipſorum inſidiis liber ac immunis euadens, veritatis quanta ſit vis & poteſtas, perpeti ſua ex victoria hactenus demonſtrauit. Aſſeruit ſcriptor ille, vel hac de cauſa illuſtriſſimus (fruſtra frementibus æmulis ſuis,) primum Pariſienſis Eccleſiæ Paſtorem, purpuratúmque Doctorem, immò Galliæ generalem Apoſtolum Dionyſium; non vnum ex poſtremi agminis pugilum, qui regnum Chriſti apud Gallos promouerunt, fuiſſe bellatorem: ſed Ducem primarij exercitus, qui ſigna ipſius Domini ſalutifera auſpicatò ipſa in Gallia fixit, trophæáque illius adorando nomini, Lutetiæ Pariſiorum primùm viſa, erexit, & cæli placita huc inuexit, omninò

antè incognita. Fuiſſe hunc Pauli nobilem ſpiritus ſobolem; Pauli, inquam, cæli ciuis, Chriſti tubæ, Eccleſiarum columnæ, Angeli terreſtris, cæleſtis hominis, qui Græciam ſimul & Aſiam, Orientem & Occidentem, omnémque prorſus quanta eſt ſub ſole regionem, quaſi volitans circumiuit: non ſimplici tranſcurſu velut in vacuum itinera percurrens, ſed peccatorum ſpinas pariter euellens, germina pietatis vbique ſeminans, errores fugans, veritatem reducens, ex hominibus Angelos faciens; qualem Dionyſium Areopagitam nobis præſtitit, quem Clemens Chriſti Vicarius, Petri ſucceſſor, ipſiúſque Pauli heres præcipuus, tanti oneris quod certè Angelicos exigebat humeros capacem, præ quibuſque aliis cæli præconibus, cognitum, ideóque ſelectum in hoc tantum opus, ad Gallias vſq. direxit: vt quaſi fluuio mirabili, è paradiſi fonte deducto, fluentis gratiæ & ſalutis illas per eius influxum inundaret; quaſi ſole, radiis fidei & diuinæ gloriæ ſplendoribus eaſdem illuſtraret; quaſi igne cælitus illapſo, pietatis ac charitatis Chriſtianæ ardoribus illas vndique inflammaret. Hæc DIONYSIVS ille à Paulo incenſus, à Clemente miſſus, pro Chriſto occiſus, admiranda ſanè ſtupendáque prorſus (gemino duntaxat ſtipatus ſubſidiario) in Galliis opera patrauit. Hic ille, inquam, Dionyſius Areopagita, & non eo quiſquam inferior (qui ſanè impar ferendis tot tantíſque rerum ponderibus fuiſſet) apud nos peregit. Hoc ex

antiqua fide docuit Hilduinus, atque ne vnquam in dubium verſari poſſet, ab æmulis Gallicæ felicitatis & gloriæ; hoc ipſum probauit, obfirmauit, aſſeruit, omnibus quæ exigi validis poſſunt auctoritatum præſidiis, demonſtrationúmque efficacibus argumentis. Quas aptè quidem diſcipulus eius, haud minus quàm ipſe celebris Hincmarus, tres in claſſes euidentioris confirmationis gratiâ diſtinxit. nimirùm ſententiam Magiſtri, quæ communis erat iampridem Catholicæ Eccleſiæ, ſuffultam eſſe profeſſus, *Græca teſtificatione, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ atteſtatione, & Gallicana conteſtatione patentiſſima.* Quos gradus accuratæ demonſtrationis quoniam Hincmarus ipſe non ſigillatim expendit: Hilduinus verò etſi edidit reipsà, tamen non eo ordine propoſuit; idcircò, ego hac grata, (quoniam clara & aperta,) diſſerendi ſerie, ſuperioribus capitibus ſeorſim & diſtinctè aſſignaui, inductionéque accurata atque copioſa perſecutus vndequaque dilucidaui. Qua in percenſione argumentorum Hilduini, hoc intendi potiſſimùm: vt quæ ipſe induxerat in aſſertionis ſuæ præſidium, vel rationum momenta, vel Auctorum teſtimonia, non modò reſignarem; ſed vel dilucidarem, quæ non ita perſpicuè ab ipſo digeſta fuerant, vel quæ haud ſatis fulciſſe videri poterat pertinacioribus Criticis, egomet ampliùs communirem. oſtenderem autem omnia, quæcumque protulit in ſententiæ quam tuebatur ſubſidium, tam rationi conſona,

In epiſt. ad Carolum Imp. Auguſtũ, ſubtexta Areopagiticis Hilduini apud Surium.

quàm candidiſſimæ prorſus innixa eſſe veritati. Quamuis autem plurima (vt illi opitularer) ſingulis ferè locis diſſertationis eius ſubſidia contulerim, non tamen in ſingulis capitibus illa cuncta adduxi, quæ ad eius ſententiæ corroborationem afferri potuiſſent. Non quòd oraculum illud diuinum neſcirem, quo docemur non eſſe quicquam *detrahendum ſermonibus veritatis*, & illud Auguſtini graue pronunciatum, *qui veritatem occultat, & qui prodit mendacium, vtrumque reum eſſe: ille quia prodeſſe non vult, iſte quia nocere deſiderat.* Sed quoniam haud congruum erat, gloſſam textum cui innititur nimia mole opprimere; & ea omnia quæ ad rem faciunt vnum in locum congerere, quæ lectori faſtidium affluentiori copia excitaſſent, & rebus, ipſa denſiori coaceruatione materiæ, non tam lucem attuliſſent quàm obſcuritatem. Hîc igitur nouas Hilduino ſuppetias, fauente Chriſto conferemus: immò ſpectatori huius concertationis litterariæ, quin & iuſtæ defenſionis, & piæ vindicationis ac exercitationis recèns collectas apparabimus noſtro ex labore, non ingratas fortè (quia & à nonnullis expetitas hactenus) epulas, quibus tædium tam longè productæ litis, ſeu potiùs toties iteratæ pugnæ, remoueatur: dúmque in Hilduino tuemur veritatem, quin & in veritate, ſancti Dionyſij præcipuum decus propugnamus, eidémque maiorem vendicamus gloriam: & oblectamentum lectori ipſi præbeamus, & nobis

Iob 6.

S. Auguſt. de agone Chriſtiano. tom. 3.

ipſis conciliemus, etiam apud rigidiores in hac cauſa Ariſtarchos, non fauorem quidem, (quem ab his expectare non poſſumus,) ſed aurem ſaltem & conſpectum attentiorem. Duas igitur in claſſes ſubſidia quæ Hilduino impendimus aptiùs hîc diſtribuenda viſa ſunt. Quandoquidem aliqua eiuſmodi ſunt ordinis, quæ ipſe Hilduinus, quoniam Areopagiticis ſuis anteriora erant, potuerat inſerere. Alia quæ notauit quidem, at non produxit. Alia denique, quæ nec aduertere, nec adducere in ſuæ cauſæ præſidium potuit; quoniam poſteriora eius ætate, ſubinde etiam per vices temporum reperta, vel prodita fuerunt in lucem. Hoc igitur in capite, quæ prioris generis ſunt, expromere per ſeriem voluimus: cetera ad caput ſubnexum, aptiori ſitu retulimus.

ARTICVLVS I.

Primum Hilduino afferens ſubſidium.

Ex Sanctorum Martyrum ſancto Dionyſio Areopagitæ cohærentium, actis germaniſſimis.

QVI Dionyſium beatiſſimũ Pariſiorũ Eccleſiæ parentem, Areopagitam eſſe inficiantur, præcipuè erratico nituntur teſtimonio Gregorij Turonenſis; qui ex creditis qualibuſcumque S. Saturnini actis*, iuniorem admodum quàm fuit ipſe Saturninus, & coæuus illi Dionyſius, vtrumque effinxit; alióſque primos religionis in Gallia Patres,

* Errorem poſtea S. Greg. Turon. vt infra oſtendemus, emendauit.

Patres, ad filiorum vſque deduxit ætatem. Cuius erraticæ lectionis ac futilis obiectionis, in teſtimonij eiuſdem Gregorij diſcuſſione (infrà vbi aduerſæ partis argumenta afferemus & diſſoluemus) patefacere pollicemur. Interim hoc ſaltem habemus ex aduerſariorum facto, vt liceat eodem argumento contra eos vti, quo aduerſus Hilduinum, eiúſque Patronos, ac gloriæ Pariſienſis vindices præcipuè nituntur. Boſquetus profectò qui nouus nuperæ antiquitatis conſarcinator, origines Eccleſiarum Galliæ tam annoſas eſſe, vt ab Chriſtianæ religionis primordiis fluxerint, ferre nequit: antiquitatis primæuæ titulum conatur omni æſtu Chriſtianæ Galliæ eripere, hac ſola machina inſtructus, quam ex fictitiis maiori ex parte, vel corruptis, & pridem repudiatis, à ſacris cenſoribus Sanctorum Hiſtoriis, conflauit. Quo ex fragili ariete globos vibrans vmbratiles, fundamenta impotenter quatit antiquarum Epiſcopalium ſedium. Sed quis ſcriptoris huius nuperi inanes molitiones eſſe non videat, quæ ruinoſis duntaxat fundamentis inſtruuntur? Hic enim nouellus antiquitatis indagator & vindex, haud ſemel de Patrum detecta à ſe hinc inſcitia gloriatur, quòd illi neſcierint natiua religionis in Galliis initia; immò parentes ipſos Eccleſiæ ſuos haud cognouerint, quorum mores vt ætates, longè abſint ab ea, quæ tot ſęculis credita fuit, perſuaſione. Igitur per acta Sanctorum, recèns, vt ſibi adulatur, à ſe comperta,

antiquas traditiones præſertim arietat, & non ſolùm ſancti Dionyſij (cui multò ſanè infeſtior quàm ceteris eſt Galliæ Apoſtolis) hiſtoriam verberat, Areopagitica Hilduini inuadit; ſed & ceterorum omnium penè regni huius Apoſtolorum, proditas ſuſceptáſque, tam vnanimi ſuperiorum ætatum conſenſu, res geſtas impetit, irridet, obliterat, fabuláſque, pro hiſtoriis hactenus inuectas aſſeuerat, & receptas ex inſano patriæ amore, fumoſo antiquitatis affectu, ſupremæ Papæ poteſtatis recentiori ſtudio & cultu, ſimplicitatis Maiorum facilitate, Scriptorum oſcitantia, aliquorum malitia, immò patenti Conciliorum & ſacrorum iudicum, qui res eiuſmodi ſæpè ad ſuum Tribunal delatas, ſegniter examinarunt*, imperitè iudicarũt, inertiâ vel inſcitiâ. In hac perſuaſione paſſim laborat tam prima, quàm tota ſecũda ſuæ collectionis parte, præcipuè à p. *56.* ad *66.* & p. *90.* & *91.* Vbi tamẽ collectionem ſuam incertis & fabuloſis monimentis infarcitam, non abnuit. At verò ſubiungit has fabulas ſeſe congeſſiſſe, vt quæ ex certioribus monimentis creditur emanâſſe traditio, ſuis in originibus conſpecta tandem, *natiuo dedecore horrida* agnoſcatur. Quod tamen diſcrimen illa ex eius farragine nullatenus innoteſcit. Cùm ab incertis certa potiùs conuellere ſtudeat, atque per fabulas exquiſitas, veras probatáſque vt plurium hiſtorias, & antiquas Eccleſiarum traditiones, æquè ac origines toto niſu labefactare moliatur. In commentariis

*Hos ideo vocat (part. 2. pag. 62.) *Probos & Sanctos, ſed imperitos.*

noſtris quæ ſpuria inuexit excutiemus, quæ ſyncera impetiuit aſtruemus, quæ dubia ex certis efficere voluit cõfirmabimus, ſed & antiquiſſima patefaciemus, auxiliante Domino, quæ paſſim noua reddere atque euincere confiƈta, tanto ardore contendit. Interim eſt quo illum documenti vt memor ſit, Leuthaldi Monachi, cuius narrationem deſcribit vitæ ſanƈti Iuliani Epiſcopi Cænomanenſis, moneamus, quod mirificè illius inane ſtudium perſtringit. *Non placet* (inquit ille Scriptor, in fine ſui Prologi) *quorundam muſicorum nouitas, qui tanta diſſimilitudine vtuntur, vt veteres omninò ſequi dedignentur auƈtores. Nam ij qui coniugiis vacant, malunt liberos hominibus ſimiles gignere, quàm alicuius inuiſi monſtri* (qualis eſt illa Boſqueti, tot ſæculis firmatas, vt fatetur, & receptas Eccleſiarum Galliæ traditiones exagitans conſarcinatio,) *effigiem procreare.* Lucrum tamen ex eius detrimento referemus : quoniam quam ambit ex nouo ſuo molimine gloriam, noſtræ in cauſæ præſidium adſcribemus. Per natiuas ſiquidẽ, quas perpaucas mixtim cum ſuppoſititiis profert, ex geſtis Apoſtolorum Galliæ, auƈtoritates; cõtendit Eccleſiarum Galliæ primitiuas origines abolere, titulóſq. earundem propaginis inſigniores obſcurare: hácque arte potiſſimùm Dionyſij primi Pariſienſis Hierarchæ, præcipuam tentat abrogare dignitatem. Nos igitur quoniam aƈta Sanƈtorum in ſubſidium fucatæ (quam obtrudit ſub genuinæ ſpecie) antiquitatis aſſumit, ex il-

lorum monimẽtorum titulis, quæ ſelecta à ſpuriis ſuppetunt, de rebus Sanctorum B. Dionyſij Areopagitæ ſymmyſtarum geſtis, probationes eliciemus: quibus apertiſſimè liqueſiat, aſſeuerationis Hilduini, de eiuſdem beati Dionyſij Apoſtolica ætate ac miſſione ſynceritas; falſitáſque illius opinionis identidẽ appareat, quæ ad inferiorem lõgè ætatem, minorémque Patrum Galliæ conſeſſum, ipſum diuinum Doctorem & Pariſiorum Protomyſtam detrudere, damnata pridem ac reprobata contentione, etiamnum aggreditur.

§. I.

Ex paſſione, ſeu actis S. LVCIANI *Martyris Bellouacenſium Apoſtoli, germaniſſimis, à* Iacobo Fabro *Stapulenſi: in libro* De agonibus Martyrum, *menſe Ianuario, ex peruetuſtis codicibus, adeóque primæua exceptorum collectione, ſine vllo additamento, vel ſtyli alteratione, editis Baſileæ anno 1527.*

LVCIANVS *beati Petri Apoſtoli diſcipulus, beato Dionyſio à B. Clemente ſocius & coadiutor traditus fuit. Quem ille euangelizandi gratiâ, Bellouacum miſit, vbi cuſtodia Romanorum & militaris exercitus reſidebat, quia gens Bellouacenſium ſemper bellicoſa fuit, ideo propter inſolentiam eorum, ſeu propter cuſtodias ceterarum ciuitatum, his in locis tunc Romanus verſabatur exercitus. Hic igitur Lucianus, à beato Dionyſio miſſus, à quo presbyterij ſumpſit officium, Chriſtum prædicare cœpit, multóſque ad fidem eius à*

cultu dæmonum conuertit. Deinde cùm iam ob prædicationis progreſſum, ad necem quæreretur, ſubiungit libelli contextus, *his dictis, oculis & manibus in cælum erectis, totis viribus cæpit Chriſto gratias agere: quòd ſancti Dionyſij Martyris, dignabatur eum conſortem paſſionis efficere.*

Ecce igitur Dionyſij aſſecla ac adiutor fuit Lucianus beati Petri diſcipulus, cum eo in Gallias à S. Clemente, & non à Sixto, vel Fabiano, aut Cornelio directus, atque paulò poſt eius agonem, martyrio perſimili coronatus. Cuius acta à Fabro grauiſſimo viro & emunctæ naris edita, illa natiua ſerie, quam ſtyli prodit candida ſimplicitas, prætextâ falſitatis notâ reſpuere, fas eſſe prorſus, nemo æquæ mentis & pudicæ frontis dixerit. Maximè cùm ſanctus Methodius Martyr, qui ſancti Dionyſij Areopagitæ res geſtas accurata deſcriptione, (quam ex antiquis Græcis Codd. hauſit) complexus eſt, Lucianum inter auxiliarios, à ſancto Clemente, ipſimet Dionyſio adlectos, recenſeat nominatim, Κοινωνοὶ δὲ τοῦ ἁγίου Διονυσίου ἦσαν Σατουρνῖνος, Μαρκέλλος καὶ Λουκιανός. *Socij ſancti Dionyſij erant Saturninus, Marcellus & Lucianus.* Subnectit autem: Miſſo in partes Aquitaniæ Saturnino (quem demum Gregorius Turonenſis*, vti infrà notabitur, coæuum Apoſtolorum diſcipulis confeſſus eſt) B. Dionyſium cum ſancto Luciano, & ſancto Ruſtico, ſanctóque Eleutherio ad vrbem Pariſiorum veniſſe, factúmque Epiſcopum ab eo, & ad

*Lib. 1. de gloria Mar. c.48.

Bellouacos hoc titulo miſſum teſtatur. Sed & Metaphraſtes, in libello paſſionis ſancti Dionyſij à Concilio Florentino in auctoritatem contra Græcos adducto, *ex vrbe Pariſia* miſſum fuiſſe teſtatur *ad inſulam* Ciuitatis Belbecauſis (dicere volebat Bellouacenſis.) Michaël autem Syngellus Martyr, ipſa verba quæ protulimus, ex actis ſancti Luciani expreſſa, in Encomium ſancti Dionyſij tranſtulit, à quo miſſum Bellouacum, ibidémque demum pari exitu laureatum diſertè tradit. Mitto Martyrologiorum vetuſtiſſimorum MSS. expreſſam aſtipulationem, Foſſatenſis, & Leodienſis ; quæ firmatur ex Notkeri Monachi illius diœceſis cognominato Babbuli, excuſo typis Martyrologio ab Henrico Caniſio tom. 6. antiquæ lectionis. Prætermitto enim Romanum & teſtimonia patentiſſima Antonini, Vincentij, Exquilini, Baronij aliorúmque authorum recentiorum. Habet Dextri chronicon reliquias huius beati Epiſcopi, Vicum in Catalaunia tranſlatas, anno 308. quod de portione aliqua intelligendum. Tamen in antiquo Vicenſis Eccleſiæ Breuiario, quod habeo, nihil de hac tranſlatione notatur : in quo tamen ſanctus Dionyſius colitur die 9. Octobris, proditúrque ille eſſe Areopagita, qui Pauli alumnus, ſanctíque Clementis iuſſu in Gallias cum ſociis profectus, Lutetiæ Pariſiorum inſigne teſtimonium per mortem, quam cum ſociis paſſus eſt glorioſam, CHRISTO IESV reddidit. At de Luciano eius

auxiliario, plura, quæ ſuperiùs dicta vndequaque obfirmant, in commentario noſtro ad Martyrologium Gall. die 8. Ianuarij afferimus. De quo B. Martyre hîc ſatis pro inſtituto.

§. 2.

Ex actis S. IONII *aliàs* IONÆ *Presbyteri & Martyris natione Græci, ex MSS. & antiquis auctoribus collectis, editiſque Lutetiæ operâ & ſtudio* Henrici le Maire Doctoris Theologi Facultatis Pariſienſis, apud Franciſcum Huby, anno 1612.

POST *beatam & glorioſam reſurrectionem Domini noſtri* IESV CHRISTI, *multi accenſi fuerunt eo igne, quem ipſe filius Dei è cælo in terram mittere venerat, vt arderet,* &c. *Beatus* IONIVS *hoc eodem igne charitatis inflammatus fuit. Vbi enim* B. DIONYSIVS AREOPAGITA, *cognitâ illius bona indole eum in diſcipulum aſſumpſit, ſe totum pietatis officiis dedit: imprimis enim Deum ſuper omnia dilexit, ſiquidem propter eius amorem patriam reliquit ſuam,* &c. *Cùm igitur ſanctus Dionyſius Areopagita, conſilio ſancti Ioannis Euangeliſtæ Athenis, vbi tunc erat Epiſcopus*, ad conferendum cum S. Pontifice Clemente: & inde Lutetiam veniret, illum vnà cum 72. diſcipulis Chriſtianis ſecum adduxit. Quos omnes ſtatim ad diſſeminandum Dei verbum, in varias regiones dimiſit. Beatum verò Ionium iuxta ſe ſemper adeſſe voluit, eúmque Caſtrenſibus, qui ab vrbe Pariſiorum ſexdecim tantùm*

* Romam.

milliaribus diſtant, prædicare ſtatuit. Sed priùs illum in Sacerdotem ordinauit, vt ſe intimiùs totum Dei obſequio conſecraret, & gentilitatis errorem expelleret. Dum autem peragraret loca ciuitati Pariſiorum adiacentia, ad pagum * *Caſtrenſem, Domino ducente, peruenit.* Deinde narratur per ſeriem quemadmodum eius prædicatio proceſſerit, vtque cùm multos ad Chriſti fidem, verbo, ſignis & virtutibus perduxiſſet, inflammata contra illum perſecutione apprehenſus, virgis cæſus, ínque montem raptus, qui nunc vſque *Mont ſainct-Ion* ob eius Martyrij memoriam, appellatur: percuſſus gladio, agonem glorioſum conſummauerit, eodémque quo inclytus eius magiſter Dionyſius, victoriæ trophæo poſt mortem triumphauerit. *Corpus enim illius exanime erigens ſe, & propria manu apprehendens ſanctum caput abſciſſum, ſtabili greſſu, miſericordia Dei ſuffragante, mirum in modum, ac ſi viuens eſſet in corpore, iter ſuum carpere plantis firmiſſimis cœpit, portánſque illud à monte præfato quaſi milliariis tribus, peruenit ad locum, quem Sanctus pro ſepultura elegerat, ibíque cum palma victoriæ requieſcit in pace.* Scilicet in eo loco, vbi deinde à fidelibus excitata eſt Eccleſia ſancti Clementis, tam in memoriam Ionij glorioſi athletæ, quàm recordationem glorioſi illius Pontificis, qui miſſionis ſancti Dionyſij ductoris & magiſtri beati ipſius Ionij (aliàs *Ionis*, ſeu etiam *Ionæ*) auctor fuerat: quæ Eccleſia hoc etiamnum illuſtri titulo pollet, éſtque magna Baſilica & præcipua Parœcia

* Chaſtres ſous Montlehery.

pagi

pagi illius Caſtrenſis. *Ad quam* (vt refert prædictus le Maire, eiuſdem pagi indigena) *incolæ totius viciniæ accedunt quotannis, pridie nonas Augusti, ad venerandas ſancti Ionij reliquias.* Qui ibi ſignata die præcipuè colitur, & in vniuerſa Diœceſi Pariſienſi ſacro officio honoratur. De eo ita habet Martyrologium Romanum *10. Kalend. Octobris apud pagum Castrenſium ſancti Ionæ Presbyteri & Martyris: qui cum ſancto Dionyſio profectus in Galliam, iuſſu Iuliani præfecti verberibus cæſus, gladio Martyrium conſummauit.* Vbi notat Baronius, conſentire vetera manuſcripta. Neſcio quæ penes ſe habuerit priſca eius monimenta, ſed antiquus codex paſſionalis, qui in Caſtrenſi Eccleſia iam olim aſſeruatur, præmemoratam vndequaque fulcit narrationem: ſic autem incipit. *Sanctus Ionius natione Græcus, conuerſus fuit à ſancto* DIONYSIO AREOPAGITA, *qui eum ita dilexit, vt Sacerdotem ordinauerit, & in diſcipulum aſſumpſerit. Cùm autem ab Athenis Romam, & inde accepta legatione à S. Clemente,* &c. Quæ actis prælibatis prorſus conſona ſunt, quibus etiam ad amuſſim cohæret codex paſſionalis peruetuſtæ notæ, antiquæ regalis & Collegiatæ Eccleſiæ ſancti Exuperij Corbolienſis, in qua potior pars capitis beati ipſius Martyris religioſè ſeruatur: & priſca MSS. Hagiologia cœnobiarchiæ ſancti Victoris, & alia quæ ſuperfluum eſſet (cùm iam nimia ſint, quæ indicauimus) hîc congerere. Quoniam in noſtris ad Martyrologium Gallicanum apodicticis

commentariis, illa ſeriatim recenſere ſtatuimus, vbi etiam Biuarij erratum patefaciemus, ſanctum hunc Martyrem Ionium (quem fatetur cum ſuo Dextro, alumnum beati Dionyſij Areopagitæ, eiuſdémque in Galliam ſectatorem) nitentis, ſuæ Hiſpaniæ purpuratum florem efficere. Quia enim in Martyrologio ſcriptum vidit Ionium ipſum apud pagum Caſtrenſium, ictum gladio triumphâſſe, arripuit hoc in fauorem Hiſpaniæ, ſicque interpretatus eſt, vt in Caſtris Cæciliis quæ ſunt in Luſitania, aſſeueret tantum pugilem coronatum. Qua in ſententia ipſe Dextro ſuo refragatur, qui etſi ibi prædicâſſe quoque ſanctum Ionium (quem Ionam appellat) ſuo in Chronico annotet ſub annum Chriſti 86. tamen eodem tenore teſtatur ipſum *Ionam ſancti Dionyſij Areopagitæ diſcipulum ad Gallias* (poſt excurſum in Luſitaniam) *reuerſum*. Quem certè in agro Pariſienſi extremo certamine perfunctum, quæ ſuprà à nobis adducta ſunt teſtimonia, & clariſſima adhuc triumphi eius veſtigia, abundè prorſus teſtificantur.

§. 3.

Ex actis ſancti Cauranni, ſeu Carauni Martyris Carnotenſis, quæ ex antiquis MSS. Codd. elicita, Boninus Mombritius tom.1. de Sanctorum geſtis, *in lucem prodidit.*

S. * CAVRANNVS *Romano territorio oriundus, cum beato Dionyſio diutiſſimè fuerat eruditus. Qui à beato Clemente Parrhiſios eſt directus,* &c. *Cúmque pro his ſignis ab omni populo honoraretur, timens ne ventus humani fauoris ſubriperet, quod in cælo humanitas collocabat, propero curſu Maſſiliam petiit, vbi parum commoratus, multos ab idolorum cultura reuocauit, & in fide Chriſti ſolidauit. Poſt verò ad Carnotum vrbem acceſſit, vbi à paucis Chriſtianis, qui ibi erant, ſuſceptus, multos quoque ab idololatria conuertit. Cùm autem iter carperet ſexto ab vrbe milliario occurrunt ei filij Belial armati,* &c. *Euaginato gladio ceruice vltrò ſubdita, caput eius amputauerunt, ſícque migrauit ad Dominum,* &c. Vſuardus ſancti huius Martyris natalem ſuo in Martyrologio breui hoc tenore conſignat 28. Maij, *Eodem die ſancti Carauni Martyris, qui apud Carnotum ciuitatem capite amputato martyrium ſumpſit.* Ita verò habet de eodem ipſo die Martyrologium Romanum. *Carnauti in Gallia ſancti Carauni Martyris, qui ſub Domitiano Imperatore, capite amputato martyrium ſumpſit.* Idem habet Galeſinij Martyrologium eadem die, qua in noſtro nuper edito Martyro-

* Caraunus.

5. Kal. Iunij.

logio Galliæ, integrum eius elogium texuimus ex antiquorum MSS. fide, quæ in commentariis afferemus. Hoc interim notandum, in præſignati ſancti Ionij antiquiſſimis actis ita legi. *Hic ex partibus Athenarum veniens, ſancto Carauno* (aliqua habent exemplaria Carautio) *Martyri, vſque Romam ſociatus, cum beato Dionyſio ex vrbe egreſſus, cum eodem Galliam adiit.* In quo patet ſanctum Caraunum commilitonem ſancti Ionij extitiſſe, cum ipſóque & beato Dionyſio in Galliam veniſſe, vbi Martyrologia perhibent fuiſſe apud Carnutum, fortunatiſſima ſibi nece laureatum; & ſignatè quidem ſub Domitiano, quo tempore notum eſt Dionyſium ex multorum priſcorũ ſentẽtia, maximè Metaphraſtis & Paſchaſij, in Galliam aduениſſe: conſtat etiam ſanctum Caraunum eiuſdem fuiſſe alumnum, quo iure à ſancto Antonino inter eius diſcipulos (quorum recenſet ſuccinctè curſus & agones) numeratur parte 1. titulo 6. cap. 25. §. 2. Et ante eum à Vincentio eodem ordine cenſetur, ſpeculi hiſtorialis lib. 11. cap. 24. quod & diſertè tradit ex antiquis monimentis Exquilinus lib. 5. cap. 60. De eodem ſcripſit luculenter ex antiquis Martyrologiis Carnutenſis Eccleſiæ Mercantius, & ex eo Benedictus *in hiſtoria mortis Sanctorum*. Vetus extat Carnutenſe Lectionarium, in quo ſicut in prædictis actis & Martyrologiis eiuſdem Eccleſiæ, ſancti Dionyſij Areopagitæ diſcipulus & aſſecla perhibetur. *Hunc* (habet inter cetera prænotatum Lectionarium)

Dionyſius Areopagita ad prædicandum Euangelium miſſus à Clemente in Galliam, tanto muneri idoneum, &c. ſocium aſciuit. Cuius mnemoſynon inſigne perſtat in antedicta diœceſi Carnotenſi, antiquum vtique monaſterium ordinis ſancti Benedicti, dictum *ſancti Carauni de via*: quoniam cùm per hanc viam ad ſanctum Dionyſium Magiſtrum ſuum regrederetur, ferociter ab impiis occiſus, aceruum teſtimonij ibidem perennem erexerit.

§. 4.

Ex actis, quæ Metropolica Rotomagenſis Eccleſia in antiquiſsimis Codd. deſcripta habet, ſancti NICASII *Epiſcopi & Martyris* S. DIONYSII AREOPAGITÆ *Apoſtoli Galliarum diſcipuli, primíque Lugdunenſis ſecundæ deſignati Pontificis, in Vulcaſsino coronati, & apud Meulantum in aſceterio ſui nominis quieſcentis & celebrati.*

CVM *omnipotens Deus vellet Galliam viſitare, & ab ea erroris tenebras expellere, Beati Clementis tetigit cor, vt beatum Dionyſium in Gallias mitteret, adhibitis sociis. Inter quos miſit beatum Nicaſium Epiſcopum, &c. Qui dudum à beato Clemente fuerat ordinatus, audiens vrbem* Rodomum, idololatriæ ſordibus inquinatam, &c. Dixit ſe illuc velle properare. Eſt itaque vrbs prædicta ſuper fluuium Sequanæ ſita, Rodomus vocata, &c. Vrbs antiqua & nobiliſsimæ ſecundæ Lugdunenſis dicta, &c.* Móxq; ſequitur. * Hæc eſt Rotomagus.

*Sanctus igitur Nicaſius cum ſociis, Quirino Preſbytero, Scubiculóque * Diacono, Traiecto Iſerâ, Ictam * vſque peruenit. Occurrit illi primùm Vulcaßinus * ager. in ipſo Christum euangelizare cœpit, ibíque trecentas octodecim animas ad fidem conuertit, &c. Perrexit deinde ad littus Sequanæ: ſed rupem tranſgreſſus, à Feſcennini præſidis miniſtris in valle circumuentus, * cum duobus ſociis capite plectitur, qui truncis corporibus, capitibus apprehenſis, vadum tranſeuntes ad Ittam fluuium quieuerunt, eo loco, quod cognominatum eſt vadum Nicaſij.* Cuius acta integra ſerie ex peruetuſtis MSS. elicita, quæ caducitate pleriſque locis deleta erant, feliciter non ita diu publicauit Rotomagi Nicolaus Dauannus Prior ſancti Nicaſij de Meulanto Diœceſis Carnotenſis: ad quam Baſilicam dudum præfati beati Martyris Nicaſij ſacræ tranſlatæ exuuiæ ſumma obſeruantia & pietate coluntur) qui eadem collata cum veteri Martyrologio Rotomagenſi, priſcíſque monimentis antiqui monaſterij Sanctorum Petri & Pauli (quod nunc à ſancto Audoëno nuncupatur) in metropoli Rotomagenſi, & veteris ſancti Nicaſij eadem in vrbe parœcialis Eccleſiæ Codd. MSS. iiſdem per omnia conſonare religioſè teſtatus eſt. In iis autem habetur hoc notatu potiſſimum: fuiſſe B. Nicaſium vnum ex iis, quos Sanctus Lucas memorat Athenis à Paulo Apoſtolo, conuerſos, cum Dionyſio Areopagita: quo cum Romam profectus, hinc ab eo ordinatione ſancti Clementis, in

* aliàs Scubilione.
* aliàs Eptam.
* aliàs Velocaſſinus.
* apud Gaigneum vicum, volgò *Gaigny*.

Galliam deductus, atque ad vrbem Rodomum, (quam poſteri Rotomagum dixerunt) initiandæ religionis diuinæ causâ, cum præſignatis duobus ſociis, directus; cùm ad ſtationem procederet, victorialéſque iam in tranſitu pleraſque palmas curſim collegiſſet, & maiora longè Chriſto pararet, de proſtrata infidelitate, trophæa: à ſatellitibus Feſcennij Præfecti, progreſſum Chriſti gloriæ vndequaque præcidentis, interceptus; breuíque, at glorioſo certamine (in quo pro diuina fide pugnans, cum ſtrenuis commilitonibus victor occubuit) laureatus; anticipato martyrio Apoſtolatum ſibi creditum conſummauit, & quam Metropolim Prouinciæ ſecundæ caput Lugdunenſis, verbo non potuit diuino illuſtrare, puriſſimo ſanguine in aditu fortiter effuſo, Chriſto omnium vnico ſeruatori perenniter conſecrauit. Hinc illi verſus Orderici Vitalis Vticenſis Monachi, (qui hiſtoriam Eccleſiaſticam ante annos 500. libris 13. complexus, lib. 5. obiter res geſtas ſancti Nicaſij deſcripſit.)

Antiſtes Rotomæ datus à Clemente Nicaſi,
Si non ſediſti, caput at legando ſtetiſti.

Cuius dyſtichi acumen latiùs perſecutus Robertus Cenalis, Abrincenſis Epiſcopus: politiori limâ, beati ipſius Nicaſij, Lugdunenſis ſecundæ apicem pretioſo cruore purpurantis, præconia ſic cecinit:

Neuſtria cum ſociis primus colis arua Nicaſi,
Te plebs agnoſcit Rotomagæa patrem.

*Apud Dadræum in Chronologia hiſto-

riali Archiepiſcoporum Rotomag. vulgari idiomate edita Rotomagi, anno 1618. Nec enim in commẽtariis Cenalis, *de re Gallica*, leguntur.

Semina iactabas gemino comitatus Achate,
Curâ Quirino, Subiculóque pari.
Vertice te caſo, toto dein corpore trunco
Inſula nota docet, tranſiliiſſe vadum.
Fortè Draco pulſus, tetro quoque dæmon ab antro;
Numinis hæc certam ſigna dedêre fidem.

Quæ ſigna eius Apoſtolatus fusè ipſemet Cenalis ex antiquis monimentis ſoluta oratione recitat, *lib. 2. de re Gallica perioche quarta, fol. 150. b. & 151. a.* Quod ante eum præſtiterat Matthæus Weſtmonaſterienſis Monachus, lib. 1. ex tribus, quos inſcripſit, *hiſtoriarum ab exordio mundi vſque ad annum 1307.* Vbi ſanctum ipſum Nicaſium, beati Dionyſij miſſi in Galliam à ſancto Clemente comitem, eodem quo dictum eſt, agone coronatum aſſerit: quod idem tradit vetus MSS. Lectionarium Rotomagenſe, à Roberto Denyardo in tractatu, cui titulum præfixit, *Cathedra Rotomagenſis* cap. 1. & 2. inſinuatum. Immò Eccleſiæ Romanæ idipſum ſacræ tabulæ perhibent 5. Idus Octobris hoc tenore. *In pago Vulcaſſino paſsio Sanctorum Martyrum Nicaſij Epiſcopi Rotomagenſis, Quirini Presbyteri, Scubiculi Diaconi & Pientiæ virginis, ſub præſide Feſcennino.* Qui idem ipſe præfectus eſt, ſub quo ſanctus Dionyſius Areopagita, Galliæ Apoſtolus, Pariſiis obtruncatus, cum ſociis iiſdem in ſacris diptychis commemoratur. Antiquas Carnutenſes tabulas idem teſtantes citat Galeſinius in ſuis ad Romanum Martyrologium, à ſe Mediolani editum, notatiunculis.

Ex

Ex quibus & Vſuardi teſtimonio emendat errorem, qui in contextum, quem fuerat nactus, irrepſerat, vbi indicabatur *Nicaſius Ecbatanæ in Myſia paſſus cum ſociis.* Verùm in pago (ait) Vulcaſſino, eorum martyrium extitiſſe Vſuardus narrat. Et quidem vetus Martyrologium Pariſienſe ante annos 100. ex antiquis exemplaribus editum idem notat: ex cuius Eccleſiæ monimentis perantiquis, res geſtas Nicaſij & eius commilitonum, eadem die in Martyrologio noſtro, copioſo elogio celebrauimus, Quiriníque Preſbyteri præcipui eiuſdem ſymmyſtæ, integram reliquiarum illationem factam conceſſu Caroli Magni Imperatoris, & Deofredi Pariſienſis Epiſcopi (in cuius Diœceſi tum glebæ illæ ſacratiſſimæ reconditæ erant) ad Malmundarium Germaniæ cœnobium petentibus Hidelbaldo Metropolite Colonienſi & Odulpho præpoſito Malmundarienſi prodidimus obſeruandam. Cum lipſanis autem ſancti Quirini, magnam etiam partem ſacrorum pignorum Scubiculi Diaconi, & brachium ſancti Nicaſij datas eidem Odulpho, ipſius Caroli Magni munificentiâ, ibidem animaduertimus: in quo Malmundarienſi ſacrario diuinis ſignis etiam coruſcat in proprio mauſolæo Quirinus. Ceterùm Nicaſius in prioratu ſui nominis, oppidi Meulanti ad Sequanam inſigni cultu quieſcit: vbi quotannis in feſtiuitate Aſcenſionis Domini, ſolenni triumpho ſacra eius lipſanotheca circumfertur, af-

fluente ad eius venerationem populi tam ſpatioſo quàm ſpecioſo concurſu: cuius pietatem, aliqua ſemper mirabili opitulatione, Martyr glorioſus, largiente Chriſto remunerare conſueuit. De quo plura in notis ad Martyrologium noſtrum ſignato die. Hîc enim ſatis pro inſtituto noſtro dictum videtur: tametſi prætermittere non debemus, ex Apoſtolica conteſſeratione S. Nicaſij cum beato Dionyſio, natam illam ſpiritualem ſocietatem, quæ iamdudum inter ſancti Dionyſij Regale Monaſterium, & Aſceterium ſancti Nicaſij antedictum coaluit, quámque Henricus de Mulleto, tempore ſancti Ludouici Regis, factus Sandionyſianus Abbas, ratam habuit, obſignauítque ſacri fœderis tabulis, anno Salutis 1260. conſcriptis.

§. 5.

Ex actis ſancti EVGENII *primi Epiſcopi Toletani & Martyris, diſcipuli ſancti Dionyſij Areopagitæ:* in Concilio Leodienſi celebrato ſub Stephano Antiſtite, *ante annos 700. lectis & approbatis.*

POSTQVAM *beatum Dionyſium Paulus Apoſtolus ad fidem Chriſti conuertit, & Athenarum præfecit Epiſcopum, Romam* * *redut, vbi non longè pòſt martyrium ſumpſit. Cuius deſiderio beatus Dionyſius illuc pergens beatum Petrum ac eundem Paulum Martyrio coronatos, inuenit, ſanctúmque Clementem Apo-*

* adiit.

ſtolicæ ſedis cathedra ſublimatum reperit, cuius benedictione roboratus, Apoſtolatúque ab eo Galliæ ſuſcepto, cum pluribus Coëpiſcopis & Presbyteris & Diaconibus, Arelatenſem ciuitatem vſque peruenit, comminiſtros ſibi traditos deſtinauit, videlicet beatum Lucianum Bellouacenſibus, * *Marcellum Bituricenſibus, alióſque complures ſuis in locis,* EVGENIVM *verò Toletum mittere ſtuduit.* Et cetera, quæ fuſiùs innuunt quemadmodum Eugenius in Hiſpaniam ablegatus, mira fidem diſſeminando peregerit. Ibi enim ſic rem geſſit, vt ampliſſimæ illius prouinciæ, ad regnum Chriſti acceſſio, ipſi potiſſimum tamquam primo omnium ſanctiſſimo Pontifici, Doctoríque Euangelico, accepta meritò referatur. De quo extat hymnus in antiquo Breuiario Toletano, dicto pridem Gotthico; cuius initium eſt, *Noua reſultent gaudia:* cui ſubiuncta hæc inſignia verba leguntur.

* aliàs Marcellinum.

Doctus alumnus Græciæ
Miſit hunc DIONYSIVS,
Vt eſſet ſolis radius,
In tenebris Hiſpaniæ.

Rediit demum in Galliam fundata Toleti religione Chriſtiana, iſte Eugenius, ad Dionyſium Doctorem ſuum, quem haud audierat nuper cum ſociis interemptum: cúmque Pariſienſem agrum iam veſtigiis ſacris premeret, ab obuiis ſatellitibus Feſcennini, qui Dionyſium obtruncauerant, per ſuſpicionem comprehenſus, quódque Chriſti ſe cultorem, & Dionyſij diſcipulum in-

trepidè fateri auſus fuiſſet, illicò occiſus eſt. Quem eius reditum & agonem celebrat perenni præconio, antiquus hymnus, *in Breuiario veteri ſecundùm regulam ſancti Iſidori*, cuius hoc eſt exordium & ſeries.

Sancti EVGENII *digna memoria*
Recurrit, ſocu, plaudat Eccleſia;
Exultat GALLIA *tanti martyrij*
Sacro ditata pignore.
Alumnus GRÆCIÆ *miſit* * *Hiſpaniam.* (* in ſupple.)
Doctor Hiſpaniæ reuiſit Galliam,
Docti * *præſentiam* DOCTORIS GALLIÆ (* Sancti.)
Fideli captans pectore.
Patrem deſiderat, votum proſequitur:
Iam prope venerat, hoſtis iraſcitur;
Sanctus hic rapitur, quem enſis temerat,
Caput vellens à corpore.
In lacu proximo corpus ſubmittitur:
Cuſtodi optimo pignus committitur:
Recens vt mittitur, manet longiſſimo
Sub vmbra corpus tempore.
Hercoldus patitur, quem Dei viſio,
Ex hoc alloquitur in Dionyſio;
Salutis pretio Sanctus redimitur,
Digno locandus decore.
Sit Patri gloria, ſit honor Filio,
Virtus, potentia, laus, iubilatio,
Flamini ſacro ſurgat ſors ſocia,
Vt pari conſtant robore. Amen.

Lacus ille, in quem proiectus fuit ſacrum beati

illius Martyris cadauer, eſt in agro Pariſienſi, duobus circiter Gallicis milliariis diſſitus à Lutetia, dicitúrque * Marcaſij lacus haud procul à Diogilo vico: vbi eſt antiqua & celebris Eccleſia ſub titulo S. Eugenij Martyris, temporibus Conſtantini Magni Imperatoris conſtructa ab Hercoldo viro primario, qui cùm deſperato morbo laboraret, monitu ſancti Dionyſij ſibi diuinitus apparentis, ſacras exuuias ipſius ſancti Eugenij, quæ ſub vndis, annis pluſquam ducentis delituerant, ex aquarum latibulo euexit; harúmque ex conſpectu & veneratione, recuperata optata incolumitate, ædiculam in tanti Martyris cultum in prædicto Diogilo vico extruxit, in qua ſacroſancta eius lipſana depoſuit, multa cum honorificatione. Quæ deinceps irradiata beati hoſpitis ſplendoribus, in amplam excreuit Baſilicam, nomine, tumulo necnon cœnobitico & parochiali titulo (quo etiamnum fulget) conſpicuam. Ceterùm hac ex Eccleſia, haud ſine diuinæ diſpoſitionis ſignificatione, ad baſilicam inſigniorem ſancti Dionyſij, poſtmodum gleba beati Eugenij delata, ibidem per annorum multorum curricula, in ſibi deſtinato ſacello, marmore auróque decorato, venerabiliter requieuit. Donec Carolus IX. Rex Chriſtianiſſimus inſtanter à Philippo II. Hiſpaniarum Rege, Apoſtoli ſuæ gentis (quem à ſancto Dionyſio miſſum olim è Gallia toto cum orbe fatebatur) pignora pretioſa (ex quibus iam bra-

* *Margency* Gallicè.

chium enixè petenti Alphonſo Regi Ludouicus VII. cognomine iunior idémque Pius, contulerat) flagitante, ſupplicatus & demum exoratus ſpolia tanti cælitis ſacratiſſima, eidem ex toto conceſſit, anno 1565. Quæ religioſiſſimè accepta, incluſáque thenſæ aureæ, idem Philippus, Regiis ſuis humeris intulit, celeberrimo apparatu & comitatu, in primatialis Eccleſiæ Toletanæ ſacratiorem abſidem. Ceterùm ſancti Eugenij facta à ſancto Dionyſio Areopagita è Gallia in Hiſpaniam tranſmiſſio, eiuſdem Toleti prædicatio, fructificatio, Epiſcopatus; atque inde reditus in Galliam, conſequénſque ibidem Martyrum; reuelatio, euectio, depoſitio, collocatio, & demum facta ex beneficio Chriſtianiſſimi Regis, hinc in Hiſpaniam tranſlatio venerabilium Chriſti huius purpurati teſtis oſſium; ita exploratæ ſunt & perſpicuæ, vt omnes Hiſpaniæ Eccleſiæ, has in ſuis diuinis officiis canant & celebrent; cunctíque Hiſpanici ſcriptores vno conſenſu prædicent & teſtantur: ſic enim tradunt Marineus Siculus lib. 5. hiſtoriæ Hiſpanicæ; Moralis eodem titulo lib. 9. cap. 26. Mariana lib. 4. cap. 4. de rebus Hiſpaniæ, Maneca 1. parte lib. 1. a. cap. 17. Ildefonſus lib. 6. Pontificalis hiſtoriæ cap. 15. Blaſius Ortizius in deſcriptione templi Toletani, c. 11. Antonius de Ribera in libro de tranſlatione præfati S. Eugenij, & ceteri, qui omnes (vt Biuarius horum notator ſtudioſus indicat) vno ore fatentur, *præcipuum vnicúmque Hi-*

ſpaniæ Doctorem, quem Dionyſius è Gallia eò miſit, eſſe Eugenium prælaudatum.

At hîc aduerſarij, ne gloriæ Franciæ videantùr tantum detrahere decus, quo Hiſpaniam ſemper deuinctam ſibi habet, ex primitiarum ſalutis collato eidem auctore: excipient fortè ſe non inficiari, quominus Dionyſius Pariſienſis Antiſtes, Eugenium Hiſpaniæ dederit Apoſtolum: ſed ſolùm contendere illum, qui miſit Eugenium, minimè Areopagitam Dionyſium eſſe, ſed alium longè poſteriorem & remotum ab ætate Apoſtolica. Verùm facile eſt ex prænotatis ſacræ antiquitatis monimentis, hoc effugium præcludere, cùm ex iis liquidò pateat Dionyſium, qui Hiſpaniæ Eugenium parentem protulit, fuiſſe natione Græcum, doctrina diuina percelebrem, adeóque illum ipſum Athenienſem, quem Paulus Chriſto peperit, Eccleſiæ Athenienſi præfecit, quem denique ſanctus Clemens Româ in Gallias ad augendam Chriſti hereditatem valida cum manu bellatorum cæleſtium delegauit. Quod & hodie profitetur clariſſimè S. R. E. ſuo in Martyrologio, die 15. Nouembris, quo natalem ipſius Eugenij, ſic notat celebrem. *17. Kalend. Decemb. natalis ſancti Eugenij Epiſcopi Toletani & Martyris, beati Dionyſij Areopagitæ diſcipuli, qui in territorio Pariſienſi conſummato martyrij curſu, beatæ paßionis coronam percepit à Domino.* Neque ſubterfugere poſſunt, ſi dixerint vitiatam fuiſſe à Baronio, Martyrologij Roma-

ni, dum id recognouit, ſeriem; nam eadem verba erant in Martyrologio ante Baronij recenſionem Romæ excuſo, & vindicato ad Eccleſiaſticæ hiſtoriæ veritatem, auctoritate Gregorij Papæ XIII. anno 1584. Atque in alio antea Mediolani edito, ſtudio Galeſinij anno 1578. vbi ſic legitur. *Idibus Nouembris Toleti ſancti Eugenij Epiſcopi & Martyris, qui beati Dionyſij Areopagitæ diſcipulus, cæleſtem fidei doctrinam, qua gentes imbui prædicando contendit; in Domitiani perſecutione, & miraculis & nece, quam inuicto animi robore ſubiit, præclarè comprobauit.* Quod probat in notis ex tabulis Eccleſiæ Cordubenſis, & teſtimonio Guilielmi Eiſengrenni, de Hiſpaniæ Epiſcopis, Centuria 1. p. 1. diſt. 4. Ita etiã in Martyrologio Vſuardi, per Molanum adamuſſim reſtituto, *decimo ſeptimo Kal. Decemb. Ipſo die ſancti Eugenij Archiepiſcopi & Martyris Toletanæ ſedis, qui à beato Dionyſio ordinatus & directus fuit, ad prædicandam Trinitatem ſanctam gentibus. Et apud Pariſiacenſem* (nomen hoc neceſſariò repoſuit, quia in vulgata exemplaria Vſuardi irrepſerat, Parienſem,) *pagum, conſummato martyrij curſu, beatæ paſſionis coronam percepit à Domino.* Cui conſonat *Mappa mundi*, ſeu *Topographia Martyrum* Primi Cabilonenſis Epiſcopi, ſub titulo *Pariſius*, quæ & Lutetia, Galliæ totius regia ſedes. Verùm fortè dicent ſancti Eugenij ſuppoſititia eſſe acta, ex quibus id quod ipſis non arridet in Eccleſiæ ſacras tabulas fluxerit. Sed nec hoc dici poteſt. Nam diuina Sapientia hanc aſtutiam

tiam mirabili conſilio, etiam ſua operatione patenti confirmata anteuertit: cùm ante annos 700. voluit non ſine præeunte miraculo, ipſamet ſancti Eugenij acta in Leodienſi Concilio recitata, examinari & approbari. Cùm enim ſanctus Gerardus Bronienſis Abbas reuertens à ſancti Dionyſij inclyto Monaſterio, à cœnobitis illius loci aliquas ſancti Eugenij, cuius in honorem dum adhuc tyrocinia ſpiritualis vitæ ordiretur ſacellum extruxerat, reliquias impetrâſſet: illas ſuum ad Bronienſe aſceterium detulit, quæ ibi religiosè collocatæ miraculis mox refulſerunt. Verùm hunc ſplendorem cùm liuidus Sanctorum gloriæ aduerſator, ferre non poſſet, Clericos quoſdam excitauit qui falſo zelo incenſi, Stephanum Epiſcopum Leodienſem virum egregia virtute & doctrina præſtantem adierunt, conquerentes, de Eccleſiaſticarum regularum violata à Gerardo Abbate obſeruantia, quæ ignotos Sanctos coli prohiberent*: qualem tamen ille nuper ſuppoſuerat Eugeniũ, per cuius reliquias publicæ expoſitas venerationi, fucata & vmbratilia publicari patrocinia, calumniabantur. Incenſus hac querela Clericorum, qui ordinis primicerij erant, idipſum Antiſtes, quod Martinus Epiſcopus Turonenſis ſanctiſſimus dudum aduerſus pſeudomartyrem, ab ignara & ſtolida plebe ſacris honoribus frequentatum, dudum egerat; contra Eugenium quem ſimiliter effictum putabat, ſeſe acturum propoſuit. Iámque egreſſus à Monaſte-

* Vide Cõcil. I. Aurelian. can. 30. Leptinenſe can. 5. Francoford. can. 42. Mogũtiac. can. 51. Et cap. *audiuimus* de reliqq. & vener. sãct. lib. 3. tit. 1.

rio Foſſenſi, vbi maligna hæc criminatio ipſi ingeſta fuerat, ad Bronium contendebat, cùm repentino colli dolore acutiſſimo preſſus, intra vnius horæ ſpatium ad extrema vſque deductus eſt. Iámque animam ferè agebat, cum manum Dei ſuper ſe inflictam ita repentè, cogitans, hanc in ſemet excitâſſe, impio propoſito quod conceperat aduerſus Eugenium Martyrem in Bronio honoratum, animaduertit; euocatóque Eurechingo Preſbytero culpam confeſſus, amico Dei vt ſatisfaceret de reatu; iniunxit, duas vt cereas candelas, ſuæ magnitudinis, ad reliquiarum illius ſacrarium, accenſas apponere feſtinaret, veniámque pro ſe de errato deprecaretur. Votis igitur perſolutis, ſanctiſſimi Chriſti teſtis, mox humiliatus Antiſtes ſenſit virtutem, nondum enim redierat Eurechingus, cùm perfecta Epiſcopo incolumitas diuinitus reddita eſt. Reſtitutus itaque ſanitati, neque gratiæ immemor, neque culpæ eſſe voluit. Plenariam diœceſis ſuæ euocauit Synodum, in qua rem totam effatus, ſacerdotes de exhibendo Martyri debito honore exhortatus eſt. Cuius vt cultus legitimè admitteretur, acta iuſſit authentica proferri. *Lecta itaque per ordinem* (ſcribit Ægidius Anſelmi continuator, in geſtis Pontificum Leodienſium) *eiuſdem* B. EVGENII) *paſſionis ſerie, hac Epiſcopus circumſedentes affatus eſt oratione. Sciat hæc ſancta Synodus, hunc ſanctiſſimum teſtem Chriſti atque Pontificem, in noſtro Epiſcopio Chriſto opitulante nouiter delatum, magni eſſe*

meriti ac honoris (id enim ex recitatis germanis eius actis liquidò apparebat.) *Ideóque noueritis cuncti, quia cupimus eum tota mentis intentione venerari, vt apud Regem ſupernorum ciuium, pro noſtrarum exceſſibus culparum interceſſor exiſtat. Igitur cùm paſſionis ſancti Eugenij in hac plenaria Synodo* (refert ſcriptor vitæ ſancti Gerardi apud Surium, 3. Octob. cap. 14.) *ſeries recitata fuiſſet : cunctiſque qui aderant admodum illa probaretur.* Subiunxit Epiſcopus. *Decreto Pontificio ſtatuitur, & hac ſancta Synodus ei ſubſcribens aſſentit, vt per totam in qua Sanctus Martyr quieſcit decaniam, ſolennitas eius inſtar Dominicæ diei celebretur, & Eccleſia Bronienſis ab omni opſonio Leodienſi Epiſcopo ex debito perſoluendo deinceps immunis ſit. Vtque iſtud perpetuis temporibus ratum inconuulſúmque permaneat, nec vllus ſucceſſorum meorum in irritum reuocare vel infringere auſus ſit, quid mihi aduerſus ſanctum Martyrem imprudenter & per ignorantiam calcitranti acciderit perquirat, audiénſque pertimeſcat, pertimeſcens caueat ſibi, & quod à nobis ſancitum eſt inuiolatum conſeruet.* Acta igitur ſancti Eugenij ad meritorum eius declarationem illibatè ſeruari voluit prædictus Antiſtes Stephanus*, qui non alia de cauſa ſtuduit ea recitari (inquit ille auctor poſtremò ſignatus,) quàm vt *in Synodo Epiſcopali auctoritate confirmarentur.* Ceterùm in probatis tam diuino quàm ſynodali iudicio his geſtis ſpecialiter expreſſum erat (vt patet ex relatione prælaudati Ægidij Anſelmi continuatoris) *Sanctum Eugenium Apoſtolorum diſcipulum fuiſſe, &*

* *Hic fecit officium SS. Trinitatis.*

à beato Dionyſio, (quem ideò abſurdiſſimum ſit ad tempora Decij deducere, & minorem ſuo diſcipulo tam ætate quàm dignitate effingere) *ordinatum* * *Toletanæ vrbis Epiſcopum, paſſum eſſe martyrium ſub Feſcennino Præſide, decimo ſeptimo Kalend. Decembris, ſub quo & beatus Dionyſius paſſus eſt.* Hæc ille. Ceterùm Stephanus ſæpedictus Antiſtes in ſui opitulatoris beati Eugenij gloriam, refertur etiam hoc præconium extemporaneum, ideóque minus comptum & accuratum, ſed reuera pium cecíniſſe.

* Malè in quædã exẽplaria irrepſit Toloſana.

Laus & honor, decus atque decor tibi Chriſte Redemptor,
Qui famulis bonus, immeritis bona multa rependis.
Quaſnam multiplices tibi poſſum reddere grates?
Qui partes noſtras has tanto munere ditas.
Martyr hic eximius, noſtra ad confinia miſſus,
Credo equidem cunctis, apportat dona ſalutis.
Impetret Eugenius nobis precor, Euge, beatus.
Quod Dominus digno dignatur dicere ſeruo,
Quando reddidit ei, cæleſtis gaudia regni.

In vita S. Gerardi Abbatis Bronienſis apud Surium, tom. 5. die 3. Octob. c. 12.

Quemadmodum verò Stephanus, impensè abhinc addictum ſe prodidit cultui ſancti Eugenij, ita Notkerus eius mediatus ſucceſſor, in Eugenij Magiſtrum beatiſſimum Dionyſium ſuum maiorem amorem & reuerentiam reflexit, in cuius honorem inſignem conſtruxit Eccleſiam, quam collegio viginti Canonicorum decorauit: poſtea ad tricenarium aucto numerum. Hanc autem Nithardus qui anno 1039. ſedere cœpit,

cenſu locupletauit, in eáque ſub ſancti Areopagitæ patrocinio voluit tumulari, medio in preſbyterio. Cuius duo fratres pari pietatis affectu in ſanctum Dionyſium ſuccenſi ibidem ſepeliri ſupremis votis petierunt. Sic igitur Eugenius Magiſtro vicem reddidit, à quo ſpiritu Apoſtolico inflammatus, etiam clarus diuinis chariſmatibus emicuit: tórque auctus honoribus, quos per eius ſtrenuam imitationem emeruit: ſuam in illum gloriam refudit, ratus illam non ſibi vllibi eſſe integram, niſi ſuæ ipſe Dionyſius honorificationis decus participaret. Sic *gloria patris factus eſt filius ſapiens*: adeò vt nuſquam Eugenij nomen celebretur, quin beatiſſimi Areopagitæ eiuſdem in Chriſto parentis, veneranda recolatur memoria: quam ſuis non modò decorat meritis, ſed actis quoque confirmat authenticis ante annos 700. ſynodali in conſeſſu examinatis & approbatis: immò diuino obfirmatis iudicio. Qui B. Eugenius licet ad firmandam nutantem tot ſæculis Hiſpaniæ fidem, ſuperno arcano tranſlatus è Gallia ad Toletanam quam fundauit primatialem ſedem; non Galliam ideo ſibi chariſſimam affectu pio deſeruit: ſed Hiſpaniam ex Galliæ beneficentiſſimo munere rurſus illuſtrans, magis illam ex debito gratitudinis in hanc obſtrinxit, ob ſuſceptas inde auſpiciis ſancti Dionyſij Areopagitæ, ſui didaſcali, ſalutis æternæ (quas intulit ipſiſmet Hiſpanis populis) primitias; delatáſque demum ſacratiſſimas ſuas ibidem exuuias, longè omni auro pretioſiores, quod hactenùs ex Indiarum viſceri-

Prouerb. 15. E.

bus, Hiſpania ipſa tot indiga rebus, extraxit. Extat Toleti in Primatiali baſilica vbi quieſcit ac colitur ſanctus ipſe Eugenius Hiſpaniæ Apoſtolus, votiua Toletanæ ciuitatis inſcriptio, quâ S. Dionyſium Areopagitam, traditæ ſibi diuinæ lucis per hunc eius diſcipulum ac legatum, auctorem agnoſcit. Cuius beneficij titulo, ſeſe illi obſtrictam, æternæ venerationis debito profitetur. Sic autem exaratum cernitur hoc acceptæ fidei per Apoſtoli Galliæ opem, nobile ac indelebile mnemoſynon,

B. DIONYSIO AREOPAGITÆ.

Quòd EVGENIVM diſcipulum Euangelici verbi nuncium in hanc vrbem miſerit: eámque fidem ſemel ſuſceptam, in hanc vſque diem conſeruârint, *Toletani D.*

§. 6.

Ex actis S. EVTROPII, *Epiſcopi Santonenſis & Martyris, à Gregorio Turonenſi, venerabili Beda, Vſuardo, Adone, Rabano, Notkero, aliiſque priſcis Sanctorum (Galliæ præſulum) Nomenclatoribus, agnitis & citatis.*

EVTROPIVS *vnus ex iis gentibus, qui aſcenderant Ieruſalem in die feſto vt adorarent, auditâque fama miraculorum Chriſti deſiderarunt eum videre: poſt eius paßionem, & in cælum oſtenſionem, Petro Apoſtolo ſe adiunxit, cum quo Romam venit, & ab eo ad Gallias prædicatum miſſus acceßit, ingreßúſ-*

que ciuitatem Santonas cùm Chriſtum prædicaret, ab infidelibus tentus, cæſus & ex vrbe eiectus, ſibi tugurium conſtruxit extra muros ciuitatis, vbi noctibus orationi, diebus verò prædicationi inſiſtebat. Cùm autem multo tempore ibidem commoratus fructum modicum paſſionis feciſſet, eo quòd decem viros ſolummodò conuertiſſet: Romam reuerſus, poſt beati Petri martyrium, ſancto Clementi aliquandiu conuixit. A quo rurſum ad prædicandum in Gallia excitatus & BEATO DIONYSIO *aſſociatus, ac quibuſdam aliis ad Gallias rediit. Et cùm Autiſſiodorum perueniſſent, ab eo diſcedens, apud Santonas, quò ad prædicandum iterum mittebatur, aduenit. Ibíque Euangelium inſtanter annuncians Euſtellam Præfecti filiam, cum aliis non paucis ad Chriſti fidem conuertit. Cui inuidentes idolorum cultores per lanios eum ſecuri percuti fecerunt, quo ſupplicio migrauit ad Dominum. Corpúſque eius vbi inhabitauit per Euſtellam inhumatum eſt, labentibúſque ſæculis templum ei magno ſumptu constructum patet.* Scilicet à Leontio Epiſcopo, qui exiguam tanti Martyris ædiculam, magnam in baſilicam diuino ex monitu euexit. Qua de inſtauratione ſic gratulabundus cecinit ad ipſum Leontium, Fortunatus lib. 1. Carminum num. 13.

Quantus amor Dei, maneat tibi Papa Leonti,
Quem ſibi iam Sancti Templa nouare monent
Eutropij: illa etenim venerandi Antiſtitis aula
Corruerat & ſenio dilacerata ſuo,
Nudatáſque trabes paries vacuatus habebat
Pondere non tecti, ſed malè preſſus aquis.

Nocte ſopore leui quodam veniente Miniſtro
Inſtauratorem te docet eſſe ſuum, &c.
Hîc ſculptæ cameræ decus interraſile ſuum,
Quos pictura ſolet, ligna dedêre iocos.
Sumpſit imagineas, pares imitando figuras
Quæ neque tecta priùs, hæc modó picta nitent.
Vrbis Santonicæ primus fuit iſte Sacerdos,
Et tibi qui reparas, iura priora dedit, &c.

Non negant hoc aduerſarij: ſed acta ſancti Eutropij admittere renuunt, non alia de cauſa, quàm eo quòd in iis, illum ſymmyſtam ſancti Dionyſij, à ſancto Clemente in Gallias deſtinatum vident, doléntque iam ante tempora M. Aurelij, vel Decij ipſum Eutropium beatiſſimum apud Santonas Chriſti fidem martyrio nobili, atque diuinis etiam glorificationibus decorato, illuſtrâſſe. Quibus vt querelæ anſam præcidamus, epitomatam vitæ ſancti Eutropij ſeriem (vt ſuprà à nobis expreſſam cernere eſt) antiquiſſimo ex lectionario Santonenſis Eccleſiæ deſumptam, hîc in iis duntaxat quæ ipſos grauant, aſtruere breuiter, & tamen ſufficienter communire volumus.

Imprimis igitur abnuere non poſſunt Gentes peroptâſſe ante Chriſti mortem, illum videre: hoc enim diſertè teſtatur S. Ioannes c. 12. v. 20. ſed & poſt eius paſſionem nonnullos ex iis Chriſtianæ Eccleſiæ acceſſiſſe, per Apoſtolorum, maximè Petri ſacri chori Principis prædicationem, qui oſtium gentibus ad ſalutem primus ex ſuperno

perno monitu reſerauit *, nemo qui ſacris litteris aſſenſerit poteſt inficiari. Inter quos Apoſtolorum diſcipulos Eutropium fateri extitiſſe, nihil obſtat. Veniſſe eundem cum Petro Romam, quo cum multi ex Oriente verbi æterni diſſeminatores veniſſe liquet, nemo negat. Miſſum ab eo in Gallias (ad quas cùm omnium curam populorum gereret, Dominico ex iuſſu, ipſe Petrus amoris IESV Vicarius, multos proculdubio delegauit cæleſtis ſeminis ſatores) Santonáſque primùm ex eius diſpoſitione acceſſiſſe, nihil eorũ intereſt, qui Dionyſii Pariſiẽſis dignitatẽ minuunt, denegantes eum virum fuiſſe Apoſtolicũ. Quamquam enim de primo illo acceſſu ſancti Eutropij à beato Petro Santonas directi, non conſtaret, ſatis eſſet tamen quòd eiuſdem cum beato Dionyſio aſſociatio, & profecta vtriuſque à ſancto Clemente in Galliam legatio certis oſtenſionibus approbaretur. At verò hoc ipſum eſt quod maximè certum ſit & exploratum. Tantum enim verum eſt Eutropium cum ſancto Dionyſio in Galliam veniſſe, quantum liquidò conſtat, ipſum Dionyſium agonem eius Græcis à ſe litteris deſcriptum, ad Clementem ipſum tranſmiſiſſe. Id verò ſuprà à nobis, ex Calixti II. teſtimonio, qui cùm nondum eſſet Pontifex, martyrium ſancti Eutropij à beato Dionyſio Græcè deſcriptum reperit Conſtantinopoli, atque in Latinum vertit eloquium, probatum eſt. Ceterùm inde conſequitur (quòd ipſa quoque acta beati Eutropij,

*Act. 10. & 11. item 15.

Ioan. 18. 15. 16. 17. & 18.

celebrata per omnes Galliæ Eccleſias, atque ab ipſa Romana omnium matre recepta & compendiosè relata in ſacras Martyrum tabulas, diſertè produnt & teſtantur:) à ſancto Clemente, qui Dionyſii Apoſtolatus auctor fuit, ipſum Eutropium fuiſſe miſſum ad Santonas Antiſtitem, ibíque inſigni martyrio conſummatum. Ita enim habet Martyrologium Romanum: *Prid. Kalend. Maij, apud Santonas beati Eutropij Epiſcopi & Martyris, quem S. Clemens Pontificalis ordinis gratia conſecratum direxit in Galliam, peractáque diu prædicatione, ob Chriſti teſtimonium, colliſo capite victor occubuit.* Cui conſentit vetuſtiſſimum Martyrologium Gallicum quod in manibus habeo, eodem die & tenore: & Pariſienſe primùm editum ex priſcis Codd. anno 1536. Immò, ita etiam Gregorius Turonenſis diſerto præconio teſtificatur.

Fatetur Boſquetus hanc ipſam traditionem de miſſione ſancti Eutropij à Clemente ex Gregorij Turonenſis expreſſa aſtipulatione confirmari, *lib. 1. miraculorum*, ſeu potiùs *de gloria Martyrum cap. 56.* ſed eludere huiuſmodi ſuffragium conatur lepidis effugiis. Primò dicit, non ex actis ſancti Eutropij Gregorium hoc narrâſſe, quia obſcura erant adhuc, cùm reuelatio ipſius martyrij facta eſt Palladio Epiſcopo, quam Gregorius ipſe retulit. At fallit dum tergiuerſatur Boſquetus. Nam Gregorius quidem innuit tum hiſtoriam paſſionis (cùm illa reuelatio facta eſt Palladio) illic non adfuiſſe: non tamen dicit

haud deinde compertam, neque à ſe fuiſſe poſtea conſpectam. Vnde enim miſſionem illam Eutropij, quam ita accuratè commemorat factam à ſancto Clemente ipſe Gregorius percepiſſet? Addit iterum ludificando Boſquetus, *ex rumore & fama, hanc, Gregorium accepiſſe.* At Gregorij narratio nihil minùs quàm anilem fabulam redolet. Etenim conſtat eius ſeries hoc graui ac perſpicuo contextu. EVTROPIVS MARTYR SANTONICÆ *vrbis, à beato Clemene Papa fertur directus in Gallias. Ab eodem etiam Pontificatus ordinis gratiâ conſecratus eſt, impletóque huius officij ordine, peracta in incredulis prædicatione, inſurgentibus Paganis, quos auctor inuidiæ credere non permiſit, inliſo capite, victor occubuit.* Verba ſanè iſta ſunt categorica. Igitur non ad ſimplicem autumationem refert, quæ tradit tanto cum verborum pondere de miſſione, ordinatione & paſſione Eutropij Gregorius, ſed ad certam rei notitiam. Neque enim apud Gregorium ipſum, verbulum *fertur*, nudum popularem ſonat rumorem: apud quem idipſum eſt *fertur*, quod *refertur*, aut *traditur*, ſicut ex librorum eius liquet perpetuo vſu. Adde quod non famæ vulgari reputari debet acceptum, quod diuina reuelatione Gregorius ipſe manifeſtatum affirmat. Minimè etenim dubium eſſe debet, inde innotuiſſe Eutropium fuiſſe à ſancto Clemente ordinatum Antiſtitem, & miſſum ab eodem, Santonas perueniſſe; vnde conſtitit poſt impletum Apoſtolicum munus, ab inſurgentibus in-

credulis illum necatum *inliſo capite occubuiſſe victorem*. Vtrumque enim cùm apparuit Palladio reſerauit Eutropius. Aliàs pugnantia Gregorius ſcriberet : dicit enim ante hanc reuelationem minimè Eutropium cognitum fuiſſe Martyrem. Et tamen paulò ſuperiùs abſolutè prætexuit, illum *à ſancto Clemente ordinatum, impleto officio prædicationis, illiſo ab infidelibus capite victorem occubuiſſe.* Vtrumque igitur quod narrat continua ſerie Gregorius fuit illa reuelatione diuinitus manifeſtatum, vel ante ipſam reuelationem, vtrumque erat iam compertum. Eligat quodcunque voluerit ex vtroque Boſquetus: nam ſi hoc notum erat ante ipſam reuelationem, illa interueniente fuit vtique confirmatum : ſi notum antè non erat, fuit certè per illam æquè manifeſtatum. Porrò quod diuina operatione reſeratum eſt, vulgari famæ, popularique rumori, neutiquam poteſt attribui. Bene hoc præſenſit Boſquetus, quapropter ſua hæc duo ſubterfugia ipſemet paruipendens, tertium quod validius putat ſuperaddit : ſuſpicatur enim *nomen Clementis* in contextum Gregorij intruſum fuiſſe: ſícque perperam creditum, quod à Clemente Eutropius delectus Santonas, Chriſti Euangelij primitias ibi attulerit. Sed hæſitanter dum hoc captat diuerticulum Boſquetus eloquitur. *Si modò*, inquit, *Clementis nomen Gloſſema non eſt vnum, ex iis quibus Gregorij libri aſperſi ſunt.* Ridiculum ſanè effugium. Cui ſi via aperiatur, nihil nedum in

Gregorio Turonenſi, at neque in ceteris queíſque auctoribus,certum & fixum manebit. Quodcunque enim in anguſtias ita coniiciet, hac eludet arte, *gloſſemáque textui intermixtum*, eſſe continuo comminiſcetur. Quòd ſi nos eadem licentia vteremur, in refellendo Gregorio, cuius alibi auctoritatem vrget vt irrefragabilem, quamuis deſumptam ex libris quos eiuſmodi corruptelis aſſerit paſſim aſperſos; profectò, hanc elabendi ratione nobis nullatenus permitteret. Sed hic nõ eſt quò, eiuſmodi fuco elabatur Boſquetus. Etenim genuinam eſſe hanc Gregorii Turonenſis incorruptámq; ſcriptionem patet ex antiquiſſimorum auctorum qui ita legerunt apud Gregorium, & totidem fermè apicibus ſuos in Codices retulerunt, tam patenti quàm vberi teſtificatione. Sic enim habet diſertè Beda ſuo in Martyrologio 3. Kal. Maij. *Apud ciuitatem Santonas, natale ſancti Eutropis Martyris, qui à beato Clemente Epiſcopo directus in Gallias, ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratia conſecratus, impleto huius officij ordine, peracta in incredulis prædicatione, inſurgentibus paganis illiſo capite victor occubuit.* Poſtea reuelationem factam Palladio ſubnectit, iiſdem prorſus quibus à Gregorio Turonenſi deſcribitur verbis. Vnde liquidum prorſus euadit, Eutropium miſſum à beato Clemente in Galliam Bedam ipſum legiſſe apud Gregorium, cuius omnia verba minutim tranſcribit, proinde minimè illud Gloſſema eſſe, Gregorio à nuperis aſſutum. Suffragatur autem Be-

dæ, immò ipſimet Gregorio miſſionem hanc aſſerenti, Vſuardus, purus ſcilicet, & nondum à Molano nec alio auctus; eodem die poſtrema Aprilis ſic Eutropij retexens natalem. *Santonas beati Eutropij Martyris, quem cùm ſanctus Clemens Pontificalis ordinis gratia conſecratum direxit in Gallias, peracta diu prædicatione, ob Chriſti teſtimonium illiſo capite victor occubuit.* Ita etiam Ado: *Eodem die* (inquit) *apud ciuitatem Santonas, natalis ſancti Eutropij Martyris, qui à beato Clemente Epiſcopo directus in Gallias, ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratiâ conſecratus*, &c. Quæ ſunt dictis Bedæ, Vſuardi, quin Gregorij ipſius Turonenſis conſona ad amuſſim. Quibus etiam conſentit Notkerus 2. Kal. Maij. *In ciuitate Santonis* (ait) *natiuitas S. Eutropij Martyris, qui à beato Clemente Apoſtolorum ſucceſſore, ad Epiſcopatum conſecratus, & in Gallias prædicandi gratia directus, impleto huius officij munere, inſurgentibus Paganis, quos auctor inuidiæ credere non permiſit, ictu ſecuris colliſo capite victo occubuit.* Plura poſſem congerere alia teſtimonia: ſed hæc quæ ſanè inſignia ſunt, omnino ſufficiunt, tum ad cauillum Boſqueti refellendum, tum ad textum Gregorij vindicandum, & aſſerendum ex ipſius Gregorij teſtificatione ſuffulta adſtipulatione Bedæ, Vſuardi, Adonis, Notkeri ſyncerorum certè ac antiquorum ſacrarum Eccleſiæ tabularum collectorum: beatum Eutropium quem conſtat ex eius actis (à Vincentio *lib. 11 cap. 18. Spec.* & Exquilino *lib. 4. cap. 105. Catalogi* retextis, quin practico quod

longè maius eſt ſuffragio Calixti II. Papæ, ſupra inſinuato, & à ſancto Antonino confirmato, *parte 1. Chron. tit. 6. cap. 28. §. 2.* fuiſſe ſancti Dionyſij comitem, à ſancto Clemente Apoſtolorum ſucceſſore in Gallias tranſmiſſum, ad faces inferendum diuinæ gratiæ, & propagandum opus humanæ ſalutis. Quod etiam vetus illius officium prodit, in MSS. breuiario Santonenſi: nam præter reſponſorium quod incipit. *A Clemente Papa, date patriæ Santonicæ, Eutropi Præſul Sancte:* hoc aliud profectò elegantius ibidem legitur. *Ad ſe Chriſtus prædicandum primos legit nuncios. Legerunt primi ſecundos, & ſecundi tertios. De quibus fuiſſe ſanctus refertur Eutropius.* Qua ſerie primi Chriſti nuncij, *Apoſtoli* indicantur. Secundi verò, ordinati ab illis Epiſcopi, vt *Clemens & Dionyſius* deſignantur. Tertij autem ab iſtis conſecrati, vt *Eutropius* fuit à Clemente, aliíque primi Galliæ Sacerdotes & Doctores ſubindicantur. Refert autem Eyſingrenius *Centenaria 1. parte 5. diſt. 3.* integro contextu antiquiſſima acta ſancti Eutropij, quibus in Galliam cum ſancto Dionyſio viro prorſus Apoſtolico, illum veniſſe conſtat. Ex iis autem & citatis aliis auctoribus, Galeſinius in recenſito S. Romanæ Eccleſiæ Martyrologio, ſic eiuſdem beati Eutropii natalem notauit Prid. Kalend. Maii celebrem. *Apud Santonas ſancti Eutropij Epiſcopi & Martyris. Hic Perſa & parentum Regum filius,* BEATI DIONYSII AREOPAGITÆ *diſcipulus & comes, à* S. CLEMENTE

Pontifice, Epiſcopus Santonenſium conſecratus, ſeptem & viginti annos eo munere functus, excitata fidelium perſecutione, colliſo capite victor coronatur.

At ſatis ex Sanctorum actis contra aduerſarios pugnauimus, quos iis armis haud ita acriter perſecuti fuiſſemus: niſi ipſimet nos hoc argumenti genere fuiſſent primùm aggreſſi. Congeſſerunt enim ex apocryphis pleriſque hiſtoriis, ſeu minimè puris & ſynceris Martyrum Galliæ primitiuorum actis, nulla auctoritate ſuffultis, at iampridem reiectis, & blattis, ac muribus ad corrodendum relictis; quæcunque elicere potuerunt Apoſtolicæ origini Eccleſiarum Galliæ, & Dionyſii ſociorúmque eius miſſioni à Clemente Papa deriuatæ tantillùm aduerſa. Hícque vnicus fuit Boſqueto, vt puluerem in auro quæreret, ſcopus. Qui tamen ſui immemor ſibíque ipſi contrarius, miſſum à Clemente in Galliam, ex ſententia Gregorii Turonenſis nonniſi vnum Eutropium agnoſcit, quem tamen ab eodem minimè legatum conatur ex ipſo Gregorio aſtruere, p. 54. Et ipſe nihilominus pleroſque miſſos à Clemente ſe credere planè fatetur p. 64. quâ nihilominus intolerabilem inducit contra propriam conſcientiam, teſtimonii Innocentii I. Papæ corruptelam. Vt enim probet, quod pro vero aſſerit, ante Clementem, neminem fuiſſe in Gallias ad præconium Euangelii deſtinatum, ſic arguit. *Hoc vnum conſtat ex Innocentij primi ad Decentium Eugubinum Epiſcopum, non ab aliis quàm Petri ſucceſſoribus,*

ceſſoribus, primos Epiſcopos Gallias accepiſſe. At verò deprauatiſſimè expreſſit teſtimonium Innocentij, qui contrarium penitus ſuadelæ ſcribit, quam ipſe refert Boſquetus & colligit. Sic enim Max. ille Pontifex proprio eloquitur ore, ea in epiſtola regulari, qua Decentij conſultationibus reſpondit, quæ cenſita eſt *inter epiſtolas Romanorum Pontificum tomo 1. ſerie 29.* éſtque prima Innocentij apud Binium *tom. 1. Conciliorum:* & citatur propter ſequentia dicta, ex genuina deſcripta ſerie, in ſacro Iure *diſt. 11. can. Quis neſciat.* vt etiam recitatur ab Iuone *p. 4. can. 67.* Burchardo *lib. 3. c. 125.* Polyd. *lib. 1. tit. 17.* & *lib. 3. tit. 24* iſto tenore. *Quis enim neſciat aut non aduertat, id quod à principe Apoſtolorum Petro Romanæ Eccleſiæ traditum eſt, ac nunc vſque cuſtoditur ab omnibus debere ſeruari, nec ſuperinduci aut introduci aliquid, quod aut auctoritatem non habeat, aut aliunde accipere videatur exemplum? Præſertim cùm manifeſtum ſit, in omnem Italiam, Gallias, Hiſpanias, Africam, atque Siciliam, Inſuláſque interiacentes, nullum inſtituiſſe Eccleſias, niſi eos quos venerabilis Apoſtolus Petrus, aut eius ſucceſſores, conſtituerunt Sacerdotes?* Igitur Petrus ipſe Apoſtolus etiam in Gallias Euangelicos præcones deſignauit, quod *manifeſtum eſſe*, Innocentius I. aſſeuerat. Cuius tamen ex adulteratis verbis Boſquetus affirmare non erubuit, à Petri ſolùm ſucceſſoribus, primúmque à Clemente* Gallias ſuſcepiſſe ſuæ illuminationis auctores. Hac autem ex obſeruatione duo habemus contra Boſquetum

* Et tamen quādo Gregor. Turonenſ. miſſum fuiſſe à Clemente ſcribit Eutropiū, Boſquetus cauillatur *gloſſema eſſe*, vt patet ſuprà.

hîc ſignatè notanda. Alterum quod non ſolùm Clemens, ſed primus omnium Petrus, ſummus Apoſtolorum, *Galliæ Epiſcopos dederit. Id verò egregiè confirmat ac probat, quæcumque ſuprà de miſſionibus primorum Apoſtolorum Galliæ, enunciauimus. Alterum, quòd Boſquetus, quæ adducit in ſuarum perſuaſionum, ex antiquitatis ſuffragiis, præſidium, non tutò ex eius recitatione ſuſcipi poſſint. Sicut enim tam inſigne ſancti Innocentij Papæ teſtimonium, quod probat à Petro Apoſtolorum principe, deinde ab eius ſucceſſoribus Doctores ſalutis Gallias accepiſſe, apertiſſimè deprauauit; quin & truncatum, & in aduerſam dolosè reflexum ſententiam (qua nullos à Petro miſſos in Gallias vult Euangeliſtas) idipſum retulit. Ita veriſimile eſt quòd alia teſtimonia Patrum non ſyncerè adduxerit. porrò ipſamet acta Sanctorum quæ ex antiquitatis intimo penu ſeſe eruiſſe & edidiſſe in lucem, ad antiquitatis ipſius fabulas prodendum & explodendum gloriatur; ſuum in commodum peruerterit, vt infrà in ſpeciali examine paſſionis quam producit ſancti Dionyſii, demonſtrabimus. Quę etiam acta confinxiſſe eum, quiſquam non temerè poſſet omninò ſuſpicari. Cùm vnde acceperit illa deliria, quæ ipſe irridet, & nihilominus contra priſcas traditiones Galliæ Eccleſiarum adducit & opponit; non aliter indigitet, quàm ex quo aſſerit ſe accepiſſe, quæ edita præbet ex antiquis exemplaribus *optimæ notæ*, for-

*Miſſos à ſancto Petro fuiſſe SS. Frontonē Petrac. Clementē Metenſ. Georgium Aniciēſem, Manſuetū Tullēſem, Maternum & Eucharīū ac Valeriū Treuirenſes, acta illorū probant ex antiquis Codd. ipſomet à Boſqueto contra ſe producta & edita 2. parte ſuarum hiſtor.

taſſis nimirum quia nouæ, & nouiter exaratæ, & ideo fortioris texturæ quàm antiquæ. Neque enim indicat Eccleſiam, Monaſterium vel locum alium inſignem, ex quorum gazophylaciis ciſtulæ ſuæ futiles friuoláſque merces deprompſerit. Nullis enim notationibus quæ fulcirent actorum à ſe proditorum germanitatem, illam ſuam muniuit faraginem. At nos quæ ex Sanctorum geſtis, aduerſus eius, ipſiúſque ſimilium paradoxa induximus, validis probationum argumentis inſtruximus. Quibus & hiſtorias ipſas ſacras vndequaque communiuimus, genuináſque ac tam veras quàm antiquas confirmauimus : & iis demonſtrationibus ſuffulti, DIONYSIVM AREOPAGITAM aſtruximus Pariſienſis Eccleſiæ fundatorem, Galliarum Apoſtolum, à ſancto Clemente legatum, ducémque ſummum Chriſtianæ in ipſis Galliis militiæ : à quo inſtructi & directi præſtantiſſimi alij diuinarum copiarum Præfecti, (inter quos ſex illuſtriſſimos recenſuimus) Pariſienſem non modò agrum, ſed vniuerſas fermè Gallias, immò Hiſpanias quoque ; & Chriſti trophæis, & ſuarum victoriarum triumphis, (quorum veſtigia adhuc conſpicua ſunt) maximo diuini in terris imperij accremento, perenníque ſuæ memoriæ ornamento, ac humani generis ſempiterno commodo, quod nobis veram & vnicam felicitatem peperit, ſingulari beneficio diuinæ gratiæ, per illos, iis regionibus

proximè ab ipſo ſalutifero ſolis iuſtitiæ ortu illatæ, fortunatiſſimè repleuerunt.

ARTICVLVS II.

Quo nouæ Hilduino ſuppetiæ tranſcribuntur, ex diuerſis Patrum, Galliæque Regum, qui antequam Hilduinus ipſe Areopagiticam lauream PARISIENSI DIONYSIO *vindicaret, floruerunt, ſelectis teſtimoniis.*

IMMVTATIO *officiorum diuinorum periculoſa eſt* (dicebat ex Theologorum reſponſis plenario in Galliarum Senatu * dominus Ludouicus Seruinus, Regiarum cauſarum Patronus perilluſtris) *quia talis innouatio hæreticos iuuaret atque delectaret, quaſi in errore vel inſcitia fuiſſent tanta in re Catholici Patres.* Quo ex axiomate, non tam forenſi quàm Theologico, rectè inferimus, in ea ſententia eſſe permanendum, quam Galliæ Eccleſias profeſſas hactenus propalauimus, tam ex ſacris diuinorum officiorum formulis, quàm Sanctorum ſuorum actis, & auitis traditionibus, ceteríſque tam faſtorum quàm cenſuum ſuorum authenticis monumentis, de primario ſuo Doctore ac Apoſtolo, DIONYSIO Pariſiorum protomyſta, Chriſtíque cum ſociis teſte purpurato; quem illum Ionicum eſſe, qui diuino Pauli præconio edoctus, faſces Areopagiticas Crucifixo

* In collectione eius forenſium actionum Pariſiis excuſarum apud Petrũ Menard. an 1631. p. 51.

Deo Seruatori ſubiecit, aliíſque eiuſdem ſymmyſtis ſuprà à nobis ipſorum ex actibus collaudatis, hactenus vniuerſali conſenſu crediderunt. Fatetur Boſquetus *part.2.p.52.& 59. Gallicanam Eccleſiam octingentos per annos ad noſtra fermè tempora pedibus iuiſſe in hanc ſententiam.* Ideóque exitioſum & ſcandaloſum foret, propter nouorum criticorum particularem opinationem: receptam tot ſæculis prædicatámque ab vniuerſa Gallia de ſuo primario Apoſtolo traditionem & fidem conuellere, & immutare. *Hoc enim propoſitum* (inquit referendo probandóque Theologica ſacra theoremata præfatus Dominus Seruinus) *conuellit non ſine magno religionis detrimento conſuetudines & traditiones Eccleſiaſticas, quod non poteſt fieri ſine Catholicorum ſcandalo, atque hæreticorum elatione, qui gloriabuntur noſtram talem immutationem, eſſe argumentum præcedentis erroris, atque inſcitiæ in religionis Catholicæ profeſſione, idem concludendo de eius perſuaſione & doctrina. Talis ergo mutatio, hoc maximè fieret tempore imprudenter atque periculoſiſſimè.* Ita concludit pro Rege Chriſtianiſſimo regnóque, auguſtiſſimo in Senatu (vbi Areopagitæ quoque noſtri gloriam eadem ratione ſtrenuè tutabatur) perinſignis ille vindex Iuſtitiæ. Qui cùm intolerabile ait, Eccleſiaſticas theorias & praxes ante annos 200. inuectas, abrogari: ſilentium ſanè graui cum reprehenſione imponi Boſqueto eò vehementiùs flagitaſſet, quò ille Galliæ longè admodum annoſiores exagitat traditiones, rece-

ptámque quam fatetur communibus Eccleſiarum totius Regni ſuffragiis de Dionyſio & aſſeclis eius glorioſiſſimis (ante annos 800.) ſententiam labefactare ſatagit, haud minùs propudioſo quàm exitiali cōnatu.

Et ſatis quidem haberemus ex Boſqueti ipſius confeſſione, quo illum cogeremus in ordinem, vel maioris admoneremus modeſtiæ; ſi enim dudum ſanctus Hieronymus excandeſcebat in illos nouatores*, qui poſt annos quadringentos à ſuſcepta pietatis Catholicæ regula, nouam doctrinam afferebant. *Cur poſt quadringentos annos, (aiebat) docere nos niteris quod antea neſciuimus, ſine iſta doctrina mundus Chriſtianus fuit.* Quanto vrgentiori argumento Boſquetum poſſumus reuincere, qui poſt admiſſam, vt ipſe fatetur, ab annis octingentis conſona Gallicarum Eccleſiarum perſuaſione traditionem (quam retinendam contendimus) de ſancti Dionyſij dignitate, eiúſque & ipſius ſymmyſtarum Apoſtolica ætate ac legatione, contrariam huic opinionem nititur adducere atque ſtabilire. Sed quemadmodum non ſolius Galliæ intima conteſtatione, quam nobis aduerſarius concedit iſta in cauſa nitimur: at inſuper Græciæ conſona aſtipulatione, & quod longè maius eſt Apoſtolicæ Sedis ſuprema auctoritate roboramur: ita non octingentorum duntaxat annorum traditione œcumenica, ſententiam quam tuemur, traditam à Patribus confirmamus: at ferè totidem ſæculis aſtruimus an-

*In epiſt. ad Pammach. & Oceanum.

tiquiorem. Negat Molineus acerrimus veritatis Catholicæ hoſtis, in lib. de Monarchia temporali Romani Pontificis, ea quæ annos 600. ſuperant, antiquitatis nomen aſſequi poſſe. *Sanè non excedere annos 600. aut ad minus 500. mera eſt nouitas, quando de Eccleſiæ doctrina vel politia agitur.* A contrariis igitur antiquitatis in Eccleſia obtinere pondus decúſque illa quæ 600. annos, magíſque plurimum quæ octingentos (quos dat nobis Boſquetus) annos receptæ traditionis vel obſeruationis habent. Sectarij verò omnes quamtumuis temerarij negare verentur, Chriſtianitatis genuina eſſe placita, quæ intra priora quinque initiatæ religionis ſæcula, conſenſu communi Eccleſiæ tradita atque recepta ſunt. Vel iis igitur iudicibus, de aduerſa opinione triumphamus: cuius aſſertores deliquium ab annis 800. fatentur, quos vltro noſtræ ſententiæ præualenti relinquunt. Nec enim ſolùm ab hinc aſſertionem noſtram inualuiſſe volumus, ſed pari temporum progreſſu cum tradita fide admiſſáque inceſſiſſe, eodémque conſenſu Orientis ac Occidentis, fluente ab exordio Chriſtianæ conteſſerationis inoleuiſſe, ſuprà abundè demonſtrauimus inſinuatione multiplici. Oſtenderat id quidem dum primum Areopagiticas vindicias texeret Hilduinus, à quo adductas probationes propugnauimus, atque dilucidiùs expoſuimus. Deinde illi ſuppetias validas quidem, at non penitus neceſſarias, niſi ad vincendam aduerſario-

rum pertinaciam, adiunximus articulo ſuperiori, ex primitiuorum Chriſti in Gallia teſtium, ipſius Dionyſij cæleſtis ſigniferi cõmilitonum geſtis probatiſſimis, quorum aduerſarij qui apocrypha aliquot proferunt Sanctorum acta, in ſuæ nouæ perſuaſionis fulcimentum; eleuare nequeunt auctoritatem, vndequaque à nobis ſuffultam & aſſertam. Tametſi verò illa quæ à nobis cum Hilduino, & pro Hilduino adducta ſunt, plenè ſufficiant: corollarij tamen vice, nouum en adiicimus probationum aceruum ac cumulum, elicitum ex ſelectis Patrum Gallicanæ Eccleſiæ, immò & Chriſtianiſſimorum Regum teſtimoniis, qui ante Hilduini ſcripta & ætatem, Pariſiorum protomartyrem ac primum Epiſcopum DIONYSIVM AREOPAGITAM illum eſſe, quem vas electionis Paulus Apoſtolus Chriſto progenuit, profeſſi ſunt. Quæ fortè vberiora ſuffragia, videre ſibi fauentia Hilduinus quidem ipſe potuit, attamen non ſignatè notauit: vel fortè quia reipsâ non aduerterit, vel potiùs quia quòd breuitati conſuleret, ſua in Apologica præfatione tum prætermiſerit, quoniam fuſiorem Ludouico Pio Imperatori (cui Areopagitica ſua inſcribebat) hac de re diſſertationem, in ipſo ſui tractatus veſtibulo pollicebatur.

§. 1.

§. 1.

Teſtimonium ipſius S. DIONYSII AREOPAGITÆ *primi Pariſiorum Pontificis, non chartarum leuiſſimis codicibus, ſed ſolidis admodum monimentis ab eo exaratum, & æternæ memoriæ fidelium conſignatum.* Necnon, ab ANTONIO MONCHIACENO Demochare Reſſonæo, Doctore Sorbonico, *in hiſtorica propugnatione Chriſtianæ religionis, inſtitutioniſque Domini noſtri* IESV CHRISTI *& Apoſtolicæ traditionis, aduerſus Miſſoliturgorum blaſphemias, graui notatione obſeruatum. Tom. 2. de ſacrificio cap. 18.* quo catalogum exhibuit Epiſcoporum (deinde Archiepiſcoporum) Pariſienſium, *num. 1.*

SANCTVS DIONYSIVS AREOPAGITA, BEATI PAVLI DISCIPVLVS, MARTYR PARISIIS.] Deſcriptáque, ad Euſtatium vſque Bellaium tunc ſedentem cùm ſcribebat, Antiſtitum regiæ vrbis ſerie, num. 105. ſubnectit; *vt is ita ſicut & cæteri qui hunc anteceſſerunt, probantur Miſſæ cultores fuiſſe, initium hoc à beato Dionyſio omnium primo accipientes. Hic enim ſicut primus Pariſiis, Euangelium Chriſtianámque religionem attulit, ſic & Dei cultum, Miſſæque ſacrificium docuit. Teſtantur Pariſienſes antiquitatum Annales, in quibus ſcripto relinquitur quomodo beatus Dionyſius Areopagita Athenienſis, Pauli Apoſtoli diſcipulus, ad Gallias miſſus à beato Clemente ſummo Pontifice venerit Pari-*

ſios, vbique prædicans Christi Euangelium, & auertens populum ab idolorum, & præſertim Mercurij cultura; & ad Chriſtum verum Deum conuertens. Ibique deſtructo in parte idolorum cultu, erexit tria oratoria, ſiue ſacella. Primum in honorem ſanctæ Trinitatis, eo in loco qui modò dicitur ſub nomine ſancti Benedicti conſecratus, quemadmodum hodiéque indicant feneſtræ vitreæ, in Sacello ſancti Nicolai Septentrionem verſus eiuſdem templi, in quibus hæc leguntur. In hoc Sacello ſanctus Dionyſius cœpit inuocare nomen ſanctæ Trinitatis. *Secundum verò in honorem beatæ Mariæ Virginis conſtruxit, deſtructo Mercurij Idolo, quod ibi colebatur. Appellatúrque in huius rei monumentum locus ille* NOSTRA DOMINA DE CAMPIS. *Tertium denique fundauit in honorem ſancti Stephani Protomartyris, quod adhuc appellamus,* S. STEPHANI GRÆCORVM, *quòd ſanctus Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius huius templi auctores, Græci eſſent,* &c. deinde multis interiectis concludit. *Sciant ergo Galli omnes præſertim Pariſini primum Miſſæ ſacrificium per Græcos Dionyſium, Ruſticum & Eleutherium ſanctos Martyres à ſummo Pontifice Clemente miſſos, delatum & traditum, cum ipſa Euangelij & fidei Chriſtianæ prædicatione fuiſſe in Gallia, quod omnes ſubinde ſuccedentes Epiſcopi conſeruârunt.*

Qua in grauiſſimi eruditiſſimíque viri obſeruâtione non modò ex vrbicis antiquis Annalibus, ſed & perpetuis perſpicuíſque rerum à beato Dionyſio Areopagita ſociíſque eius, dum Lu-

tetiæ Pariſiorum religionis fundamenta collocarent, geſtarum & editarum veſtigiis deſumpta, nihil tam aduerſarios lædit, quàm illuſtris illa nuncupatio primitiuæ huius ſacræ ædiculæ ab ipſo beato Dionyſio inſtitutæ, ſub titulo beati Stephani protomartyris, quam quòd Græcus eſſet & ſocij, iam tunc Pariſienſes incolæ, qui extraneos illos Doctores, cælique nuncios, ac nouæ ſapientiæ, ſed æternæ felicitatis præcones, à Græcorum inſignierunt (adhuc eidem martyrio poſt tot ſæcula inhærenti) cognomine. Quem triumphalem titulũ, quoniam validè illorum pertinaciam retundit, qui Dionyſium Athenienſem, Græciæ lumen, ſolis iuſtitiæ Pariſienſibus ortum ſalutarem primum indicâſſe negant, quouis poſſunt ariete deiicere ac euertere nituntur. Dicunt igitur recèns hoc cognomentum, ſancti Stephani Græcorum Eccleſiæ, quæ antea ſancti Stephani à Greſſibus dicebatur, errore vulgi acceſſiſſe. Et extat quidem apud Brullium, *lib. 2. faſtorum vrbicorum pag. 256. & 257.* chartula declaratoria Simonis de Buciaco Epiſcopi Pariſienſis, data anno Domini 1290. die martis ante feſtum Cathedræ ſancti Petri, in qua præſignata Eccleſia, *ſancti Stephani de Greſſibus Pariſius* nominatur. Sed non eſt efficax illa quam hinc eliciunt aduerſarij probatio: quoniam huic vni ſoli inſtrumento, repentina in contentione ſcripto innititur: in quod manifeſtum eſt amanuenſis vitio, mendum circa eiuſdem Eccleſiæ co-

gnominis expreſſionem irrepſiſſe. Vulgò nuncupabatur ex Maiorum traditione illa ſacra perantiqua Eccleſia, S. ESTIENNE DES GRECS. Scriptor igitur, qui vim nominis non nouerat, ex ſono vocularum deceptus, cùm promiſcua ferè eſſet pronunciatio, S. ESTIENNE DES GREZ, erroneo auditu arripuit, ſícque *Græcos* mutans in *lapides*, vel in greſſus, gradientes; ridicula hallucinatione, DE GRESSIBVS pro DE GRÆCIS ſua in chartula quam præcipitanter ſcribebat, quæque à Cancellario (vt moris iuríſque erat) haud fuit recognita, exarauit. Quòd enim illa Eccleſia, à primitiua denominatione DE GRÆCIS ſit appellata, patet ex priſcis indicibus cenſualibus Eccleſiarum vrbis & diœceſis Pariſienſis, in quibus annumeratur, *Eccleſia ſancti Stephani protomartyris, de Græcis dicta*. Idque produnt collationis litteræ huius ſacræ ædis tam Canonicorum quàm Capicerij, qui illorum eſt Primicerius, in quibus iidem expreſsè ſub denominatione Eccleſiæ collegiatæ ſancti Stephani de Græcis incardinantur. Iámque olim viguit illa perantiqua Eccleſiæ Capicerij dignitas à Pariſienſis ſummi templi Cathedratico Capitulo (cui clientelari iure ſubeſt ipſum Sacerdotale ſancti Stephani * Collegium) ſpeciali diplomate dudum agnita & approbata. Extat enim data à Decano & Capitulo Pariſienſi anno 1331. ſententia in generali conuentu habito poſt ſancti Martini ferias, & abſoluto, de more, in vigilia ſancti Thomæ Apoſtoli, qua

* Ideo Capicerius hoc præſtat in ſuo ingreſſu iuramentũ ex veteri formula, litteris ſuæ inſtallatio-

decernitur: *Videlicet quòd in honorem beati Stephani protomartyris cuius vocabulo eſt dicta Eccleſia inſignita, & maximè contemplatione dictæ Eccleſiæ S. Stephani quæ* ANTIQVISSIMA *exiſtit, & vbi fuit* PRIMA SEDES EPISCOPALIS PARISIENSIS, *prout in regiſtris noſtris manifeſtiſſimè comperimus, attenta deuotione dictæ Eccleſiæ, & honore quem ampliùs decernimus ampliari ex cauſis præmiſſis & aliis multis, quæ ad hoc ſpecialiter nos mouerunt, vnanimi & communi conſenſu, ſtatuimus & ordinauimus, ſtatuimúſque & ordinamus, quòd Capiceriatus dictæ Eccleſiæ S. Stephani, ſit amodo in perpetuũ dignitas, & quòd pro dignitate de cetero in dicta Eccleſia & alibi habeatur & reputetur.* Nõ quòd tunc creata cœperit primùm illa dignitas: etenim ex informatione præacta conſtabit *quòd de conſuetudine in dicta Eccleſia huiuſmodi Capiceriatus, reputatur dignitas ſeu perſonatus, & pro tali habetur ab antiquo.* Sicut in Decreti illius Capitularis ſerie expreſsè præſignatur. *Cuius autographum Ioannes Baudouin Curiæ Archiepiſcopalis Eccleſiæ Pariſienſis & venerandorum Dominorum Decani & Capituli inſignis Eccleſiæ Pariſienſis Scriba & Notarius, ſibi repræſentatum ſanum & integrum, ad inſtantiam & requiſitionem Magiſtri Henrici Berthoult Eccleſiæ collegiatæ* S. STEPHANI DE GRÆCIS *Capicerij & Canonici ex vna: & Magiſtrorũ Petri Ioubert, Adriani Moriſſant etiam dictæ Eccleſiæ Canonicorum tam nomine illorum quàm aliorum Canonicorum eiuſdem Eccleſiæ, ex altera,* aſſerit ſe vidiſſe & contuliſſe cum apographo typis excuſo, cui exemplari teſtatur

nis inſertũ: quod in litteris Capicerij nunc exiſtentis continetur hac ſerie. *Ego Henricus Berthoult Capicerius & Canonicus ſancti Stephani* DE GRAECIS: *iuro fidelitatem & reuerentiam & obedientiam Dominis meis Decano & Capitulo Eccleſiæ Pariſienſis, & reſidentiam in Eccleſia S. Stephani me facturũ, &c. ſic me Deus adiuuet & hæc ſancta Dei Euangelia.*

concordare, vt patet ex ipſius chirographo eidem tabulæ appoſito, die 18. Iulij anno Domini 1626.

Facit autem plurimum ad rem quam agimus expreſſa in tabularum illarum perſcriptione inſinuatio, ſcilicet quòd Eccleſia ſæpedicta ſancti Stephani, antiquiſſima exiſtat, vbi fuit PRIMA SEDES EPISCOPALIS PARISIENSIS, quemadmodum ſacri illi proceres *ipſius Pariſienſis. Eccleſiæ, ſuis in regiſtris ſe manifeſtiſſimè comperiſſe teſtificantur.* Hoc enim ſatis ſupérque probat primigenam illam fuiſſe perennémque traditionem & perſuaſionem Eccleſiæ Pariſienſis, quòd ſanctus Dionyſius Chriſtiana ibi ſacra primitus dedicârit, ſymmyſtíſque Græcis auxiliantibus primum ibi religionis fundamentum ſacerdotiíque Chriſtiani ſedem collocauerit. Quod indicat (æterno dicata rei tam memorabilis monimento) Crux peralta lapidea fixa ante valuas perueteris illius baſilicæ primariæ dudum Pariſienſis, cui hæc cernitur inſculpta notabilis inſcriptio nuper in locum vetuſtiſſimæ caducitate ſua ferè obliteratæ, reſtituta. C'EST LA CROIX DE MONSIEVR S. ESTIENNE DES GRECS, *baſtie par Monſieur* S. DENYS, *lequel y celebra la Meſſe, quand il apporta la foy en France.* Qua in epigraphe, non eſt quòd incongruè dictum exiſtimes LA CROIX DE S. ESTIENNE DES GRECS *baſtie par Monſieur ſainct Denys*. Non enim ſic ſcriptum, vt ſuadeatur ipſam crucem

quæ ſpectantium ſeſe offert obtutibus, fuiſſe erectam à ſancto Dionyſio: ſed per crucem deſignatur myſtica illa ædicula, quam colligendæ plebi ad diuina, hîc ſub crucis ſigno ſalutari, beatus ipſe Pariſiorum protomyſta conſecrauit. Stauropegium enim apud veteres non ſolùm appellabatur Eccleſia, ſed vniuerſa diœceſis Epiſcopi, in qua ille crucis figendæ ius habet. Siquidem nemini olim licebat Eccleſiam vel Oratorium ædificare, *niſi aduocatus diœceſanus Antiſtes, fuſis ibi myſticis precibus ſignum ibidem ſalutis figeret, ſícque ædificium inchoaret; bonum vtique & decens poneret fundamentum*, vt legitur *in Nouell. Iuſtin. 5. c. 1. & Iuliani Anteceſſ. Conſt. 61.* Igitur Maiores aptiſſimè vt hîc religionem à ſancto Dionyſio Græco ſociíſque fundatam, Epiſcopatúſque ſtatutam ſedem, & primam Chriſtianis ſacris obeundis dicatam ædem indigitarent, poſitam ibi primùm crucem à ſancto ipſomet Pontifice, crucis perenni memoriæ erecto illo ſignaculo prodiderunt: quam GRÆCORVM ideò nuncupârunt crucem, vt innuerent à Græcis diuinæ fidei præconibus, primíſque Lutetiæ pietatis Chriſtianæ myſtis ſacratiſſimis, illic initiatam fidelium collectam ſeu Eccleſiam, vbi primùm cathecumenos edocuerunt, credentes regenerârunt, adoptatos in Gratiæ filios chariſmatibus diuinis inundârunt, inexpugnabilémque fidei arcem, illic ſub Chriſti triumphali ſigno ac protomartyris ipſius titulo glorioſo erexerunt, quo etiamnum

coruſcat prima iſta ædes, antiquiſſimáque ſedes Epiſcopatus Pariſienſis. Cernitur inſuper in illa perueteri baſilica, antiqui admodum operis vitreum ſpeculare, in quo ſignata hæc verba leguntur. *Icy premir la Meſſe dit* S. DENYS, *quan il apporta la foy en France.*

Meminit autem antiquiſſimæ illius Eccleſiæ, Pariſiis exiſtentis Childebertus Rex in munifico diplomate conceſſo Matri Eccleſiæ Pariſienſi, quod ex paruo Paſtorali, ipſius Eccleſiæ veteri Cod. MS. Brulius tranſcripſit in ſuum primum librum faſtorum vrbicorum pag. 44. 45. & 46. Ibi enim poſt Eccleſiam Cathedraticam (cuius ſedes in meditulium vrbis non ita diu tranſlata fuerat) *in S. Mariæ matris Domini noſtri* IESV CHRISTI, honorem iam dicatam; fit mentio Eccleſiarum *ſancti Stephani, ſanctique Vincentij Martyrum, necnon Apoſtolorum duodecim.* Quæ Apoſtolorum poſtrema ordine recenſita Eccleſia, fundata à Clodouæo Protochriſtiano Francorum Rege, ſpecialiter Apoſtolorum Petri & Pauli (ceterorum principum) dicta, deinde ſingulariter ſancti Petri appellata baſilica: demum S. Genouefæ illic conditæ & refulgentis diuinis opitulationibus, inſignita fuit inuocatione. Porrò templum ſancti Vincentij extructum ab ipſo Childeberto qui eiuſdem commeminit Rege, illud eſt, quod iam pridem *titulo ſancti Germani* in eo ſepulti itidémque radiantis nuncupatur. Eccleſia autem *ſancti Stephani*, hæc ipſa eſt de qua agimus, *antiquiſſima*

quiſſima ſcilicet Eccleſia, & prima ſedes Epiſcopalis Pariſienſis, vti *ſuis in regiſtris* iam olim Cathedraticus Pariſienſis Clerus aſſeuerabat, *manifeſtiſſimè contineri*. Nec enim accipi debet cui competit hæc deſignatio, pro parœciali illo inſigni delubro, vocitato *Sancti Stephani de monte*: quod anno ſalutis 1202. adhuc excitatum non fuerat, vt patet ex inſtrumento * compoſitionis & pacis factæ inter Odonem Epiſcopum Pariſienſem & Ioannem Abbatem ſanctæ Genouefæ, anno præſignato ex arbitrio Heliæ Abbatis ſanctæ Columbæ Senonenſis & Iouini Magiſtri Scholarum Aurelianenſium, deputatorum ſeu Commiſſariorum Innocentij III. Papæ: atque ab eodem Pontifice confirmatæ Apoſtolicis codicellis datis apud Lateranum 7. Kalend. April. Pontificatus eius anno 6. qui fuit Chriſti 1206. ſiquidem in illa tranſactione, ſeu concordia expreſsè habetur *fuiſſe in Eccleſia Abbatiali ſanctæ Genouefæ altare parœciale, in quo parœciani de monte diuina audire de iure moréque antiquo tenebantur*. Et ideo *parœcia de monte* dicebatur vulgo *parœcia ſanctæ Genouefæ* *: cui, nuncupatio paulo pòſt fuit mutata in titulum *Sancti Stephani de monte*, cum excluſis è monaſtico templo parœcianis, Eccleſia propria in qua ad ſacra conuenirent illis conceſſa eſt, quam ſumptibus ſuis in illam magnitudinem & pulchritudinem, qua nunc cernitur, ſenſim erexerunt. Igitur Eccleſia ſancti Stephani cuius meminit ſua in conceſſione Childebertus Rex Chri-

* Extat in peruetuſto Cod. MSS. cēſuali magnæ Eccleſ. Pariſienſis: cuius integrum apographum ex authographo deſumptum inter antiqua monimenta habeo.

* Ad cuius differentiā alia quæ eſt in vmbilico ciuitatis, vocitata fuit *Eccleſia parœcialis S. Genouefæ de miraculo ardentium*.

ſtianiſſimus, illa erat antiquiſſima ſacra ædes *Sancti Stephani de Græcis* cognominata, prima Pariſiis à ſancto Dionyſio conſecrata, Epiſcopaliſque ſedes originalis conſtituta: cuius gloriam vt attollit plurimum auctoris illius magnitudo, & patroni cui eam commendauit ſublimitas: ſic feſtum perantiquum *Suſceptionis reliquiarum* (quod ſignatum cernitur in antiquis Eccleſiæ matricis Pariſiorum diptychis, ipſa nunc vſque ſeruat, anníſque ſingulis celebrat ſub duplicis officij ritu, Pariſienſis Eccleſia Prid. Non. Decembris) ſanctitatem æquè ac antiquitatem prodit. Notaui quidem in Martyrologio meo Gallicano prædicta die illam feſtiuitatem, hoc breui indicio. *Lutetiæ Pariſiorum Suſceptio ſanctarum reliquiarum.* Cauſam autem illius ex antiqui officij recentíſque tenore, colligere non potui. Licet enim nouem lectiones ea die aſſignentur; in nulla tamen recitatur rei geſtæ hiſtoria. At cùm anxiè quærerem originem tam inſignis obſeruationis, Dei munere effectum eſt, vt meas in manus incideret vetus Martyrologium ad vſum proprium Eccleſiæ Pariſienſis, typis excuſum Lutetiæ anno gratiæ 1536. in quo ſic legitur. *Pridie Non. Decembris Pariſiis ſuſceptæ ſunt in Eccleſia beatæ Mariæ Reliquiæ: ſcilicet pars capillorum B. Mariæ, tres dentes beati Ioannis Baptiſtæ, brachium S. Andreæ Apoſtoli, lapides quibus lapidatus eſt ſanctus Stephanus, Caput pretioſiſſimum beati Dionyſij Martyris**. *Hæ autem Reliquiæ in Eccleſia beati Stephani Proto-*

*Hinc officium illius feſti, ita ordina-

martyris inuentæ ſunt, ſcilicet in Eccleſia S. Stephani de Græcis, nam illa quæ dicitur *de monte* ad eius diſcrimen, non eſt, vt oſtendimus, antiqua; nihílque iuris in ea habent Pariſienſes Cathedratici, vt pignora ſancta illic recondita & reperta, mero nutu ſuum potuerint ad ſacrarium transferre. Sed iis obnoxia eſt clientelari iure Eccleſia ſancti Stephani de Græcis, in qua vtpote (ſicut in charta Capituli ipſius Pariſienſis anni 1331. prædinducta legitur) *quæ antiquiſsima exiſtit, & vbi fuit prima Epiſcopalis ſedes*, ſacratiſſima illa pignora fuerant (ne deprædationi Barbarorum quorum incurſiones frequentes dudum fuerunt exponerentur) à Patribus tam piè quàm cautè recondita, & tandem ſingulari Dei beneficio cùm iam tranſlata fuiſſet Epiſcopalis ſedes in meditullium vrbis, regiæ Pariſiorum, ſub patrocinio beatiſſimæ Virginis Dei genitricis, in perantiqua illa ac primitiua æde ſancti Stephani de Græcis, inuenta, ac inde tranſuecta condecenti honore, ad nouam Pontificalem Eccleſiam: non diu vt reor poſteaquam ædificata fuit. Siquidem in perantiquo Breuiario Pariſienſi membraneo cui officium feſti venerabilis altaris Sacramenti, ſub titulo nouæ ſolennitatis corporis Chriſti annectitur; feſtum ipſum Suſceptionis ſanctarum reliquiarum inſinuatur antiquum eſſe. Sic enim notatur in Kalendario, apicibus aureis. Prid. Kalend. Decembris *Suſceptio reliquiarum, duplex antiquum*. Perſimilíque in myſtico Codice,

tum fuit, vt de ſanctiſſima Virgine Maria, beato Ioanne Baptiſta, S. Andrea Apoſtolo, B. Stephano Protomartyre ſanctoq; Dionyſio tam lectiones quàm reſponſoria contexerentur, cùm in editis tum MSS. Pariſienſis Eccleſiæ libris myſticis, quos Breuiaria vocamus.

alioqui antiquiori, etſi non inſtructo tam ſpecioſo ornatu: Feſtum ſancti Stephani protomartyris, quem beatus Dionyſius priſcæ Eccleſiæ illius nominis dedicator, (memor conuerſionis magiſtri ſui Pauli Apoſtoli; ipſius beati Protomartyris, vt docet ſanctus Auguſtinus, precibus & meritis diuinitus impetratæ) primum Pariſiorum inuocauit apud Deum defenſorem (poſt SS. Virginem ipſam Deiparam, cui, in crypta campeſtri hactenus eius benedicto nomine inſignita, primitias huius honoris perenni voto contulit) inter ſolennia recenſetur, Epiſcopaléque notatur in Kalendario, ceruleis litteris, hac ſpeciali deſignatione, *7. Kal. Ianuarij S. Stephani Protomartyris*, DVPLVM EPISCOPI nimirum quia Pontificali apparatu, hac die, ſicut in natali Domini, diuina peragere ex maiorum more Antiſtes Pariſienſis conſueuerat. Non alia de cauſa quàm ex eo quòd primus Pariſiorum Pontifex ac Martyr beatus Dionyſius, ſedem Epiſcopalem ſub auſpiciis beati ipſius Protomartyris Stephani primùm inſtituit, cuius ſub glorioſo nomine primam illam & antiquiſſimam Eccleſiam quam DE GRÆCIS ob eiuſdem fundatoris & cooperariorum ipſius memoriam, primitus Chriſti cultores cognominarunt) ipſemet beatus Dionyſius, initiauit & ſacrauit. Ceterùm hac de ſacra venerandáque ædicula quæ matrix fuit apud nos Chriſtianæ religionis, extátque perenne monimentum eius auctoris, diffuſius quàm ſtatuiſſem

dictum eſt. Sed ita de ea copioſè diſſerere opus fuit, tum vt eius obſcurata tanta temporum caligine origo, deterſa à ſqualore vetuſtatis aliquando ſeſe nitidiori canitie proderet: tum vt aceruus ille teſtimonij, quem primùm erexit Lutetiæ ſanctus Dionyſius cum ſociis (à quorum ortu de Græcis cognomentum huic ædiculæ ſacratiſſimæ Patres indiderunt) faſtigium altiùs aduerſus illos turbines attolleret, quibus monimentum tam illuſtre originis Apoſtolicæ (qua auctore Dionyſio Areopagita præſtat nobiliſſima Eccleſia Pariſienſis) nonnulli euertere liuidis ac euanidis molitionibus connituntur. Fulgurat aduerſus eorum pertinaciam inclytus triumphator Dionyſius ille Græcus Athenienſis, Pauli diſcipulus, verus Areopagita & non alius, qui illam ſuis cum ſtrenuis auxiliariis extruxit, ad tutelam nouelli Domini gregis, quem hic primùm collegit: & ad perpetuum erexit ſuæ fidei prædicationíſque teſtimonium. Cuius Galliarum beatiſſimi Apoſtoli, trina alia ſuperſunt Lutetiæ clara monimenta inclytæ concertationis & triumphi; nempe *Eccleſia ſancti Dionyſij de carcere*, *Eccleſia ſancti Dionyſij de paſſu*, *ſeu paßione*; *& Eccleſia de monte Martyrum*, de quibus, *noſtris in Commentariis ad Martyrologium Gallicanum* luculenter, auxiliante Chriſto, ſub natali beati ipſius Dionyſij & ſociorũ diſſeremus. Quemadmodum de antiqua crypta ſanctæ Mariæ Campeſtris, & Oratorio illo veteris Eccleſiæ ſancti Benedicti, in quo bea-

tus ipſe Dionyſius (vt in marmore exaratum cernitur aurea epigraphe) *inuocare cœpit nomen ſanctæ Trinitatis.* Qua in Eccleſia, memoriæ eius venerabilis tam in picturis chori quàm templi ſpecularibus inſignia clara refulgent. Finem itaque huic §. ne prolixior nimis euadat, adhibebimus. Sed adhuc prætermittere non poſſumus ſingularem obſeruationem. Nimirum Stephanum III. Papam, quem apud Pariſios meminimus verſatum, poſtquam diuina ſancti Dionyſii opitulatione ſanatus fuit ab exitiali infirmitate: reducem ad ſedem, templum in quod S. Dionyſij reliquias inuexit, A GRÆCIS, in eius memoriam cognominari voluiſſe: ad hoc eiuſdem Martyris excitatum inſigni quod viderat Pariſiis monimento, veteri ſcilicet in Eccleſia vulgò vocitata *ſancti Stephani de Græcis*, quòd illam Græcus ipſe eiuſdem beatiſſimus fundator Dionyſius initiauerat, ſcilicet vt ipſa eodem cognomento originem ſui conditoris indicaret, & ipſius gloriam apud poſteros perennaret.

§. 2.

Teſtimonium SANCTI EVGENII *Toletani Epiſcopi & Martyris, diſcipuli beati* DIONYSII AREOPAGITÆ; *ab ipſo, in Hiſpaniam ad propagandum Chriſti regnum directi, hincque plantata fide reducis, coronati glorioſo occubitu, in agro Pariſienſi.*

ILLVSTRISSIMI huius Chriſti teſtis acta ſyncera ſuperiori articulo protulimus, eadémque vindicauimus ob omni aduerſariorum contradictione. Hîc igitur tantùm ſupereſt præclarum illius teſtimonium adducere in medium, quo parentem fidei in Galliis Dionyſium, ſuum in Chriſto venerabilem pædagogum, qualem inſcripſimus & propugnamus, omnino aſſeuerauit. Vſus eſt hoc patrocinio diu ante nos Hilduinus in reſcripto ad Ludouicum Pium cap. 7. *Hymnum* (ait) *S. Eugenij Toletani de beato Dionyſio habemus.* Scilicet ſententiæ quam tuebatur de Areopagita Dionyſio eodem cum Pariſienſi vndequaque conſonum: quem tamen ex ſerie non deſcripſit. Aſſeruatur autem in gazophylacio inclyti cœnobij ſancti DIONYSII codex peruetuſtus membraneus, cui illito purpureo liquore, inſcriptus cernitur hymnus ille aureis litteris, at tam antiquis characteribus, vt vix alij vſquam vetuſtioris notæ ſuppetant; texitur autem hoc tenore.

* Sic habet autographum.

*YMNVS SANCTI EVGENII DE BEATO DIONYSIO.

Cæli ciues adplaudite
Mundi iocundo lumini
Quo inluſtratur cælitus
Huius diei gratia.
Præcelſa fides Martyris
Sacríque vita Antiſtitis
Dionyſij nobilis
Hodie palmam ſuſcepit.
AREIPAGO ATHENÆ
Regis ſumpſit diadema
Cæleſtis gemmam fulgidam,
DIONYSIVM *Sophiſtam.*
Paulo docente ſpeculum
Habet fides fidelium,
Et ſpeculum gentilitas
Quem ante murum nouerat.
Miro clareſcens dogmate
Illuminauit Græciam,
Et inclytus hic Pontifex
Vrbem Romanam adiit.
CLEMENTE *Romæ Præſule*
Iubente venit Galliam
Cui inſtar ſolis ſplendidi
Inluxit ſignis flamine.
Tandem repulſo dæmone,
Conſtructo ſacro opere,

Pœnis

Pœnis affectus maximis
Cæſa ceruice cælum petiit.
Aue Pater ſcandens polum
Aue pie viſens ſolum
Annua feſti munera,
Tua ſacrans præſentia.
Offer ſacerdos optime
Gemitus noſtros & preces,
Firma fidem Martyr DEI
Moreſque noſtros corrige.
Ope guberna fragiles
In mundi huius pelago
Atque exutos corpore,
Piè benignus ſuſcipe.
Quo ſine fine gloriam,
Deo Patre cum Filio,
Vnà cum ſancto Spiritu,
Tecum canamus perpetim. Amen.

EXPLICVIT FELICITER.

Ceterùm nemo æquè potuerit, hymnum hunc reſpuere, vel ipſum ob titulum auctoris, vel propter ſtyli contextum. Alienum enim non fuiſſe à viris Apoſtolicis hymnos edere & modulari, patet ex Dionyſij noſtri teſtimonio qui *lib. de diuinis nominibus c.* 4. complura refert ex hymnis Hierothei Apoſtolorum ſymmyſtæ. Philo Iudæus *in lib. de ſupplicum virtutibus*, primos Chriſtianos ceciniſſe hymnos commemorat. Apoſtolos in ſacræ ſynaxis celebratione, exemplo Chriſti frequentaſſe hymnos, ſanctus Chryſoſtomus inſi-

nuat *hom.* 27. *in epiſt.* 1. *ad Corinth.* ſacratiſſimum corpus beatiſſimæ Virginis Deiparæ ab Apoſtolis cum hymnis delatum fuiſſe, Nicephorus ſcribit *lib.* 2. *hiſtor. cap.* 22. Porrò, quod ad rem præſentem ſpectat, præter Hilduinum teſtatur Dexter *in Chronico ad an.* 100. Eugenium ſancti Dionyſij aſſeclam, quem M. Marcellum ante Chriſtianam initiationem appellatum prodit, Romanæ nobilitatis florem, poëſi & oratoria facultate præcelluiſſe. Ad annum autem 130. ſpecialiter notat, illum de ſancti Dionyſij Martyrio, carmen egregium concinnâſſe. Quæ Dextri aſſerta Biuarius apodicticis commentariis illuſtrat & fulcit. Nec eſt quòd quemque moueat texturæ illius quem protulimus hymni, incompta ſeries. familiare enim fuit Apoſtolis & Apoſtolicis viris, verborum pompam non ambire, ſed ſpernere: ſimplicitatem verò amplecti ac colere tam verbis quàm factis. Fateor in contextu voculas aliquot notari poſſe, quæ Romanæ litteraturæ perito, adſcribi non poſſunt: in iíſque aliquas quæ Latini eloquij corruptelam indicant, Francorúmque priſcam prolationem, v. g. *inluſtratur*, pro *illuſtratur*, *iocundo*, pro *iucundo*, *inluxit*, pro *illuxit*. Sed hæc leuiora ſunt, quàm vt poſſint pondus aliquod præſcripto hymno detrahere. Nam ab amanuenſi, qui ante Hilduini ætatem (vt coniicitur ex eius verbis & ſcriptionis characteribus) hymnum prædicto in membraneo perantiquo codice aureis apicibus, ſubillito purpureo colo-

ri infuſis delineauit, ita ad morem & genium ſuæ ætatis, tranſcriptum, conſentaneum eſt credere: huic enim ſatis fuit, verba quoad ſubſtantiam reddere, quæ ad vſum vigentem paululum inflexa exprimebat. De metrica ſyntaxi idem cenſendum, quæ tantilla vocum potuit alteratione vitiari. Illum verò hymnum adſcriptum ſancto Eugenio eiuſdem eſſe Gallia ſemper credidit, ínque regali templo ſancti Dionyſij, in tam inſignis operæ priſco admodum codice MSS. conſeruatur ſub eius inſcriptione glorioſa. Verùm ante omnem hominum memoriam idem canitur * in feſtiuitatis eius ſolenniis, quibus, varias per diuini officij horas ſacras diſtributus, ex integro recitatur. Quem ſi nihilominus aduerſarij ſpreta venerandæ antiquitatis teſtificatione, ſpurium eſſe contenderint & ſuppoſititium: reliquum eſt vt hos interpellemus quatenus genuinum requirant & proferant. Conſtat enim ex Hilduino, & Dextro, eo longè antiquiore ſcriptore, Eugenium Toletanum Antiſtitem & Pariſienſem Martyrem ſancti Dionyſij Areopagitæ diſcipulum, de eiuſdem illuſtriſſimo Martyrio hymnum celebrem modulatum: in quo non alia de ipſo Dionyſio habebantur ab iis quæ in iſto, à tot ſeruato ſæculis, in ſacrario auguſtiſſimi templi ipſius ſancti Dionyſij, expreſſa leguntur. Inſinuabat enim ille hymnus quem citat Hilduinus, Dexter diu ante eum graphicè deſignabat, ſanctum Dionyſium quem Gallia

* Víde Breuiariũ iuxta ritũ regalis cœnobij Chriſti Martyris Areopagitæ Dionyſij, Pariſiis excuſum anno 1550.

ſuſcepit à ſancto Clemente Apoſtolum, Lutetia præantiſtitem ac protomartyrem diuino eodem munere obtinuit: illum fuiſſe Pauli perilluſtrem diſcipulum, quem Lucas ipſius *Pauli indiuiduus comes*,* ſcriptórque à Deo afflatus tam Euangelicæ quàm Apoſtolicæ hiſtoriæ, in actis, Areopagitam inſcribit, commemorátque, ab ipſo orbis Magiſtro Paulo fuiſſe Chriſto per lauacrum aquæ in verbo vitæ progenitum.

*Ita nominat S. Hieron. lib. de Eccleſiaſt. ſcript. *In Luca*.

§. 3.

Teſtimonium Geneſij Presbyteri, qui ante annos 1100. claruit, ſcripſitque vitam ſanctæ Genouefæ virginis.

FVIT pietate ac ſanctimonia inſignis hic Presbyter beatæ Genouefæ virgini coætaneus, cuius deuotionem in inſtauratione ædiculæ S. Dionyſij (vbi cum ſociis pretioſus ille Martyr quieſcebat,*) tam ſuis facultatibus quàm ſtudiis ſuffulſit: idémque ſcripſit res diuinè geſtis ipſius ſanctiſſimæ Chriſtóque dilectiſſimæ Virginis, ex quibus Surius epitomen, quam ex veteribus codicibus ſe expreſſiſſe prænotat, *mutato*, vt ait *ſtylo*, concinnauit & vulgauit. Cuius cap. 7. ſic habet. *Vicum Catullacenſem, in quo ſanctus Dionyſius poſt paſſionem ſuam ſepultus eſt grandi amore ac veneratione proſecuta eſt. Hic verò beatiſſimus Epiſcopus tertio à Lutetia milliari martyrio vitam finiuit. Qui à Clemente ſancti Petri diſcipulo fertur ad hæc loca ab-*

*Ea eſt Eccleſia quæ etiamnum S. Dionyſij titulo inſignis, *à ſtrata* cognominatur, nimirũ, ob ſtrata ibi Sanctorum corpora, in ipſo vico Catulliano, qui nunc ipſa eſt Dionyſiopolis.

legatus, &c. At bene præfatus eſt Surius, admonendo Lectorem, quòd *ſtylum veterem*, hoc eſt originalem hiſtoriæ ſeriem nonnihil mutauerit. Sic enim Geneſius ille Presbyter (quem eodem capite fuiſſe præcipuum ſanctæ Genouefæ adiutorem in ſuſcepto opere inſtaurationis ſacræ illius ædiculæ, commemorat) ipſe oculatus teſtis & fideliſſimus enarrator actuum ſanctæ illius virginis in eius vita eloquitur, longè ſanè copioſiùs & enucleatiùs quàm referat Surius, qui quidem compendioſa collectione ſua, hiſtoriam dum nimis contraxit, minus nitidè reddidit ac expreſſit. *Quanta veneratione & amore dilexerit* (inquit Geneſius) *Catullacenſem vicum in quo ſanctus Dionyſius eſt ſepultus, nequaquam comprehendere queo. Multa ſiquidem ſub frequentatione egrediens Pariſium, præ omnibus adire ſolebat Catulacenſem illum locum, eo quòd primus Epiſcopus Pariſij videlicet ſanctus* DIONYSIVS *cum ſociis Ruſtico & Eleutherio, à perſecutoribus martyrio coronatus, & à piis habitatoribus eiuſdem loci ſepulturæ eſt traditus. Qui Dionyſius ortus* ATHENIS, *Sacerdóſque primum more gentilium* ARIOPAGI *effectus, deinde abrenunciatis Idolis, conuerſus ad prædicationem* PAVLI *credidit in Chriſtum; amiſſóque ciuium conſortio, nunc terræ nunc maris itinere perfunctus, per multa pericula* ROMAM *vſque tetendit, vbi ſtatim vt vir eruditus, tam Philoſophorum diſciplinis quàm etiam diuinarum Scripturarum eloquiis, à* S. CLEMENTE *ſucceſſore beati* PETRI *Apoſtoli, filióque ſecundùm baptiſmatis gratiam collati in remiſſio-*

nem peccatorum. Super hanc Prouinciam quæ nullum veritatis præconem antea habuerat, quaſi quaſdam nouales perficiendo, ad imbuendas nationes, adhuc ſuperſtitionibus & ritibus Paganorum deditas, fidei dogmatibus legationem indeptus eſt. Creberrimis ſcripturarum dictis inſtruimur, quòd Petrus veniens Romam, Linum & Cletum ſacerdotij ſocios aſſumpſit, quatenus in vrbe multorum Deorum cultibus dedita, ſuffragatores diuinæ prædicationis haberet. Ad vltimum ante aliquot dies paſſionis ſuæ Clementem in omnibus ſtudiis ſuis imitatorem in ſua Cathedra collocauit, qui certamen ſancti Petri Apoſtoli in * *Cæſarea geſtum cum Simone Mago, & virtutes & miracula ab eodem perpetrata propter infideles pleniter deſcripſit. Ergo quia de ſancto Clemente ſucceſſore prædicti Apoſtoli, ac de ſancto Dionyſio ab ipſo deſtinato breuiter diſſerui cum multis aliis in Galliam: ad propoſitum redeam. Deuotio & intentio erat ipſi virgini Genouefæ, vt in honore trium Martyrum videlicet Dionyſij Epiſcopi, Ruſtici Preſbyteri, & Eleutheri Diaconi baſilicam conſtrueret. Sed virtus deerat. Cui cùm ſolitò Presbyteri occurriſſent,* &c. Extat porrò vetuſtiſſimum exemplar huius vitæ in Bibliotheca regalis Abbatiæ S. Victoris*: deſumptum ſanè ex Archiuis inclyti Monaſterij ſanctæ Genouefæ, eiuſdem regularis militiæ; quo cum ab exordio Victorinum ipſum cœnobium, ſacram conteſſerationem habuit. In cuius ſanctæ Genouefæ antiquiſſimi Monaſterij tabulario, codices extitiſſe perſimiles, patet ex inſinuatione Petri Iudicis eiuſdem cœnobij aſcetæ,

* Id eſt, *In Regia Cæſaris*, videlicet Neroronis. Vnde Apoſt. Philipp. 4. 22. *Salutant vos omnes SS. qui de Cæſaris domo ſunt.*

* In Armariolo EEE ſignato, ſcilicet in 1. parte paſſionarij, peruetuſto charactere exarati, ſub titulo *vita S. Genouefæ virginis*, num. 5. Alterum verò perſimile quoad ſeriem, habetur in ſcriniolo DDD, volumine 17.

qui hiſtoriam ſanctæ Genouefæ elicitam ex antiquorum exemplarium fontibus, ſcilicet *MSS.* vt ait, *vetuſtiſſimis monimentis*, patrio idiomate delineauit ac edidit. Quin & eiuſdem hiſtoriæ apographum peruetuſtum nomine eiuſdem Geneſij auctoris coætanei propriè inſignitum, Dubletius ſeſe teſtatur contrectâſſe*, cuius binum fragmentum, in eiuſdem cauſæ quam tuemur patrocinium tranſcripſit. Nec poſſunt aduerſarij tam illuſtre Geneſij antiqui adeo auctoris, teſtimonium, quò beatum Dionyſium (quem conditum in agro Pariſienſi coluit ſpeciali deuotione, vt Franciæ Apoſtolum, ſancta Genouefa:) tunc iam creditum ipſum Athenienſem comprobamus; vllo ſubterfugio erudere. Si enim illum Geneſium Preſbyterum quem negare ſanctæ Genouefæ fuiſſe ob pietatem plurimùm ſpectabilem, ab eáque ideo ſacris edendis operibus præ ceteris adhibitum, admittere noluerint, vitæ eius cuius conſpector fuit deſcriptorem, auctorémque hiſtoriæ illius quæ eius nomine in antiquis exemplaribus præſignatur: quæſiero iam libenter ab eis rationem, qua ducti hanc illi gloriam adimant? cùm mos fermè perpetuus in Eccleſia fuerit, vt illi qui Sanctis familiares præ ceteris fuerunt (quemadmodum Geneſius hic ſanctus Sacerdos, præcipuus fuit opitulator ſanctæ Genouefæ) diuinas illorum actiones obſeruatas diligenter, litteris conſignauerint; nec dubium ſit vitam ſanctæ Genouefæ ab aliquo iampridem

* Lib. 1. antiqq.

fuiſſe litteris proditam, vt notat Galeſinius, & ante eum Molanus, quin & diu admodum ante vtrumque Gregorius Turonenſis, *lib. de gloria Confeſſorum cap. 91.* & Aymonius *lib. 1. cap. 23. de geſtis Francorum*, vbi geſta eius quæ contractè recitant, ſe legiſſe apertè oſtendunt. Porrò autographi quod eſt in Monaſterio eiuſdem beatæ Virginis Pariſiis auctor, (vt refert ex rei vſu Petrus Iudex alumnus illius cœnobij præcitatus:) cui conſonat priſcum illud apographum Victorinum, teſtatur ſe eodem cum illa virgine tempore extitiſſe, miracula illam operantem vidiſſe, atque annis octodecim ab eius obitu liquorem adhuc extantem vidiſſe, quem ad infirmorum medelam ſuperno infundi munere in illam ampullam precibus fuſis promeruerat. Surius ipſius verba ſcriptoris refert in vita ſanctæ Genouefæ cap. 28. *Ego verò* (ait auctor) *poſt* ter ſenos ab obitu eius annos, quo tempore ad eius conſcribendam vitam animum appuli, in imo ampullæ oleum quòd illa orante creuerat vidi.* Quæ verba in MSS. Cod. Victorino hac eadem ſerie conſcripta, Fr. Ioannes Picart Victorinæ baſilicæ Canonicus titulis doctrinæ etiam poſt pia funera immortalis, hac obſeruatione ad marginem annotauit. *Decimo octauo anno poſt obitum ſanctæ Genouefæ, hic auctor ſcripſit eius vitam.* Quiquidem auctor coætaneus ſanctæ Genouefæ, inferius ſeſe excuſat quod res eius geſtas abbreuiare ſtuduerit. *Confiteor autem* (ait) *quod ignauia nimiùm & inertia ductus*

* Malè, *tricenos* legebatur in corruptis codicibus. quod etiã Surius benè aduertit & notauit. Vnde eſt quo Molanum corrigas aberrantem, in annotatione ad natalem ſanctæ Genouefæ 5. Non. Ianuarij.

ctus, de exceſſu vitæ eius, ac de obſequio funeris, necnon de miraculis quæ in baſilica vbi corpus eius requieſcit poſt mortem eius patrata ſunt, licèt innumerabilia maneant, exceptis duobus (quorum ampullæ prædictæ vigens adhuc annis 18. poſt tranſitum beatæ Genouefæ prodigium, vnum erat) *breuitatem ſecutus ſilere ſtudui.* Ita ille. Contemporaneus fuit igitur ipſe ſcriptor: qui ſi non fuit Geneſius Preſbyter antedictus, æquè tamen ſuffragio ſuo efficit, nam de viſis loquitur non de auditis: & quem colebat beatum Dionyſium ſancta Genouefa vt bene nouerat, (ſicut cetera eius acta) ita etiam accuratè deſignauit, ſcilicet Athenienſem illum procerem, quem Paulus Chriſti tuba ad fidei eius ſigna vocauit, Clemens in Galliam legauit, Chriſtus Pariſiis pro ſe dimicantem coronauit.

§. 4.

Teſtimonium ſancti Ceranniј Epiſcopi Pariſienſis & Confeſſoris, qui ante mille annos Regiæ vrbis ſacerdotalem thronum illuſtrauit.

IVSTOS *in æterna permanere memoria*, diuina Maieſtas ordinauit. Pſal. 110. 1. Cuius afflatu beatus Cerannius Lutetiæ Pariſiorum Antiſtes, qui ſub Clotario Magno & Dagoberto eius filio ſancti Dionyſiј eximio cultore, Epiſcopali Cathedræ præfuit: Martyrologium plenum, Galliæ præſertim Sanctorum, ſtatuit conſcribere. Id igitur vt ad-

ornaret propriis illorum præconiis, acta eorumdem germaniſſima vndequaque perquirere & colligere ſtuduit. Cúmque Lingonas miſiſſet ad Warriharium perdoctum Aſcetam vel Clericum, vt tergeminorum Martyrum (qui à ſancto Benigno edocti fuerant, beati Polycarpi, Dionyſij noſtri, vt notauit Baronius, amiciſſimi; diſcipulo) præclaræ concertationis genuinam ad ſe tranſcribi peteret hiſtoriam: hanc vt poſtulauerat nitidè deſcriptam, ex antiquis tabulis, per præfati Wariharij fidam induſtriam accepit, cum præfixa illius epiſtola, quâ ſic dirigit optatiſſimum munus Wariharius, vt Cerannij propoſitum opus hagiologicum, multa efferat commendatione: Sic enim eum quem imprimis laudat à ſtudio diuinarum litterarum, de ſuſcepto opere ſanctiſſimo compellat atque affatur. *Nunc Sanctorum Martyrum geſta, ad laudis tuæ cumulum, pro amore religionis in vrbe Pariſiaca deuotus intendis. Vnde ſancto Euſebio Cæſarienſi in æmulationis ſtudio æquandus es, & pari gloriæ dono perpetualiter memorandus.* Exſcribit integra ſerie hanc epiſtolam Surius tomo 1. in limine paſſionis Sanctorum Martyrum tergeminorum, ipſámque in nomenclatura vrbicorum Antiſtitum citat Robertus *: quam ſynceram admittit Boſquetus, hócque nomine commemorat, lib. 2. hiſtoriarum quas dicit Gallicanæ Eccleſiæ pag. *69.* vbi res geſtas tergeminorum Martyrum compendio complectens, ſic præfatur. *Hu verbis eas retulit Uvariharius, in-*

* Quam & nos induximus in apparatum noſtrũ ad Martyrolog. Galliæ.

eorum vita ad Cerannium Epiſcopum Pariſienſem ſcripta, circa annum Chriſti DC.

Hac autem ex authentica reſcriptione compertum habemus, memorabilem ſancti Cerannij Epiſcopi Pariſienſis actionem : ſtudium ſcilicet illud commendabile fuiſſe imitatum, in Martyrum illuſtratione, Euſebij Cæſarienſis ; qui vt plenam (cuius ſæpè in hiſtoria meminit Eccleſiaſtica) Chriſti athletarum ſeriem cum encomiis cuiuſque texeret, fretus Conſtantini Magni auctoritate, toto ex orbe triumphalia illorum acta inueſtigauit, atque non à ſacris modò notariis, ſed publicis quoque exceptoribus Proconſularium tribunalium, apud quæ ipſi cæleſtes in terris agoniſtæ, pro diuina fide decertauerant illa requiſiuit & collegit. Fecit autem in Gallia idipſum, ſanctus Cerannius Epiſcopus regiæ vrbis, qui incenſus patriorum gloriæ Sanctorum amore, diuinas illorum actiones ſollicitè ex priſcis monumentis vndique indagatas, vnum in faſciculum conſerere perſtuduit : quatenus illa congerie pretioſa ipſorum memoriam ab obliuione vindicaret : vnáque fidei, iuſtitiæque & fortitudinis eorumdem exempla, poſteris conſignaret.

Vnde facilè elicitur primam illum diligentíam, in regiæ vrbis cuius proprius Paſtor erat, Martyrum aliorúmque tutelarium hiſtoriæ puræ & ſynceræ conquirendis monimentis, adhibuiſſe. Quorſum enim Lingonenſium Marty-

rum tanta ſollicitudine geſta, ad ſe certa mitti procuraſſet; interímque propriæ vrbis Agoniſtarum neglexiſſet nitida aſſequi acta, quæ Eccleſiæ ſuæ ad perpetuam memoriam & imitationem commendaret? Vel quomodo æmulatus fuiſſet ſtudium Euſebij, ſi vnius vel alterius Martyris duntaxat indagâſſet paſſionem, ſeriémque ex paucis tantùm contexuiſſet? Perquiſiuit igitur primùm ex benè ordinatæ charitatis officio, vrbicorum Martyrum, propriorum ſcilicet ſuæ ſedis Tutelarium ſedulò paſſiones, actáque germana & authentica, quibus gloriam illorum perennaret, Eccleſiæque ſuæ ſyderum ſplendores ab omni nubilo vindicaret ingratæ obliuionis, vel næuo corruptæ enarrationis: quò poſterioribus ſæculis ſynceritas ſacræ illorum hiſtoriæ proderetur. Ignorâſſe igitur illum quis qualíſve fuerit Dionyſius ille hieromartyr, qui Pariſienſibus primum gratiæ lumen inuexit, abſurdum eſt arbitrari. Quin illa paſſionis eius monimenta, quæ Ludouicus Imperator teſtatur ſe vidiſſe in armario Pariſiacæ Eccleſiæ *deſcripta in tomis vel chartis vetuſtiſſimis*, æquum, at neceſſarium potiùs eſt credere, fuiſſe ab ipſo Cerannio, beatiſſimo Pariſiorum Præſule, celebri actorum Martyrum indagatore collecta, atque illic depoſita ad perpetuam ipſius Pariſienſis Eccleſiæ Apoſtoli ac ſociorum eius veræ hiſtoriæ conſignationem. Quæ ſi aduerſarij inficientur, illum vt reperta ſunt Ludouico Imperatori contexuiſſe;

non ægrè aſſentiam, quoniam diu ante Cerannij ætatem conſtitit fuiſſe illa conſcripta*, *nempe ab ipſo paßionis qui eam deſcripſit ſpectatore.* Satis eſt quòd non potuerit illa acta ſancti Dionyſij B. Cerannius non vidiſſe. Si autem viderit, cùm in eo eſſet ſtudio, vt Martyrum omnium Galliæ colligeret geſta puriſſima, illum ipſa non dubium eſt approbaſſe. Etenim ſi corrupta vel fabuloſa cenſuiſſet, debuiſſet illa expungere imò ſupprimere; non autem intacta illa, ſoláque, vt certa & vindicata ſuæ in Eccleſiæ ſacrario relinquere. quorum ſi corrupta fuiſſet ſeries, populus imposterum horum lectione decipi potuiſſet, immò non paſſus eſſet doctus ac pius Epiſcopus, ex horum tenore in ſua Pariſienſi Eccleſia diuinum celebrari officium, quod deinde, adeóque ipſo adhuc tempore Ludouici Imperatoris iis actis conſonum (quæ Pariſienſem Dionyſium Pauli diſcipulum percelebrem perhibebant) vigenti in vſu perdurabat, vt ex ipſius Ludouici Pij teſtimonio conſtat. Adde quòd ſancti Dionyſij geſta quæ talem illum qualem diximus, teſtabantur; erant diu ante Cerannium Pariſiis notiſſima atque celebria, cùm Geneſius Preſbyter præmemoratus, vel alius ſcriptor vitæ ſanctę Genouefæ beatæ ipſi virgini contemporaneus, iis ſe vſum manifeſtè ſignificet. Siquidem quæ refert de ſancto Dionyſio beati Pauli ſpirituali filio & Pariſienſis Eccleſiæ inclyto parente, déque ipſius Dionyſij patria Athenienſi, conuer-

* Vide reſcriptum Hilduini ad Ludouicum Pium.

ſione & peregrinatione, eiuſdémque in Galliam miſſione & martyrio Pariſiis conſummato, grauiter ſeſe profitetur ex relatione eiuſdem paſſionis accepiſſe. Eadémque aſſerit maiorum eſſe traditioni conſentanea. Ceterùm ſaltem legerat beatus Cerannius, hanc ſanctæ Genouefæ concinnatam à coætaneo illi auctore vitam, erga cuius virginis beatæ venerandam memoriam tam impensè affectus erat, vt non ſolùm eam ſpeciali deuotione quandiu mortalis adhuc eſſet coluerit, ſed ad indicium perpetuæ eius honorificationis, & eiuſdem opitulationis expetitum à ſe teſtandum præſidium; in ipſius ſanctæ virginis (beati Dionyſij Areopagitæ Pariſiorum protomartyris ac Galliarum Apoſtoli notiſſimæ veneratricis) voluit baſilica tumulari. In qua cùm & ob ipſa merita iuſtitiæ, ſignis gloriæ coruſcaret, læuari meruit de primo ſepulturæ ſitu, transferríque in cryptam ſanctæ Genouefæ, ad cuius leuam reconditus, communi veneratione fruitur, ſanctíſque adſcriptus colitur etiam à Romana Eccleſia (vt ex eius ſacris diptychis patet) ſacro natalis anniuerſario, & à Pariſienſi, celebri cultus quotannis officio, 27. die Septembris.

§. 5.

TESTIMONIVM B. VENANTII, HONORII, CLEMENTIANI Fortunati Epiſcopi Pictauienſis.

Nec te prætercam primis adæquande poëtis,
Fortunate, tuum quod probat ingenium.

HYMNVM enim Fortunatus, vir non tantùm poëtica facultate excultiſſimus, ſed & rara morum ſanctimonia præſtans(ob quam,inter cælites colitur ab Eccleſia cooptatus) ſancto cecinit Dionyſio; quem Apoſtolicæ ætatis virum, non poſterioris æui, aſſeuerauit. Vnde Hilduinus eius auctoritate fretus, Gregorij Turonenſis erratum, quo is beatum Dionyſium ſub Decij Conſulatu Galliam cum nonnullis poſtremi agminis commilitonibus ingreſſum, hallucinatus prodiderat, forti reuulſione compreſſit, ſeu potiùs felici elencho abſterſit. *Parcendum eſt ſimplicitati* (ita monet Hilduinus) *viri religioſi Gregorij Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter quàm veritas ſe habeat exiſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis & ſimplicitatis voto, litteris commendauit. Patenter & quidem noſcere poſſumus, non adeo quædam ſolerter inueſtigaſſe, cùm ei contemporalis exiſtens vir prudens & ſcholaſticiſſimus Fortunatus, qui plura & frequenter ad eum ſcripſerat, Hymnum Rhythmicæ compoſitionis pulcherrimum de ipſo glorioſiſſimo Martyre compoſuerit, in quo commemorat, eum à beato Clemente deſtinatum*, &c. Non hunc tranſcripſit eo loco Hil-

duinus, quoniam illa ætate peruulgaris erat. Sed hîc illum operæprecium referre arbitratus ſum, quoniam Chriſtophoro Brouuero excidit, qui opera Fortunati Moguntiæ typis mandauit anno 1603. Nec mirum, nam vt ipſe Brouuerus præfatur, in liminari ſua epiſtola ad Baltazarum Fuldenſem Archimandritam, quantumuis perquirendo enixus fuerit, opificiorum non potuit Fortunati plenum faſciculum colligere, etſi auctiorem præſtiterit partuum ipſius auctoris, quàm ceteri qui eius ſcripta priùs excuderant, editionem. Mutilam enim collectionem ſe nihilominus nactum fatetur, *quam depoſitam abiecerat, ni docti viri qualecumque eſſet, ab ipſo exemplar edendum in lucem, ob publicum deſiderium, cenſuiſſent.* Acceptum autem en exhibemus illum Fortunati hymnum de S. Dionyſij corona, quem laudauit Hilduinus vt ſuo tempore percelebrem, ex ſacrario regalis Eccleſiæ S. Dionyſij, in quo deſcriptus vnà cum hymno S. Eugenij ſuprà expoſito legitur, aureis delineationibus, purpuratis foliis membranei codicis peruetuſti, inaratis, hoc prorſus tenore.

HYMNVS FORTVNATI
DE S. DIONYSIO.

Fortem fidelem militem
Cæli ſecutum Principem,
DIONYSIVM *Martyrem,*
Plebs corde, voce perſonet.
CLEMENTE *Romæ Præſule,*
Ab urbe miſſus adfuit,

Verbis

Verbis ſuperni numinis,
Vt fructus eſſet Galliæ.
Opus ſacratum conſtruit,
Fidem docet baptiſmatis,
Sed audientium cæcitas,
Munus repellit luminis.
Inſtante ſancto Antiſtite
Errore plebem ſoluere,
Dum ſpem ſalutis ingerit,
Tormenta mortis incidit.
Tenetur à Gentilibus,
Chriſti placens altaribus,
Amore tantæ gloriæ,
Pœnas libenter excipit.
Vnum quod illi defuit,
Pro Rege colla tradidit:
Dilectionem pectoris,
Ceruice cæſa prodidit.
Magnus Sacerdos qui dabat,
Templi ſacrata munera,
Fuſo beato ſanguine,
Eſt factus ipſe victima.
Fœlix pio de vulnere,
Quo pœna palmam præbuit:
Qui morte mortem conterit,
Nunc regna cœli poſſidet.
Gloria ſit Deo Patri,
Gloria Vnigenito,
Vna cum ſancto Spiritu,
In ſempiterna ſæcula. Amen.

Hic Fortunati hymnus, eiuſdem pia ex munificentia acceptus, hinc in Eccleſia regali Dionyſiana, perpeti vſu retinetur, diſſectúſque canitur in natali ipſo ſancti Dionyſij, partim ad Matutinum, partim ad Laudes, vt ex formula patet diuinorum Officiorum inclyti illius cœnobij, edita anno 1550. Negare autem ex mero pruritu diſputandi, genuinum hunc eſſe Fortunati fœtum, nemini prudenti & candido fas eſſe reputo. Quid enim plus habet iſte hymnus, præterea quæ in illo erant Hilduini ætate, vt à recentiore confictum, quiſpiam hunc fuiſſe ſuſpicetur atque ſuppoſitum, in vicem veteris ac natiui, ſolâ Dionyſianis aſcetis adulandi gratiâ. Certè parum æquè ita qui dixerit ſentiet, nulláq; veriſimilitudine ſuſpicionem ſuam poterit fulcire. At nos germanitatem illius quem producimus hymni, triplici aſtruimus argumento. Primo, ex ipſa poſſeſſione, antiquiſſimis characteribus obſignata: vſúque ſacro tot ſæculis in diuinis ipſis officiis confirmata. Secundo, ex eo quòd, Paulo Diacono teſte, lib. 2. hiſtor. & Sigeberto in Catalogo virorum illuſtrium; texuit hymnos beatus Fortunatus ſingularum feſtiuitatum, in quibus eum prætermiſiſſe ſancti Dionyſij Galliarum Apoſtoli natalem, haud conſentaneum eſt exiſtimare. Tertio, quia libenter Fortunatus Dionyſij noſtri præconia concinebat: quem libro 4. vitæ ſancti Martini commemorat, cum intimæ venerationis ſignificatione, ſed eiuſdem laudes ce-

lebrauit vberiores, in eo carmine quod inſcripſit de baſilica S. Dionyſij Burdegalæ, ab Amelio Antiſtite inchoata, atque à Leontio eius ſucceſſore perdigno abſoluta, quo ſic inter cetera modulatur.

Quam venerandam habet propriam DIONYSIVS *ædem*
Nomine ſub cuius ſanctificata nitet.
Qui feruente fide, Chriſti ſolidatus amore
Vertice ſuppoſito colla ſecanda dedit.
Membrorum contemptor erat, cupiendo coronam
Vile putans quicquid ferret amore Dei.
Vt moritura caro, domum immortale pararet,
Vulnera dilexit, ſed caritura nece.
Hoſtili occurrens gladio, ſe miſit Olympo
Vnde mori voluit, vota ſalutis habet.

Hæc Fortunatus lib. 1. Carminum num. 11. quæ vt piiſſimum eius animum aduerſus ſanctum Dionyſium produnt, ſic & hymnum, quem ab illo editum in tanti Martyris honorificationem, ſuprà ex antiquiſſimis monimentis protulimus; inſuper cumulant vberiori præconio, atque nonnihil communiunt, ex perſimili eiuſdem auctoris habitudine.

§. 6.

TESTIMONIVM DAGOBERTI REGIS CHRISTIANISSIMI, PRÆCIPVI cultoris ſancti Martyris DIONYSII, eiúſque auguſtiſſimæ baſilicæ fundatoris.

*Ex charta Aurelianis edita atque à Dadone Cancellario * recognita: quam Dubletius aſceta Dionyſianus, Monaſteriíque illius inclyti Chartularius, ex autographo tranſcripſit, typiſque expreſſam primus prodidit lib.3. cap.3. Antiquitatum Abbatiæ ſancti Dionyſij in Francia.*

* Is eſt S. Audoenus Rotomagenſis Metropolites. XXI.

EGo DAGOBERTVS, *Francorum Rex à Deo coronatus, cui ſummi Regis permiſſione, prædeceſſorum, necne* * *noſtrorum accreſſione, Francia obſecundat & famulatur, de ſalute animæ nunc tractando, ſaniori vſus conſilio apud me deliberaui,* * *quemlibet Chriſti militum, pro mearum quarundam donatione rerum, adiutorem mihi facere & proximum. Eſt hic inclytus & pretioſus videlicet teſtis* DIONYSIVS, *qui olim timore nudus, fidei feruore accinctus, Galliam petiit, & ibi gentilium pullulante perfidia viriliter* * *reſiſtit, fide conſtans, ſanctæ legis prædicando ac patefaciendo doctrinam. Hic etiam proprij cruoris effuſione, quiquidem à dextris Dei* ** *cognoſcitur ſedere, iugitérque impetrare, pro quibus voluerit petere, vniuerſus orbis cum ſummo debeat venerari obſequio. Multum quidem ego qui declinando Patris iram, ipſius ſenſi mihi*

* necnon.

* quendam Chriſti militem.

* reſtitit.

** Omnes electi & beati ſunt *filij dexteræ* Dei. Hinc oues à dextris cæleſtis Iudicis, hirci à ſiniſtris. Matth.25.

non abſuiſſe gratiam. Quapropter licèt ipſe præfatus Dionyſius, nullo indigeat pro gloria, qua cum Deo feliciter potitur, tamen vt mihi cum vxore propria & liberis apud æquum Iudicem fiat fidiſſimus interceſſor, culparúmque noſtrarum in die iudicij excuſator, Cœnobitis Monaſterij illius, in quo corpore eum quieſcentem, cum gemitibus peccatores adeunt & peccata fatentur, & vbi Abbas Leobaſarius præeſſe cernitur, res qua-* *quaſdam
dam, &c. decernimus quiete obtinendas, &c. Præter hæc autem Dominicam cum capella ibi fabricata in honore ſancti Saluatoris, Apoſtolorúmque eius Petri & Pauli atque Sanctorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij, cum incluſo vineæ, ac ſeptem farinariis, furnis decem, portum, mercatum, piſcarias quoque quas michi inſtitui præcepi habere concedo, &c. Ecce qualia beato Dionyſio ſibíque famulantibus offero, &c.

Hîc quæſo aduerſarios vt ſenſa animi aperiant, de hácque charta iudicium ferant liberum, ſyncerámque pronuncient vel ſpuriam. Si hoc dixerint poſtremum, nihil prorſus inde ſibi lucrabuntur. Aliam enim ſimili prorſus tenore digeſtam, exceptis donationum quæ diuerſæ referuntur nominibus, profert ex armario regalis illius perantiqui cœnobij præfatus Dubletius, datam apud Compendium. Quam etiam ſi reiiciant, alias quas refert idem Scriniarius numero octodecim, omnes etiam eos repudiare oportebit, quæ ſeriem præſignatæ vndequaque confirmant. Ridiculum autem eſſet vniuerſa Dago-

berti munifica in chariſſimum ſibi templum S. Dionyſij (cuius fundator extitit) diplomata reſpuere & falſi nota inurere. Primum igitur admittere obſtringuntur, ne in tam patentem corruant abſurditatem. Iam verò inductæ regiæ declarationis admiſſa germanitate, facilè Dagobertum Regem oſtendemus beatum Dionyſium qualem aſſerimus, Apoſtolicæ ſcholæ alumnum; Doctorem Galliæ primarium, & Lutetiæ Pariſiorum Antiſtitem, hoc eſt Areopagitam & non alium agnouiſſe atque coluiſſe. Patet ex ipſa ſerie ſuprà expreſſi diplomatis, quam deſumptam ex actis ſancti Dionyſij (quæ à maioribus accepta, etiamnum ſacra traduce retinemus) peruium eſt patefacere. Termini enim quibus hac in abbreuiata geſtorum ſancti Dionyſij deſcriptione vtitur Dagobertus Rex, vel ex eius nutu & aſſenſu Dado Cancellarius, qui pari eruditione qua pietate præſtabat, manifeſtè deprompti ſunt, ex eiuſdem glorioſiſſimi hieromartyris probatiſſima paſſione. Vnde enim ſumpta cenſebimus illa verba? *qui olim timore nudus, fidei feruore accinctus, Galliam petiit, & ibi gentilium pullulante perfidia viriliter reſtitit, fide conſtans*, &c. niſi ex antiquiſſima illa hiſtoria quam hactenus Gallicana Eccleſia in ſacris canit officiis. *Beatiſſimus Chriſti Martyr Dionyſius, tradente beato Clemente eroganda gentibus ſemina diuina ſuſcepit. Et quo amplius gentilitatis errorem feruere cognouit, illuc intrepidus & virtute fidei armatus acceſſit, & Pariſius De-*

mino ducente peruenit: quæ verba etiam in paſſione ſancti Dionyſij, quam minus ſyncerè tamen exſcripſit ſua in rapſodia Boſquetus repoſuit pag.70. ſecundæ partis.

At ipſe forſitan reſpondebit, ſe non negare quin hanc paſſionem ſancti Dionyſij audierit vel legerit Rex Chriſtianiſſimus Dagobertus, ſed ex hac non colſigi quod aſſumimus; nempe quòd agnouerit Dionyſium Pariſienſem eſſe illum ipſum, quem nos conſtituere nitimur. Fateri ſe quidem Dionyſium Pariſienſem primum Epiſcopum fidem Lutetiæ intuliſſe, hícque interiiſſe laureatum in ſupremo pro eadem fide conflictu. Nihil verò, præter hoc, illam paſſionem, & ſumptam inde à Dagoberto narrationem breuiorem inſinuare. Sed facilè ſi hoc dixerit Boſquetus redarguetur. Totus eſt enim in farragine ſua, vt perſuadeat: Dionyſium noſtrum aliũ prorſus eſſe ab Athenienſi; ex eo quòd Areopagita iſte Dionyſius primo excurrente Euangelicæ lucis ſæculo, ſecundóque vix ineunte, ſplendore diuinæ ſapientiæ clarus orbi illuxerit, ideóque Clementi Romano (Apoſtoli quoque Pauli ſymmyſtæ) coætaneus extiterit. Pariſienſis verò nonniſi tertio ſæculo, ferè iam labente; ſub Decio Imperatore, ſedente Romæ Cornelio, facem diuinæ agnitionis & ſalutis, inuexerit Lutetiam. Ideóque ſe funditus inniti dictis Gregorij Turonenſis & Seueri Sulpitij, qui id teſtantur. Quorum dictis exceptis, candidè præter morem an-

*Part 1 p. 49. & 50.
nuit, nihil opponi * poſſe quominus miſſus à Clemente Dionyſius, Pariſienſis non credatur. Sed ipſe (ſicut poſtea oſtendemus in argumentorum ſolutione) dicta Sulpitij & Gregorij refellit & euertit pag. 60. & 61. primæ partis. Et nihilominus enixè contendit tertio tantùm exeunte ſæculo, Dionyſium noſtrum (cuius ſolius magis ſeram legationem quàm aliorum Galliæ Euangeliſtarum efficere conatur) in Galliam miſſum eſſe pag. 50. 51. primæ partis, & p. 67. & 68. part. 2. Benè etenim aduertit, quòd ſi ſemel hoc punctum obtineat, intentum prorſus habebit ſuum. Neque enim Dionyſius Areopagita ille eſſe poterit qui ducentis ſuprà ab eius morte annis prima ſemina gratiæ Pariſienſibus erogauit. Quod creditum ante Hilduinum, qui acta primitiua genuináque Dionyſij Gallici corruperit, inſerendo iiſdem quæ placitis ſuis eſſent affinia, Boſquetus idcirco pretendit part. 1. p. 51. & part. 2. p. 68. Cardo itaque in hoc totius rei vertitur, vt oſtendamus ex Dagoberti Regis (cuius de ſententia agitur) fide, iam diffusâ tempore illius traditione, Dionyſium illum Pariſienſem, quem vnicè poſt DEVM & ſanctiſſimam Deiparam coluit Rex ipſe piiſſimus ac ſapientiſſimus: non ad Decij vel Valeriani tempora deducendum eſſe, ſed ipſis Apoſtolicis temporibus, cùm Petri Cathedræ inſideret Clemens (cuius ipſe Areopagita ſub Paulo Apoſtolo ſymmyſta fuit) deſtinatum in Galliam, Pariſiis Chriſti gloriam prædicaſſe,

prædicaſſe, & martyrio glorioſo illic conſecrâſſe fidei ſalutiferæ imitationem. Id verò ita cognitum ac creditum fuiſſe à Dagoberto Rege, accipe quæſo teſtatum, ab geſtorum eius non recenti, ſed coætaneo, accuratóque & probato per ſagaciſſimi Gallicæ antiquitatis indagatoris iudicium, ſcriptore.

EXCERPTVM EX GESTIS DOMNI DAGOBERTI REGIS Francorum filij Clotharij II.

Scriptis à Monacho cœnobij ſancti Dionyſij, Anonymo quidem, ſed contemporaneo.

Quæ ex Bibliotheca viri Cl. Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis deprompſit, ac præfixo ſub titulo edidit ANDREAS DV CHESNE GEOGRAPHVS REGIVS Tom. 1. hiſtor. Francorum, pag. 574. & ſequentibus.

CVM Dagobertus adoleſcentiæ ætatem, vt genti Francorum moris eſt, venationibus exerceret, agere ceruum quadam die inſtituit; Qui facilè repertus, oblatrantibus atque certatim inſequentibus canum agminibus, eâ pernicitate qua illud animal fertur, ſyluas, montéſque, etſi qua occurrere flumina tranſcurrens, canum induſtriam effugere conabatur. Tandem ergo victus, ad vicum qui Catulliacus dicitur ſe contulit. Hic ab vrbe, quæ Lutetia, ſiue Pariſius vocatur, quinque ferè millibus abeſt. Siquidem in ea vrbe Reges Francorum,

maximè ſceptra tractare conſueuerant. In eo ſanè vico temporibus * *Domiciani qui ſecundus ab Nerone in Chriſtianos arma corripuit, primum memoratæ vrbis Epiſcopum beatiſſimum Dionyſium, Ruſticúmque & Eleutherium, quorum alter Presbyter, alter Diaconus erat; pro Chriſti nomine in proſpectu ipſius ciuitatis interemptos, quædam materfamilias vocabulo Catulla (à qua & vico deductum nomen dicunt) quia palam non audebat, clam ſepulturæ mandauit. Signauit tamen loculum,* ** *vt rei geſtæ iunioribus conſtaret notitia. Sic incomparabilis theſaurus diu latuit, nec præter famam locus ille quicquam habebat conſpicuum. Et quamuis quædam inibi ab anterioribus Regibus (propter aſſiduæ quæ ibidem agebantur miracula) conlata fuiſſent: tamen quia locus ipſe eo tempore ſub poteſtate Pariſiaci Antiſtitis conſtitutus erat, & cui vellet Clericorum eum iure beneficij tradebat; illéque cui concedebatur non honeſtatem loci, ſed terrenum lucrum (quemadmodum in quibuſdam locis hodiéque cernitur) ſibi inde in proprios vſus accumulare videbatur, ob hoc, vt diximus, locus ille nimium negligebatur. Vilis quippe tantùm ædicula, quam vt ferebatur beata Genoueſa, ſuper Sanctos Martyres deuote conſtruxerat, tantorum Martyrum corpora non ambiebat: quoad ſicut in proceſſu expediam, profuturum orbi nomen eorum enituit, & procurante Deo ad ſingularem excellentiam; locus qui tam magnis, tam certis, tam denique* ANTIQVIS *illuſtrabatur, quamuis occultè,* PATRONIS, *prouectus eſt. Sed vt ad propoſitum redeam, ceruus diu huc illúcque per vicum oberrans, ædem beatorum Martyrum ingre-*

* Idem legitur in MSS. libello cui titulus eſt: *Inuentio ſancti Dionyſij Martyris ſociorúmque eius.* Inſerto volumini 17. ſcrinioli DDD in cœnobio regali S. Victoris ad muros Pariſienſes.

** Ita in actis S. Euſebij Preſbyteri & Martyris, legitur. *Cuius corpus collegerunt Gregorius & Oroſius Presbyteri, & in crypta, via Appiâ, iuxta corpus S. Xiſti Papæ & Martyris ſepelierunt, ubi & titulum eius ſcribentes, poſuerunt ita:* EVSEBIO HOMINI DEI. Vide infrà titulũ antiquiorem Pauli primi Episc Narbonenſis, beati Pauli

ditur, ſéque ibi componit. Inſtabant canes, & licet idem eis quod & ceruo pateret oſtium, & qui eos abigeret nemo viſibilium cuſtodum adeſſet: attamen ſancti Martyres ſuum domicilium non patiebantur immundorum violari ingreſſu. Videres hinc ceruum tutum reperiſſe perfugium: inde canes eius præſentiam latratibus indicare, ſéque ab introitu ædis diuina virtute arceri. Dagobertus citato curſu peruenit, rem ſpectaculo dignam admiratur, ſtupet, amplectitur. Finitimos tum rumor iſte vulgo ſollicitat, & cùm maximè Dagobertum, tum etiam eos ad amorem & venerationem Sanctorum inſtigat. Et vt verè fatear (vt ex geſtis poſtmodum claruit) nullus Dagoberto locus aut dulcior aut iucundior fuit.* Hæc coætaneus ille ſcriptor, qui deinde narrat, quomodo Dagobertus ipſe iram patris Clotarij (quam in ſe accenderat) declinans, aſylum ad quod meminerat ceruum perfugientem tutelam & præſidium inueniſſe, formidine perculſus repetiuit: miſsíque à Rege ad Catulliacum præſignatum vicum, qui filium ex ſacra ſpelunca retraherent, ſuborto horrore, omnibúſque membris capti, ingredi non potuerint. Vtque pater ratus eos gratificari filio regnaturo, volentes non inuitos arceri ab aditu ædiculæ, cùm illuc ſe contuliſſet, eodem repente pauore correptus, non antequam venia filio data, fuerit ingreſſus. Eóque loco vbi corpora Martyrum in conditorio altâ terrâ obruto, ad eam diem ſine condigno cultu iacuerant; Dagobertus ab ipſis Martyribus per diuinam viſionem admonitus, ædem illis voue-

Apoſtoli diſcipuli; in diſcuſſione argumenti deſumpti ex dicto Gregorij Turon. lib. 1. cap. 30.

* Canes in diuinis litteris immũdi ſunt hinc illud, Apocal 22. *Foris canes.*

rit, quàm rerum potens excitatam (eo ſitu quò nunc vſque excelſa mole cernitur) magnificentiſſimè excoluit. Pollicitos Martyres Dagoberto, ſi iſta præſtaret (quæ exoluit) omnem opem tam præſentem quàm futuram hiſtoricus ille ſynchronus commemorat. Nec promiſſis effectus defuit, ſicut Ludouicus Pius Imperator in epiſtola ſua de Dionyſij Areopagitæ, Francorum Regium proprij tutelaris augenda illuſtratione & honorificatione inſinuat, quæ ſic inter ceterâ proloquitur. *Prædeceſſores noſtri gloriam huius eximij teſtis, & amici Dei non inaniter coluerunt: qui dum ſacras eius exuuias, in terris ob amorem & honorem Domini noſtri* IESV CHRISTI *opibus quibus poterant honorauerunt, per eius preces digniſſimas, honoris priuilegio potiri & in terrenis & in cæleſtibus meruerunt: vt videlicet vnus ex priſcis Francorum Regibus Dagobertus, qui eundem precioſiſſimum Chriſti Martyrem veneratus non mediocriter fuerat, & in mortali eſt vita ſublimatus, & per eius adiutorium, ſicut diuina & cæleſtis oſtenſio perbibet à pœnis eſt liberatus, inque vita perenni deſiderabiliter conſtitutus.* Notior eſt hiſtoria, quam vt hic opus ſit eam fuſiori ſtylo retexere. Satis ex prædicta atteſtatione priſci illius Scriptoris, qui res Dagoberti Regis vt viderat fideliter litteris prodidit, obtinemus. Coluiſſe ſcilicet Dagobertum, Dionyſium illum vt proprium protectorem, qui non alia quàm Apoſtolica ætate (ad quam Boſquetus ma-

lè criminatur, Hilduinum nouo molimine, ipſum Pariſienſis Eccleſiæ parentem retuliſſe *part. 1. pag. 52.*) ſcilicet regnante Domiciano, primo poſt Neronem aduerſus Chriſti cultores ſæuiente, Chriſti nomen inclyto præconio, Lutetiæ cum ſociis Ruſtico & Eleutherio clarificauit. Eundem videlicet quem ſancta Genoueſa, ſtudioſè venerata, ædiculæ ſacræ mauſolæo honorauit; quem vt ex geſtis eius à Geneſio Presbytero, eiuſdem virginis coætaneo deſcriptis, & ſuprà citatis conſtat, Athenienſem illum, qui à Paulo Apoſtolo illuminatus eſt, incarnati Verbi Dei prædicatione (vt auita ferebat certa traditio, & acta ipſius S. Dionyſij Lutetiæ extremo in agone coronati teſtabantur) illam agnouiſſe & obſeruaſſe affectu pietatis præcipuo. Vnde ſcriptor ſpectatórque præmemoratus geſtorum Dagoberti, qui Dionyſium (cui adeo impensè deditum refert Regem illum maximum) ſub Domiciani Imperatoris, Ioannis Euangeliſtæ inſectatoris, & virorũ Apoſtolorum Chriſtianorúmque omnium immanis perſecutoris vexatione, Galliæ illuxiſſe, cæleſtis gerulum gratiæ & gloriæ, Pariſiiſque triumphâſſe cum aſſeclis laureatum, aſſerit; ad ſanctæ Genoueſæ actus reſpiciens, quibus ipſemet Areopagita ille Dionyſius Martyr perhibetur; primi quod ad tanti athletæ tumulum eiuſdem beatæ Virginis operâ extructum fuit mauſolæi, de induſtria commeminit: vt per rectam rerum ſeriem quis fuerit qualíſque Dionyſius tan-

topere excultus à Dagoberto indigitet, Apoſto-licæ ætatis ac dignitatis fuiſſe virum planè inſi-nuet atque oſtendat. Quæ cauſa fuit cur ſuæ nar-rationi tempus, locum, Martyrium Dionyſij ip-ſius beatiſſimi & commilitonum eius venerabi-lium, accuratè deſignauerit, Catulliacíque vici excellentiam prædicauerit, *à tam magnus*, vt ait, *tam certis, & antiquis quibus illuſtratur Patronus.*

Id patere non dubium eſt (inquiet fortè Boſ-quetus) ex teſtimonio illius auctoris, Scriptoris vtique geſtorum Dagoberti Regis contempora-nei; ſed ex Dagoberti ipſius relatione & iudicio non ita liquet. Quaſi verò Dagobertus aliam ha-buerit de Dionyſio ſententiam, ab ea quæ iam tunc antiqua erat & communis, quæque in ipſo Monaſterio Dionyſiano, quod ipſe conſtruxerat (vbi ille geſtorum eius inſpector ſcribebat, ſub eius oculis) pro certa habebatur? Sed progredior lubenter vlterius: nec enim meris nitor conie-cturis vt aſſeram Dagobertum Regem, beatum Dionyſium Pariſienſis Eccleſiæ primum Epi-ſcopum & Martyrem ipſum fuiſſe, quem credi-mus Areopagitam, cenſuiſſe atque etiam decla-raſſe. Sed ipſius Regis glorioſiſſimi præcipuos apices habemus chartis exaratos, qui huius ſuæ exiſtimationis patuli cuíque indices ſunt. ſiqui-dem in confecto Pariſiis ab ipſo Rege, in ſpe-ctabili Epiſcoporum ac procerum comitatu an-no regni eiuſdem 10. ſcripto in arboreo cortice hæc formula ſtudioſè notanda legitur, *Sit hæc*

ſancta mater Eccleſia videlicet peculiaris patroni noſtri Domini & MAGNI DIONYSII libera & abſoluta ab omni inuaſione. Item in alia chartula ſeu regia reſcriptione, recognita & ſubſcripta vt ſuperior à Dadone referendario, necnon directa ad Mumnolum Præfectum, Gondoënum, Werpenum, Dructoaldum & alios Regni Comites, data Clipiaco Palatio anno eiuſdem Regis II. ipſe decernit atque mandat. *Vt Eccleſia patroni noſtri* MAGNI DIONYSII *ab omni inquietudine intrepida permaneat.* Ceterùm in huius vtriuſque ſerie diplomatis attentè conſideranda occurrit cognominatio, MAGNI, ſignatè à Dagoberto Rege beatiſſimo Martyri Dionyſio ſuo peculiari patrono attributa. Quid enim putatis Rex ille ſapientiſſimus hac inſigni vocula, voluerit denotare? niſi ſe illum colere Dionyſium qui Magni cognomen, præcellétiâ inſigni meritorum promeruerat, titulóq. *Magni* ad aliorũ diſtinctionem (qui plurimi erant Martyres & Doctores ſacri ſynonymi) decorari & deſignari in Eccleſia Dei conſueuerat. Certè inter Origenis opera hom. I. Ioan. tom. 2. diſertè epithetum Magni, Dionyſio Areopagitæ adſcribitur. Eodem cenſebat illum cognomine Theodorus Preſbyter apud Photium, qui ſua in Bibliotheca ait, legiſſe librum illius, quo ſoluebat quatuor obiectiones eorum, qui diuini illius Doctoris ſancti Dionyſij libros non admittebant, & probauerat hæc monumenta germana eſſe *diuini* & MAGNI DIONYSII: quo cognomine etiam

* Extat inter orationes in varia noui Teſtaméti loca, quę fertur à Ruffino tranſlata, vt propria Origenis.

illum deſignat S. Ioannes Damaſcenus in libro de iis qui in fide obierunt. Eodémque titulo vt communi conſenſu illi appropriato, ipſummet laudat, ac producit in fidei ſuffragium, ſeptima Synodus generalis c. 2. vbi Patres ita aiunt. *Noſtræ enim Hierarchiæ ſubſtantiæ ſunt. Eloquia diuinitus tradita diuinarum ſcilicet Scripturarum vera ſcientia, ſicut & Magnvs Dionysivs oſtendit:* καθὼς ὁ Μέγας ἀπεφήνατο Διονύσιος. Cauſam autem huius propriæ, quæ perenni vſu inoleuit denominationis, reddidit Hieremias Patriarcha in ſuo ad Witembergenſes, reſponſo. *Areopagitæ,* inquit, *vitam deſcripſi, & vobis miſi, in quod bene memini, inuenies tu iſtic* (alloquitur Stephanum Cerlachium) *modò quæras. Scito enim virum à nobis diuinum haberi, & ſecundum Apoſtolos Chriſti, ab Eccleſia honorari; librúmque eius à nobis probari, & fidei digna duci, quæ in eo ſcripta ſunt.* Ideo igitur Magnvs dictus eſt Areopagita Dionyſius, quòd diuinè omnino ſcripſerit, quòd dignitate & meritorum magnitudine in Eccleſia poſt Apoſtolos præcelluerit; quòd hoc ordine & gradu ac titulo præ ceteris qui vnquam cœlites in terris floruerunt meruerit ab vniuerſa Eccleſia honorari.

Iſtum igitur Dionyſium Dagobertus Rex percolebat, iſtum hoc proprio ipſi cognomento attributo, communi Eccleſiæ praxi deſignabat. Quem enim alium Dionyſium titulo illo indicaret? profectò qui dicit Alexādrum Magnum, ſatis innuit Philippi filium, præpotentem Macedo-

num

num Regem. Qui Leonem magnum nominat, ſatis denotat incomparabilem illum Pontificem Romanum, *in quo* Petrum Apoſtolorum principem, Patres ſexcenti qui in Concilio Chalcedonenſi conſederunt *loquentem* venerati ſunt. Qui Carolum dicit Magnum, Monarcham illum qui Occidentis reſtituit imperium, perſpicuo indice demonſtrat. Ita prorſus qui MAGNVM vocat DIONYSIVM, Areopagitam illum apertiſſimè deſignat, & non alium, cui Magni nomen, Patres & Concilia ſpeciali iure ob præcellentia merita contulerunt. Hunc igitur tam inſigni epitheto Dagobertus Rex, ex vſu Eccleſiæ perpetuo decorauit, hoc illum proprio titulo & non alium deſignauit. Hunc peculiarem, vt ait, *Dominum & Patronum ſuum ſanctiſſimum ac beatiſſimum*, ipſe credidit & coluit. Nec enim Corinthium Dionyſium, aut Alexandrinum (qui ad Gallos nunquam acceſſerunt) tutelarium honore obſeruauit; ſed illum quem Pariſiis nouerant glorioſo agone perfunctum, patrocinio Galliæ, ſepulchri iure obſtrictum, ſacris cineribus oſſiúmque venerandorum pignoribus apud ſe habebat depoſitum; defenſorem ſuum inuocabat, Regníque Francorum præcipuum protectorem apud Deum tantis obſequiis, tantíſque obſeruantiæ honoribus, Rex ille piiſſimus proſequebatur. Erant duo quidem alij in Gallia Martyres Pariſienſi Dionyſio ſynonymi: ſcilicet Dionyſius ille athleta Trecenſis, qui cum Claudio ſacri agminis ſignifero

felici conflictu occubuit. Et Dionyſius Viennēſis Præſul, qui ſeptimus ordine priſca in hac Eccleſia ſedit. At neutri illorum magni abſolutum nomen (quod Pariſienſi dabat Dionyſio) Dagobertus potuit iſtius comparatione competere: quem antiquitate, celebritate, dignitate, multíſque gloriæ nominibus conſtat, iis eſſe ſuperiorem. Floruit enim Dionyſius Viennenſis, ad quem ſcripſit Victor Papa, ſub Septimio Seuero: quo ſæuiente multa dira quidem perpeſſus eſt, at non extrema prorſus. Is enim non cruento agone cæli adyta penetrauit, etſi Martyris titulum, ob inſignes concertationes, promeruerit. Porrò Dionyſius Trecenſis, ſub Aureliano paſſus eſt. At Dionyſium Pariſienſem colebat Dagobertus, qui temporibus Apoſtolorum claruit, qui ſub Domitiano Gallias ingreſſus duobus cum auxiliariis trophæa Chriſti fortiſſima dimicatione erexit: MAGNIQVE inſigniri cognomento diuinæ ſapientiæ ſplendore, geſtorum Apoſtolicorum amplitudine, triumphi præclariſſimi magnificentiâ, iure proprio emeruit. Quem ſolum Eccleſia Chriſti hoc illuſtri vocabulo decorauit, eóque indicio ſpeciali, ſuo communi præconio deſignauit. Sed verò is Areopagita ille eſt, cuius comparatione quiſque alius minor, æquiſſimo iure dici poſſit. Qui certè Apoſtolis ætate coæuus, meritis ſuppar, ſecundùm eos Eccleſia tam Græca quàm Latina honoratur. Cuius cæleſtia theoremata intenſiùs, ipſamet poſt diui-

nos æternæ legis radios ſpeculatur. Ex cuius pharetra acutiſſimas ſagittas aduerſus hæreticos iaculatur: cuius memoriam magnificentiùs celebrat, nomen impenſiùs honorat, ac de quo Gallia præcipuè gloriatur. Quem non modò inferior orbis tanta admiratione ſuſpicit, ſed superni ciues, multa honorificatione proſequuntur. Immò Rex cæleſtis, eximij ſui amoris irradiationibus, poſt eius glorioſiſſima funera, etiam in terra, eo quo loco quieſcit cum ſociis beatiſſimis, clarificare dignatus eſt. Produnt ſacræ tabulæ Sandionyſiani cœnobij, templi illius recens à Dagoberto conditi factam diuinitus dedicationem: quam ſic Arnoldus ſuum in Martyrologium tranſcripſit: *Sexto Kalend. Martij. Dedicatio Eccleſiæ ſancti Dionyſij extra muros Pariſienſes: miraculosè à Chriſto Domino ſummo Pontificum Pontifice conſecratæ, in cuius rei teſtimonium, Leproſus à Domino* IESV *curatus eſt.* Notauit Menardus hiſtoriam miraculoſæ illius dedicationis, extare in MSS. Cod. Bibl. S. Victoris Pariſienſis: vbi & nos illam conſpeximus. Sed editam illã legere eſt apud Vincẽtium in ſpeculo lib. 23. c. 36. & 37. & S. Antoninum parte 2. Chronicorum cap. 6. tit. 13. §. 8. ex quibus Felici ſuum retulit in Martyrologium ſignata die, qua quotannis commemoratur inſigni ſolennitate in ipſo Monaſterio ſancti Dionyſij, cuius Chartophylax Dubletius rem diuinè geſtam, luculenter enarrauit lib. 1. Antiqq. inclyti illius cœnobij cap. 22. ex Sugerio Abbate,

Algero Scholaſtico Monaſterij Corbeienſis, Frãcorum Annalibus, Regum Chriſtianiſſimorũ diplomatibus, ac priſcis Codd. MSS. aliiſq. probatiſſimis monimẽtis. Quibus innixus Quercetanus, in vrbium, arcium & oppidorum Galliæ percẽſione, ſub Dionyſiopoli illã retexuit. Vnde ſuperfluum cenſuimus hic ſeriem diuinæ illius conſecrationis recitare. Id vnũ hic ſufficiat magis noſtro aptum propoſito, obſeruaſſe SS. Apoſtolos Petrum & Paulum cum Chriſto Domino, & S. Dionyſio, ſociiſque eiuſdem glorioſè apparuiſſe. *Ecce autem repentè* (ſic contextus habet) *Dominus* IESVS *Pontificum Pontifex, cum illis ſuis familiaribus beatis Apoſtolis Petro & Paulo adfuit: ſanctúmque illud collegium, Martyres glorioſos Dionyſium, Ruſticum, & Eleutherium adiunxerat.* Eoſdem autem Apoſtolorum principes cum ipſo beatiſſimo Dionyſio, eiúſque ſanctiſſimis collegis conſpectos fuiſſe à Stephano Papa III. in eodem templo de impetranda ſibi ſanitate & conciliato pacifico ad ſedem ſuam reditu pertractantes: acceptæque illic ab eo gratiæ monimentum, extare altare quod idem ſummus Pontifex monitu ſancti Dionyſij eadem in æde diuinitus ſacrata dedicauit, & feſtum apparitionis beatorum Apoſtolorum ſanctíque Dionyſij, quod ibidem in perpetuam memoriam inſtituit, ſuprà fusè inſinuauimus. At ex inſigniũm illarum apparitionum obſeruatione non contemnenda elicitur conſideratio: ſcilicet diuino arcano videri ſic fuiſſe

diſpoſitum, vt ſanctus Dionyſius, haud ſemel in comitatu beatorum Petri & Pauli, non autem aliorum quorumuis Apoſtolorum conſpicuus fieret: quo ſcilicet ſignificaretur Dionyſium illum qui iſto colitur ac quieſcit loco, non poſtremæ claſſis eſſe ætatíſque Epiſcopum, non extremi pugilem agminis militiæ Chriſtianæ: ſed Sychronum Apoſtolorum, à Paulo gentium Doctore ad Chriſti ſigna perductum, à Petri autem hærede proximo in Galliam delectum agminum fidei ductorem; Pariſienſem Eccleſiam flamine, flumine, ſanguine conſecrâſſe. Illa enim intima familiaritas quæ in ipſius Dionyſij cum iiſdem Apoſtolorum principibus collocutione elucet, neceſſitudinem illam redolet maximam, quæ primitus mutua cum ipſis interceſſit. Quò & obtentu voluerunt Pontifices maximi Stephanus & Leo III. Adrianúſque primus, vt congruenter votis Dagoberti Regis (qui Regali conſtituto ſuos ſucceſſores Reges Francorum & Principes obteſtando, per ſanctam & indiuiduam Trinitatem, & per iuſti Iudicis aduentum ſanciuerat, vt eximius ille honor atque reuerentia, ab iiſdem in Francia, ſancti Dionyſij Eccleſiæ impertiretur, quem Romæ Eccleſia beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli per priuilegium Conſtantini Imperatoris, obtinere dignoſcitur) decreuerunt ipſi baſilicæ S. Dionyſij Apoſtolici ferè honoris indicia, immò cõmercia rependi, cùm & celebrem in orbe ad illam peregrinationẽ, concur-

ſum fidelium à diuerſis regionibus ad ſancta eiuſdem Martyris limina vocitarent, parique ferè ad illam frequentandam prouocarent illorum animos xeniorum ſpiritualium muneratione. Verùm ſatis de Dagoberti Chriſtianiſſimi Francorum Regis aduerſus ſanctum Dionyſium Areopagitam, & non alium quemuis ardenti deuotione tot diplomatibus honorificis, atque munificis adhuc extantibus indicata, quæ paſſim obſignat germanáque prodit prædicti Scriptoris eius actuum contemporanei relatio. Benè tanto Regi, tanti cælitis propenſiſſimo cultori ceſſit, pius in illum affectus, quo Euangelicum illud veriſſimum expertus eſt, *qui recipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ recipiet.* Matth. 10. 41. Dionyſij enim quem Chriſti amore dilexit opem non modò in vitæ huius obuiis neceſſitatibus, quoties opus fuit præſertim ſibi adeſſe perſenſit; ſed & in morte cùm in ſummo animæ diſcrimine verſaretur conſecutus eſt oportunam; cum tanti defenſoris patrocinio aduerſus hoſtis generis humani impetum Dei in iudicio protectus, atque ex inferni faucibus ereptus ſupernæ gloriæ aulam, Angelis ouantibus, feliciſſimè euectus eſt. Cui ideo ex ſupremis votis in templo ſancti Dionyſij ſui ſublimatoris ſepulto, Maiorum pietas hoc epitaphium appendit.

Hac Dagobertus humo Francorum gloria Princeps,
Cum Nanthil decubat coniuge, pacis apex.*

*Nanthilde.

Quem meritis ſceptro DIONYSIVS *extulit alto**, *Cuius ope & gazis, hic ſtat in arce locus.*
Nonum Ianus agens, decimúmque per æquora ſolem,
Viceſimo luſtro, reddidit oſſa ſolo.
Diues, inops, Proceres, populus, Rex, aduena, ciuis.
Sint horum memores, dent ac in aſtra preces**.*

* Superno, ſeu cæleſti.

* Coniugũ ſcilicet ambor um.

** Preces nimirum gratulatorias pro Dagoberto, ſuffragatorias pro Nanthilde.

§. 7.

TESTIMONIVM CLODOVEI SECVNDI FRANCORVM REGIS filij Dagoberti.

Ex Charta eiuſdem Clypiaci edita anno 7. regni eius.

EGO CLVDOVVIVS *ſuprema prouidente clementia Francorum Rex coronatus, & regiæ celſitudinis culmine ſublimatus, deſiderans Deum habere propitium, cupiens etiam augmentare & amplificare Monaſterium Patroni noſtri Domni* DIONYSII, *ſicut genitor noſter fecit, pro ſalute animarum noſtrarum,* &c. *Conteſtamur itaque & obſecramus omnes ſucceſſores noſtros Reges ſiue Principes, per ſanctam & indiuiduam Trinitatem, & per aduentum iuſti iudicis, vt honor & reuerentia venerandæ Eccleſiæ beati Dionyſij, vbi genitor noſter in corpore requieſcit, & nos ſepeliri ſummoperè ſperamus ab omnibus & in omnibus perpetuo iure conſeruetur, ſicut Romæ Eccleſiæ beatorum Petri & Pauli per priuilegium Conſtantini Imperatoris, obtinere dinoſcitur.*

Idem in Conſtitutione facta itidem Clypiaci anno Regni ſui 16. quâ libertatem, quam ipſius flagitatione ſanctus Landericus Pariſienſis Antiſtes, Monaſterio ſancti Dionyſij conceſſerat, ratam habet, atque cum Synodico conuentu approbat & confirmat.

Dum omnipotens Pater qui dixit de tenebris lumen ſplendeſcere, per Incarnationis myſterium vnigeniti filij ſui D. N. IESV CHRISTI, *vel inluſtrationem Spiritus ſancti inluxit in corda Sanctorum Chriſtianorum, pro cuius amore & deſiderio inter ceteros glorioſos triumphos Martyrum, beatus Dionyſius, Ruſticus & Eleutherius, meruerunt palmam victuriæ & coronam percipere glorioſam: vbi per multa tempora, in eorum baſilica, in qua quieſcere videntur, non minema miracola Chriſtus per ipſos videtur operare. In quo etiam loco genetores noſtri Domnus Dagobertus & Domna Nanthechildis, videntur requieſcere: vt per interceſſionem Sanctorum illorum in cæleſti regno cum omnibus Sanctis, mereantur participari, & vitam æternam percipere. Et quia,* &c. *noſtra integra deuotio & petitio fuit, vt Apoſtolicus vir Landericus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, priuilegium ad ipſum ſanctum locum Abbati vel fratribus ibidem conſiſtentibus facere vel confirmare, pro quiete futura deberet: quò facilius congregationi ipſi liceret, pro ſtabilitate regni noſtri ad Limena Marterum ipſorum iugiter exorare, hoc ipſe Pontifex cum ſuis * Quorpiſcopis iuxta petionem deuocionis*

* Coepiſcopis.

mocionu noſtræ pleniſſimam voluntatem, præſtiſſe vel confirmaſſe videtur & dinoſcitur. Nos igitur per hanc ſeriem auctoretatis noſtræ, iuxta præſcriptum dictum priuilegium à Pontifecebus factum & præſtetum eſt, pro reuerentia ipſorum Marterum, vel noſtra confirmanda mercide per hanc auctoretatem iubemus, &c.

Contractè refert Conſtituti illius Synodici & regalis tenorem Aimoinus lib. 4. cap. 41. At totum ex ſerie deſcribit Sirmondus tom. 2. Concil. Galliæ antiqq. ex ſancti Dionyſij tabulario, vt prænotat in tranſcriptionis ſuæ limine. Ante quem idipſum diploma cum priuilegio ſancti Landerici ſynodico exſcripſerat Dubletius Scriniarius Monaſterij Dionyſiani ex autographis in arborea cortice delineatis, in quibus ſtylum nec tantillum mutauit, ſed ad minutos quoſque (quemadmodum retulimus) expreſſit apices, *lib. 3. antiq. Abb. ſancti Dionyſij cap. 4.* At diu longè antea hanc ipſam chartam immunitatis deſcripſerat pleno itidem contextu Scriptor ille geſtorum Dagoberti Regis coætaneus, quem Quercetanus edidit collectionis ſuæ tom. 1. Ceterùm ex præmiſſis habes apographis regiorum Clodouei diplomatum, illum in eadem qua pater fuerat de ſancto Dionyſio ſententia, pióque in ipſum affectu perſtitiſſe. profitetur enim ſe illum colere ſicut ſuus genitor fecit, Dagobertus, qui vt demonſtratum eſt non alium Pariſienſem Dionyſium, quàm illum Areopagitam, quem MAGNVM ex communi Eccleſiæ praxi cogno-

minabat credidit & honorauit. Quam ob cauſam Clodouæus eius filius hæréſque tam pietatis quàm ſceptri in poſteriori pragmatico, Dionyſio cui tam profuſos impendit affectus, eo tempore innuit claruiſſe, quo Deus *per incarnationem* IESV CRRISTI, id eſt, incarnati Verbi ſui diſpenſationem *fecit* (phraſis eſt Pauli Dionyſij ip-
2.Cor.4.6. ſius didaſcali) *lumen ſplendeſcere*, & per Spiritus ſancti emiſſum ignem in corda protofidelium illuxit: pro cuius amore congreſſos extremis agonibus commemorat eiuſdem Chriſti Seruatoris perſtrenuos teſtes, inter quorum glorioſos triumphos Dionyſium cum ſociis præcelluiſſe aſſerit inſigni palma victoriæ, & corona gloriæ. Quod neutiquam verum eſſe poſſet, ſi Dionyſius ille quem tantopere colit & prædicat, ex primitiuæ pugnæ nobilitate poſterioribus bellis, in quibus Martyres nouiſſimi agminis, pro fide & gloria Chriſti dimicârunt, puta ſub Decio vel Diocletiano, ſociis iunctus decertaſſet. Nec tantæ eſſet prærogatiuæ vt eius ſociorúmque palmæ & coronæ, ceterorum laureis antecellerent, aut ipſorummet ſacra buſta iiſdem pollerent honoribus, quibus principalium Apoſtolorum oſſa præfulgerent, vtque horum trophæa, illorum tumuli, *veneranda limina*, appellarentur. At hic vnum id ſufficit ex patenti teſtificatione Clodouæi Regis obſeruatum, Dionyſium ſymmyſtáſque eius inter primos Martyrum triumphos victoriæ palmas emeruiſſe, prætuliſſéque coronas glorioſi-

certaminis, dum Chriſtus per Spiritum ſanctum in corda primitiuorum credentium illuxit; hoc eſt ipſo tempore Apoſtolorum, vt patet ex ſequenti declaratione, Pipini Regis Chriſtianiſſimi.

§. 8.

TESTIMONIVM VALDE INSIGNE Pipini Regis, progenitoris ſecundæ ſtirpis Regiæ.

Ex eius diplomate confecto in Monaſterio ſancti Dionyſij, eodem anno quo fato functus, ipſo in templo Apoſtoli Galliarum, ſicut optauerat à filiis, pio funere conditus eſt.

PIPINVS *Rex Francorum vir illuſter. Incipientis* * *Regni noſtri affectu, de noſtra erectione, integrè auxiliante Domino vigilaui, & pro ipſo bono opere, actum cum conſilio Pontificum, vel Seniorum optimatum noſtrorum pro noſtro confirmando regno, & pro mercede, vel adipiſcenda vita æterna, & pro reuerentia ſancti Dionyſij Martyris, Ruſtici & Eleutherij, qui glorioſo ac triumphali voto, pro Chriſti amore coronam martyrij conſecuti ſunt, ad baſilicam ipſorum, vbi requieſcere videntur, ſub libertate Euangelica regulariter viuentes, ſicut antiqui Patres, vel anteriores Reges confirmauerunt, nos denuo ipſo in loco ſancto, noſtro munere priuilegium renouare deberemus, quod ita & fecimus. Ergo oportet clementiam principalem inter ce-*

* Ineptè habet editum apographum, *inſipientia:*

teras petitiones illud quod pro ſalute adſcribitur, vel pro diuino munere poſtulatur, placabili auditu ſuſcipere, & ad effectum perducere, ut fiat in mercedis coniunctionem, dum pro quiete ſeruorum Dei, vel congruentia, locis venerabilibus impertitur petitio. Ergo dum & omnipotens Pater, qui dixit de tenebris lumen reſplendeſcere, *per incarnationis myſterium vnigeniti filij ſui Domini noſtri* IESV CHRISTI, *vel inluſtrationem Spiritus ſancti induxit in corda Sanctorum Chriſtianorum, pro cuius amore & deſiderio, inter ceteros triumphos glorioſos Martyrum,* B. DIONYSIVS *& ſapè iamdictus* RVSTICVS *&* ELEVTHERIVS, *qui* PRIMI POST APOSTOLOS SVB ORDINATIONE B. CLEMENTIS PETRI APOSTOLI SVCCESSORIS IN HANC GALLIARVM PROVINCIAM ADVENERVNT, *ibique prædicantes baptiſmum pænitentiæ in remiſſionem peccatorum, dum* in hunc modum certabant, ibi meruerunt palmam martyrij, & coronas percipere glorioſas. Vbi per multa tempora & vſque nunc, in eorum baſilica, in qua eorum corpora requieſcere videntur, non minima miracula virtutum, Chriſtus pro ipſis dignatur operari. In qua Domnus Dagobertus quondam Rex videtur quieſcere; vtinam & nos per interceſſionem Sanctorum ipſorum in cæleſti regno cum omnibus Sanctis mereamur participari, & vitam æternam percipere.* Deſcripto deinde ampliſſimo priuilegio (cuius prolixior, hîc non aptè continuaretur ſeries) glorioſiſſimus Rex manu ſua ſubſcripſit. Sic enim ad calcẽ legitur. *Et vt firmiorem obtineat vigorem, & noſtris ac futuris tẽporibus* DEO *auxiliante illæſa cuſtodiatur, & per tem-*

* in hoc mũdo.

pora conſeruetur propria manu ſtuduimus adumbrare. Signum. †. Pipini glorioſiſſimi Regis. Data nono Kal. Octob. anno 17. regni noſtri. Actum in ipſo Monaſterio ſancti Dionyſij. Vbi tum extrema infirmitate laborabat, triduóque poſt editam hanc inſignem conſtitutionem, ibidem piiſſimo fine functus eſt. Vnde liquet quod hæ fuerint vltimæ ſupremæque tanti Regis tabulæ: quas ideo confectas præfatur per conſenſum Pontificum & Optimatum ſuorum. Se etenim cùm morbo vrgeri ſentiret piiſſimus Princeps, ad Monaſterium ſancti Dionyſij *ſui*, vt aiebat, *peculiaris patroni*, *voluit deferri.* Cernénſque quod vitæ periculum euadere non poſſet, ſcribit Fredegarius Scholaſticus in Chronico (quod iuſſu Nibelungi Comitis ad obitum vſq. ipſius Regis Pipini produxit) *omnes Proceres ſuos, Duces, Comites Francorum, tam Epiſcopos quàm Sacerdotes ad ſe venire præcepit. Ibíque vnà cum conſenſu Francorum & Procerum ſuorum, ſeu & Epiſcoporum, Regnum Francorum quod ipſe tenuerat, æquali ſorte inter prædictos filios ſuos Carolum & Carlomannum dum adhuc ipſe viueret, inter ipſos diuiſit,* &c. *Hiſque geſtis Rex Pipinus poſt paucos dies, vt dolor eſt ad dicendum, vltimum diem & vitam ſimul* * *caruit, ſepelierúntque eum prædicti Reges Carolus &* * clauſit. *Carlomannus, filij ipſius Regis in Monaſterio ſancti Dionyſij Martyris, vti ipſe voluit, cum magno honore, regnauítque annis 25.* Quod ſanè notæ præſignati eiuſdem poſtremi reſcripti non repugnat. Computat enim Fredegarius, vt reor, annos re-

Vide Baron. an. 744.

gni Pipini ab anno 744. quo ineunte glorioſiſſimum titulum CRISTIANISSIMI, quem tranſmiſit ad poſteros, memorabili Zachariæ Papæ reſcripto, promeruit. Aliàs enim rigide tractando, regnum Pipini ſeptemdecim duntaxat annorum fuit, numerando ſcilicet ab anno 751. quo defluente, Francorum Rex (Childerico abdicato) proclamatus eſt, ad annum vſque 768. exeuntem. Ex qua obſeruatione elicitur diplomatis præmemorati ſyncera nota. Hoc enim ipſo anno quo notatur, conuentum Epiſcoporum & Procerum apud Monaſterium ſancti Dionyſij, in quo ſuum condidit teſtamentum, & præſignatum edidit de eorum aſſenſu priuilegiũ, quo ſanctius foret Rex ipſe Pipinus, vt inſinuauimus, habuit: Móxque piiſſimo fine de humanis exceſſit. Dignum verò eſt animaduerſione ſingulari, quod Fredegarius ſignatè indicat: *ſepultum fuiſſe à filiis Pipinum in templo S. Dionyſij,* VT IPSE VOLVIT. Non hac enim dicendi clauſula, intendit Scriptor ille contemporaneus dicere, votis potitum Pipinum, quia vltima voluntate, vt patet, vel ex textu ſuprascripti Regalis eius diplomatis decreuerat, ſub patrocinio ſancti Dionyſij, quem vnicè coluerat, tumulari: at quia nouo inſolitóque hactenus more, ibi vt iuſſerat, ſepultus fuit. Scilicet non in ipſius templi gremio, ſed in introitu valuarum: Hîc enim nõ ſupinum, vt eſt ſolenne, ſed proſtratum, facie ad terram conuerſa, & capite non Occidentem ſed Oriẽtem versùs, voluit tumulari.

Vtque ſtatuerat, ſic factum eſt. Nimirum vt ſupplicis & deprecabundi ſitum ipſo in tumulo Rex piiſſimus conſeruaret, ſéque indignum præ magnitudine ſancti Dionyſij indicaret, qui in eius baſilica conderetur, ſatis ſibi plúſque quàm præſumeret honoris ſibi indultum reputans, ſi modò ante ſacratiſſima eius limina pio patris & ſuis quoque piaculis proſtratus & ſupplex ac venerabundus humaretur. Quam parentis optimi pietatem, Carolus Magnus eius filius inſigni monimento illuſtrauit. Cùm foris enim ſepultum, religioſo ex voto mouere loco ſitúque non auderet, artificio vſus eſt honeſtiſſimo, quo ſacra ſub tecta, paternum ſepulchrum, immotum tametſi permanſerit, collocauit. Auxit enim templi ædificium, cuius fabricam amplificans, ad locum quo iacebat pius Pater vſque perduxit, ſícque concluſit ſub ſacro faſtigio eiuſdem ſepulchrum, & valuas ſacras vltra protraxit: quemadmodum teſtatur Sugerius Abbas, qui templum vetuſtate collapſum poſtea reædificans, eâ qua nunc cernitur ſtructurâ inſtaurauit: ad hoc πάρεργον. Ad rem igitur vt referamus intentam, Pipini ipſius inclyti Regis ſupraſcriptum conſtitutum, ſeu potiùs teſtamenti tam inſignes tabulas, quas in ipſo piiſſimæ vitæ exitu fecit exarari, tum ad prodendam ſuam de magnitudine ſancti Dionyſij, noſtri Apoſtoli, ſuíque ſpecialis protectoris (quæ communi Galliæ fidei nitebatur) ſententiam, tum ad teſtandum

ſuæ in eum deuotionis flagrantiſſimum affe-ctum, aliqua operæprecium eliciemus iiſdem ex ſupremis eius tabulis axiomata, quibus tam aſſertio noſtra communitur, quàm aduerſariorum noua priuatáque opinatio exploditur.

Primum eſt quod non Apoſtolici modò viri Gallias Chriſti fide imbuerunt, ſed ipſi quoque Apoſtoli primi omnium apud nos Seruatoris ipſius Euangelium *nunciârunt, diuerſaſque*, vt Tertullianus loquitur *, *Galliarum nationes* orientis diuinæ gratiæ ac gloriæ ſplendore illuſtrârunt. Oſtendimus in huius libri exordio, quando Paulus Apoſtolus, gentium Doctor Gallias ingreſſus, ſalutaria Chriſti ſigna intulerit, religioníſque eius poſuerit fundamenta. Et diſertè quidem teſtatur ſanctus Epiphanius. Beatum Paulum, diſcipulos ſuos pleroſque (inter quos nominatim commemorat Creſcentem) Gallis dediſſe Doctores ſcientiæ ſalutis. Quod Euſebius quoque Cæſarienſis, in ſua hiſtoria ſignatè tradit, aliíque Græci Scriptores vnanimi ſuffragio aſſeuerant. Petrum verò primarios alumnos in Gallias deſtinâſſe, cæleſtis ſementis ſatores, Innocentius I. in epiſtola ad Decentium & Epiſcopi comprouincialis Metropolis Arelat. in epiſt. ad Leonem Magnum, Adóque in Chronico & Paulus Vernenfridus, qui ante Hilduinum claruit, in Catalogo Epiſcoporum Metenſium, alios ab Apoſtolis miſſos in Galliam viros Apoſtolicos, indicant & teſtantur. Quod & edoctus à ſancto Remigio,

* In lib. cont. Iud.

gio, profeſſus eſt, Clodoueus Francorum Rex Protochriſtianus, inſigni charta munifica ſuprà relata *in Sauiniano.* Cuius veſtigia inſecutus Pipinus præclarè idem teſtificatur; aſſerit enim nitidè Apoſtolos primum diuinæ gratiæ nuntium in Gallias attuliſſe.

Secundum eſt, quòd ſanctus Dionyſius qui interiorem Galliam tam illuſtri pontificio quàm martyrio, Chriſto Domino conſecrauit, beatorum aſſeclarum adiutorio fretus; non quiſpiam fuerit ex infimæ claſſis Doctoribus, qui Gallis poſteriori ætate theoremata Euangelica prædicârunt: ſed virum fuiſſe re vera Apoſtolicum, & poſt Apoſtolos primarium, qui ex eorum triumphalibus copiis, fortis bellator cum ſociis ſuis prodiens, à Clemente Petri Apoſtolorum principis ſucceſſore, ad propugnanda Chriſti trophæa in Gallias miſſus, doctrinam diuinæ veritatis, tam ore cæleſti facundia pleno, quàm mirificis actis; profligato exitialium ſuperſtitionum errore, per agrum Gallicum diſſeminauerit, ſuóque fuſo cruore in præclariſsimo felicis operationis enixu, vndequaque irrigauerit, atque ad vberem vſque prouexerit myſticæ propaginis ſegetem. Vnde patet quàm à verò ſit diſſonum illud Boſqueti pronunciatum, lib. 1. ſuarum hiſtor. pag. 50. Videlicet *quòd ante Caroli Magni & Ludouici imperium nullus Dionyſio Pariſienſi hanc ætatem quâ contemporaneus ſit Apoſtolis, & dignitatem qua Areopagita creditur, adſcripſerit.* Nam vt

irrefragabile argumentum (quo per inductionem , ab ea ætate deductam vtrumque id quod negat continua ſæculorum ſerie traditum & creditum fuiſſe propalauimus) hic quaſi non fuiſſet expoſitum prætermittamus : euidenter ex iis teſtamentariis codicillis Pipini Regis liquet, ſupini erroris (ne quid aſperiùs dicam) Boſqueti aſſertum conuinci , cùm manifeſtiſſimè conſtat Pipinum quemadmodum anteriores Reges pro certo tenuiſſe, ſanctum Dionyſium fuiſſe Apoſtolorum aſſeclam, Clementíſque Legatum, necnon Galliarum ab ipſo prædicationis Euangelicæ primordio œcumenicum Doctorem, atque Apoſtolum ; Pariſienſis verò Eccleſiæ nobiliſſimæ parentem illuſtriſſimum , martyrij laurea redimitum, longè ceteris rutilantiori , quas aliarum Galliæ Eccleſiarum Patres ſuis quique agonibus perceperunt. Quapropter Pipinus Rex Chriſtianiſſimus præſignatis teſtamenti tabulis præfatur, ipſum Dionyſium cum ſociis, inter Galliæ Martyres, triumphi gloria præeminuiſſe , quem poſt ſancti Spiritus in Eccleſiam naſcentem illapſum, adeóque ab emicante prima Euangelij luce , teſtatur in Galliam delectum, à ſancto Clemente,gerulum diuini luminis, cum bino inclyto ſymmyſta fauſtiſsimo concurſu adueniſſe. Quem etiam credidiſſe illum eſſe celebrem Areopagitam in diuinis paginis nominatum, ſatis elucet ex munifica Pauli I. Papæ ad ipſum Pipinum Regem Chriſtianiſsimum epiſtola ſuprà

inſinuata, in Pauli ipſius Pontificis ſummi teſtimonio: qua ad illum LIBROS DIONYSII AREOPAGITÆ inſigni miſit munere. Vt quid enim illius Dionyſij potiùs quàm alterius, puta Alexandrini vel Corinthij, opera Paulus Papa, ad Pipinum Regem tranſmiſiſſet dono inſigni? niſi Pipinum ſpeciali affectu ea deſiderare, & ideo gratiſſima habiturum (quòd Dionyſij ipſius Areopagitæ eſſet cultor deuotiſſimus) Pontifex ipſe cenſuiſſet. Nec obſtat enim quod eadem epiſtola, ſe, cum Dionyſij Areopagitæ codicibus alios mittere libros, videlicet Antiphonale & Reſponſale, cum aliquot opuſculis Ariſtotelis, idem Papa ſignificet. Nihil enim hoc aliud indicat, quàm hos quoque libros Pipinum expetiiſſe. Quod autem cum operibus Dionyſij Areopagitæ, Ariſtotelis tractatus. Papa ex voto adiunxerit, haud obſcura ratio eſt: quia Philoſophiæ hic habebatur princeps, ſicut ille Theologiæ. Igitur vt Dionyſij Galliæ Apoſtoli diuina Philoſophia faciliùs intelligeretur, Ariſtotelis erat opus adminiculo: qui humanæ ſapientiæ genius, ad illam ſublimiorem notitiam Theoſophiæ, ipſius cupidos, quaſi per gradus quoſdam manuducebat. Igitur Dionyſium Areopagitam coluit Pipinus, cuius quoniam patrocinio apud Deum præpotenti potiſſimum nitebatur, non modò glorioſam omni honorificatione memoriam proſequebatur, ſed doctrina delectabatur, planè ſupereminenti, totáque cæleſti & diuina.

Ceterûm haud ſolum Pipinum in ea fuiſſe ſententia, qua talem quem aſſerimus Dionyſium amplecteretur, patet ex præmemorato illius teſtamentario diplomate, quod conſcriptum perhibet Rex ipſe piiſſimus *per conſenſum Pontificum & Optimatum, illuſtrium virorum, & ſuorum Procerum*. Vel enim mentitum tam religioſum Principem in extremis poſitum, Déique ad tribunal properantem, oportet vt Boſquetus criminetur: vel eundem illo in ſtatu conſtitutum deluſum fuiſſe per Pontifices & regni Proceres, qui in erronea de Dionyſio, ipſius ſpeciali patrono (cuius cultum perennari tam cupidè ipſa in morte affectabat) illum verſantem perſuaſione, cum diſpendio aduerſæ eidem veritatis, & poſteritatis perpeti deceptione: quam narratione tam falſa non obiter, ſed profusè tabulis conſignata, turpiter fefelliſſet: non admonuerint erroris, & tam pudendæ (quàm vult Boſquetus) hallucinationis; qua ſupparem Apoſtolis, coæuúmque faceret Dionyſium Pariſienſem Antiſtitem, qui (vt certum & exploratum tum fuiſſe Boſquetus ipſe affirmat) nonniſi tempore Sixti II. Papæ, & ſancti Laurentij, hoc eſt tertio iam defluente ſæculo ab Apoſtolica ætate; mundo inclaruiſſet. Nimirum inter aſtantes Pipino Regi morienti Pontifices nullus erat, qui veritatis amans eius cauſam non tutaſſet, falſáque imbutum opinione Regem, in rectam ſententiam non curâſſet reducere, & eius memoriæ, fideli conſi-

lio proſpicere, quo labem ab illo falſitatis, & à poſteris offendiculum deceptionis amoueret. Et vt tacuiſſent Epiſcopi omnes, quibus veritatis amor & cura ſalutis Regis præcipuo munere competebat: numquid inter tot optimates, proceres, viros illuſtres, qui chartulæ præmemoratæ cum Antiſtitibus ſubſcripſerunt, vnus vel alter occurrere non potuit, qui illum ad extrema vergentem admonuiſſet piaculi quo falſam & erroneam de Dionyſio, ſuo in teſtamento ſententiam prodidiſſet; auitæ traditioni (quam patentem tum fuiſſe Boſquetus, nimis inconſideratè contendit) prorſus contrariam: hortatúſque fuiſſet fideli quo in optimum illum Regem obſtringebatur deuoti affectus obſequio, vt hanc fabuloſam narrationem deleri è ſupremæ ſuæ voluntatis tabulis præciperet. Sanè hoc nec Proceres, nec Præſules, nec illuſtres viri quotquot erant tum magno numero apud infirmum Regem (pleno ſcilicet euocati conuentu, vt Fredegarius teſtatur) fecerunt; ſed concordi aſtipulatione, quin vt Pipinus ipſe Rex aſſeuerat, COMMVNI CONSENSV, huic eius teſtamenti libello ſubſcripſerunt, his ſuæ ſupremæ voluntatis tabulis aſſenſerunt, immò clauſulam illam, ad oram adiunctam, conſonis ſuffragiis probauerunt. *Quam auctoritatem, Chriſto ſuffragante, confidimus, quia adiuuet illi conſentientes, & deſpiciet illam deſtruere cupientes.* Conſentiebant igitur tam Præſules quàm Optimates, ſapientéſque qui ade-

rant huic diplomati ; vel dira ſibi, ſecùs ſi ſenſiſſent, aliíque contradictoribus è cælo deuocata, ſua obſignaſſent ſubſcriptione. Quod quàm abſurdum ſit nemo eſt qui non videat. Caueat igitur Boſquetus ipſe ſibi : qui dum aſſertioni huic Regiæ de ſancto Dionyſio refragatur, iis ſeſe deuouet diris, quibus Pipinus Rex, cum Epiſcopis, necnon Regni vniuerſis Proceribus, dignos cenſuit quicumque eidem reſcripto principali ac pontificio aduerſarentur.

§. 9.

TESTIMONIVM S. CAROLI COGNOMENTO MAGNI FRANCORVM Regis Chriſtianiſſimi, & Romanorum Auguſti Imperatoris.

ANTECESSORES ſuos, CAROLVS qui iure MAGNVS dictus eſt, nō ſola geſtorum tam domi quàm bello, ſuperauit magnitudine; ſed eoſdem intimo quoque antecelluit, aduerſus beatum Dionyſium Areopagitam, Regum Francorum Regníque perpetuum tutelarem, deuotionis affectu. Ad cuius Hieromartyris promouendum gloriæ cultum, Princeps certè maximus atque piiſſimus, excitatus videtur, non ſolo Patris exemplo, Pipini ſcilicet Regis (cuius nihilominus pleriſque in munificis reſcriptis Monaſterio Dionyſiano collatis, cum ingentis pietatis laude meminit :) ſed permultis aliis incitamentis, quæ

magis propenſum ipſum reddebant, in eiuſdem glorioſi cœlitis venerationem. Proprias rationes Rex inclytus Imperatórque maximus, in chartula quadam ſua has habuiſſe, augendæ erga beatum Dionyſium deuotionis, aſſignat. *Quia* (inquit) *ſanctiſſimi Martyris ac præcellentiſſimi ter beati Dionyſij peculiaris Patroni noſtri, ſociorúmque eius Ruſtici & Eleutherij meritis & interceſſionibus nos ad ſumma Regni, Imperiique faſtigia conſcendiſſe confidimus & fatemur: ſed & quamplurima vitaſſe pericula, ac inimicorum ſuperaſſe tela, infinitas & victorias de ipſis illorum Sanctorum protectorum alis euecti, reportaſſe credimus.* Nam aduerſus rebellantes toties ſibi Saxones bellum moturus, cùm ſatis noſſet, quàm forti & dura cum gente ſibi res eſſet, & iſta ancipitis mentis diſcrimina ſagaci animo iam antè proſpiceret: quo præter humana auxilia & mortales copias etiam Sanctorum haberet in caſtris præſens auxilium, voluit beatiſſimi Dionyſij & eius ſociorum Martyrum veneranda corpora, ab religioſis viris, in eam expeditionem deportari. Sic enim habet MSS. Codex Dionyſianus depromptus à Dubletio Scriniario. *Itaque non tantùm gloria, verùm & potentia Karolus Magnus cùm bellum aduerſus Saxones, mirabili induſtria adminiſtraret, ſui præſentia vires exercitus acueret: Fardulphum beati Dionyſij Areopagitæ Abbatem, inter alios qui ad ferendum pondus prælij, & gentis audaciam comprimendam euocati, vndique confluxerant, contigit accidiſſe. Hic ſacra beatorum Martyrum*

*Ferte. *pignora ſecum * ferri iuſſus fuerat, & cuſtodes Clericos, qui ſecum proficiſcebantur, vti eis viciſſim ſuccedentibus, debita adhiberetur religio, delegauerat.* Nec vana fuit hæc piiſſimi Principis in ſancti Dionyſij præſenti patrocinio, fiducia: cuius mors multas quidem ac inſignes victorias retulit, de iiſque prorſus Chriſto ſubactis (id enim potiſſimum tot præliis ſatagebat) immortali nominis gloria triumphauit. Qui quidem haud immemor beneficij, ſancti Dionyſij opitulatoris ſui, vt decus memoriæ ampliaret, Eccleſiæ eius dignitatem ingenti priuilegio decorauit. Scilicet vt eius Eccleſia, ob Apoſtolatus illius memoriam, quaſi Matrix in Gallia haberetur. In hac Reges Chriſtianiſſimi regni diadema ſuſciperent. Archiepiſcopi & Epiſcopi huic referrent ſacri honoris accepti à ſede Petri primitias. Regníque Francorum, vt beatiſſimo ipſimet Martyri Dionyſio perpetua tutela atque protectio crederetur. Quamobrem templum glorioſiſſimi eiuſdem Galliæ Apoſtoli ac Suffragatoris ingreſſus cum plurimis Archiepiſcopis, Epiſcopis atque Proceribus, quorum diplomati hac de re edito ſyngraphas, ad perpetuum rei monimentum, apponi voluit: depoſito ſuper aram ſacram, regali diademate genibus humi flexis, palam & cunctis audientibus regnum ſuum Francorum coronam beato Dionyſio obtulit ac deuouit dicens: *Sanctiſſime Domine Dionyſi, iis Regni Franciæ inſignijs & ornamentis libenter me ſpolio, vt deinceps*

eius

eius regale habeas, teneas, atque poßideas dominium. Deinde altari quaternos aureos Bizantios, velut redemptionis pretium impoſuit, hoc ſigno teſtans & palam omnibus faciens, à nullo ſe Francorum Regnum, niſi à Deo & beato Dionyſio obtinere. Quod non modò ipſe fecit, ſed aliis quoque poſt venturis regibus quotannis faciendum præſcripſit.* Francóſque beati Dionyſij clientes omnes eſſe voluit. *Túmque diſcedens & vltimum vale dicens* (anno enim ſequenti* Aquiſgranni, quò ſe demum recepit, de ſtadio mortis exceſſit.) piiſſimus ipſe maximúſque Princeps ſubintulit. *Pro animæ meæ remedio, & Regni ſtabilitate ac filiorum incolumitate, palam omnibus dico. Sanctißime Domine Dionyſi, à vobis nunc exeundi copiam peto, Regnúmque Franciæ vobis relinquo, vt poſt Deum ſitis illius cuſtodes, eiúſque curam & tutelam ſuſcipiatis. Túmque Franciam, ſicut Apoſtolatui eius primùm à ſancto Clemente* (velut ſuprà iam ex iiſdem monimentis quæ Belforeſtius magna ex parte ſua in Coſmographia recitat, inſinuaſſe commeminimus) *fuerat concredita.*

*Bizantinos.

* Edita hæc enim ſignatur conſtitutio an. 813.

Vnde eſt quo Petri Molinei, impij auitæ pietatis hoſtis temeritatem coërceas, qui patrocinia ſpecialia Sanctorum irridens, acerbè potiſſimum habet, *cur ſanctus Dionyſius, Galliæ proprius cuſtos ac defenſor apud Deum celebretur:* dicítque nefarius impoſtor, *hoc ethnicam ſuperſtitionem redolere, & tale munus cœliti fuiſſe impoſitum, ab hominibus qui ſunt in terra, neſciríque*, ſi Sanctus v. g. Dionyſius qui eſt in cælo, *& ceteri Sancti quos propriorum po-*

pulorum conſtitutos enumerat defenſores, hæc delata ſibi acceptarint officia; minus verò ſi ratam gratámque Deus hanc habuerit ſpecialis patronatus collationem, quam profectam dicit ab hominum temeraria præſumptione, qui auſi ſint, rei ſcilicet temerarij & ignari, ſanctis qui in ſuperis habitant, onera diſpertire lib. 1. ſuæ, quam Papatus inſcribit, Nouitatis cap. 25. Cui impio deriſori & inſano nugatori haud difficile eſt os impudentiſſimum obſtruere, ipſis ex Scripturis, quæ diuina auctoritate has eius blaſphemias retundunt. Sanè negare non poteſt, Patriarcham Iacob in extremo halitu, propheticos proferens effatus, filiis Ioſeph, Ephraim & Manaſſe Patronum Angelum ſuum delegâſſe. Paulum ſe curam præcipuè gerere gentium eſſe teſtatum, quibus fuerat proprius delectus Apoſtolus. Petrum ad paſſionem ſuam prope accedentem, iis quibus prædicauerat vel ſcripſerat populis ſe præſtiturum opem apud Deum pollicitum. Affectum igitur retinent ſpecialem Sancti, erga eos quorum ſalutem particulari cura ac officio curauerunt*. Pro quibus etſi ab iis non interpellarentur, non deſinerent tamen ex ipſo quo feruent ſemper æſtu perfectæ charitatis, apud Deum, quæcunque ſunt illis neceſſaria atque vtilia poſtulare. Quam opem ſi mortales ab iiſdem peculiari fiducia depoſcunt, non ideò ipſis poteſtatem vllam aut munus quoduis attribuunt: ſed quam diuinitus iiſdem norunt, ex præcedentis miniſterij indicio, conceſſam diſpenſationem

Geneſ. 48. 16. Rom. 11. 1.

2. Pet. 2. 15.

*Vide Apolog. noſtrum pro cultu SS. tom. 2. Martyrol. Gall.

atque ſpeculationem, & ſuccurrendi propenſionem, immò poteſtatem ſiue generalem, ſiue ſpecialem, tam circa vrbes quàm populos, & quoſque eorum indigetes auctam potius in iis perfectæ felicitatis acceſſu, quàm ſublatam ab ipſis benè intelligentes; ex conteſſeratione ipſa antiquæ cum illis neceſſitudinis & habitudinis, paternæ ex pietatis in iis perennato affectu, & ipſo charitatis nunquam excidentis iure ac officio, illos deprecantur; ſelectóſque ab ipſa diuina præordinatione curatores, cum Angelis propriis cuſtodibus (quibus vt docet ex Euangelio ſanctus Hilarius*, beatificati ſancti ſunt ſimiles) illos adeunt, orántque ac interpellant, vt ſui iam olim supernè conceſſam ſollicitudinem, propriis demum exempti curis obire non deſinant: ſed perpetim quo magis opus ſit, ſuffragationis ſubſidia præſtare velint, auxiliaríque iam longè maiori poteſtate fruentes, ſuis filiis, orbatis illorum deſiderabili præſentia, tótque in periculis verſantibus, auſpicatò dignentur. Nec opus eſt vt Deus ſcribat de cælo, ſe probare eiuſmodi deuotionem, vel Sancti ſe illam admittere procurationem. Illa enim ſubſidia quæ precantibus, Sanctorum ſub Patronorum ſuffragio fidelibus, frequenti experimento Deus impertit; ſatis produnt, & Sanctos beatos lubenter inſtantérque hoc officio defungi, Deúmque Opt. Max. ſine cuius beneplacito nihil proficerent Sanctorum pij erga nos affectus, noſtríque ad eos gemitus

* In Matth. 18. & 22.

vani eſſent, eorum gratiſſimam habere pro nobis interuentionem. Quod multiplici doctus experientia Carolus magnus de opportuna, frequentíque opitulatione ſancti Dionyſij, ſibi Regnóque Francorum (ex officio ſpecialis clientelæ) præſtita, præclarè teſtatus eſt, in ſuprà ſignato diplomate, quo diſertè aſſeuerat, *ſe ſanctiſsimi ac præcellentiſsimi Martyris Dionyſij, ſociorúmque eius Ruſtici & Eleutherij meritis & interceſſionibus, ad ſumma non modò regni & imperij faſtigia conſcendiſſe: ſed fatetur inſuper ſe quamplurima vitaſſe pericula, ac ſuorum inimicorum tela ſuperaſſe, infinitáſque victorias de ipſis, Sanctorum protectionum alis euectum, reportâſſe.* Nec tamen ideo munus curandæ iuuandæque Galliæ ſpeciali iure, Carolus ipſe Rex Imperatórque, beato Dionyſio contulerat, ſicut neque anteriores Reges, qui peculiarem ſuum regníque Patronum paſſim agnoſcebant, maximáque per eiuſdem ſuffragationem apud Chriſtum gloriæ Regem obtinuiſſe ſolatia atque beneficia, publicis ſuis reſcriptis profitebantur. Sed Deus ipſe qui vt Sapiens ait, *in vnaquaque gente poſuit, rectorem;* Dionyſium Galliæ conſtituit proprium ac perpetuum defenſorem, cùm Galliæ curam illius Apoſtolatui per miniſterium ſancti Clementis, ſui in terris Vicarij, à ſe supernè afflati, mirabili prouidentiæ arcano commendauit: cui illum & Martyrij præclariſſimi perpeſſione, & ſacrorum oſ-

Eccleſ 17. 14.

ſium oppigneratione, iuréq. ipſo ſepulchri, quódque longè maius eſt, charitatis, nunquam emoriturę, ſed ſemper in ipſo feruentis perpetua incitatione, voluit ſupereſſe obſtrictum atque deuinctum. Cuius continuatam ab hinc pro nobis ſollicitudinem, præſtitúmque per delatas ad thronum Chriſti gratiæ preces, Regibus noſtris Regnóque vniuerſo ab ipſo glorioſiſſimo Galliæ Apoſtolo atque protectore præſidium, præclarè ſanctus Ludouicus Rex quoque Galliarum Chriſtianiſſimus principali reſcripto aſſeruit, quo ſic effatur. *Cùm poſtquam beatiſſimus Dionyſius Patronus & Apoſtolus Franciæ*, * FRANCORVMQVE LEGISLATOR, *primordia fidei orthodoxæ, Francis dudum euangelizaſſet, & ab errore paganico illos ſalubriter diuertens, felicem martyrij palmam inde reportâſſet, ſacrúmque ſuum ſepulchrum mira Dei ordinatione in agro Franciæ elegiſſet: Francorum Reges Chriſtianiſſimi noſtri anteceſſores, tanquam veri diſcipuli & imitatores Dionyſij, ac eorum populi & regnicoli Catholicam legem ita didicerunt, quod ad præſens lex ipſa Chriſtianáque fides, à nulla alia natione, ſicut à Gallis veris Chriſticolis inuiolabiliter colitur; & tantam ab eodem Sancto ſumpſerunt fiduciam, vt ſua prece non ſolùm in proſperis ſcelera, ſed etiã ipſi & eorum milites*, IN EIVS GLORIOSI NOMINIS EXCLAMATIONE *inimicorum tela, in bellis ſæpè deuiciſſe crediderint.* Exclamatio illa bellica, tam fauſta Gallis, quæ ab amore Francorum erga ſanctum Dionyſium ſuum adiutorem ſecundùm Deum

* Promiſcuè ſumit Franciã pro Gallia, & Francos cum Gallis coniungit, propter antiquiſſimã vtriuſq. gentis commixtionem.

emanauit; dictum illud erat ſolenne quod ferunt primum à Clodouæo Magno vſurpatum, & à poſteris frequentatum. * *Mon Ioye ſainct Denys.* Hoc eſt, ſanctus Dionyſius meum eſt gaudium atque præſidium. Quod dictum Gallis auſpicatiſſimum fuiſſe, orta ab hinc experientia demonſtrauit, partîs ſub hac Apoſtoli Galliæ interpellatione innumeris victoriarum triumphîs, quos Chriſtianiſſimi Reges cum vniuerſa Francorum gente primæua ex obſeruatione ipſimet addicti, eiuſdem potentiſſimâ opitulatione, continua temporum ſerie hactenus retulerunt. Non inaniter igitur illum coluerunt patronum, neque ſuperſtitioſè. Aliàs & ſanctum Ludouicum qui debitæ gratitudinis titulo illa ſancti Dionyſij, ſui Maiorúmque perpetui adiutoris profert præconia, & Carolum Magnum qui ſolenni in procerum Regni conuentu illum, quem ſanctus Clemens diuino afflatu quondam conſtituerat Galliæ Apoſtolum, proprium perennémque eſſe Galliæ apud Deum auxiliatorem profeſſus eſt: non ſolùm eſſe ethnicæ ſuperſtitionis reos, Molineus (qui paganicum hinc inuehi ritum calumniatur) peragat oportet: ſed ipſum DEVM, qui ſic Dionyſium voluit per edita ad eius inuocationem & preces prodigia honorificare, & tot tantáque beneficia, tam priuata quàm publica, huius patrocinationis, quam obſignauit digito ſuæ gratiæ & virtutis, obtentu, poſcentibus Francis impertiri; accuſare (quod ſine bla-

* Cenalis vult dicendũ eſſe, *Mon Ioue S. Denys:* quaſi ſonaret. Iouem, ſibi habent alij; mihi pro Ioue erit S. Dionyſius, Galliæ protector & adiutor. *de re Gallica lib.* 1. *perioche* 12.

ſphemia fieri nequit) ipſimet impio garrulo neceſſe foret: quaſi ethnicæ ſuperſtitionis propagationi manum, in animarum quas redemit ſanguine proprio Chriſtus, exitium præbuerit: quódque verbo ſuo (vt Molineus mentitur) Deus ipſe damnat, Sanctorum glorificatorum patrocinium; facto nihilominus tam frequenti, quàm perſpicuo, ipſe nihilominus probauerit. Quæ non ferenda deliria, ſi audeat ſcurrilis ille diſputator effutire, tam diuinæ quàm humanæ maieſtatis temerator euadet. Si verò admittere renuat, perdita prorſus cauſa decidet, nugáſque cum blaſphemiis inuoluens ſuo more, nihil hinc ſibi aliud quàm inſulſæ inaníſque argumentationis ludibrium, poterit pro ſtultitiæ ac impietatis premio, emereri.

Sed hâc ſepoſita Molinei impia dicacitate, vt probationi quam perſequimur adiiciamus coronidem, illam quam cum æmulis diſcutiendam inſtituimus quæſtionem, facilè ex ſententia Caroli Magni dirimemus. Negare non poſſunt Dionyſium beatiſſimum Martyrem, I. Pariſienſem Epiſcopũ, à Carolo Magno excultum ſummo affectu ſingularíque veneratione: ſed nodum, aiunt, ſemper implexum manere, num Carolus Magnus Pariſienſem illum Dionyſium eum eſſe quem volumus crediderit, virum vtique Apoſtolicæ ætatis & gloriæ, adeóque ipſum Areopagitam in Actis Apoſtolorum memoratum? An vt contendunt, poſterioris longè æui ac inferioris meriti Anti-

ſtitem, tertio duntaxat labente ſæculo miſſum Româ in Galliam, ibíque exiguæ tum ciuitatis Lutetiæ, ſimplicem Præſulem, martyrio ſub Decio vel Diocletiano bino cum ſodali perfunctum. Porrò manifeſtum eſt priorem quæ noſtra eſt aſſertionem, Magnum Carolum ſuo teſtimonio immò iudicio approbâſſe, háncque dum clarè profeſſus eſt, aduerſariorum, quæ poſterior eſt, damnâſſe opinionem.

Id verò ſic confirmo. PRIMÒ, quia compertiſſimum eſt ex inductis, Carolum Magnum coluiſſe eundem Dionyſium, quem Pipinus ipſius Caroli pater tantopere venerabatur, & ſub cuius patrocinio voluit extremos efflare ſpiritus, mortaléſque ſuas exuuias deponere. Sed verò Pipinus, vt probatum eſt, Dionyſium Pariſienſem protopræſulem, Apoſtolis coætaneum ac ſupparem, eorúmque à præcipuo ſucceſſore Clemente, & non alio Pontifice Apoſtolico, in Galliam deſtinatum, eundémque AREOPAGITAM eſſe illum percelebrem, certo tenuit atque etiam teſtatus eſt authenticæ profeſſionis multiplici iudicio, adeóque patenti reſcripto principali. Igitur, *&c.* SECVNDÒ, quia Carolus ipſe Magnus, qui tot ſignificationibus intimam ſuam erga noſtrum beatum Dionyſium deuotionem prodidit, illius reliquias vt Areopagitæ coluit, atque eo nomine in exercitu honorificentiſſimè pro præſidio & pignore circumtulit. TERTIÒ, quia Miſſum illum à ſancto Clemente apertè confeſſus eſt, cum

ei

ei Galliam voluit vniuerſam iure clientelæ eſſe *obſtrictam, ſicut beatus Clemens illam eius Apoſtolatui ſubdiderat.* QVARTÒ, quia huius Apoſtolatus obtentu, voluit baſilicam in qua quieſcit beatiſſimus Chriſti Agoniſta cum ſociis, cenſeri GALLICARVM ECCLESIARVM MATRICEM: Epiſcopóſque ideo huic referre ſacri honoris primitias, quoniam nimirum miſſus à ſancto Clemente ſummæ ſedis Pontifice beatus Dionyſius primus re vera Galliæ Archiepiſcopus, hoc eſt Sacerdotij in Gallia apex, ac Euangelicæ religionis parens & communis gentis noſtræ Apoſtolus, hoc eſt paſtor & magiſter Euangelicus, extiterat. Qua de cauſa in argenteo feretro in quo iamdudum condita quieſcunt ſacrtiſſima S. Dionyſij oſſa, antiquiſsima illa inſcriptio exarata legitur à ſancto Eligio, qui iuſſu Dagoberti loculum illum fabricauit. *Hîc ſitum eſt corpus beatiſſimi Dionyſij Archiepiſcopi*, hoc eſt Pontificum in Gallia Principis, ſeu non vnius tantùm Lutetiæ Epiſcopi, at vniuerſalis Galliæ Apoſtoli atque Doctoris. Quo ſenſu in chartula Galteri Cameracenſis Epiſcopi, data anno 1099. ex veteri more vſúque, TOTIVS GALLIÆ PRIMAS, S. Dionyſius vocitatur. QVINTÒ denique id apertiſsimè oſtendo, ex Synodali conſtitutione Sueſſione edita in ſacro ciuilíque conuentu, illa in vrbe celebrato, ab ipſo Carolo Magno, cum Leone III. Maximo Pontifice, quem in Galliam ad illum veniſſe Sigebertus notat * 804. in

* Sigebertus in Chronico

anno 804. *Leo Papa ad Carolũ Imp. in Franciam venit.*

hac enim ſubſcriptus legitur, poſt Papam & Imperatorem permultóſque Antiſtites & Proceres, Furaldus Abbas ſancti Dionyſij (de cuius Monaſterij iuribus tum agebatur) hac ſerie: SIGNVM FVRALDI ABBATIS TER BEATISSIMI DIONYSII AREOPAGITÆ. Quam ſyngrapham ipſum Carolum Magnum ratam gratámque habuiſſe inde patet, quòd ipſemet Imperator illam proprio calculo obſignauerit, ſuáque adſtipulatione comprobauerit: immò cum ipſo, Leo III. Papa, qui vnà cum omnibus aſsiſtentibus ſibi Epiſcopis, eidem diplomati ſubſcripſit. Quo ex inſigni monimento, quod excerptum ex tabulario ſancti Dionyſij dum illius Scriniarius eſſet Dubletius contractè referens annotauit, *lib. 1. Antiquitatum ſuarum cap. 5.* validiſsimè Boſqueti refellitur pronunciatio, parùm conſideratè aſſeuerantis, Areopagitæ titulum, Pariſienſi DIONYSIO, primum omnium Hilduinum tribuiſſe: ac ante illum neminem viſum, qui iſto Dionyſium noſtrum cognomine inſignierit. Vt enim adducta pleraque ſuperiùs argumenta, hîc refricare prætermittamus, quibus manifeſtiſsimè probauimus Dionyſium Pariſienſem, multis ante Hilduinum ſæculis eundem cum Areopagita fuiſſe exiſtimatum & habitum: hac vna certa demonſtratione, erroneam hanc Boſqueti aſſertionem eſſe conuincimus. Ecce enim Furaldus Abbas X. cui Hilduinus nonniſi poſt Conſtranum, Magnarium & Fardulphum ſuffectus fuit, *Abbatem ter*

beatiſsimi DIONYSII AREOPAGITÆ *ſe inſcribit & ſubſignat, ſub ſummi Pontificis conſpectu & Caroli Magni Principis ſanè eruditiſsimi oculis, Epiſcoporúmque præcipuorum Galliæ ſpeculatione*, à quibus tantum abeſt vt inuentæ nouitatis & præſumptionis hactenus non auditæ redarguatur; quin potiùs eius his verbis concepta ſubſcriptio, omnium ſuffragiis collaudatur, vtque vera & natiua, ac antiquæ traditioni & patenti veritati, ac communi perſuaſioni & vſui conſona, ſingulorum approbatur teſtimoniis, chirographíſque inſuper omnium confirmatur. Vnde colligere eſt, non tam Furaldi eſſe ſignum, quàm Leonis Papæ, Caroli Magni Imperatoris Epiſcoporúmque conſidentium in hoc ſacro conuentu, publicum teſtimonium: immò ſynodale (quod Apoſtolica auctoritate atque præſentia roboratur) ea in cauſa iudicium.

Sed quoniam hîc de Caroli Magni ſolius ſententia ex præfixo titulo diſſertamus, ſat nobis fuerit hinc tanti Monarchæ teſtimonium elicere, quod vt aſſertionem noſtram vndique fulcit, ita & aduerſariorum opinionem prorſus euertit. Fuit enim glorioſiſsimus hic Rex ſacrarum rerum ſcientiſsimus, hiſtoriæque Sanctorum quam puram & ſynceram legi in Eccleſia curauit, peritiſſimus. Quem in finem, operam Pauli Diaconi adhibuit, Capitularia nonnulla edidit, & Synodalia pleraque decreta ſanciri fecit & promulgari. Qui ideo Fardulphum Abbatem nepotem

* Hoc indicat reſcriptũ imperiale Caroli Magni, datum Vvormatiæ anno regni 13.

* ſuum, ſibi, quin & Papæ præſenti illudere, non permiſiſſet, falſa & temeraria tam noui quàm ſuperbi tituli oſtentatione, & erronea ſubſcriptione; quâ Furaldus ipſe Maiorum concuſſiſſet fidem, exploratam temeraſſet veritatem, offendiculum poſteris præbuiſſet. At ipſum certè Carolus Imperator Maximus, protinus redarguiſſet vel affectatæ malitiæ, vel ſupinæ ignorantiæ; & delere illum iuſſiſſet protinus titulum *Areopagitæ*, ſi hunc ſine iure & vſu, illum tribuiſſe, Gallico quem colebat Dionyſio, iudicaſſet. Nec enim is erat Carolus qui publicum ſcelus extemplò non vindicaſſet, aut ſibi per ſtropham illudi pati potuiſſet. Illum igitur habemus Principem glorioſiſsimum hac in cauſa teſtem, iudicémque ac vindicem: qui proculdubiò titulum Areopagitæ, beatiſsimo noſtro Dionyſio, hoc ſuo patenti teſtimonio ſolenníque admodum iudicio adſcribit, necnon eadem auctoritate, auitam obſignat quam tuemur traditionem, erraticámque damnat aduerſariorum perſuaſionem.

§. 10.

TESTIMONIVM LVDOVICI PII, FILII CAROLI MAGNI, REGISQVE Chriſtianiſſimi ac Imperatoris.

EPISTOLA huius religioſiſſimi principis, præfixa Areopagiticis Hilduini, qua illum ad eadem contexenda, ſacra ſua præceptione compellit, tam patenti argumento eſt, quòd is DIONY-

SIVM noſtrum ſuúmq. potiùs (nã miris eum reuerentiæ amoríſq. indiciis proſequebatur) AREOPAGITAM ipſum, & non alium quempiam, indubitatè crediderit. Nec id aduerſarij negant, quapropter hanc illius teſtificationem huic loco per integram ſeriem intexere, minimè neceſſarium, at potiùs ſuperfluum arbitrati ſumus. Ideóque nec eum in claſſem teſtium adlegiſſemus, niſi vt illius propugnaremus gloriam. Deluſum enim fuiſſe volunt noſtri æmuli ab Hilduino, vt Areopagitam Dionyſium Pariſienſem exiſtimârit: quoniam ante ſcripta ab iſto Abbate Areopagitica, talem, nemo qui cenſuiſſet Dionyſium Pariſienſem, at longè minus qui aſtruxiſſet, viſus fuerat. Sed quàm à vero ſit aliena hæc aduerſariorum criminatio, patet tum ex principali Ludouici Imperatoris reſcripto ad Hilduinum ſuprà fusè neruoſéque vindicato c. 1. & 2. quo pium illum Auguſtum (antequam ſcriberet Hilduinus Areopagiticam defenſionem, ſibi ab ipſo Imperatore præceptam) in ea ſententia extitiſſe conſtat, quæ Athenienſem Pariſienſémque Dionyſium, vnum prorſus eundémque cenſendum eſſe aſſerit: & ideò motu ſuo proprio ipſum incitâſſe Hilduinum, quo ſuis ſatisfaceret optatis, vt principalem titulum, quem quidam nuperi detractores, Dionyſio Galliarum Apoſtolo abrogare contendebant, illi æquiſſimo iure vſúque competentem aſtrueret, atque in eius finem, *quidquid de eius notitia ex Græcorum hiſtoriis & Latinis codici-*

bus, libellóque eiuſdem beatiſſimi paſſionis, tomis quoque, vel chartis vetuſtiſſimis armarij Pariſiacæ Eccleſiæ, ſacræ videlicet eius ſedis, conglobaret, ordinatámque per ſeriem diſponeret. Tum etiam liquet aduerſariorum, qui huius ſententiæ fingunt Hilduinum inuentorem, quàm ſit aberrans à ſede veritatis aſſeueratio, ex ſuperiori inductione, authenticarum probationum, quibus demonſtrauimus, tam Epiſcoporum, quàm Regum illuſtriúmque ſcriptorum, immò populorum non Galliæ modò, at Græcorum pariter ac Latinorum; multis ante Hilduinum ſæculis hanc fuiſſe communem perſuaſionem, fixámque & indubitatam ſententiam, quæ vnum eundémq. protomartyrem Pariſiēſem cū Atheniēſi Præantiſtite conſtituit, hócq. honore ipſummet ab ortu religionis ſuſceptæ, Gallos celebrâſſe, Reges coluiſſe, multa cum impenſæ erga illum pietatis vtilitate. quapropter grauiter iuxtà, aptiſſiméque antedictus Imperator, in ſuo vindicario gloriæ illius diplomate, præfatur. *Quantùm muneris atque præſidij, non modò nobis, ac prædeceſſoribus, ſeu progenitoribus noſtris, verùm etiam totius imperij noſtri populis, Domini prouidentiæ per beatiſſimum Dionyſium ſæpenumero, immò continuè in magnis gratiarum vbertatibus contulerit: cunctæ per tranſacta tempora, Gallicæ generationes ſenſerunt, quæ eius* INSIGNI APOSTOLATV, *fidei rudimenta ſumpſerunt, & ſalutis ſubſidia perceperunt. Prædeceſſores autem noſtri gloriam huius eximij teſtis & amici Dei non inaniter coluerunt, qui dum eius ſacras exu-*

uias in terris ob amorem & honorem Domini noſtri IESV CHRISTI *opibus, quibus poterant, honorauerunt, per eius preces digniſsimas, honoris priuilegio potiri & in terris, & in cæleſtibus meruerunt.* Inſinuationéque ductâ, à Dagoberto I. vſque ad Carolum Magnum ſuum genitorem, de ſeipſo ſubnectit. *Sed & nos multis ac frequentibus largitionibus, beneficia eius ſumus experti.* Quæ recordatio eum ita accendebat, vt plenum eidem adſcribi elogium ex antiquæ Eccleſiaſticæ traditionis monimentis, vnanimíque Orientis ac Occidentis conſenſu, per Hilduini induſtriam procurârit operáq. diuini eiuſdem Doctoris Dionyſij de Græco tranſlata in Latinum eloquium, vnà cum præclaris eius præconiis, diſtincto tamen codice, ſibi tranſmitti Hilduino eidem præceperit. *Quoniam maximum*, ait, *valdéque dulciſſimum pignus præſentiæ illius Domini & ſolatiatoris noſtri vbicumque ſimus, habere nos credimus; ſi cum eo, vel de eo aut ab eo dictis, oratione, collatione, lectione colloquimur.* En qualem Dionyſium credebat noſtrum Pius ille Auguſtus, ante Hilduini Areopagitica, nempe illum celeberrimum Athenienſem ciuem ac præſulem, cuius diuina ſcripta (Græcè ab illo edita) propria opificia eſſe non ambigebat. Ceterùm vt eius venerationem ab inclytorum progenitorum imbiberat indole ac imitatione: ſic & eam, quam de eius vnitate ac identitate ſententiam amplectebatur, de ipſorummet hauſerat perenni profeſſione, immò

perantiqua ac illibata & patentiſſima vniuerſalis Eccleſiæ traditione illam credulitatem, vt ex epiſtolæ illius tenore ad Hilduinum liquet; magíſque ex perſpicuæ vberrimæque noſtræ ſuprà exaratæ inductionis authenticis demonſtrationibus, aliíſque (non dubito) copioſioribus, quæ per tot temporum excurſum exciderunt, monimentis, proculdubio acceperat.

CAPVT NONVM.

In quo poſteriores Hilduino probationes eius ſententiæ, de vno eodémque Dionyſio Athenienſi & Pariſienſi, perſpicuè ordinatéque depromuntur; quámque tuemur, poſt ipſum Hilduinum, auitam traditionem, fuiſſe ab eius ætate, vt antea recta ſerie ad nos vſque deductam per illuſtrium ſcriptorum cuiuſque ſæculi teſtimonia, quin & grauiſſimorum auctorum iudicia, aliáque præclara veritatis comprobatæ indicia, demonſtrantur.

IN *Hilduini ſententiam* (ait Boſquetus pag. 52. 1. part.) *à diſcipulo Hincmaro Remenſi Epiſcopo laudatam, vniuerſa ferè Gallicana Eccleſia, octingentos per annos, ad noſtra fermè tempora pedes iuit.* Præclara ſanè, ſed extorta vi patentiſſimæ veritatis confeſſio; quæ nos vel ſola eximit ab onere incundæ profuſæ omninò inductionis: quâ per inuiolatam traducem, illam ad nos deriuatam, de Dionyſio beatiſſimo ſententiam propalemus. Verum-

tamen quia Boſquetus non rotundo ore loquitur, ſiquidem non abſolutè concedit, quæ vera eſſe ceteroqui inficiari non poteſt, ſed cum quadam annuit nobis reſtrictione: non enim ait vniuerſam omnino, ſed *ferè vniuerſam Gallicanam Eccleſiam* hanc ſententiam (quam perperam Hilduini propriam nominat, cùm diutiſſimè ante illum omnium gentium fuerit communis) ab octo inde ſæculis inſecutam. Ideò accurato, quamuis breuiori indice, eiuſdem ſententiæ, ab Hilduini ætate (quoniam luculentiſſimè antea fuiſſe vbique receptam ſuperiùs oſtenſum eſt) ad nos vſque perennitatem, per teſtium illuſtrium, non Gallicorum tantùm, ſed & exterorum quoque authentica ſuffragia, immò iudicia, & clara illius continuæ deriuationis veſtigia, hîc ad perfectæ probationis cumulum ac cauſæ, quam tuemur defenſionem, veritatíſque ipſius, qua nitimur euidentiorem euictionem, hoc in capite demonſtrabimus.

ARTICVLVS I.

Sæculi noni proferens teſtimonia.

§. 1.

SIMON METAPHRASTES Conſtantinopolitanus, hoc ſæculo floruit, in cuius obitu Pſellum habuiſſe orationem notat *anno 859*. Ba-

ronius *tom.10.* Hic verò auctor ſanctus & inſignis collegit, ac ordine per ſingulos menſium dies digeſſit Græco ſuo idiomate Sanctorum vitas, quæ extant MSS. partim in Vaticana, partim in aliis Galliæ Germaniæq. bibliothecis. In qua collectione habetur *conſcriptum ab eodem S. Dionyſij Areopagitæ & ſociorum eius Ruſtici & Eleutherij peractum Lutetiæ Pariſiorum illuſtriſſimum Martyrium: quod hinc Latina phraſi Surius retulit*, in tom. 10. de probatis Sanctorum vitis, ad diem 9. Octobris. At illud ipſum Martyrium, ſeu potiùs Martyris, Dionyſij Areopagitæ Pariſiis in Gallia, cum ſociis laureati, triumphale præconium (quo tamen non ſolùm extremæ concertationis beati Dionyſij ſeries: ſed vitæ quoque eiuſdem fuſa ſatis deſcriptio continetur, tam illuſtre fuit apud Græcos pariter ac Latinos: vt cùm Florentiæ, vbi conuenerant ad Concilium œcumenicum, de Spiritus ſancti proceſſione ageretur; Latini, Græcos per ipſorum probatiſſimos auctores, erroris conuincerent: ex hoc Simeonis Metaphraſtis opuſculo, teſtimonium pro emanatione Spiritus ſancti à patre & filio protulerint. Sic enim infit pro parte Romanæ Eccleſiæ Andreas Rhodi Epiſcopus ſeſſ. 7. *Nunc quia tota veſtra difficultas in eo eſt, vt vox illa, ſeu verbum, vt ita dicam,* PROCEDERE *inueniatur; afferemus quoſdam ex veſtris Doctoribus (quamquam multos, in tempus aliud differimus proponendos) qui apertè dicunt Spiritum ſanctum etiam ex filio procedere: & primùm legatur ille, qui à*

vobis quotidie legitur in Eccleſiis, Symeon, inquam, Metaphraſtes. Habetis vitam beati Dionyſij, quid ergo ille dicat audite, & poſtmodum feretis iudicium. Finem habent ea quæ corporalia erant aduentus, & incipiunt ſpiritualia; meúſque ad cælos euehitur Chriſtus, & patriam redit in ſedem, ac Spiritum, qui ab ipſo procedit, ad gentes quæ non credebant inſtituendas mittit diſcipulos. Quæ verba leguntur in ipſo prooemio vitæ & agonis ſancti Dionyſij Areopagitæ apud Metaphraſten. Nec enim illius tantùm eſſe, ſed antiquioris auctoris innuit Baronij obſeruatio admonentis, *vitas Sanctorum non fuiſſe vt plurimum ab Metaphraſte conſcriptas, ſed collectas ſolùm, ordinéque per ſingulos menſes diſpoſitas.* Vnde hanc quam in lucem edidit ſancti Dionyſij Areopagitæ Pariſiis occumbentis hiſtoriam, à priſco magis auctore prodiiſſe, non temerè coniicio. Tametſi hoc non multùm vrgeo, ſatis eſt enim quòd Metaphraſtes, (vt paſſim teſtatur) ex antiquorum monimentorum copiis, ſuam collectionem inſtruxerit: vnde conſtat & hanc deſcriptionem vitæ necíſque ſancti Dionyſij delibâſſe, quam ante annos ferè 800. concinnauit; Græcia vt veritati conſonam admiſit, publicéque ab hinc in Eccleſiis recitauit; Romana Eccleſia dignam cenſuit, cuius verba ad faciendam auctoritatem, plenario in Concilio aduerſus ipſos Græcos, in ipſa cauſa Spiritus veritatis produceret: qui hoc perculſi teſtimonio, quod authenticum conceſsêre, nihil contra illud, quod

reſponderent, ſub intulerunt. Repulit quidem Imperator, qui tum pro Grȩcis interloquebatur Hermiæ Græci teſtimonium, depromptum à Rhodienſi Præſule, eodem tenore dictorum, ex eius hiſtoria Eccleſiaſtica. At quod diceret contra auctoritatem illam Simeonis Metaphraſtæ, nihil habuit, nihil prodidit. Tanti enim faciebant Græci Simeonis quem ſanctũ colunt, teſtimonia, vt inter patrũ inſigniorum ſuffragia eius dicta admitterẽt, ſicut ex ipſa inductione facta à Rhodienſi, ex Doctorum ab iis probatorum ſententiis apparet, quibus admiſcet illam inſignem Metaphraſtæ de proceſſione Spiritus ſancti, etiam à filio, ſententiam. Quod notare operæpretium cenſuimus, vt Metaphraſtæ latum toto hoc opuſculo de identitate DIONYSII AREOPAGITÆ cum Pariſienſi tam illuſtre teſtimonium pondus ſuum hîc retineat, libellúmque ipſum, in quo triumphum eius peractum Pariſiis enarrauit, quantæ ſit auctoritatis æmuli conſpiciant, quem Eccleſia tam Græca, quàm Latina plenaria in Concilio collaudauit, atque in ſubſidium Catholicæ veritatis, ſpectabili cum commendatione auctoris productum ſine vlla ambiguitate recepit. Ceterùm hoc in probatiſſimo encomio ſancti Dionyſij Areopagitæ, à Metaphraſtæ exarato, potiſſimum notandum eſt quod ait; *Redditi ſibi supernè oraculi afflatu impulſum Dionyſium, in Galliam veniſſe, Lutetiámque acceſſiſſe, ac ibi non doctrinæ ſolùm verbis, ſed operibus ſignorum, munus Apoſtolatus executum*, reci-

ſúmque in pugna pro fide inita caput, tanquam præmium aliquod ſuis accepiſſe manibus, atque velut quoddam trophæum, ad locum illum, quo cum beatis ſociis iam quieſcit, cum gloria ingenti, pertuliſſe.

§. 2.

ANASTASIVS BIBLIOTHECARIVS Apoſtolicæ ſedis: quin & Apoſtolicæ Bibliothecæ ſub Nicolao I. inſtaurator, Græcæ linguæ Latinæque ſua ætate peritiſſimus, qui Pontificiam hiſtoriam ab obitu Damaſi Papæ ad Adrianum Papam nomine II. vſque produxit, vitáſque multorum Sanctorum è Græco in Latinum traduxit, iubente ipſo Nicolao primo S. Dionyſij Areopagitæ vertit eandem in phraſim Hierarchiam, illius quoque vitam, & glorioſam paſſionem, quam ſanctus Methodius Patriarcha Conſtantinopol. & Martyr fusè ex antiquis hiſtoricis ſacris conſcripſerat, in epitomen contraxit miſítque *expetito munere, ad Carolum Caluum cum præfixa epiſtola, cui titulus eſt. *Epiſtola Anaſtaſij Romani Bibliothecarij, ad piiſſimum & sereniſſimum Carolum Imperatorem, Deíque verè cultorem ſemper Auguſtum, contra falſas quorumdam opiniones aſſerentium beatum Dionyſium, Pariſiorum primum Epiſcopum, non eſſe Areopagitam.* Quæ ſola epiſtolæ inſcriptio, ſatis eius tenorem, & auctoris ipſius certam, de Dionyſio Areopagita

*anno 876.

Pariſiorum primo Pontifice ac Martyre ſententiam, apertè indicat. Quamobrem hîc ſuperuacaneum foret ipſam epiſtolam pleno contextu reponere. Hanc exſcripſit Surius poſt Hilduini Areopagitica, epiſtolámque hac de re Hincmari attexuit: non ſubiunctâ tamen ipſa beati Dionyſij hiſtoriâ, auctore beato Methodio, edita Latinè ab Anaſtaſio, quæ in MS. Cod. quo vtebatur non extabat. Nec extare ampliùs Baronius ad an. 876. §. 44. aſſeruit. Qua in re tamen deceptus videtur. Nam Græcè adhuc & Latinè reperitur, quam Petrus Lancelius Societatis IESV Theologus recognouit, interpretationémque Latinam Græco ſermoni adaptauit. Ceterùm Petrus Halloix, qui opera S. Dionyſij Areopagitæ, nuper à ſe recenſita, ſtudioſéque tam Græcè, quàm Latinè collecta, Antuerpiæ magnificè edidit, tomo 2. eam integrè retulit à p. 242. ad 251. Extabat olim Romæ alia antiquior, quàm quæ à S. Methodio contexta fuit, vitæ paſſioníſq. S. Dionyſij narratio, de qua idem Anaſtaſius ſcribens ad Carolum Caluum, ſic meminit. *Paßionem S. Hieromartyris Dionyſij quondam Areopagitæ, póſtque Athenarum Antiſtitis, quam Romæ legi cùm puer eſſem, quámq. à Conſtantinopolitanis Legatis audieram, ſecundùm iußionem veſtram diu quæſitam, in tandémque maximo cœnobiorum Romæ ſitorum repertam, etiam inter diuerſos langores poſitus, arrepto interpretandi certamine, Latino eloquio tradidi, quantum potui auxiliante Deo, etſi non ex toto, verbum è verbo, ſenſum ta-*

men penitus hauriens. In qua diſertè habebatur Areopagitam Dionyſium in Galliam tranſmigrâſſe, atque cum ſociis Lutetiæ Pariſiorum extremo in certamine, coronam iuſtitiæ & honoris ac gloriæ fuiſſe adeptum. Vnde infert Anaſtaſius. *Ceſſet ergo iam quorumdam opinio perhibentium, non eſſe Areopagitam Dionyſium, eum qui prope Pariſium corpòre ac virtutibus redolet, cùm hoc & Græcorum quoque ſtylus cum Latina lingua concordans teſtetur & prædicet.* Ita Anaſtaſius Bibliothecarius Apoſtolicæ ſedis, ex priſca, patentiſſimáque vtriuſque Eccleſiæ Latinæ Græcæque traditione, & perpetua in illam ſententiam, quam & Sancti ſuis munierunt calculis conſpiratione.

§. 3.

SVIDAS GRÆCVS PHILOLOGVS, hiſtoricus, Poëta inſignis, diuinæque Scripturæ, Patrum & hiſtoricorum & Eccleſiaſticorum collector, interpres & illuſtrator nobiliſſimus, vitam ſcripſit ſancti Dionyſij Areopagitæ, quam Aloiſius Lipomanus, latinam, per Albertum Linum Clericum Veronenſem effectam, inter Sanctorum Hiſtorias parte 1. repoſuit. Rurſúſque Petrus Lancelius Societatis IESV ex autographo traduxit: poſtremóque Petrus Haloix præmemoratus, nuper excudi curauit, vtroque idiomate conſcriptam: eandem tenuit de Dionyſio Areopagita ſententiam. Cuius etſi martyrium breui

epilogo complexus eſt, quòd illum prouecta ætate paſſum, eodem tempore, quo Deifer Ignatius certamen immortalitatis abſoluit: tamen eodem loco, quo aſſerimus, id ab illo perpeſſum; Suidam ipſum inſinuâſſe ſatis inde patet, quod ad encomium ipſius ſanctiſſimi Dionyſij Areopagitæ, à Michaële Syngelo Hieroſolymitano ſacerdote copioſè ſcriptum, lectorem cupidum amplioris notitiæ tam diuini viri finis, remittit. Suprà autem in teſtimonio illius Michaëlis, eius verba locupletiſſima protulimus, quibus Dionyſium Areopagitam diuino nutu in Galliam directum, Martyrio auguſtiſſimo occubuiſſe cum ſociis, Lutetiæ Pariſiorum, prædicat, illúmque in ſublimi ara depoſitum triumphantémque adorat. Ceterùm ex hac obſeruatione, habes, quò Poſſeuinum ſibi perſuadentem antiquiorem fuiſſe Suidam ſæculo 8. quo illum conſignauerat Genebrardus, aberrationis admoneas. Non exceſſit enim è mortalitatis palæſtra Michaël Syngellus ante annum 824. At illius encomium ſcriptum de Dionyſio, Suidas quaſi celebre, & iam vbique ſparſum allegat, ad hócque ablegat hiſtoriæ agonis Dionyſij Areopagitę pleniùs cognoſcendæ quemque ſtudioſum. Ergo floruit ipſe Suidas poſt Syngellum, proinde non ante ſæculum octauum, vt Poſſeuinus aſtruere fruſtra conatur. Immò neque ipſo ſæculo octauo, quo notauit illum claruiſſe Genebrardus, ſed ſæculo excurrente nono, quo illum indicauimus, ex

hoc

hoc eiuſdem teſtimonio, proprio ſcilicet ſitu collocandum.

§. 4.

HINCMARVS Metropolis Remenſis celeberrimus Antiſtes, cuius copioſæ eruditionis præclara ſuperſunt in ſcriptis editis inſignia, Hilduini Abbatis ſui didaſcali (ſub quo Monachus in ſancti Dionyſij cœnobio floruerat,) veſtigia ſecutus, in eadem cùm eſſet, non modò cum magiſtro at vniuerſa quoque cum Eccleſia, de Dionyſio noſtro ſententia; epiſtolam eximiam ſcripſit ad Carolum Caluum Imperatorem, qua eidem congratulatur de nuper accepta Anaſtaſij Bibliothecarij, hac de re conſcriptione. *Lecta*, inquit, *beati Dionyſij paßione à Methodio, Conſtantinopoli Romam directo, Græcè dictata, & ab Anaſtaſio, vtriuſque linguæ perito & vndecumque doctiſſimo, ſanctæ ſedis Apoſtolicæ Bibliothecario, Latinè conſcripta; ſicut in præfatione ſua narrat, recognoui hîc quæ ibi ſcripta ſunt, ea quæ in adoleſcentia legerem conſonare, videlicet per quos ac qualiter geſta martyrij beati Dionyſij ſociorúmque eius, ad Romanorum cognitionem*, indéque ad notitiam Græcorum peruenerint.* Túmque ſubnectit illam tam Methodij Conſtantinopolitani, quàm Anaſtaſij Bibliothecarij conſcriptionem, de geſtis ſancti Dionyſij, ac ſupremo triumpho, ad amuſſim concordare, cum longè vetuſtiori deſcriptione eiuſdem ac ſociorum præclari certaminis, quam

*Ex ordinatione enim S. Dionyſij prope agonizantis, miſſa fuiſſe acta eius paſſionis, ad Romanã Eccleſiam, ſanctóque Anacleto tradita, qui ea-

demadAtheníenſes ſuos ciues tranſmiſit: ſubinde Hincmarus commemorat, ex quo idipſum ſuprà inſinuauimus.

inſertam actis beati Sanctini Meldenſis protomyſtæ, & ſancti Dionyſij diſcipuli, eiúſque martyrij ſpectatoris ac exceptoris, olim cùm eſſet in virentiori ætate, legerat. *Vvandelmarus* (cui Abbatiolam glorioſi Sanctini, Hucbertus Epiſcopatus Meldenſis adminiſtrator in beneficium dederat) *in loco ſibi commiſſo, quaterniunculos valde contritos, & quæ in eis ſcripta fuerant, pene deleta de vita & actibus beati Sanctini reperit, quas propter notitiam familiaritatis, & quia me ſciolum putabat* (*ait Hincmarus*) *ad exhaurienda ea, quæ in eiſdem quaterniunculis contineri videbantur, & ad tranſcribendum apertè in noua pergamena mihi commiſit. Quod & ſtudioſè peregi, & mihi commendata, commandanti reſtitui. Sed quia diu eſt, quod idem Vvandelmarus etiam ante obitum Hucberti, defunctus fuit; & ſicut audiui, idem locus neglectus extitit, ac demum in eadem vrbe Nortmanni fuerunt, & quædam incendio ibi concremârunt, quædam verò prædantes diripuerunt, neſcio ſi ipſi quaterniunculi, vel eorum exemplaria valeant reperiri. Propterea exempla eorum quæ mihi retinui, veſtro deuoto & bono ſtudio offerendum putaui, vt ſi quæ ſunt eorum reliquiæ, qui negabant Dominum & patrem noſtrum* DIONYSIVM, *eſſe* AREOPAGITAM, *à beato Paulo Apoſtolo baptizatum, & Athenienſium ordinatum Epiſcopum; & in Gallias à beato Clemente directum, ex his, quæ Græca teſtificatio, & ſanctæ ſedis Romanæ atteſtatio intima fert conteſtatio, ratum eſſe in hac cauſa, quod ante nos longè dictum eſt recognoſcant: quia veritas ſepiùs exagitata,*

magis ſplendeſcit in lucem. Ita Hincmarus, ex cuius dictis digna notatu elicimus. *Primum*, ſententiam illam, quam Hilduini propriam, & ab illo inuectam malè ſupponit Boſquetus, Hincmarum nequaquam ab ipſo Hilduino primitus mutuâſſe, neque primum poſt illum aſſeruiſſe: quam in adoleſcentia ipſe Hincmarus, vetuſtis in actis S. Sanctini probatiſſimíſque monimentis, conſignatam legerat; quámque beati Methodij non tantùm conſcriptioni, at antiquiſſimæ quoque ſancti Dionyſij paſſioni, Romæ repertæ, & ab Anaſtaſio, cùm adhuc puer eſſet, conſpectæ, deinde & tranſlatæ de natiua phraſi Græca in Latinam, vndequaque conſonare atque congruere, ex autographis ab Anaſtaſio miſſis ad Carolum Auguſtum (cui gratulatorios hos deſtinat apices Hincmarus) perſpicuum erat. *Secundum*, iam tempore Hincmari, qui anno 882. obiit, ſcilicet anno ſui Epiſcopatus 37. antiquam traditionem de identitate DIONYSII AREOPAGITÆ cum Pariſienſi, vtpote, ſicut verè ac grauiter ait, & ſuprà plena inductione demonſtratum eſt, *Græca teſtificatione, ſanctæ Romanæ ſedis auctoritate, & Gallicanæ Eccleſiæ intima conteſtatione* ſuffultam ac munitam; de contraria, quæ paucorum fuerat, obſcurorúmque hominum, penitus triumphâſſe; quot indicat manifeſtè dum ambigit, *an ſuperſint adhuc illorum vllæ reliquiæ,* qui tam conſpicuæ veritati audeant aduerſari, quæ ſæpiùs exagitata magis reſplenduerat illuſtris.

Part.1.p.52.

Tertium, nulla vi, nulla arte, nulla fraude hanc traditionem inualuiſſe: ſed fluentem ab ipſo veritatis fonte, per venerandæ antiquitatis auctoritatem, & Orientis cum Occidente perfectum hac de re conſenſum perenni fluxu orbem Chriſtianum vniuerſum iamdudum inundâſſe.

Ceterùm hîc eſt, quo lectorem prudentem moneamus, vt productos nono hoc ſæculo quatuor iſtos teſtes, binos Græcos Metaphraſtem & Suidam, Latinóſque totidem, nempe Anaſtaſium & Hincmarum, attentè conſideret; perpendátque quantæ ſint viri auctoritatis, quibus ſi pares vnum vel alterum in poſteriori ætate ſibi fauentes aduerſarij reperirent, certum vtique ſibi canerent, tantos ob Duces, triumphum, nóſque nec hiſcere contra ſua placita ſuſtinerent. Iam verò neminem vllo tempore his ſupparem, qui opinioni ſuæ ſuffragatus ſit, æmuli poſſunt indicare. Eſt igitur quo cauſæ ſuæ infirmitatem agnoſcant, noſtræque vires inuictas fateantur: quæ innumerabiles aſſertores, maioréſque & longè vetuſtiores Metaphraſte, Suida, Anaſtaſio, Hincmaro defenſores habet. Quos tamen quatuor inclytos ſcriptores, ſi patronos ſolos ſententiæ, quam tuemur antiquiſſimæ, haberemus: ſatis nihilominus eorum ſuffragia ob ingentium, quibus præcellerunt, meritorum lumina; raræ doctrinæ ſcilicet immortale decus, & non inferioris virtutis, quàm ſanctimoniæ eximias dotes, auctoritatis ſibi vendicarent, qua aduerſarios, per-

celleremus, noſtrámque contra illorum argutiolas communiremus ſententiam. Fuerunt enim hi quatuor præclari teſtes, immò iudices inſignia admodum ſui ſæculi ornamenta, quin perenni fulgore ſydera micantia, quorum vel nomina ingentem laudem indicant, monimentáque præclara perpetuam Eccleſiæ parturiunt, & ſapientiæ Chriſtianæ illuſtrationem, & vberrimæ eruditionis vtilitatem.

§. 5.

CAROLVS CALVVS Imperator Réxque Chriſtianiſſimus, cui Anaſtaſius & Hincmarus præfati, munificas ſuas, quas diximus, epiſtolas in fomentum auitæ pietatis, quâ beatum Dionyſium Areopagitam proſequebatur, direxerunt; nimis aduerſariis ſuſpectus eſt Iudex in hac lite: cùm præcordialis amoris ſui viſcera, videatur in templum venerabile diuini illius Galliæ initiatoris, effudiſſe, vt eius tutelaris gloriam omni enixu ampliaret. Chartulæ vnius tantùm eiuſdem, hîc proferemus, ad teſtandam illam eius deuotionem (quam ita ægrè ferunt æmuli) breue at memorabile exordium. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis*, KAROLVS GRATIA DEI REX. *Cùm ſit ſolicitudo regia, pro ſubiectorum diuerſis vtilitatibus, multiſmodis obligata curis: nullatenus fieri poteſt, quin minus exiſtat intenta pri-*

uatis: quia humana mens, quæ rapitur in diuerſa, ſit minor ad ſingula. Quam occupationem in nobiſmetipſis multimodam atque innumeram conſiderantes, dum ad locum ſanctiſſimum, atque à progenitoribus noſtris venerabiliter habitum, nobis ob reuerentiam Sanctorum Martyrum DIONYSII, RVSTICI *&* ELEVTHERII, *quos poſt ſanctam Dei genitricem & Sanctos Apoſtolos, proprios patronos colimus, ſpeciali dilectione coniunctum vertimus*, &c. Qua ex ſerie videre eſt quo loco & ordine inclytus ille Rex ſanctum Dionyſium & ſocios eiuſdem beatiſſimos cenſeret: quos quidem poſt ſanctiſſimam Deiparam virginem, & beatos Chriſti Apoſtolos ceteris omnibus anteferebat. Quod ſanè iniuriâ feciſſet, ſi inferioris claſſis exiſtimâſſet cælites, quales æmuli noſtri illos faciunt, dum perſuadere conantur, & ætate ac meritis longè hos ab Apoſtolis remotos, ex poſterioris duntaxat agminis acie Chriſtianorum bellatorum, qui ſub Decio, vel etiam Diocletiano (poſtrema ſcilicet ethnicorum perſecutione) militârunt, pugiles extitiſſe. Sed vrgentiori argumento haud opus eſt, vt mentem vnius Caroli Imperatoris, efficiamus circa hanc quæſtionem conſpicuam; ſiquidem non negant aduerſarij, piiſſimum hunc Regem, immò neque poſteros omnes, in ea, quam etiamnum aſſerimus, ſententiâ extitiſſe, quæ Dionyſium Pariſiorum protomyſtam, & Galliarum œcumenicum tutelarem, Areopagitam credit ac honorat. Fatentur enim poſt Ludouici Pij Imperatoris tem-

pora, hanc ſententiam longè latéque obtinuiſſe: quam totidem ante quot pòſt ſæculis ratam vbique & conſtantem extitiſſe, nos ſuperiori tractatione apertiſſimè, ac prorſus accuratè propalauimus. Quòd igitur ad diſquiſitionem poſteriorum Ludouico Pio temporum progredimur: ideo fit, vt aduerſariorum ora penitus obſtruamus, dum continuò ſæculorum fluxu, ab ortu religionis, hanc viguiſſe, in Gallia non modò, at vniuerſa in Eccleſia comprobauimus traditionem.

Ceterùm vnum eſt quod hìc obſeruandum ſuggerimus. Cùm toties legimus in priſcorum Regum noſtrorum Chriſtianiſſimorum reſcriptis, ipſos ſecundùm DEVM, ſemper coluiſſe SANCTVM DIONYSIVM, ſuum vti ſpecialem patronum, atque regni Francorum generalem próprijúmque defenſorem: non ea vſos fuiſſe loquendi formula, vt virginis beatiſſimæ Dei parentis patrocinium excluderent: quam poſt Deum ſuper ipſos Angelos venerati ſunt, ſummámque apud benedictum filium pro ſe & regno Chriſtianiſſimo mediatricem illam profeſſi, ſingulari coluerunt pietate, quin & incomparabilis honorauerunt deuotionis ſignificatione. Quod memorabili illa, quam ſuprà attulimus declaratione, Carolus Caluus Imperator ipſe teſtatur: nóſque ad calcem huius operis, vbi de ſolenni voto Regis Chriſtianiſſimi LVDOVICI XIII. perdigni tot Auguſtorum Regúmque

piiſſimorum heredis, nuper emiſſo ad virginem glorioſiſſimam Deigenitricem, cui ſe Regnúmque ſuum perpetua clientela deuinxit, ex inſtituto diſſerere, ſi Deus lucem dederit, ſtatuimus: hanc enim innatam fuiſſe ſemper Chriſtianiſſimis Regibus erga benedictam virginem, propenſionem, inſitum medullitùs pietatis affectum & cultus præeminentis ſtudium ac officium, illorum exemplis ſelectíſque obſeruationibus inſinuabimus. Poſt virginem autem ſanctiſſimam eoſdem religioſiſſimos Reges, Chriſti, vt par eſt, Apoſtolos, at maximè Apoſtolorum principes (ad quorum venerationem, Clodouæus Magnus amplexus Chriſti fidem, primum quod fundauit templum, Pariſienſi in monte quaſi religionis Capitolium, ædificauit,) ampliori reuerentia proſecutos, in Martyrologio noſtro, pleriſque annotauimus exemplis. Sed hîc excidere mihi non patior elicitum ex diplomate præſignato Caroli Calui monimentum. Carnuti enim editum illud reſcriptum ſubnotatur, ita ſiquidem deſinit. *Actum Carnotina ciuitate, in Dei nomine feliciter, vt præmittitur, 7. Kalend. Febr. anno regni eiuſdem Caroli glorioſiſſimi Regis 2.* qui Chriſti fuit 851. Ex qua nota meam in memoriam reuocatur, Regis illius piiſſimi ardentiſſima in beatiſſimam Deiparam Virginem deuotio, cuius affectu antiquiſſimam, celeberrimámque illam Carnotenſem Baſilicam, quam ferunt à Druidis initiatam, & ipſimet virgini adhuc pariture dedicatam, ſummopere diligebat

ligebat, & frequenter inuiſebat. Quam vt eiuſdem glorioſiſſimæ virginis intuitu impẽſiùs illuſtraret, pretioſiſſimo munere decorauit: ſcilicet linea ſubucula, ſeu interula virginis ipſius Deiferæ, qua induta erat, cùm Dei filium de ſe incarnatum, ſæculi redemptorem feliciſſimo partu, puriſſimis ex ſuis viſceribus effudit. Hanc enim Chriſtianiſsimus ille Rex, ex ſacrario Aquiſgranenſi, quò fuerat ab auo ſuo Carolo Magno Imperatore condita, cum aliis ſacratiſsimis pignoribus deprompſit, atque Carnutum aduectam, religioſo munere contulit ſanctuario Baſilicæ ſanctiſsimæ ipſiuſmet virginis; vt hoc meminit verſu Philippus Armoricus, qui ætate Philippi Auguſti floruit.

Cuius & interulam cuncti venerantur ibidem,
Qua veſtita fuit, partum cùm protulit agnum
Qui mundi peccata tulit.

Quod refert luculentiùs, etſi verborum minùs compta ſerie, vetus poëma Gallicum *de miraculis Virginis*, tempore ſancti Ludouici contextum hac rythmica cantilatione.

Lors prirent la ſaincte chemiſe
A la mere Dex qui fut priſe* *Dieu]
Iadis dedans Conſtantinoble,
Precieux don en fit & noble
A Chartres vn grand Roy de France,
Charles le Chauue, ot non d'enfance.
Cil Roy, à Chartres la donna

Pppp

Dont l'en croit qu'ores le don ha,
De la Dame qui la veſtoit,
Quand le filx Dieu en elle eſtoit:
Car elle penſoit qu'elle fut miſe
A Chartres en ſa maiſtre Egliſe
Et qu'elle ſoit encor gardée
Au lieu dont eſt Dame clâmée

Hanc interulam Virginis beatiſsimæ mariæ, Conſtantinopolì allatam in Galliam, atque à Carolo Magno Imperatore Aquiſgranni in perchara ſibi Eccleſia, quam conſtruxerat in honoré ipſius glorioſiſsimæ Virginis conditam, obſeruat Philippus Bergomas in ſua Chronologia ad an. Chriſti 810. ſed ſacratiſsimi illius pignoris illationem factam per Carolum Caluum, Aquiſgranno Carnutum Nicolaus Gillius, in vita eiuſdem Regis, ex regni commemorat antiquis monimentis. Ceterùm illum non Carnutenſem ſolùm ditâſſe Baſilicam, extractis ex ſacrario Baſilicæ Aquiſgranenſis pretioſiſſimis reliquiis, ſed DIONYSIANVM quoque templum locupletâſſe inſigni ſacrorum illorum monilium portione, antiqua geſtorum eius monimenta indigitant. Extat in Dionyſiano tabulario MSS. Cod. quod ſic habet: *Sanè Imperator magnificus ne ingratitudinis vitio culparetur* (perſuaſum enim omnino habebat ſe ad imperij faſtigium ſuffragiis ſancti Dionyſij peculiaris, vt ibidem legitur, Franciæ patroni fuiſſe euectum) *proficiſcitur Aquiſgranum, quod tunc ſuæ ditioni ſubdebatur, & à palatio ſuo, ad præfatam Ec-*

cleſiam (ſancti Dionyſij) *attulit, quod terrenis diuitiis ſupereminet vniuerſis, ſcilicet ſacroſanctum vnum clauum, quo pro nobis ſanctiſſimum corpus* Dominicum *patibulo fuit affixum, partémque ſpineæ coronæ dominicæ; partem viuificæ crucis, brachium S. Simeonis, cum aliis iocalibus pretioſis.* Scilicet in iis erat, vt in alio Cod. legitur, brachium ſancti Iacobi Alphæi dicti fratris Domini; brachium ſancti Stephani protomartyris; brachium ſancti Vincentij Leuitæ & Martyris, craticula in qua ſanctus Laurentius exuſtus fuit, aliáque nonnulla ſacroſancta lipſana, ad quorum venerationem perpetuam, Indultum indicti, quo tam ſpiritualibus, quàm temporalibus xeniis, populus ad viſitandam S. Dionyſij Baſilicam, in qua recondita erant religioſa illa pignora, tam Ioannis VIII. Papæ Apoſtolica, quàm ſua imperiali auctoritate, prædicto Monaſterio contulit: ſeu vt vetera habent monimenta, ad illud *ex Aquiſgrano, vbi à Leone III. Papa & Carolo Magno inſtitutum fuerat, amore ſancti Dionyſij tranſtulit.* In quem ideo magis propenſus erat, quod illius glorioſi Galliæ Apoſtoli cultum & venerationem ipſi, cùm adhuc eſſet tenera ætate, Ludouicus Pius Imperator eius pater incuſſerat, & moriens miris affectibus commendauerat: vt Aymonius teſtis eſt lib. 1. miraculorum ſancti Germani cap. 1. Quæ commonitio tam altè Caroli præcordiis abhinc infixa hæſit, vt ſancti Dionyſij Baſilicam, magis quàm ipſum regnum in pretio habuiſſe, inſigni facto

prodiderit. Facta ſiquidem de ſubito Danorum in Franciæ regnum irruptione, cùm hæreret inops conſilij, aliis aliò elabentibus, & vrbem ipſam Pariſiorum hoſti prædam deſerentibus: ipſe ad ſancti Dionyſij Monaſterium opem diuinam imploraturus, cum exiguis copiis contendit, hoc in animo ſtatuens, vel defluente populo pro Sanctorum Martyrum reliquiis & templo pugnare, vel ſi facultas aliqua daretur, réſque poſtularet, in hoſtem irrumpere, ſícque laudabili occubitu tuendo pij loci ſanctitatem, inſitæ ſibi religionis ac fidei gloriam emereri. Sed eius aduentantis inexpectatam audaciam, hoſtes declinauerunt, qui Martyrum inuiſibili dextra profligati, mutua ſe clade fugiendo peremerunt. Infelicem illorum cataſtrophen, MSS. codex Dionyſianus ita deſcribit. *Statuerat præfati Martyris amator deuotiſſimus* (Carolus) *locum ipſum ſuper omnia loca regni defendere, eo quòd dignæ memoriæ genitor eius, cùm eſſet paruulus, eidem ſancto ſpeciali deuotione commendâſſet: nec eſt prætereundum ſilentio, quod dum hîc hoſtes fidei graſſabantur, de pago Pariſiaco corpora & reliquiæ Sanctorum alibi & ad tutiora loca inferuntur; corporibus beati Dionyſij ſociorúmque eius duntaxat iuſſu regio exceptis: nam deuotiſſimè præſumens de eorum auctoritate erga Deum, locum illum eorum protectioni commiſit. Quem etiam miraculosè ſeruauerunt. Nam cùm Dani Deo odibiles, viginti dierum ſpatio Eccleſiam præfatorum Martyrum obſediſſent, ſine alicuius pretij redimiculo, ſed timore*

*perculſi diuino, more Regis Sennacherib à Hieruſalem fugientis; ac intactum Monaſterium relinquentes in parte maxima excæcati, fugiendo ſeipſos (in loco qui mortalis * dicitur) occiderunt.* Sic igitur beati Dionyſij potenti opitulatione, tantis defunctus periculis, Carolus, ſui protectoris glorioſiſſimi templum magnis cenſibus auxit, & pretioſiſſimis, quæ ex parte recenſuimus donariis exornauit, Quæ ad hoc vſque tempus, ibidem religioſè aſſeruata, viſuntur. Cùm autem piiſſimus princeps annos 30. regnâſſet imperium ad cumulum gloriæ, *auſpiciis*, vt aſſerebat, *ſui defenſoris & ſpecialis patroni Dionyſij*, diuino munere conſecutus eſt. Quo biennio duntaxat perfunctus, propinato ſibi à Sedecia Hebræo medico (quem immerito chariſſimum habebat) ſibi veneno, interiit anno Chriſti 877. pridie nonas Octobris in loco Banos dicto, ſepultus fuit autem Vercellis, in Eccleſia S. Euſebij: quamquam moriens ſe apud ſanctum Dionyſium, cuius obliuiſci non poterat, humari præceperat. Ibi igitur, vt notat Aimoinus, *requieuit annos ſeptem. Poſt hæc autem*, inquit, *per viſionem delatum eſt corpus eius in Franciam, & honorificè ſepultum in Baſilica ſancti Dionyſij Martyris, apud Parrhiſios.* Viſionis autem huius, quam non enarrat, didicimus ſeriem ex Manuſcripto cod. Dionyſiano à Dubletio deſcriptam, lib. 4. antiq. S. Dionyſij cap. 18. p. 1263. & ſeq. vbi ſic refert. *Dum corpus Caroli Calui Imperatoris in Monaſterio * Nantuani per ſeptennium ia-*

* Gallicè *la morsiere*, qui locus hodiéque à S. Dionyſij cœnobio pendet.

* Irrepſit malè hoc nomẽ

amanuenſis vitio. Niſi ex Vercellis Caroli corpus ſublatum aliquandiu depoſitũ fuerit in illo monaſterio, quod fuiſſe in parochia Lugdunenſi alius tradit codex Dionyſianus.

* rectiùs fortè *valuit*.

cuiſſet cuidam Monaſterij ſancti Dionyſij Monacho, nomine Erkengario, & cuidam Clerico Alphoncis vel Alphomu nomine, ſancti Quintini Vermendenſi, in vna nocte quidam apparuit, dicens ſe eſſe Carolum Caluum Imperatorem, & ſe illis palam à Deo directum, vt voluntas Dei omnipotentis Regi & Francorum proceribus panderetur. Ait enim Deo multùm diſplicere & SS. Martyribus Dionyſio, Ruſtico & Eleuthereio, quod corpus illius Baſilicæ beati Dionyſij (cui libenti animo, dum aduixit, contulit, quæcumque tribuere voluit, ſeu ornamenta, quæ vſque hodie ab ipſo conſeruantur Monaſterio, auro & gemmis pretij inæſtimabilis decorata, ſeu prædia ingentia, & villas prępotentes nonnullas) fraudaretur ſepulturâ. Eant igitur quantocyus, & afferant corpus meum ad locum prædictum. Quod audientes Rex & Proceres, conuocatis Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, præcipuè ſancti Dionyſij Abbate Gualtherio, vel Valto nomine, honorificè à loco primæ ſepulturæ, vſque ad Eccleſiam beati Dionyſij detulerunt, & in choro monachorum, ſub altare quod vocatur ſanctiſſimæ Trinitatis, ſepulturæ tradere curauerunt.* Vbi tumulus eius, adhuc in preſbyterio cernitur, hoc epitaphio inſignitus circumſcripto.

Imperio Karolus Caluus, Regnóque potitus
Gallorum, iacet hac ſub breuitate ſitus.
Plurima cum villis, cum clauo, cúmque corona
Eccleſiæ viuus contulit ille bona.
Multis ablatis bonis, nobis fuit hic reparator
Sequanij fluuij Ruolíique dator.

Laudat hunc Chriſtianiſſimum Regem Ericus Monachus Autiſſiodorenſis de ſtudio bonas litteras reſtituendi. Vnde & virorum Doctorum ſui temporis cùm eſſet Mæcenas, vndique eruditi homines in Gallias, ad eum confluebant. Inter quos fuit Ioannes Erigena, Scotus (de quo fuſiùs infrà) vir ſua ætate ſcientiſſimus, Græcæque linguæ notitia quæ tum rara erat apud Latinos, præditus, qui ex ipſius Caroli iuſſione, ſancti Dionyſij Areopagitæ libros Latino idiomate expreſſit, cuius operis dedicationem præfato Carolo huius muneris cupidiſſimo inſcripſit. In qua inter cetera ſic effatur; Dionyſij (quem tanto Rex ille ardore colebat) præconium, breui at nitido ſpecioſóque hoc diſticho complectens.

Lumine ſidereo Dionyſius auxit Athenas,
Areopagites, magnificúſque Sophos.

§. 6.

PISTENSIS Synodi Patres, qui perſpectam bene habebant quam de Dionyſio ſententiam Carolus Caluus Rex à Chriſtianiſſimis progenitoribus imbiberat; nec ignorabant quid Hilduinus iuſſu Ludouici Pij ad eam fulciendam ſcripſerat, de veri Areopagitæ cum Pariſienſi identitate, cùm horum præſes eſſet Hincmarus, qui eandem traditionem propugnauerat nihil corrigendum circa illam doctrinam cenſuerunt; ſed hanc vt rectam & ſynceram, ratam & in-

uiolatam habentes, gloriam ſancti Dionyſij nimirum ipſius eiuſdémque, quem colebat tanto pietatis feruore Carolus Rex, amplificandam decreuerant, ad hoc incenſi tam inſigni eiuſdem Regis deuotione, quam diuinæ maieſtatis euidenti teſtificatione, quæ Dionyſium ipſum & ſocios (quos *præcellentiſsimos Chriſti Martyres* Patres iſti nominant) crebris gloriæ ſuæ irradiationibus, ipſo in loco vbi quieſcebant, etiamnum (vt affirmant patres illic) clarificabat. Igitur priuilegia monaſterio tam venerabili tam olim indulta à Dagoberto, Clodouæo eius filio, aliiſque clariſsimis Regibus, cum decreto immunitatis à ſancto Landerico eidem cœnobio, Synodali auctoritate conceſſa, necnon prærogatiua quæque iura Apoſtolicis ſanctionibus eidem monaſterio, intuitu ſanctiſsimi ipſius tutelaris impertita, pontificalis illius conceſſus proceres, rata intemeratáque perpetuis temporibus manere decreuerunt, ſacriſque ſuis ſyngraphis communierunt. Dicta fuit autem illa Synodus, quæ celebrata fuit anno 862. ineunte Iulio, *Regia & vniuerſalis*. Cuius geminæ denominationis doctiſsimus Sirmondus binam rationem aſsignat, in notis ad capitula Caroli Calui à ſe edita Pariſiis an. 1623. in quibus pag. 64. ita monuit. *Inde Synodus Regalis appellatur in priuilegio de libertate ſancti Dionyſij* * *quia Rex aderat* (Carolus Caluus:) *& Synodus vniuerſalis, quia ex diuerſis prouinciis conuenerant Epiſcopi, qui priuilegio eidem ſubſcribunt numero amplius 30.* conſignan-

* Immò & à S. Leone IX. PP. in Bulla data per manus Petri Diaconi & Bibliothecarij anno Pontific. 1.

ſignantur enim 32. apud Dubletium qui ex integro priuilegium illud recitat lib. 2. cap. 8. Nec reclamauit qui aderat Epiſcopus Pariſienſis Æneas, cuius, ex confirmatione, quin potiùs amplificatione immunitatis Dionyſiani monaſterij, poteſtas innuebatur. *Quin ego ipſe*, inquit, *Æneas ac ſi indignus Pariſiacæ vrbis Epiſcopus, hoc conſentiens laudaui, priuilegiúmque Domini Landerici anteceſſoris mei omnino æquitatis ordinem ſeruare approbans, corroboraui, corroboratúmque nunc & futuris temporibus mandaui, omnibúſque ſucceſſoribus meis, per omnipotentem Deum, qui verbo ſuo cuncta creauit, & ſpiritu oris ſui vniuerſa formauit interdico, ne quiquam ex iis omnibus, quolibet modo, repetere audeant vnquam.* Sed vnde putas tantus feruor huic Epiſcopo innatus erat, ſancti Dionyſij monaſterium augendi ac illuſtrandi, cum propriæ Eccleſiæ detrimento? niſi ex certa notitia, quam habebat excellentiæ tanti cælitis, quem non gregalem Martyrem, ſed *præcellentiſſimum*, in alia conſtitutione eodem in Concilio exarata ipſemet Æneas Pariſienſis Antiſtes cum eodem ſacro Epiſcoporum collegio, appellabat. Mirum autem, ſi falſa fuiſſet doctrina Hilduini, & noua eius de Dionyſio noſtro ſententia; quî fieri potuit, vt tot tantíque Antiſtites (inter quos erant ſex Metropolitæ) de antiqua & contraria, quam ante Hilduinum, pro germana viguiſſe, compertiſſimam fuiſſe volunt aduerſarij, non fuerint imbuti? Porrò hanc, ſi nouiſſent, eſſe veram, quo-

modo eidem, tunc & ibi patrocinati non fuerint cùm de ſancto Dionyſio & eius monaſterio tractabatur, præſente Hincmaro, quem de iniqua falſæ opinionis tutela deſerenda, debuiſſent admonere, Regémque orare, ne patenti fabulæ, qualem eſſe contendunt aduerſarij, illam de identitate noſtri Dionyſij, cum Athenienſi Apoſtolico viro, ſententiam, aures deinceps accommodaret: hortaríque debuiſſent, vt Areopagitam Dionyſium Athenienſibus relinqueret: Pariſienſem alium prorſus ab eo, proprio iure coleret, Gallíſque ſeu Francis, ſingulari titulo adictum iſtum redderet illibatum, *vnicuique, quod ſuum erat tribuens*, ſicut iuſtitia iubet. Neque enim æquum fuerat, vt Dionyſio Gallico gloria demeretur, quæ Græco illius æquiuoco, ex eius ſpoliatione accederet. Sanè nec verbulum de huiuſmodi adhibenda diſtinctione, Patres illi (qui ætatis ſuæ fuerunt magna lumina) ediderunt. De corrigenda verò nuper (vt æmuli dicunt) ab Hilduino inuecta opinione, erronea prorſus conticuêre. Igitur vel veram illam, natiuámque iudicârunt, eidémque ipſo ſuo Synodico conſtituto, ſe inhærere profeſſi ſunt: vel certè, quod abſurdum cogitare ſit, ex mera peccauerunt malicia, contráque iuſtitiam & veritatem, Hincmaro (vt turpiter adularentur eiuſdem placitis, de quibus illic ſatis conſtabat) penitus acquieuerunt. Non puto aduerſarios in tam ſtupenda paradoxa velle deuolui. Fateantur igitur conſentaneum

eſt, illos Patres, eadem in ſententia quâ Hincmarus, immò qua Carolus Rex Chriſtianiſſimus, quin & anteriores omnes Reges, Epiſcopi, & viri quique illuſtres (quorum teſtimonia ſuprà protulimus) circa noſtrum Dionyſium extitiſſe. Idque non ſolùm conſtare ex ſignatis indiciis; ſed quod magis omnino vrget, ex tam expreſſa approbatione Regiorum diplomatum, Apoſtolicarum ſanctionum, Epiſcopalium decretorum, à tempore Dagoberti Regis Monaſterij ſancti Dionyſij fundatoris, ad preſentem Caroli vſque regnantis ætatem, eidem Monaſterio, propter honorem beati Dionyſij Galliarum Apoſtoli impertitorem prorſus effici perſpicuum. Ita enim decernunt illi Patres, Synodica ſanctione. *Obtulerunt dilecti filij noſtri Monachi, ex Monaſterio pretioſorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij, aſſiſtente reuerendiſſimo & chariſſimo nobis Abbate de eodem cœnobio Ludouico, noſtris obtutibus; præſente etiam Domino Carolo Rege, qui petitionibus prædictorum fratrum piiſſimo fauebat affectu; quædam priuilegia Sanctorum Pontificum, necnon & præcepta clariſſimorum Regum, de libertate prædicti Monaſterij ab eiſdem ſuis temporibus honorificè confirmata, inſuper & Apoſtolica auctoritate inuiolabiliter corroborata. Ergo reſidens idem Deo amabilis Rex Karolus in ipſa vniuerſali Synodo, prædeceſſorum ſuorum præcepta & priuilegia, ſeu confirmationes Apoſtolicis auctoritatibus roboratas, maximè priuilegium Domini Landerici religioſi Pariſiorum Epiſcopi ſolicitè conſidera-*

*Clodouæi ſcilicet 2.

*aſſenſum.

*Hoc oſtendit nullum ibi fuiſſe præſulem, qui ſecus ſentiens contradiceret.

*tum, &c. ob deprecationem Domini * Ludouici filij Dagoberti inclyti Regis factum, & Sanctorum, qui vſque hodie in miraculis coruſcant, manibus roboratum, ipſi Eccleſiæ tradidit, &c. & publicè recitari iuſſit. quo facto * aſcenſum præbuimus, ſcilicet vt ſuperius quæ comprehenſa ſunt, noſtra qua præualemus auctoritate roboremus. Statuentes igitur ſancimus omnes videlicet Epiſcopi * qui prædictæ Synodo interfuimus, vt ea omnia quæ in prædictis priuilegiis, ſeu chartis continentur iam dicti Monaſterij ſanctiſſimi Dionyſij, &c.* Sic igitur accuratè lectis, & benè perpenſis illis antiquis monimentis (ex quibus ſuprà prolatis, decus Dionyſio noſtro vindicauimus Apoſtolicæ ætatis & gloriæ) Patres illi in tribunali ſacro conſidentes, vndequaque conſenſerunt, & vt hoc ſuum approbationis decretum pateret, & inuiolabile permaneret, ſeu provt loquuntur, *vt verum eſſe crederetur, & firmiſſimè ab omnibus Catholicæ fidei præſentibus, & futuris teneretur cultoribus, ſubſcriptionibus propriis firmauerunt.* Quamobrem contentam iiſdem titulis de Dionyſio traditionem, manifeſtiſſimè receperunt, approbârunt, & vnanimiter profeſſi ſunt. Huius itaque Synodi, Regiæ & vniuerſalis iudicio (inſigniori res non potuit diſquiri ac tranſigi conſeſſu) illa, quam antiquitas omnis docuit, quam Gallia ſemper credidit, quam Hilduinus præceptione Regia aſſeruit, Hincmarus huius Synodi præſes iterata propugnatione defendit, traditio, de ſancti Dionyſij ortu, ætate, Apoſtolatu, Martyrio; vera,

ſyncera & inuiolabilis declarata eſt: aduerſáque oppoſitæ partis opinatio (quam ad noſtrum vſque ſæculum reiectam & deploratam iacuiſſe, poſt Hilduini & Hincmari vindiciaria ſcripta Boſquetus ipſe fatetur part. 1. pag. 52.) eiuſdem Synodi oraculo reprobata fuit, condamnatáque, vt ſpuria & illegitima, atque defectiua à recto exploratæ veritatis tramite.

Sæculi 10. Teſtimonia, quod effluxit ab anno 900. ad 1000.

§. 1.

SYNODVS Leodienſis celebrata à Stephano Antiſtite, *viro* (ait Sigebertus, qui, factum illum Epiſcopum commemorat anno 903.) *ſanctitate & ſcientia claro*: lectam eius iuſſu in publica audientia, ſancti Eugenij Epiſcopi & Martyris paſſionem, ſpeciali decreto approbauit, in qua ſcriptum erat (vt teſtatur Ægidius Vallis Regiæ cœnobita, continuator Anſelmi Leodienſis) *Beatum Eugenium diſcipulum Apoſtolorum fuiſſe, & à beato Dionyſio ordinatum Toletanæ vrbis Epiſcopum, paſſum eſſe martyrium ſub Feſcennino præſide, decimo ſeptimo Kalend. Decembris, ſub quo beatus Dionyſius paſſus eſt*. Credidit igitur hæc Synodus verum eſſe, quod etiam affirmamus Dionyſium noſtrum Apoſtolorum fuiſſe ſynchronum & ſymmyſtam, immò & eorumdem inſignem ſuffraga-

torem, qui alios illorum diſcipulos, ita antecelluit, vt illuſtris horum magiſter, poſt Apoſtolorum funera, fuerit; à quo ordinatus ille Eugenius Toletanus, & in Hiſpaniam, Apoſtolico iure directus eſt. Sed euidens adeo hoc teſtimonium, iam ſuprà in ipſius Eugenij præconio, adduximus, fuſéque & accuratè expoſuimus.

§. 2.

FRANCO Rotomagenſis Archiepiſcopus, Catechiſta Rolonis in luſtrali fonte nuncupati Roberti: eidem inquirenti? *In confinio noſtræ poteſtatis quis ſanctus potentior, meritis habetur?* Reſpondit DIONYSIVS, *natione Græcus, per Sanctum Paulum ad fidem Catholicam conuerſus: poſtea à beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore Franciæ ad prædicandum tranſmiſſus, multa flagella Paganorum perpeſſus, diúque verberatus, ad vltimum pro amore Dei hebetatus ſecuribus capite plexus.* Ita refert lib. 2. de moribus & actis Normanorum (ſub annum 912.) in Rollonis Ducis vita, Dudo ſancti Quintini Decanus *, qui anno Chriſti 1002. ſcribebat.

An. 912.

* Patet ex fine vitæ Richardi Ducis in qua deſiit.

§. 3.

An. 990.

HARIGERVS Abbas Lobienſis literali ſcientia clarus, ſcripſit geſta Epiſcoporum Leodienſium, inquit Sigebertus lib. de illuſtribus Eccleſiæ ſcriptoribus cap. 138. In collectionis autem ſuæ cap. 3. cui titulus eſt, *quod Petrus Romam venerit*, diſertè ſcribit, ſanctum Dionyſium à ſancto Clemente, cum copioſo cæleſtium præconum

agmine delectum fuiſſe. *Hic quartus à beato Petro Romanæ ſedis adminiſtrauit Pontificatum, qui poſtea* (quàm ſcilicet Petrus per crucem in cælum euectus eſt) *cum alius multis veritatis aſſertoribus, ad Galliam bracatam, Pariſiorum Lutetiæ vrbi ſanctum miſit Dionyſium*, nempe Areopagitam, vt Hilduinus probauerat, cuius Harigerus laudat inſigni commendatione præclaram de propriis eiuſdem Dionyſij geſtis & titulis glorioſis conſcriptionem. Quemadmodum Hincmari ipſius Hilduini diſcipuli laudibus proſequitur lucubrationem, de ſancti Remigij alterius Galliæ Apoſtoli actibus: horúmque ſummorum virorum imitatione, non minùs quàm admonitione ſui quondam ſuperioris, ſeſe excitum innuit vt Sanctorum Præſulum, qui Leodienſem Eccleſiam rexerunt vel erexerunt, hiſtoriam contexeret. Sic enim alloquitur Warinfridum Abbatem Stabulenſem, cui opus ſuum inſcribit, ipſo in ſuæ commentationis proœmio. *Exhortatione tua, quæ & præſentis honeſtate propoſiti, & futuræ ætatis vtilitate coniuncta eſt, nihil antiquius exiſtimaui, & ne auctoritatem diffugere viderer ei muneri libentius acquieui. Præſumenti enim auctoritas datur cùm credit præſtari poſſe, quod petitur, & parere ſcire, æqualis eſt gloria cum imperante. Fecerant idem iamdudum ætate venerabiles Hilduinus Abbas in paſſione ſancti Dionyſij, Hincmarus Archiepiſcopus in vita ſancti Remigij, & alij quamplurimi in multorum compilandis geſtis Sanctorum. quibus* AVCTORIBVS *obtinere poſſumus*

OPTIMIS, *quod in omnibus cauſis, & ſolet & debet valere plurimùm*, &c. Optimum igitur exiſtimauit auctorem Hilduinum, cuius exemplum ſequitur, auctoritate nititur, merita laude accenditur. Húncque cum Hincmaro, Apoſtolorum duorum Galliæ pari ſynceritate qua gloriâ, res geſtas ſcripſiſſe arbitratur. Vera igitur Hilduinum de beato Dionyſio, & præclara ſcripſiſſe, Harigerus cenſuit. Sícque quo præconio illum honorauit, eiuſdem aduerſariorum calumnias proculcauit. Claruit autem hic auctor, vt obſeruat Trithemius ſub Othone Imperatore III. anno Domini 990. quem à Bernone Abbate Augienſi inſigni quoque ſcriptore, qui paulo pòſt inclaruit anno ſcilicet 1020. laudatum legimus in tractatu *de aduentu Domini;* ſcriptum ad Aribonem Epiſcopum Moguntinum. Quiquidem Berno in eadem de ſancto Dionyſio ſententia fuit: nam ipſemet Hilduini Areopagitica prædicat, & ex iis nonnulla ſancti Dionyſij circa diuinam ſynaxin inſtituta myſtica Pariſiis tradita commemorat, & confirmat: ſed omnium ſcriptorum teſtimonia nobis adſtipulantium hac in cauſa, quæ non noſtra, ſed publica, adducere reor ſeriatim haud opus eſſe. *Tẽpus* enim, vt loquitur Apoſtolus, Dionyſij noſtri magiſter, *præteriret enarrantem.* Igitur eiuſmodi auctoritates eò minus neceſſarias quò patentiores & vberiores ſunt, perſtringemus: & quoniam in eo genere argumenti, aduerſarij ferè ſponte ſua dant manus, fatendo poſteriora Hilduino,

Hilduino, ſæcula illius in placita conſpirâſſe: pauca duntaxat vnaquaque ætate teſtimonia proferemus, ſed ea ex multis ſelecta, atque ob authorum præcellentiam magis inſignia, ac efficacia: quorum auctoritati, etſi aduerſarij nihil concederent, magnum tamen pondus cuiuſque teſtis, vel nudum nomen, ipſiuſmet ſuffragio conferret, vt ſic traditum à Patribus, ſic à populis creditum, vnaquaque ætate, poſteris oſtenderetur.

§. 3.

SANCTVS MAIOLVS cœnobiarcha Cluniacenſis, cui præfuit Archimonaſterio, ingenti cum ſanctitatis gloria annis 40. ſcilicet ab anno Domini 954. vſque ad 994. quo meritis gratiæ plenus, ad præmium æternæ beatitudinis euolauit 5. Idus Maij, quo die in Martyrologio noſtro eiuſdem edidimus præconium. Hic vir ſanctiſſimus *deliberaturus quædam vtilia* (ita habent acta eius) *ſuper ſanctiſſima decreta Monaſticæ religionis, apud ſancti Dionyſij Monaſterium, quodam tempore eſt commoratus, quòd Francia inter alia Monaſteria, nullum oſtendat præſtantius, &c. Aliquando igitur, cùm in ipſo Monaſterio ſancti Dionyſij eſſet, & nocte vt ſui moris erat, eiuſdem Martyris librum* DE PRINCIPATV CÆLESTI *legeret, graui ſomno ſuperueniente, candela de manu eius ſuper paginam libri defluxit. Et tunc miraculum quoddam & inſolitum accidit. ignis enim naturæ ſuæ officium proſequens, linum*

conſumpſit & ceram, paginam verò dimiſit illæſam. Ita hanc rem mirandam breuiter recitat ex actis memorati B. Confeſſoris Vincentius lib. 26. ſpeculi hiſtorialis cap. 67. At breuius ſanctus Antoninus parte 2. Chron. tit. cap. 16. §. 2. Sed copioſiùs exprimit idem miraculum, illa vitę eiuſdem S. Maioli conſcriptio, quæ ex manuſcripto veteri Syluianēſis prioratus deprompta, proſtat edita in additamentis Bibliothecæ Cluniacenſis, ſic enim legere eſt ibidem c. 21. *Cogente laſſitudine obdormiuit, & cādela ardens ſuper eius apertum librū cecidit, quæ tandiu ſuper vtraſq; paginas aperti libri arſit, donec pene cōſumpta fuerit, & donec ſanctus vir Domini Maiolus à ſōno euigilaret, & grauis laſsitudinis tædium deponeret. Quo expergefacto, ſignóque crucis edito, pro tali obliti luminis negligentia, vtraſque manus alliſit, & eueniſſe aliquod damnum timuit; ſed tandem eundem librum, ab omni aduſtionis damno ſeruatum videns, ſoláſque conſumptæ candelæ ſuper illum fauillas remanſiſſe conſpiciens, vires recepit; confortati animi laudes exinde reddens creatori.* Hæc ibi. Ceterùm in primo dictis, illud eſt hoc loco maximè obſeruandum, *cùm in Monaſterio ſancti Dionyſij eſſet, & nocte quadam, &c. Eiuſdem Martyris librum de principatu cæleſti legeret.* Hinc enim liquet DIONYSIVM qui illo in regali templo quieſcit, & eiuſdem patronus colitur, eſſe ipſum Areopagitam, qui libri Hierarchiæ cæleſtis celeberrimus auctor eſt. Cuius virtute, immò diuina vi effectum fuit, vt tam pretioſus eius libellus, cui ob amorem auctoris ſanctiſſi-

mi, eiuſdem loci tutelaris, tum ardenti ſtudio S. Maiolus incumbebat, comburi flammis non potuerit. Nec mirum ſi ignis non valuit beati Dionyſij opus adurere : cuius voracitatis domitor ſuo in agone ſupremo factus, caminis ardentis æſtus, & flammarum furentes globos ſtupenda virtute reſtinxit. Cui glorioſo athletæ de ipſo igne ita magnificè triumphanti, diſtichum illud præclarè quiſpiam doctus, piúſque ſcriptor dudum appendit.

Ignibus è mediis DIONYSIVS *integer exit.*
Nil mirum : CHRISTI *fortior ignis erat.*

Sæculi 11. quod excurrit ab anno Domini 1000. ad 1100. teſtimonia.

§. 1.

SANCTVS Leo IX. Pontifex Maximus ex Epiſcopo Tullenſi, cuius elogium copioſum texuimus in Martyrologio noſtro: Areopagitam Dionyſium, Pariſienſis fuiſſe Eccleſiæ genitorem & illuminatorem Galliarum credidit ac docuit, vt produnt litteræ eius, quæ datæ feruntur 5. Nonas Octob. Pontificatus anno 4. in iis enim expreſsè legitur. *Athenas illum Dionyſium tranſmiſiſſe ad Gallos; Lutetiámque ipſam, virum diuinum recipere, audire & cælo efferre promeruiſſe. Etenim illum cum chariſſimis prædicationis ſuæ & paſſionis conſortibus Pariſiis viuentem prædicâſſe, & verum certamen*

certando, curſum conſummâſſe , fidem ſeruâſſe , triumphum peregiſſe victorioſiſſimæ paßionis, munus Apoſtolatus ſui ſuper eos, tam in vita quàm in morte, impleuiſſe. Idem Pontifex ſanctiſſimus aliis codicillis, qui in fine notantur dati 3. Non. Octob. per manum Petri Diaconi & Cancellarij ſanctæ ſedis Apoſtolicæ in ipſo Pontificatus primordio, ſcilicet anno Pontificatus 1. confirmauerat omnia & ſingula priuilegia Monaſterio beati Dionyſij impertita, tam à Dagoberto Rege, ipſius loci fundatore, necnon à Clodouæo eius filio, ſequentibúſque Regibus; quàm immunitatem conceſſam *à Landerico Pariſiacæ vrbis Epiſcopo vnà & cum conſenſu Canonicorum ſuorum*, necnon ſubinde approbatam *ab Ænea Pariſienſi quoque Præſule, cum conſenſu canonicorum ſuorum, & corroboratione Epiſcoporum Franciæ, Sueßionis in Regali Synodo reſidente Karolo Rege;* ſubſcribentibus ſex metropolitanis, & anathematis gladio percutientibus temeratores priuilegiorum prædicti Monaſterij: quo eodem Apoſtolico diplomate beatiſſimus ipſe Papa collaudauit, & rata habuit *omnia & ſingula indulta, decreta, prærogatiuas, gratias & priuilegia quæcumque à deceſſoribus ſuis Zacharia, Stephano, Leone, Adriano, Nicolao, Apoſtolica auctoritate eidem Monaſterio collata.* Potiſſimum ſingulare hoc priuilegium primitus à Stephano Papa prædicto ei cœnobio tributum, quo conceſſit vt aſcetæ poteſtatem haberent eligendi ex ſe & habendi Epiſcopum. Cui indulto aliud addit *ſingulare quoque,*

vt ait, *priuilegium: nempe vt vice*, inquit, *noſtri nominis habeant* (Abbas & Monachi) *poteſtatem percutiendi eos anathemate, qui iura illa ſua Apoſtolica temerabunt, eoſdémque relaxandi poſt ſatisfactionem.* Notandum verò contra Germanos, qui ex ſententia quam' prætendunt huius B. Leonis Papæ IX. corpus ſancti Dionyſij Areopagitæ (quod tranſlatum, ex inſigni eiuſdem prope Pariſios Monaſterio, ad ſe nugantur:) Ratiſponæ in aſceterio ſancti Emeramni repoſitum conditúmque quieſcere perperam contendunt: huius Papæ ſanctiſſimi eoſdem auctoritate reuinci, qui in Apoſtolicæ conſtitutionis ſuprà deſignatæ exordio aſſerit & teſtatur, ſancti ipſius Dionyſij corpus, in eiuſdem prope Pariſios Monaſterio, vbi primum à Dagoberto Rege collocatum fuit, aſſeruatum permanere. *Venerabilis Abbas Hugo, & Monachi beati Dionyſij Martyris, vbi ipſe Sanctus in corpore requieſcit, noſtram beneuolentiam precibus implorauêre, quatinus priuilegia à Domino Dagoberto Francorum Rege, ipſius loci fundatore conceſſa*, &c. *noſtra auctoritate dignaremur roborare.* Cui Apoſtolico conſtituto appenſa hæret bulla plumbea, infixa coriaceo vinculo, cum ipſius Papæ ſanctiſſimi monogrammate, ſignóque eiuſdem proprio, cuius epigraphe eſt. *Miſericordia Dei plena eſt terra.* vt ſubeſſe nullum poſſit dubium de Apoſtolicæ llius reſcriptionis ſynceritate. At de Ratiſponenſium futili commento ſatis hoc loco, quoniam in commentariis noſtris ad Martyro-

logium Galliæ 9. Octobris, hanc prorſus à verò alienam illorum opinionem ſtirpitus euellere, & planè confutatam explodere, ſuffragante apud Chriſtum beatiſſimo eius Martyre Dionyſio Areopagita, iure tam Apoſtolatus, quàm Martyrij, & pignorum ſacrorum poſſeſſionis, verè noſtro, pollicemur. Hic verò obſeruandum interim eſt, eodem ſæculo edita extare ſimilia Apoſtolica reſcripta Nicolai II. Alexandri II. & Paſchalis itidem II. Quibus iura, ac priuilegia omnia ſæpedicti ſancti Dionyſij Monaſterij, dum corroborant, confirmántque, teſtantur continua ſerie, corpus ſancti Dionyſij ibidem requieſcere.

§. 2.

SANCTVS Robertus Francorum Rex Chriſtianiſſimus, alter ſua ætate Dagobertus, ex incenſo in ſanctum Dionyſium, eiúſque inclytum Monaſterium amore emicuit. Inſigniora ſunt hac in re eius facta, ac reſcripta luculentiora, quàm vt ad lucem promerendum neceſſe habeant per ſeriem hîc recenſeri. Vnius igitur ex chartulæ authenticæ, in ſcriniis ſancti Dionyſij etiam conſeruatæ, & eiuſdem glorioſiſſimi Regis monogrammate obſignatæ, cui appenſum hæret regium eius ſigillum effigie eiuſdem genuina, quæ ſpirantem vultus ſpeciem exprimit, informatum, contextu: teſtimonium eiuſdem expromemus, quo Dionyſium noſtrum

Areopagitam, & non alium fuiſſe, diſertiſſimè profitetur. *Ego Robertus permiſſu Dei Francorum Rex*, BEATO DIONYSIO, MAGNO, *inquam*, APOSTOLI PAVLI DISCIPVLO, *vtque audiendo experiendóque didici, ſpeciali Regum Francorum patrono*, &c. *quædam ſua, quæ malitioſè prauorum hominum inquietauerat calliditas reſtituo*, &c. *& quidquid malarum conſuetudinum circumquaq. vicum beati Dionyſij habemus gratia Dei, atque prædicti magno amore Martyris parcimus*, &c, *Quocirca Regalis edicto imperij, impero*, &c. *vt hæc, quæ diximus, ſint in perpetuum quieta, iuxta nobiliſſimorum Regum, dico autem loci illius funditorum atque ditatorum vota: vti & S. Dionyſio ſeruientes, noſtra pro vita, incolumitate, regni pace, noſtríque totius generis ſalute, præcipuè autem matris pro ſoſpitate, id omnino hortantis, fauentis, atque, vt ita dixerim, quodammodo impellentis, illi ipſi fratres, inquam, apud Deum fiant ſpeciales oratores, & vt beati Dionyſij ſemper ſuffragiis mereamur adiuuari.* In aliis autem reſcriptis, vt ſemper innuat ſe Areopagitam Dionyſium, & non alium colere patronum ſpecialem nomini eius præmittit titulum *Mikary**, quòd Areopagitæ liquet ex antiquis monimentis fuiſſe proprium cognomentum. Ita verò de eo ſentiebat & ſcribebat, vt ipſemet indicat in regali pragmatico ipſius ſancti Dionyſij, ex ſcientia & conſilio regni ſui Antiſtitum & Procerum. *Ex conſultu*, inquit, *Archiepiſcoporum & Epiſcoporum (quorum nomina ſubterſignamus) & optimatum Francorum*

*Machàrij.

placuit ſerenitati noſtræ, &c. Subnotantur autem 13. Epiſcopi, quos ideo in eadem fuiſſe liquet de ſancto Dionyſio perſuaſione, cum ipſo Rege, ſapientiſſimo Roberto, cuius tótque Epiſcoporum iudicium; deliranti illi Clerico Engoliſmenſi (de quo ſolo effusè gloriatur Boſquetus parte 1. p. 50.) in Lemouicenſi Concilio gloriæ Dionyſij noſtri detrahenti proprium decus, nempe Pauli Apoſtoli titulum diſcipuli, & nobilis Areopagitæ nomen, longè anteferendum eſſe, nec Boſquetus ipſe ſi candidè loquatur, auderit inficiari. Qui ſanè ex dictis illius ſtolidi Clerici nihil ſe iuuare poteſt, cùm idem contemptus fuerit ab ipſa Synodo Lemouicenſi, cuius Proceres antiqua in traditione permanſerunt, nec magis curarunt de huius Clerici nugis quoad ſanctum Dionyſium, quàm de aliorum perturbatorum contentioſis clamoribus, qui Apoſtolicam ætatem ſancto Martiali, aliíſque Galliæ primis Euangeliſtis derogabant: aduerſus quorum allegationes commentitias, Synodalis, lata cum ſedula diſquiſitione veræ & priſcæ traditionis, concluſit ſententia. Huius verò Engoliſmenſis Clerici, contra ſancti Dionyſij dignitatem infauſtè ac turbidè declamantis, nulla ratio habita eſt, cum illa cui nitebatur de geſtis ſancti Marcelli commentatio, apertè inſulſa, ridicula, abſurda, ſuíſque ipſius lineamentis conficta, & ſibimet aduerſa, omnibúſque antiquitatis ſacræ monimentis, etiam ab aduerſariis agnitis & receptis, contraria, primo vel inſpectu appareret.

appareret. Quemadmodum infrà in Boſqueti quiſquiliarum diſcuſſione euidenter oſtendemus. Vnde mirum quomodo vir ille doctus & hiſtoriæ non imperitus, tam futili argumento, ſuam opinionem (quam vult perſuadere tam veram quàm exploratam) tueatur, quæ inſanientis palam hominis, duntaxat nititur ridiculo delirio. At de hoc infrà agendum erit iterum. Satis hîc habemus ex Roberti Francorum Regis ſanctiſſimi atque eruditiſſimi (cuius inferius dignæ laudes proprio loco prædicantur) iudicio teſtimonióque, & Epiſcoporum Galliæ, ipſimet aſtipulantium in reſcriptis citatis, irrefragabili ſententia: DIONYSIVM quem Gallia Apoſtolum atque protectorem colit, non alium fuiſſe quàm Athenienſem, illum Pauli Gentium Doctoris & œcumenici orbis magiſtri percelebrem diſcipulum, hácque de cauſa MAGNI titulo ab eodem Rege ex perenni, quem ſuprà probauimus*, Eccleſiæ vſu & conſenſu honoratum. *Pag. 607. & 608.

§. 3.

BEATVS FVLBERTVS Epiſcopus Carnotenſis, cuius decora noſtro in Martyrologio Galliæ depinximus; non in alia eſſe potuit de S. Dionyſio, quàm Robertus Rex perſuaſione, cuius adhuc pueri pædagogus, Regíſque præcipuus Conſiliarius, quin & Cancellarius fuit. Ideóque illa, quæ edidit Rex ipſe Robertus diplomata,

conſcripſit, vel recognouit Fulbertus: hoc enim ad eius munus pertinebat. Ipſe autem ſubſcriptus notatur in diplomatibus Regiis, quibus Robertus ſuam in ſanctum Dionyſium pietatem teſtatus eſt. Vnde non dubium, quin eandem cum illo piiſſimo Rege ſuo alumno ſententiam de S. Dionyſio profeſſus fuerit. Legitur in veteri annali Cod. Bibliothecæ collegij regalis Nauarræ in vita Roberti Regis, Fulbertum fuiſſe quidem primò Cancellarium eiuſdem Regis, *& ex Cancellario factum Epiſcopum Carnotenſem, vita honeſtiſſimum & clariſſimum ſcientia.* Cui notationi fauet præmemorata ſyngrapha ipſius Fulberti, reſcriptis Roberti Regis antedictis appoſita, in quibus ampliùs non ſubſignatur Cancellarius, ſed in ſerie ſeſe Præſulum, ſuo ordine & Epiſcopali titulo duntaxat ſubſcribit. Sed hoc nihil inſinuationi noſtræ præiudicat. Nam etſi Cancellarij officium depoſuerit factus Antiſtes, conſiliarij præcipui Regis præfati munus perpetuum retinuit. Quemadmodum conſtat ex epiſtolis Regis ad ipſum; eiúſque ad illum viciſſim reſcriptis reſponſis, quæ extant inter opuſcula beati ipſius Fulberti: quem conſulit ille Rex in rebus, tam politicis, quàm ſacris, vt patet ex epiſt. 3. 4. 13. 15. 17. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 97. 98. 105. quibus Fulbertus tum ad petita eius reſpondet, tum ſuggerit quæ iuſta vel pia videntur conſilia: immò negotia pleraque eiuſdem priuata & publica curat & dirimit, multáque eidem

Principi præclara monita atque documenta tradit. Fuit enim tali diſcipulo magiſter, Regéque tanto Achates digniſſimus, vtpote (ſicut ait Trithemius in eius elogio) in *ſæcularium litterarum diſciplinis omnium Doctorum ſuo tempore doctiſſimus, & in ſcripturis diuinis eruditiſſimus, fidei Catholicæ clypeus* (vt addit vetus Chronicon Abbatiæ ſancti Petri in Valle Carnotenſi) *& Eccleſiæ ſpeculum.* Tam vigilem igitur ſpeculatorem, errare Robertum Regem in Dionyſij ſpecialis patroni ſui, immò regni tutelaris vniuerſi cultu, quin & cognitione & deſignatione fuiſſe paſſum, nemo ſatis naſutus, ſuam facilè in mentem induxerit. Erranti autem lubentem adhæſiſſe, & tam exploratum errorem, quo ſi aduerſariorum militat ſententia, Dionyſium Pauli Apoſtoli diſcipulum, Magnum Dionyſium, necnon Macharium, falsò cognominabat; ſuo chirographo approbâſſe, & ſic ipſum deceptum fuiſſe ab Hilduini ſectatoribus, & alumnum Regem & poſteros eundem Fulbertum viciſſim fefelliſſe, durum nimíſque abſurdum eſt opinari. Habuit certè beatus Fulbertus, quemadmodum & Robertus Rex ſuus diſcipulus, ſanctum Dionyſium in inſigni veneratione, quem Martyrum in Gallia prædicabat coryphæum, vt Martinum Confeſſorum, Doctorúmque Hilarium; epiſt. 21. quâ nonnullorum ſui temporis Epiſcoporum deplorás puſillanimitatem, ita conqueritur. *Iacet interim victa, confuſáque fratrum expulſorum humilitas: nec eſt Præſul in*

Galliis, cuius viſcera tangat affectio pietatis, aut zeli ſacræ legis inflammet, vt conſurgat ad frangendos impetus eorum, ad releuandas ſpes dolore tabeſcentium. Defuncta eſt enim DIONYSII FORTITVDO, *non comparet pietas Martini. Tu quoque dereliquiſti nos S. Pater Hilari, qui olim vnitatem Eccleſiæ Spiritus ſancti gladio tuebaris. ô derelicta, ô mœſta, ô deſolata Gallicana Eccleſia!* quibus ex verbis liquet quod Dionyſium noſtrum Galliæ ſummum Chriſti purpuratum teſtem crediderit, præcipuúmque non poſtremum cenſuerit, vt certant æmuli, Martyrem.

§. 4.

An. 1040. SANCTVS ODILO Abbas Cluniacenſis, quem beatus Fulbertus epiſtola *66.* meritorum ingentium obtentu, *Sanctum Monachorum Archangelum* appellabat, Roberto Regi ſanctiſſimo, atque ſua ætate literatiſſimo auctor fuit, vt diploma munificum cuderet, in quo Rex ipſe glorioſiſſimus ſeriò beatum DIONYSIVM ſpecialem Regum Francorum protectorem, magnum Pauli Apoſtoli diſcipulum enuntiat atque teſtatur. *Ego Robertus* infit *permiſſu Dei gratiæ Francorum Rex, beato Dionyſio* MAGNO *inquam Pauli Apoſtoli diſcipulo; vti audiendo, experiendóque didici, ſpeciali Regum Francorum patrono: monitu almifluo, ſuaſione ſalubri, conſilio ſancto Domni Odilonis Abbatis totius tranſmiſſi, Deo propitio, vtilitati deuinctus orbis, &c. remitto, &c.* Coluit enim im-

penſo affectu pietatis ſanctus Odilo beatum ipſum Dionyſium, tum etiam vt antea creditum ſine vlla ambiguitate, à viris Sanctis & peritis, B. PAVLI APOSTOLI DISCIPVLVM, cuius Monaſterium collapſum per temporis iniurias, priſtinum in ſplendorem reſtituerat, ſicut Ademarus Monachus S. Michaëlis Lemouicenſis in fragmento MSS. Cod. quod profert hunc in finem collector Bibliothecæ Cluniacenſis, his verbis commemorat. *Beati Dionyſij cœnobium, quod iam priſtinam monaſticam corruperat regulam, Rex Hugo, regularum honeſtate, ſicut in Eccleſiis Domini rectum erat, honeſtius reſtaurauit, per manum venerabilis Odilonis Abbatis.* Qui ſanè cùm res ſancti Dionyſij curauerit, & in eius Monaſterio, vt illud meliori diſciplina informaret, non paruas moras duxerat, non potuit tam inſignis loci tutelarem, ſub cuius auſpiciis huc agebat, inclytum ignorare. Pauli igitur Apoſtoli cognouit Dionyſium noſtrum ex patenti Maiorum traditione diſcipulum, húncque talem, cum Roberto Rege, cuius calamum ita ſcribentem impellebat (vt Rex ipſe teſtatur) tam celebri monimento confeſſus eſt. Abiit ad Chriſtum vir ſanctiſſimus anno Domini 1048. ætatis 87. prid. Kalend. Ianuarij. At nos ipſis Kalend. de eo egimus in noſtro Martyrologio.

Sæculi 12. ab anno 1100. ad 1200. profluentis Teſtimonia.

§. 1.

Anno 1100. SIGEBERTVS Monachus Gemblacenſis: *imitatus* (vt ipſe de ſe ait in catalogo Scriptorum Eccleſiaſtic. illuſtrium) *Euſebium Pamphili, qui primus apud Græcos chronica à tempore Abraham digeſſit, ipſe quoque à loco intermiſſionis eius, vſq. ad annum 1111. omnem conſequētiam temporum & rerum geſtarum, quanta potui ſtyli temperātia ordinaui.* In hoc autem ſuo Chronico ſæpè S. Dionyſij, eiuſdémque inſignis Eccleſiæ prope Pariſios meminit, manifeſtéq. ad annum 824. DIONYSIVM, qui ibi colitur 9. Octob. Areopagitam eſſe teſtatus eſt. Nam dum Dionyſij Areopagitæ libros miſſos fuiſſe ad Ludouicum Pium è Græcia cōmemorat: illos allatos ad prædictum eiuſdem Martyris Monaſterium, in ipſo eius natali virtutem eiuſdem diuini auctoris indicâſſe, qui erat illius Eccleſiæ glorioſus tutelaris diſertè teſtatur. *Legati Michaëlis Imperatoris* (inquit) *inter cetera munera detulerunt Ludouico Imperatori libros Dionyſij Areopagitæ de Hierarchia, id eſt, de ſacro principatu, petente ipſo Ludouico de Græco in Latinum tranſlatos. Qui libri Pariſios in ipſo ſancti Martyris feſto miſſi, cum gaudio ſuſcepti ſunt. Quod gaudium virtus S. Martyris auxit, decem & nouem ægrotis in ipſa nocte ibi ſan. tis.* Sed cuius

quæſo Martyris virtus ibi emicuit, in teſtimonium libri huius germanitatis, niſi illius athletæ, qui huius operis proprius auctor erat, cuiúſque natalis illo in templo, vbi quieſcebat, fauſtiſſima die qua oblati ſunt ſacri iſti codices, ſolenni ex more agebatur? *Sed ſi teſtimonium hominum accipimus* (vt ait beatus Ioannes) *teſtimonium Dei maius eſt.* Valet quidem nonnihil ad mouendum viros doctos, Sigeberti viri grauis & ſua ætate doctiſſimi, tam apertum de identitate Dionyſij Areopagitæ & Pariſienſis teſtimonium: ſed diuina teſtificatio, qua idipſum demonſtratum fuit, longè admodum maioris eſt momenti. Tametſi nulla prorſus hîc comparatio eſt: cùm non ſit vlla finiti ad infinitum proportio, diuinæque auctoritati, humana quæuis ſi conferatur, nulla ſit, in nihilúmque protinus ſuum abeat. Taceat igitur Sigebertus, & alius quiſque homo, cùm Deus loquitur: cuius miracula, potentiæ non ſolùm ſunt eius indicia; ſed eloquia inſuper ipſius veritatis. Quamobrem, cùm his teſtimoniis, & quidem tanto numero ſignorum, quæ 19. conficiunt, prolatis diuinitus, probata ſit Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi identitas; ſileat humana temeritas, neque amplius contrarium ſentire vel ſcribere præſumat.

1. Ioan 5. 9.

§. 2.

An. 1113. LVDOVICVS Rex Chriſtianiſſimus cognomento Craſſus, nomine Sextus, gloria factorum cùm primis certè conferendus, at potiſſimum pietate erga beatum Dionyſium, Regum Regníque proprium communémque opitulatorem ſuſpiciendus ac inſignis fuit. Hic in chartula data Pariſiis per manum Stephani Cancellarij, qui poſtea Epiſcopus fuit Pariſienſis anno 1113. ab Incarnatione Domini diſertè aſſerit. *Eccleſiam ſancti Dionyſij aliis Eccleſiis regni ſui præeminere, & præcipuè debere à Regibus Francorum honorari.* Sed cauſam illa in charta non indicat, at in alia aſſignat, data per manum eiuſdem Stephani Cancellarij publicè anno incarnati Verbi 1120. ſub regio monogrammate, & ſigillo ceræ flauæ impreſſo, cui figurata hæret expreſſa effigies Regis in throno ſedentis, in læua virgam, cui inſita cernitur iuſtitiæ manus, geſtantis; in dextera ſceptrum liligerum. Hoc enim in Regali reſcripto ita præfatur. *Nos cùm & aliis longè latéque Eccleſiis, tum præcipuè nobili Monaſterio ter beati Dionyſij ſociorúmque eius propenſiùs attendentes, eo primum affectu, quo regnum noſtrum ſorte Apoſtolatus ſuſcipiens, Domino* DEO *proprij ſanguinis effuſione reſtituit.* Dionyſius igitur quem honorabat ex auita imitatione, ille erat noſter, qui vnius ciuitatis Galliæ Epiſcopus tantùm non fuerat, ſed totius Galliæ

Galliæ inſuper Apoſtolus. Hic verò ſolus eſſe comperitur, qui à ſancto Clemente, Gallias vniuerſas, ſub Apoſtolica cura ſuſcipiens, plúſque omnibus laborans aliis cultoribus diuinæ ſementis, tam inſignem regni Chriſti portionem, fuſo cum ſociis ſanguine illius imperio copulauit. Nec enim Eccleſia ſancti Dionyſij alio titulo ceteris omnibus Gallicis præeminet, neque alio iure debet præcipuè à Regibus Francorum honorari: qui humiles tanti cælitis clientes, vt acceptam ab eo fidem, in Gallia teſtarentur Regni coronam in ſui principatus exordio, in beati ipſius Galliæ Apoſtoli Eccleſia, de eius altari ſuſcipiebant, ſicut ſuprà, ex decreto Caroli Magni, vſu inuectum oſtendimus. Sed hoc addidère ex deuotionis exuberanti affectu, poſteriores Galliarum Auguſti: vt non ſolùm ſub patrocinio tanti Martyris ſepelirentur, ſed ipſum Regni diadema & ſceptrũ, quod à glorioſo Regni Apoſtolo & protectore, ſe accepiſſe diuino ex munere profitebantur; morientes referri ad ſancti ſui opitulatoris ſacrarium, pio ex more ordinarent. Quam auitam obſeruationem cùm tantiſper implere Ludouicus præfatus Rex diſtuliſſet: veniam negligentiæ à ſancto Dionyſio deprecatus, reatus etiam mulctam ſua ſponte exoluit. *Quoniam iure* (inquit) *& conſuetudine Regum Francorum demigrantium, inſignia Euangelij, ipſi ſancto Martyri, tanquam duci & protectori ſuo referuntur: coronam patris noſtri ei reddidimus, pro dilatio-*

ne redditionis ſatisfecimus, & tam pro ſalute animæ noſtræ, quàm pro Regni adminiſtratione, coniugis & prolis conſeruatione, Eccleſiam de Cyrgiaco,&c. contulimus. Idem Rex glorioſiſſimus montem Martyrum, & peruerterem capellam ibidem ſitam, vulgo dictam SANCTVM MARTYRIVM, eò quòd eo loco ſanctus Galliæ Apoſtolus Dionyſius cum ſodalibus beatis extremum Chriſto teſtimonium fuſo ſanguine reddiderat, vt maiori nitore illuſtraret, ſuum in ius tranſcripſit per legitimam permutationem, quam cum aſcetis ſancti Martini Campeſtris inierat. Siquidem vt locum hunc ſacratiſſimum ab ipſis ſuum in ius vendicaret, Eccleſiam ſancti Dionyſij de Carcere illis in compenſationem contulit, parthenona ſeu ſacrarum virginum collegio decorauit, pia Regina Adelaide eius coniuge ſuadente, atque etiam ſatagente: vt monimento ſunt regij hac de fundatione tunc exarati apices; quorum ita habet exordium. *In nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ego* LVDOVICVS *Dei miſericordia in Regem Francorum ſublimatus. Notum fieri volumus cunctis fidelibus tam futuris, quàm præſentibus, quòd pro remedio animæ noſtræ & prædeceſſorum meorum & prece & conſilio chariſſimæ vxoris meæ Adelaidis, Eccleſiam & Abbatiam in monte, qui Mons Martyrum appellatur, auctore Deo conſtruximus. Cui videlicet Eccleſiæ & Sanctimonialibus ibidem Domino famlantibus, hæc quæ ſubſcripta ſunt in perpetuum habenda & poſsidenda de rebus, &*

* Extat hæc chartula deſcripta ex authographo in hiſtoria Regalis Monaſterij ſancti Martini de Campis, lib. 4. p. 329. & 330.

poſſeßionibus noſtris, annuente Ludouico filio noſtro, iam in Regem ſublimato donamus & concedimus, &c. *Sub ſilentio autem præterire non volumus, quòd pro domo Querrici, quam Monachi beati Martini de Campis in manu ſua habebant, nos eiſdem Monachis Eccleſiam beati Dionyſij de Carcere, quam in manu noſtra propria habebamus, cum omnibus eius appenditiis in commutationem donauimus. Actum Pariſiis in Palatio noſtro publicè, Anno incarnati Verbi 1134. Regni noſtri 27.* &c. De Eccleſia illa Montis Martyrum ſæculo 17. rurſus diſſeremus occaſione ibi reſeratæ auſpicato cryptæ antiquæ, in qua ſancti Dionyſij Martyris & B. Clementis, à quo miſſus fuit, peruetera inſignia, hoc eſt nomina, quæ inciſa in caute, nondum penitus tanta ex vetuſtate deleta, à loci luſtratoribus conſpecta ſunt. Hîc enim ſatis de teſtimonio Ludouici Craſſi Regis, in cultum ſancti Dionyſij propenſiſſimi: in cuius cœnobio puerulus quòd fuiſſet educatus, baſilicam ipſius *ſuam nutritiam* appellare conſueuerat: quam ita dilexit, vt paulò antequam humana exueret, voluerit, illic depoſito imperio * ſchemma religioſum induere, & humilem aſcetæ vitam profiteri. A quo voto vix tandem cohibitus fuit, Præſulum Galliæ monitu, Sugeriíque potiſſimùm Abbatis Dionyſiani, celebris ſui conſiliarij; regni potiùs, quàm ſui Monaſterij commoda attendentis, inſtanti deprecatione. Moriens autem tandem Ludouicus, illam quam in præcordiis ſemper geſſerat erga beatiſſimum

* Doublet, p. 1268. locum profert inſigné, ex MSS. quo votum hoc piiſſimũ Ludouici Regis aptiſſimè deſcribitur.

Galliæ Apoſtolum pietatem, quantum adhuc in ſe ferueret prodidit: ſiquidem non in Abbatia ſancti Victoris, quam in ſuburbio regiæ Lutetiæ, nuper ingenti ſumptu ac ornatu erexerat, voluit tumulari (quod titulus certè fundatoris ſuo, quaſi iure exigebat:) ſed in templo S. DIONYSII omnino decreuit ſepeliri, vt non tam progenitorum oſſibus, ſua oſſa iungerentur, quàm ſemper deſiderato perenniter frueretur, tanti apud Deum ſuffragatoris ſui patrocinio.

§. 4.

Anno 1116. BARTHOLOMÆVS Epiſcopus Laudunenſis, pari nobilitatis quà virtutis & ſapientiæ pietatíſque claritate conſpicuus: qui poſt diutinum & laudabilem præſulatum, religionis amore feruentiori incenſus, abdicato Pontificatu, ſeſe Fuſcinianenſi cœnobio, aſſumpto religioſo ſchemate incluſit, vbi in humilitate, abſtinentia & omni pietate perſeuerans, cæleſtibus chariſmatibus emicuit, reuelationibúſque diuinis honoratus eſt, demúmque omni perfectus ſanctitate, feliciter ſpiritum ad Chriſtum tranſmiſit. Quibus meritorum titulis inter pios Galliæ inſignis, noſtro in Martyrologio cum aduenerationc non modica commemoratus eſt, ipſo die eiuſdem piiſſimi obitus, qui contigit 6. Kalend. Iulij anno 1153. Hic glorioſus Antiſtes ſancto Dionyſio præcipuo amore conglutinatus eſt, hácque ex deuo-

tione, in regale Monaſterium, vbi inuocatur & quieſcit inclytus ille Martyr, admodum piè affectus, nonnulla huic beneficia impertiuit. Extat in archiuis inſignis illius cœnobij munifica eius chartula, cum Laudunenſis capituli aſſenſu confecta, anno Incarnationis Domini 1116. Quâ ſancti Dionyſij præconia ſic enuntiantur, vt ille eſſe commemoretur, *qui vniuerſam Galliam prædicatione ſua, & ſanguinis effuſione, Chriſtianæ religioni conſecrauit.* Id verò de eo ineptè diceretur, qui ſub Decio, vel etiam Diocletiano, hoc eſt, trecentos ferè poſt erectam Chriſti crucem annos, Gallias ingreſſus, vrbiculæ duntaxat (nam tunc adhuc exilis erat Lutetia) paſtor extitiſſet. Hic enim œcumenicam Galliæ curam non geſſiſſet, nec Galliam vniuerſam prædicatione, & martyrio ſuo, dici poſſet Chriſtianæ fidei conſecrâſſe; cùm iamdiu antea Gallia, Chriſto fuiſſet, per multorum cæleſtium nunciorum prædicationem, & Martyrum ſanguinem dedicata. Sanè ſancti Irenæi tempore *, qui Polycarpi Apoſtolorum præcipui ſymmyſtæ, fuit diſcipulus, Eccleſiæ tot erant in Gallia, vt Epiſcoporum ille concilia cogeret: ſicut Euſebius teſtificatur, Irenæúſque meminit ſuis in ſcriptis, Celticarum Eccleſiarum. Cuius deceſſor in ſede Lugdunenſi Epiſcopali Potinus ſupra nonagenarius cum pleriſque ſacris Chriſto viris atque fidelibus illuſtriſſimo certamine occubuerat: & ſub Traiano, vt Ado notat in Chronico ætate 6. *glorioſiſ-*

* Ita obſeruat: et ū doct. Pithœus in Opera ſcribēs Saluiani.

ſimus ſenex Zacharias Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus, Martyrio coronam retulerat. His ſanè, Dionyſius ſi talis, qualis ab aduerſariis effingitur, fuit; longè inferior eſſet, ætate, dignitate, merito. Vnde neq. rectè neque verè Bartholomæus iſte Laudunenſis Epiſcopus, cũ toto ſuo Eccleſiaſtico Senatu, perenni monimento de illo prædicaret; *quòd totius Galliæ Apoſtolus*, & in Chriſto parens extiterit, quoniam *ipſam vniuerſam prædicatione ſua, & ſanguinis effuſione Chriſtianæ religioni conſecrauerit*. At hoc bene dici poteſt de Apoſtolico noſtro Dionyſio, quem ob Apoſtolatus eius inſignia, Galtherus Cameracenſis Antiſtes, in chartula edita anno 1099. *pretioſiſſimum Martyrem Dionyſium* appellabat, totius Galliæ Primatem.

§. 5.

SVGERIVS Abbas ſancti Dionyſij, ſatis ipſo nomine & titulo conſpicuus, quem ſanctus Bernardus *chariſſimum & intimum amicum*, in extrema ſua ad illum epiſtola, in obitu eius conſolatoria, tenerrimo affectu compellauit, & quod longè honorificentius eſt, ob clara ſpiritus gratiæ chariſmata, DEI *hominem, patrémq. ſanctiſſimum* appellauit, eiúſq. morientis benedictionem exoptauit. Hic, inquam, magnus certè Sugerius, qui etiam, dum Ludouici VII. in Oriente ſacræ expeditioni impliciti vice, regnum adminiſtraret, ſingulare ab ipſo beato Bernardo elogium promeruit, titulo irreprehenſibilis vitæ, raræque in

rerum, ſacrarum & ſæcularium geſtione peritiæ. Sic enim de eo ſcribit ſanctus ipſe Bernardus ad Eugenium Papam. *Noui virum, quòd & in temporalibus fidelis & prudens; in ſpiritualibus feruens & humilis, in vtriſque, quod eſt difficillimum, ſine reprehenſione verſetur. Et apud Cæſarem eſt, támque vnus de curia terrena; & apud* DEVM *tamquam vnus de curia cæleſti. Magnæ domus, magni Regis, vas in honorem, apud noſtram habetur Gallicanam Eccleſiam.* Is igitur tantus vir, ſic ſententiam expreſſit ſuam (quam poſteris teſtatam relinqueret) admodum inſigni monimento, de Dionyſij (cuius Eccleſiæ Abbas erat digniſſimus) qualitate: in chartula gratificatoria Canonicis antiquæ Eccleſiæ ſancti Pauli, templo ſancti Dionyſij Areopagitæ prope adhærentis, ab ipſo capitulari decreto conceſſa, qua ſic effatur. *Nouerit tam præſentium, quàm futurorum induſtria, quòd ego* SVGERIVS *Eccleſiæ beati Dionyſij Abbas, conſenſu fratrum, Eccleſiam beati Pauli, quæ quaſi capiti membrum Eccleſiæ noſtræ inhæret, honorare & exaltare decreuimus & propoſuimus; tum quia* BEATI PAVLI *magiſtri gentium prædicatione, & protectorem noſtrum* BEATVM DIONYSIVM *obtinuimus, tum quia quidquid honoris & vtilitatis conferimus, quoniam noſtra eſt, ad honorem & vtilitatem noſtram totaliter referetur. Clauſtrum ſiquidem Eccleſiæ eiuſdem, officinas in clauſtro & domos clauſtri, quas habent, & quas circa clauſtrum habere potuerint, ad ædificandum proprias Eccleſiæ manſiones & Canonicorũ domos libertate irrefragabili & immunitate*

totius exactionis donamus. Deinde enumeratis nonnullis, quos illis confert Canonicis, reditib. & cenſibus, annuali iure percipiendis, ſignatè ſtatuit. *Vt iis perſoluantur in vtraque* S. PAVLI *ſolennitate: ad Canonicorum ſcilicet refectionem, vt iucundius* DEO *ſanctóque Paulo deſeruiant*. Verùm contra hoc tam euidens teſtimonium aduerſarij excipient, Sugerium non eſſe audiendum, vt qui ſcilicet Monaſterij ſancti Dionyſij Abbas, anteceſſoris ſui Hilduini veſtigia inſequatur, propriúmque in fauorem teſtificetur, cùm Dionyſium patronum ſui Monaſterij beati Pauli Apoſtoli aſſerit diſcipulum. Fateor quòd ſi ſolus ſua ætate Sugerius iſta aſſeueraret, minus ei eſſet fidei concedendum. Sed ex antiquiſſima traditione tam à Græcis quàm Latinis, ab exordio Chriſtianæ religionis ſuſcepta & aſſerta, túmque (cùm hoc ederet Sugerius, munificum ſtatutum) vbique hactenus obſeruata & credita; hoc eſt, ex perpetua Chriſtianorum conſpiratione & communi conteſtatione, illam ſancti Dionyſij cum beato Paulo Apoſtolo connexionem commemorabat. Igitur quod deponit, non tam proprium ſuffragium, quàm publicæ fidei, profeſſio eſt. Adde quòd teſtes domeſtici in cauſis Eccleſiæ admittantur, contra ius commune, *gloſ.1.in can.regulæ diſtinct.29.* Accedit quod dici non poteſt, quæ narrat illo in chartulæ exordio Sugerius, ab eo conficta eſſe: cùm adminiculis fulciantur firmiſſimis, indiciiſque patentiſſimis conſignentur. Supra ſanè ex antiquitate

tate Eccleſiæ ſancti Pauli, templo beati Dionyſij à priſcis Regibus coniunctæ, elicuimus ſententiæ illius, quæ Dionyſium Paulo Apoſtolo coniungit, vt magiſtro diſcipulum, antiquitatem. Quid enim cauſæ erat, vt Baſilicæ ſancti Dionyſij Eccleſiam ſancti Pauli adiungerent? niſi vt patenti hoc monumento vtriuſque beati indicarent ſacram conteſſerationem: Dionyſiíque illius factam à Paulo conuerſionem, hoc indicio, ad ſpectantium memoriam reuocarent? Hæc ſanè conſideratio Robertum Regem piiſſimum, atque doctiſſimum, ſpeciali deuotione erga illam Eccleſiam ſancti Pauli iunctam beati Dionyſij Monaſterio, accendebat, vt poſtquam diuinis interfuerat officiis in templo ſancti Dionyſij, eiuſdem in feſto celebratis, vbi Cantoris officium mira pietate ſuſtinebat, mox ad ſancti Pauli proximam illam Eccleſiam properaret, vbi producebat preces. Dionyſij etenim gloriam, illuminatori eius Paulo communicandam, æquè Rex ille religioſiſſimus iudicabat; quod charta commemorat præcitata, notabili hac inſinuatione. *Robertus Rex magnæ pietatis poſt matutinos beati Dionyſij, in Eccleſia beati Pauli opera miſericordiæ & orationes proſequens, dum Eccleſiæ humilitatem, & clericos eiuſdem, benignè Dei ſeruitio vacare proſpiceret, vt ei Deus propitiaretur, de fiſco ſuo eidem Eccleſiæ donauit Molendium de ſancto Luciano: Impetrauerat idem Rex optimus, à capitulo ſancti Dionyſij præbendam, quam iiſdem Canonicis ſancti Pauli conceſſit, obla-*

támque poſtea reſtituit iiſdem Canonicis ſancti Pauli pleno iure, Adam Abbas pro matutinis decantandis in vigilia beati Dionyſij. Nimirum Patribus plena Dionyſij ſolennitas viſum eſt, fieri non poſſe, niſi vtroque in templo, Magiſtri ac diſcipuli, officiorum diuinorum coniunctim celebritas ageretur. Incongruum enim erat, vt tunc Pauli Eccleſia vacua fuiſſet ſolennibus præconiis, cùm Dionyſij baſilica eiuſdem natalis officia, omni cum ſplendore celebrabat. Fuerat enim Paulo gratia aliqua referenda, de diſcipuli ſui gloria, quem Chriſto cùm progenuit feliciſſima prædicatione ſua, ad immortalis clarificationis decus, videtur eo ipſo prouexiſſe. Igitur Sugerij narratio non illius nititur verbis: ſed patenti Patrum fidei, ideóque inſigni monimento, quod vel ſuo ſolo conſpectu admonet intuentes, tam de ſancti Dionyſij cum beato Paulo Apoſtolo intima neceſſitudine, quàm de eiuſdem noſtri Dionyſij Pariſienſis cum Athenienſi vnitate ac identitate.

§. 6.

PETRVS ABAILLARDVS hac ætate ſcriptor minus felix quàm celebris, diu in ſancti Dionyſij cœnobio vixit, vbi factus eſt Monachus: indéque rixa orta exceſſit, cuius cauſam * ſuperius enarrauimus. Vbi ex eius irrefragabili teſtimonio demonſtrauimus, illum identitatem Dio-

* Pag. 459. 460. 461. & 462.

nyſij noſtri cum Areopagita nunquam in dubium reuocâſſe, quin illam eſſe debere extra controuerſiam cenſuiſſe; & ipſam, ſcriptâ ad Adaum Abbatem S. Dionyſij apologeticâ epiſtolâ, præclarè fuiſſe profeſſum: vnde perſpicuum ſit, quàm mala fide Boſquetus ſcripſerit part. 2. pag. 59. Abaillardum, quamuis ſancti Dionyſij Monachum, Hilduini opinionem impugnâſſe. Verùm aliquam habet excuſationem Boſquetus, quòd fortè nunquam Abaillardum legerit: ſi enim ita eſt, à malæ fidei reatu ſit immunis, ſed non à labe inſcitiæ manifeſtæ.

§. 7.

HVGO à ſancto Victore natione Saxo, Canonicus Auguſtiniani inſtituti, in cœnobio S. Victoris prope muros Pariſienſes: vir exquiſita humanarum & diuinarum literarum eruditione clariſſimus, dictus *Auguſtini lingua*, ſeu *alter ſui ſæculi Auguſtinus*, amiciſſimus S. Bernardo, & ab eo sũmæ exiſtimationis teſtimoniis honoratus, Dionyſium noſtrũ haud alium eſſe, quàm Areopagitam manifeſtè docuit, *lib. 4. de mundi vanitate*, qui eſt, *de inquiſitione myſticæ arcæ cap. 1.* Vbi triumphos Apoſtolorum & Martyrum compendioſè commemorat. Poſtquam enim Petri & aliorum breuia elogia contexuit: mox poſt ſancti Clementis laudem, Dionyſium eius ad nos legatum, hoc recenſet præconio. DIONYSIVS AREOPAGI- Anno 1130.

TA *accepto mandato* (ſcilicet à prædicto Clemente) *Galliam penetrauit, & pugnans vt vinceret, præualuit ſtabilire leges cæli in terra. Ipſe enim vt oſtenderet viam vitæ, propter teſtimonium veritatis, verbum ſanguine conſecrauit, & ne mors vitam hæreditaret, in mortuis ſignum vitæ faciens, caput manibus baiulauit occiſus.* Hæc ille, vir ſanctitate ac doctrina, ſuâ ætate ſummus, quíque poſt ſe perpaucos pares habuit. Idem *explanationem cæleſtis Hierarchiæ Magni Dionyſij Areopagitæ* concinnauit, *decémque in libros* digeſſit, quos gratiſſimo munere dicatos obtulit Ludouico VII. Francorum Regi, prædicti Ludouici Craſſi filio, eiúſque ex imitatione feruentiſſimo cultori ipſiuſmet glorioſiſſimi Galliarum Apoſtoli Dionyſij Areopagitæ, libri illius planè cæleſtis, auctoris.

Tom. 1.

Tom. 1.

§. 8.

Anno 1141.

ORDERICVS VITALIS Angligena, Vticenſis Monachus, ſeu aſceta ſancti Ebrulphi in Lexouienſi præſulatu, ſub metropoli 2. Lugdunenſi, qui hiſtoriam Eccleſiaſticam ab Incarnatione Saluatoris, vſque ad ann. 1141. delineauit, quam libris 13. complexus eſt (anno 1619. typis prodiit excuſa ſtudio Andreæ Quercetani, aliàs *Ducheſne*, Geographi Regij cum hiſtoriæ Normanorũ antiquis Scriptoribus) lib. 5. p. 555. & 556. Beati Taurini I. Epiſcopi Ebroicẽſis res geſtas deſcribit. Eiuſdem Magiſtrum ac initiatorem S. Areopagi-

tam Dionyſium primum Pariſiorum Antiſtitem patentiſſimè indigitat. Nam pag. ipſa 555. obiter de Rotomagenſis vrbis illuminatione, à ſancto Dionyſio procurata diſſerens. *Ad hanc*, inquit, *à ſancto Dionyſio, tempore Domitiani Cæſaris, Nicaſius Epiſcopus cum ſociis ſuis deſtinatus eſt: ſed obiter in quodam foro, quod Scamnis dicitur, à Siſinnio Feſcennino comprehenſus eſt; & conſtanter in fide Chriſti perſeuerans, cum Quirino ac* Scuniculo Diacono 5. Idus Octobris decollatus eſt*, &c. *Priſca gentilitas, obiter martyriſato prædicatore, Rotomagum diu poſſedit, & innumeris idolorum ſpurcitiis vſque ad S. Melonem Archiepiſcopum repleuit.* Tum ad ſanctum Taurinum verba reflectens, alium ſancti Dionyſij aſſeclam. *Eo tempore*, inquit, *fides Chriſti Euanticorum, id eſt, Ebroas, vrbem ſuper Ittonam fluuium ſitam, poßidebat & ſalubriter illuminabat. Nam illic beatus Taurinus à Dionyſio Machario directus fuerat, & à Deo confortatus multa miracula fecerat, Deus enim cum eo erat ſemper, & omnia opera eius glorioſè dirigebat: pro quo dura & aſpera huius ſæculi æquanimiter perferebat. Romanum Tarquinium patrem ſuũ, Euticiámque matrem piißimam Chriſti cultricem, cum aliis amicis & cognatis Romæ reliquerat, & iuſſu Clementis Papæ, cum Dionyſio Ionico Gallias tenellus exul penetrârat. graſſante nimirum 2. perſecutione, quæ ſub Domitiano in Chriſtianos ferbuit. prædictus Dionyſius Pariſienſis Epiſcopus Taurinum filiolum ſuum**, *iam quadragenarium, Præſulem ordinauit, & vaticinatis pluribus, quæ paſſurus erat, Ebroicas in nomine Do-*

*Scubiculo.

*Quia verbo vitæ & lauachro aquæ illum regenerauerat.

mini direxit. Quibus ex dictis liquidò conſtat quis qualíſque fuerit Dionyſius ille, qui Eccleſiam Pariſiorum fundauit, qui Ebroicis primum Chriſti myſtam delegauit, nempe qui ipſe natione Ionicus, id eſt, Græcus, Apoſtolicis temporibus emicuit, atque à Clemente beatiſſimo Papa, & non alio ætate inferiore Pontifice, Apoſtolatu Gallico honoratus (ſeu potiùs oneratus) primordia religionis Chriſtianæ apud Gallos felicisſimè auſpicatus eſt, atque Pariſiis fortisſimè dimicans, extrema in lucta glorioſo agone cum ſociis triumphauit. Boſquetus hoc telum ſe petere ſolerter animaduertit: quamobrem illud retundere conatur pag. 53. at leuiſsimis diuerſionibus, quas ipſe ſpernens, pag. 61. ſibimet contradicit.

§. 9.

Anno 1147.

EVGENIVS Papa III. qui ex Abbate Triumfontium, & diſcipulo ſancti Bernardi ad ſolium Apoſtolicum renitens, anno 1145. (quo obiit anteceſſor eius Lucius II. Pontifex) euectus fuerat: anno 1147. Romanorum Arnaldiſtarum inſtantem declinans perſecutionem, in Gallias, Maiorũ more quæſiuit perfugium. Quem Ludouicus Pius Rex Pariſiis expectauit, excepítque honorificentiſſimè. Eodem tempore Adelaidis Reginæ matris eiuſdem Regis pientiſsimæ heroinæ, quæ nuper locum Martyrij ſancti Dionyſij Areopa-

* Ex actis S. Vvuilelmi Canonici regularis ſanctæ Genoueſæ Pariſ. deinde Abbatis Roskildenſis in Dania apud Surium 6. Aprilis: recitat Baron. ad ann 1147.

gitæ & ſociorum eius in monte Martyrum, inſigni baſilica decorauerat, & illuſtri cœnobio ſacrarum virginum, quaſi noua perpetuæ ſanctimoniæ corona honorauerat, piâ inſtantiâ, virgines illæ ſacrum hunc montem primum conſcenderant. Templum autem, quod piorum votorum, gratæ Deo caſtimoniæ, & fidei puræ odoramentis repleturæ erant, nondum erat myſtico ritu luſtratum. Auſpicatò viſus eſt ſummus Pontifex Eugenius aduenisſe, vt trophæum hoc nouum martyrij præcellentis Chriſti athletæ, & Galliæ Apoſtoli Dionyſij, qui iuſſu beati Clementis Petri ſucceſſoris Lutetiam profectus cum beatiſſimis aſſeclis, Euangelicum ibi præconium fuſo cruore obſignauerat; Pontificali Apoſtolicáque conſecratione dedicaret. Regis itaque Chriſtianiſſimi Ludouici, & genitricis eius piiſſimæ Reginæ Adelaidis, inuitatu, ſanctiſsimus Pontifex templum illud nouum, legitimis cæremoniis conſecrauit, & ſibi ad aram principem ſacris operanti, ſanctum Bernardum Abbatem Clareuallenſem (chariſsimum & venerabilem in Chriſto ſuum pridem præceptorem) pro Diacono, Petrum Cluniacenſem cœnobiarcham pro Subdiacono, miniſtraturos aſſumpſit. Illuſtre admodum ſacrum! cui, trias illa ſanctorum virorum, beneplacenti diuinæ Maieſtati obſequio, viſa eſt cooperari.

§. 10.

SANCTVS BERNARDVS Clareuallenſis præfatus Abbas, decus ſingulare Galliæ, quin & Eccleſiæ vniuerſalis perlucidum ſidus: huic non modò dedicationi, vt Papæ Archidiaconus interfuit, & puriſſimo eidem miniſterio: ſacróque etiam munere rei geſtæ memoriam inſigniuit. illam enim ipſam dalmaticam, qua tum ſacro in officio vſus fuerat, è tiſſura argentea confectam, in pignus deuotionis ſuæ erga beatiſſimum Gallicanæ Eccleſiæ patrem Dionyſium, eidem Monaſterio reliquit. Patet in eius epiſtolis, quo amore ipſum ſanctum Dionyſium coluerit: cuius Monaſterij iura & decora tanto zelo proſecutus eſt: Abbatémque Sugerium, præcipua dilectione ac commendatione habuit, ſicut indicio ſunt eiuſdem beati Bernardi epiſtolæ 78. & 266. At potiſſimum epiſtola illa quam extra eius operum collectionem leges, inter epiſtolas Vlgeri Epiſcopi Andegauenſis, ad Eugenium antedictum Pontificem, pro Sugerio prænominato directa. Refert Dubletius tabulas binas Apoſtolicas ab eodem Papa, rogante haud dubium ſancto Bernardo in fauorem Monaſterij ſancti Dionyſij conceſſas, quarum altera ipſimet Sugerio dirigitur: altera inſcripta eſt Petro Archiepiſcopo Bituricenſi, lib. 2. cap. 15. Vbi tamen hiſtoriæ prænarratæ dedicationis, cartho-

phylax

phylax ille Dionyſianus non meminit. Monet autem Brullius, qui vix particulam eius explicat, diuerſis diebus à Pontifice Eugenio III. dedicationem ipſam fuiſſe peractam, nam Eccleſiam Sanctimonialium ſacratam ait 22. Aprilis, in Feſto ſcilicet *Inuentionis Sanctorum Martyrum*. At eorundem Martyrium, ſcilicet Sacellum paſſionis, dicatum 1. Iunij anno videlicet 1146. more Gallico: Romano autem 1147. Encænia tamen vtraque vno iampridem eodémque die quotannis ibi commemorantur, ſcilicet 19. Aprilis.

§. 11.

GALTHERVS Epiſcopus Laudunenſis, ſeu Walbertus de ſancto Mauricio, qui ex Abbate ſancti Martini Laudunenſis Præmonſtratenſis ordinis, ad hanc Cathedram aſſumptus fuit, anno 1151. in charta confecta biennium poſt ſuſceptum pontificatum, ſcilicet anno 1153. templum ſancti Dionyſij in Francia expreſsè nominat *Eccleſiam beati Dionyſij Areopagitæ*. Tam exploratum hoc enim erat, vt in voce omnium, vſúque communi verſaretur. An. 1151.

§. 12.

PETRVS COMESTOR Eccleſiæ Trecenſis Preſbyter, qui à Scholaſticis per excellentiam *Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ* dictus eſt, omnes li- An. 1160.

bros hiſtoricos tam veteris quàm noui teſtamenti, continua ſerie Scripturarum, breuiter in vnum corpus redegit: intermixtis ad integrum abſolutæ hiſtoriæ complementum, non ſolùm multis externis hiſtoriis, monimentis probatiſſimorum auctorum proditis: ſed etiam pleriſq. minus firmatis ſcripto narrationibus, ex veterũ ſola traditione acceptis. Adiecit idem variis in locis, breues quaſdam notationes ex dictis Patrum. Res verò Athenis actas à Paulo Apoſtolo, ex cap. Actorum 17. recenſens, DIONYSIVM illic, ab ipſomet cæleſti terrarum orbis magiſtro, à vana deorum philoſophia, ad veram æterni vnicíque numinis, ac indiuiduæ Trinitatis cognitionem & cultum abductum, Gallorum prodit Apoſtolum, Lutetiæque Pariſiorum, venerandum in Chriſto patré ac pædagogũ, quam ipſe pretioſo conſecrauit cruore, eũdem aſſeuerat. Collectionem huius auctoris HISTORIAM SCHOLASTICAM prænotatã, Gualtherus Huntus Anglus ordinis Carmelitarum, Doctor Oxonienſis, qui clarebat an. 1478. vir ingenij ſolertiſſimi, ſermonis politi, linguę expeditæ, eminentiſſimæ tam in ſacris, quàm in profanis litteris ſcientiæ, excellentíque linguarum peritia, atque pari morum ſanctitate, vnicum in librum compreſſit, quas inſcripſit, *Abbreuiationes Petri Comeſtoris*: cuius ſcita in aſſerendo Dionyſio Areopagita Pariſiorum Protomartyre, indubiè ſecutus eſt. Obiit Petrus auctor illius Scholaſticæ inſignis hiſtoriæ, Pariſiis, atque pro ſupremo

voto ſub tutela ipſius S. Dionyſij, cuius ſemper eximius cultor fuerat, felici ſorte humatus eſt, vbi hoc epitaphium habet, quod ante extremum diem ſibimet inſcripſerat.

Petrus eram, quem petra tegit, dictúſque Comeſtor;
Nunc comedor. Viuus docui, nec ceſſo docere
Mortuus, vt dicat qui me videt incineratum.
Quod ſumus iſte fuit, erimus quandóque quod hic eſt.

Breue aliud elogium memoriæ ipſius venerabili adſcripſit Monachus ſancti Mariani in ſuo Autiſſiodorenſi Chronico: ſic enim tranſitum eius notauit ſub anno 1178. *Petrus Comeſtor famoſiſſimus Doctor obiit, qui teſtamento ſapienter diſpoſito, cuncta quæ habuit, pauperibus & Eccleſiis prorſus diſtribuit.* Vide de eius hiſtoria, quam Guillelmo Archiepiſcopo Senonenſi dicauit inſigne quid admonentem Genebrardum, lib. 4. Chron. ſub anno 1163. de ipſo autem Petro auctore, Bellarminum conſule & Poſſeuinum.

§. 13.

ADAM VICTORINVS aſceta, eodem ſæculo claruit: nam vt Eiſengrennus notat exceſſit à via carnis anno 1192. Hic Antiphonas Sequentiáſque Miſſæ quaſdam inſignes texuit, quas Eccleſia vſu probauit, Iudocúſque Clicthoueus Neoportuenſis in *Elucidatorio Eccleſiaſtici officij*, cum hymnis, proſis, canticis, præfationibus, & ceteris Anno 1192.

præconiorum diuinorum formulis, Catholico vſu receptis lib. 4. recenſuit. In iis verò eam quæ eſt de beato Dionyſio, retextam expoſuit annotationibus grauiſſimis: cuius primus verſiculus ita conſertus eſt,

Gaude prole Græcia,
Glorietur Gallia
Patre DIONYSIO.

Huius verò ſenſum Clicthoueus ſic ediſſerit. *In primo verſu. Gaude prole Græcia. Quia Græcia prolem Dionyſium tulerit, Gallia verò Patrem. de corporis ætate primùm poteſt intelligi, quoniam in Græcia natus eſt, & iuuenilibus annis educatus. In Gallia verò prouectam egit ætatem, & propemodum ſenilem. Poteſt itidem illud ſecundùm animæ qualitatem conditionémque accipi, quòd Dionyſius in Græcia, ex aqua & Spiritu ſancto renatus ſit, & Pauli Apoſtoli in baptiſmo filius, vt Acta Apoſtolorum planè teſtantur: in Gallia verò & apud Pariſios, per Euangelium ſpirituales filios* DEO *genuerit, quorum pater ſecundùm ſpiritum dici poteſt.* Ceterùm Adam iſte Victorinus ſuæ ætatis fidem, in illa proſa expreſſit: quam cùm probauerit Eccleſia, abhíncque in Liturgia ſancti Dionyſij cecinerit, non tam Adæ à ſancto Victore ſenſus, quàm Eccleſiæ Catholicæ conſenſus de Dionyſij ortu & Martyrio, nitidè piéque admodum in illa proſa deſcripto, debet exiſtimari.

Sæculi 13. Teſtimonia ab anno 1200. ad 1300.

§. 1.

CHRONICI Autiſſiodorenſis auctor anonymus, qui fuit cœnobita Monaſterij ſancti Mariani Autiſſiodorenſis, viuebátque ineunte ſæculo 13. vt conſtat ex ipſo eius Chronico, quod à 1. mundi ætate ad annum vſque 1210. protraxit in quo anno deſinit: apertè Dionyſium noſtrum Areopagitam eſſe teſtatus eſt, ita enim notat, ſub Clementis ſupremo Pontificatu. *Hic* (ipſe ſcilicet Clemens) *multos Doctores Eccleſiæ, & Chriſti gregis procreatores, ad diuerſas nationes tranſmiſit, qui in agro cæleſtis diſciplinæ, fideliter & inſtanter laborantes, abundantiorem fructum vitæ, tam in ſe quàm in ſuis ſequacibus, colligere meruerunt. Inter quos beatus Fotinus Lugdunum miſſus eſt, Narbonam Paulus, Turones Gatianus. Ex his &* MAGNVS DIONYSIVS AREOPAGITA *ipſius Pauli Apoſtoli coæuus & diſcipulus, Galliarum prouincias, & vrbis Regiæ Pariſius, cum Ruſtico Presbytero & Eleutherio Diacono fines aggreſſus eſt. fidei ſemen & vitæ ſpargens in cordibus populorum, vbi poſt multos agones & labores fidei, mortem pro Chriſti nomine, vnà cum ſociis ſuis capitis deciſione ſuſcipere meruit, vltimo anno imperij ſupradicti Principis Domitiani, qui eſt ab Incarnatione Domini* IESV * *96.* Nominatur auctor huius obſeruationis Robertus, in priſco exempla-

Anno 1210.

*Rectiùs 99. hoc enim anno Domitia-

nus periit: ſed facilè numeralis nota mutari potuit, vt pro 90.96. ſignaretur.

ri Monaſterij ſancti Mariani, cuius alumnus erat, laudatúrque à multiplici eruditione, magnáque diligentia, & ſynceritate: fuit enim, vt ex eius collectione liquet copioſiſſima ſacræ profanæque hiſtoriæ ſupellectile inſtructus, qui candidè, & ex bona fide narrare ſolet, veritatis ſuper omnia tenaciſſimus. Ex quibus hiſtorici ſolertis ac fidelis lineamentis, idonei teſtis ius titulúmque meritò ſibi comparauit.

§. 2.

Anno 1215.

ANONYMVS qui ſcripſit hoc ſæculo de reliquiis cœnobij ſancti Dionyſij: illum Areopagitam agnoſcit & nominat, ex vigenti vſu & recepta vbique nuncupatione, ita enim ſcribit. *Anno ab Incarnatione Domini 1215. Innocentius ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Papa III. Concilium conuocauit ex omni natione, quæ ſub cælo eſt. Paſtores & Prælati ſanctæ matris Eccleſiæ, Patriarchæ videlicet, Archiepiſcopi, Pontifices & Abbates, & inferioris gradus aliæ perſonæ, quarum non eſt numerus. Reges etiam & Principes diuerſorum populorum, vel per ſe, vel per nuncios affuerunt. Vir autem venerabilis Abbas* BEATI AREOPAGITÆ DIONYSII *Henricus nomine, cum ceteris intereſſe non potuit, quia prouectæ ætatis imbecillitas non permiſit. Miſit autem pro ſe & pro Eccleſia ſua, virum religioſum & honeſtum Hemericum magiſtrum priorem, cum aliis perſonis eiuſdem Eccleſiæ, qui ſe loco ſui, prout oportunius poſſent,*

Apud Quercetanum in Notis ad hiſtoriam calamit. Petri Abaillardi.

Domini Papæ præſentiæ præſentarent. Soluto Concilio, conceſſa eſt ſingulis licentia recedendi. Dominus autem Papa nolens omnibus palam facere beneuolentiam & gratiam, atque pium dilectionis affectum, quem erga venerabile cœnobium beati Dionyſij & tunc habebat & ſemper habuerat, vocauit ad ſe præfatum Hemericum & ſocios eius, & in pignus perpetuæ charitatis, dedit eis theſaurum impreciabilem, corpus ſcilicet ſanctiſsimi Dionyſij Confeſſoris, Corinthiorum Epiſcopi, vt ipſum ſecum, cum honore debito in Francum transferrent, & ex parte ſua, Eccleſia beati Dionyſij cum omni reuerentia præſentarent. Tradidit illis præterea ſuæ largitionis teſtimoniales litteras, ſigillo S. ſedis Apoſtolicæ roboratas. Illi verò condignis redditus gratiarum actionibus, tam nobile, tam ſanctum, tam denique venerandum ſuſcipientes depoſitum, gratuita ſummi Pontificis exhilarati munificentia, quamcitius potuerunt, in Franciam remeârunt. Tranſcribit deinde ad verbum teſtimoniales litteras, quas Authenticum Innocentij Papæ inſcribit, datas Laterani pridie Non. Januarij Pontific. anno 18. in iis teſtatur Pontifex, corpus illud ſacrum, quod tradidit præfato Hemerico, fuiſſe à Petro bonæ memoriæ Cardinale tituli ſancti Marcelli, & Apoſtolicæ ſedis in Oriente Legato, de Græcia ad vrbem allatum. Hincque acceptum, Eccleſiæ ſancti Dionyſij à ſe conceſſum. Ob cuius beneficij gratitudinem, anniuerſarium fit prædicti Papæ Innocentij III. quotannis in Eccleſia ſancti Dionyſij die 16. Iulij*, quo humana fragilitate exemptus, vias vitæ

Refert hoc diploma Innocentij Dubletius lib. 2. antiq. ſancti Dionyſij, c. 12. & Quercetanus in præcitatis notis ad Abaillardum.

* Obiiſſe notant Pontificij nomêclatores 17. Iulij 1616.

æternæ ingreſſus eſt. Hinc verò habemus Dionyſianum Monaſterium, vtriuſque Dionyſij, Areopagitæ ſcilicet & Corinthij, ſanctiſſimis exuuiis ad cumulum gloriæ honoratum, ipſúmque aſceterium non huic, ſed illi dedicatum eſſe: vnde ab auctore præcitato ex conſtanti more cœnobiarcha illius loci appellatur, *Abbas ſancti Dionyſij Areopagitæ*: antiqua ſcilicet nuncupatione, cuius diu antè ex vſu probato, Fulradus præſente Leone III. PP. & Carolo Magno, ſe Sueſſione in diplomate Synodico ita ſubſcripſerat.

§. 3.

Anno 1180. HELINANDVS Monachus frigidi montis congregationis Cluniacenſis, ſcripſit *hiſtoriam ab initio mundi, lib.* 48. in qua Dionyſium Gallicum, ortu Athenienſem, cognomine Areopagitam, Pauli Apoſtoli diſcipulum, Pariſienſem Epiſcopum & Martyrem clarè aſſerit. Hunc authorem præcipuè ſecuti ſunt, in ſcribenda hiſtoria ſua Vincentius Bellouacenſis, & ſanctus Antoninus (de quibus infrà) vt ex iiſdem patet, ſcilicet Vincentio lib. 29. Spec. hiſtor. cap. 108. & Antonino part. 3. 18. cap. 5. variant circa ætatem huius ſcriptoris Arnoldus & Eiſingrennius: hic enim vult claruiſſe anno 1169. ille anno 200. fauente ſibi ſancto Antonino. Sed hoc parum refert, neque enim temporis magna vtrinque diſtantia intercedit.

§. 4.

§. 4.

CONRADVS Abbas Vſpergenſis Præmonſtratenſis ordinis, qui hiſtoriam ſiue Chronicon, à primo Rege Aſſyriorum Belo, vſque ad Fridericum ſecundum Imperatorem, id eſt, vſque ad annum Domini 1229. & 9. eiuſdem Friderici Imperij, contexuit: identitatem Dionyſij Galliæ Apoſtoli cum Areopagita manifeſtè aſſerit ac profitetur. Sic enim ſcribit auctor ille celebris ſuo in Chronico, vbi ſucceſſionem deſcribit Pontificum Romanorum, qui ſub Claudio Imperatore ſequentibúſque Cæſaribus, vſque ad Hadrianum, Chriſti Eccleſiæ præfuerunt *. *Additur & hoc quod ſanctus Dionyſius Areopagita beati Pauli Apoſtoli diſcipulus, & Athenarum Epiſcopus: cùm ſicut in libro paſſionis eius legitur, beatos Apoſtolos Petrum & Paulum audiret Romæ teneri, ſubrogato Athenis Epiſcopo, properauit Romam velociùs attingere ſummopere deſiderauit, ſi Deus ita vellet, cum eiſdem ſanctis Apoſtolis occumbere. Sed cum diuina diſpoſitio vota eius præueniret, ſanctíque Apoſtoli, priùs paſſionis gloriâ coronarentur, quàm ipſe Romam adiret; tandem perueniens, Clementem condiſcipulum ſuum Romanæ ſedi * iam præſidentem inuenit, qui & illum in Gallias prædicatorem direxit* Narrat ſubinde ſuccinctè, *vt Dionyſius ipſe in Gallias venerit, & tam ceruicoſum populum ignotus adhuc & aduena, fidei iugo ſubegerit, baſilicam con-*

Anno 1220.

* Ita habet etiã in Chronico excuſo ex recenſione Philippi Melanchthonis, qui editionem ſuam dicauit Philippo Comiti Palatino, Baſileæ 1559.

*Id quomodo intelligi debeat oſtẽdit infrà Vrſpergenſis, vbi ait, *Clementem Petro ipſo tradente legitimè ſuc-*

ceſsiſſe (id eſt, debuiſſe ex eius ordinatione ſuccedere) & *idcirco eum à quibuſdam* (putà à Tertulliano in præſcript. *primum Papã vocatum, quia* velut hereditario *iure ligandi ſoluendique à Petro accepiſſe dicitur Pontificatum.* At rationem Apoſtolicæ huius ſucceſſionis integram præſtitimus ſuprà *in Paulo Apoſtolo*, ſub titulo *de ſuffraganeis, & in Lino.*

*99.

ſtruxerit, aliáque plura patrauerit, quæ de eo leguntur. Deinde quemadmodum ſacerdotum (Ethnicorum) *ſuper his commotorum relatione Romam perlata, diuulgatâque perſecutione, Præfectus inde miſſus Dionyſium diuerſis pœnis occiderit.* Et longè inferiùs ſub annis Domitiani, necem ſancti Dionyſij ſic annotat memorandam. *Anno Domini * 96. Dionyſius Areopagita primus Athenienſium Epiſcopus à Paulo Apoſtolo conſtitutus, ſed poſtea in Gallias prædicator directus, apud Pariſium decollatus eſt cum Ruſtico & Eleutherio, ſub Siſinno Præfecto, anno à paßione Domini 64.* De qua epocha aliiſque diuerſis aptiùs fuerit infrà diſſerendum, in argumentorum aduerſæ partis diſcuſſione. Hic interim habes Vrſpergenſem illum Abbatem, Chronologum ſanè famoſum, antiquis edoctum monimentis, & ipſo authentico libello paſſionis ſancti Dionyſij pro certo tenuiſſe, Dionyſium Areopagitam, Pariſiis illuſtri agone conſummatum. Quæ vt erat iam antè, ſic poſtea fuit éſtque adhuc Germanorum fides, quà imbutus ſanctus Suuitbertus Friſonum Apoſtolus, qui à ſancto Wuilfrido Merciorum Præſule creatus Antiſtes, ad Friſones Germanóſque fide imbuendos miſſus cùm eſſet, hócque potiſſimum in votis haberet, vt eorum vanas ſuperſtitiones, in veram vnius Dei religionem, & profana deorum fana, in templa Seruatoris ſacratiſſima, ſub Sanctorum venerabilibus titulis commutaret, tum magni noſtri Dionyſij toto in occidente notiſſimi, & ſi-

bi imprimis chariſſimi, haud immemor; templũ eius honori, ſub annum ſalutis noſtræ 690. in oppido inferioris Germaniæ Hernaer, conſecrauit. Sic enim beatus Marcellus Preſbyter, in eius vita, ſcripta ad ſanctum Gregorium Traiectenſem Præſulem teſtatur, apud Surium tom. 4. die 1. Martij c. 11. *Conuerterat autem ſua dulciflua prædicatione totum comitatum Teiſterbandiæ: in quo conſtruebantur Eccleſiæ multis in locis, aut templa idolorum conſecrabantur in Eccleſias Dei & Sanctorum, vtpote in Hoernaer, Eccleſiam ſancti Dionyſij Areopagitæ.* Clara ſunt etiam ſanctæ Brigittæ viduæ Germanicæ deuotionis aduerſus B. ipſum Galliæ Apoſtolum teſtimonia, de quibus in commentariis noſtris ad Martyrologium Galliæ, Deo dante mentionem facere haud prætermittemus. Nec tamen hîc referemus permulta Imperatorum Germaniҽ authentica, quibus, qua fragrârint in beatum Areopagitam pietate, teſtatiſſimam fecerunt. Recitat Dubletius aliqua illorum diplomata lib. 3. ſcilicet Lotharij I. Othonis II. Henrici II. & Caroli IV. quæ ne fiat hic libellus prolixior, ſatius cenſuimus non exſcribere. At conſpicua in Germaniæ prouinciis ſuperſtant adhuc, piorum illorum Cæſarum monimenta: ſcilicet templa inſigni cultu ab iis erecta, in quibus ſancti Dionyſij feliciſſima recordatio, & veneratio ſibi intimè fuiſſe inſita, indicatur. Perpetua ſanè fuit illa Germanorum de noſtro Dionyſio fides, ínque eius cultum ſemper feruens affectio, qua illum non

vt exterum Sanctum, ſed patrium tutelarem, hactenus honorificârunt. Vnde Cratepolius catalogum texens *Sanctorum Germaniæ*, ex communi ſuæ nationis perſuaſione, & antiquis rei pernotæ teſtimoniis, ita ſcribit. *Sanctus Dionyſius Areopagita Apoſtolus Galliæ, cuius Martyrium in Eccleſia ſatis notum eſt: poſt decollationem apud Pariſios erexit ſe, & arrepto capite illud ad locum vbi ſepeliri voluit, detulit.* Ita ille, qui vt Dionyſium noſtrum Areopagitam aliquo cum iuris colore, inter ſuæ nationis Sáctos cooptaret, ex quo Germaniæ maximum accederet decus, Ratiſponenſem tranſlationem commentitiam breui epilogo ſubtexuit: huic enim nixus vmbratili licet fulcimento, ſatis ſe habere cenſuit congruentiæ, qua tantum ſydus, inter patriæ ſuæ lumina ſuſpiciendo collocaret ſitu. Verùm fabulam iſtius tranſlationis benè refellit auctor inſignis & antiquus, non Gallus, ſed Gotthus.

§. 5.

Anno 1220. RIGORDVS, ſcilicet Hiſtoricus grauis & eruditus, qui ſub Ludouico octauo ſancti Ludouici parente florens, librum inſignem de geſtis Philippi Auguſti, prædicti Ludouici patris contexuit: rem actam ſua fere ætate, narrat; quæ & Ratiſponenſem falſam tranſlationem oſtendit, nobíſque S. Dionyſij Areopagitæ Galliarum illuminatoris ſacratiſſima oſſa, in eius Monaſterio

iam olim condita, & poſt tempus quo facta notatur illa ſuppoſititia tranſlatio, ſicut antè intemeratè conſeruāta, inuiolata manere illuſtri ſanè monimento indicat & confirmat. Vbi enim Rigordus de Henrici Galliarum Regis, Roberti filij geſtis diſſerit, hæc notabili relatione commemorat. *Iſte Henricus Rex auditis rumoribus, quòd in Alemannia in ciuitate Ratiſpona, in Abbatia ſancti Emeramni Martyris inuentum fuit quoddam corpus, quod dicebant eſſe Dionyſij Areopagitæ: miſit nuntios ſuos ad Henricum Imperatorem cum litteris ſuis, vt diem eleuationis illius corporis protelarent, quouſque per certos nuntios vtrum corpus Hieromartyris Dionyſij* AREOPAGITÆ *Athenarum Archiepiſcopi, diſcipuli Apoſtoli Pauli in Francia, in Eccleſia quam Dagobertus fundauerat, eſſet vel non, pleniſſimè certificarentur. Quo audito, Imperator miſit magnos viros & ſapientes in Franciam, vt plenè rei veritatem agnoſcerent. Viſis nuntiis Imperatoriis, Henricus Rex conuocauit Archiepiſcopos, Epiſcopos & Barones, totius regni, & cum Odone chariſſimo fratre ſuo, ad Eccleſiam beatiſſimi Martyris Dionyſij miſit. Facta autem oratione, allata ſunt tria vaſa argentea Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij coram omni populo diligentiſſimè ſigillata, & aperto vaſe beati Martyris Dionyſij totum corpus ipſius cum capite inuentum eſt, exceptis duobus oſſibus de collo, quæ ſunt in Eccleſia Vergiacenſi, & os quoddam de brachio, quod Stephanus Papa III. ſecum ad Romanam portauit Eccleſiam, & poſuit in Eccleſia, quæ hodie* SCHOLA GRÆCORVM *vocatur. Hoc*

videntes vniuerſi populi, cum lachrymis & ſuſpiriis puras mentes leuantes ad Dominum, Deo & beatæ Mariæ Virgini, & Sanctis Martyribus ſe commendantes, cum gaudio receſſerunt. Tunc nuntij, qui miſſi fuerant ad Imperatorem citiſsimè reuertentes, ſuper his, quæ viderant & audierant, Imperatorem pleniſſimè certificauerunt. Hoc fuit factum tempore Leonis Papæ IX (cuius confictas eſſe literas, quibus Monachi Ratiſponenſes nituntur ex hoc ſatis apparet) *anno Domini 1050.* Hæc Rigordus, quæ communem illius, quod ſignat, temporis de identitate Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi fidem, eiúſque huic conſentientem perſuaſionem, apertiſſimè perhibent, ſimúlque Ratiſponenſium euincunt, inanem eſſe iactantiam, quam in noſtris Commentariis ad Gallicanum Martyrologium, Superis fauentibus, ad diem 9. Octobris ex profeſſo refellemus.

§. 6.

Anno 1244. VINCENTIVS Bellouacenſis, haud quidem Epiſcopus, vt Bellarminus & Poſſeuinus exiſtimant, præfértque programma editionis Duacenſis anni 1624. ſed religioſus Dominicanus, Auctor ſpeculi, quo complecti ſtuduit, quicquid ſpeculatione, admiratione, ſcitu, & imitatione dignum inueniri poteſt. Ideóque in quatuor volumina digeſſit opus hoc ſuum laborioſiſſimum, quorum 1. eſt ſpeculum doctrinale.

2. hiſtoriale. 3. naturale. 4. autem morale. Porrò in hiſtoriali, quo tradit hiſtorias ab initio mundi, vſque ad annum 1244. lib. 10. cap. 16. & clarè & copiosè Dionyſium Areopagitam Galliæ prædicat Apoſtolum. Sic enim potiſſimum habet in præſignato capite, cuius titulus eſt, *De ſancto Dionyſio Areopagita, & ſociis eius.*

Ex geſtis eorum, prænarratâ ipſius beati Areopagitæ facta Athenis à beato Paulo conuerſione, atque etiam eiuſdem ordinatione, tum ſubnectit. *Sicque à Paulo per triennium inſtructus, & Athenienſium Epiſcopus ordinatus, ipſam ciuitatem & maximam partem patriæ conuertit ad Chriſtum. Veniens autem Romam poſt paſſionem Petri & Pauli, à ſancto Clemente tum Papa, directus in Franciam cum Ruſtico Presbytero & Eleutherio Diacono, ad vrbem Pariſios, vbi potiſſimum colebantur idola properauit. Ibique poſt multorum conuerſionem, fabricatâ Eccleſiâ, & Clericis diuerſi ordinis ampliatâ, tanta in eo gratia cæleſtis emicuit, quod cum ſæpiſſimè Pontifices idolorum contra eum ſeditionem populi concitarent, & plebes innumeræ cum armis ad perdendum eum, gregatim confluerent. Mox illo viſo, aut ſe illi omni feritate depoſita, proſternebant, aut nimio pauore ſolutæ ab eius præſentia fugiebant*, &c. & cap. ſeq. eiuſdem libri. *Præfectus igitur Feſcenninus ad vrbem Pariſios cõtra Chriſtianos à Roma directus, B. Dionyſiũ populo prædicantem inuenit. Statimque captum, colaphizatum, conſputum, deriſum; & loris duriſſimè alligatum, cum Sanctis Ruſtico & Eleutherio ſibi quantocyus præſentari præce-*

pit. Deinde agonis ſerie inclitorum athletarũ genuinè deſcriptâ, ſubtexit. *Statímque lux immenſa reſplenduit, & beati Dionyſij corpus erexit ſe, & caput ſuum inter brachia deportauit, Angelo duce, & cæleſti lumine præcedente, à loco qui dicitur* MONS-MARTYRVM, *vſque ad locum, vbi nunc ſua electione & prouidentia Dei requieſcit.* Hæc Vincentius.

DIGRESSIVNCVLA.

Apud Bellarminum lib de ſcriptoribus Eccleſ. ſæcul. 13. irrepſit *Antonius*, pro *Sixto* certè typographi oſcitantia.

OBIISSE *hunc auctorem ex Sixto Senenſi obſeruat Bellarminus anno* 1256. *Cui ſubſcribit Robertus in Catalogo Epiſcoporum Bellouacenſium num.*60. *quo defunctum notat Vincentium, tempore Reginaldi de Nantolio* 62. *Epiſcopi Bellouacenſis anno ſignato. At à Bellarmino & Roberto longè deflectit Poſſeuinus in Apparatu, vbi narrat Vincentium, cùm omnes omnium penè gentium libros longo tempore & aſſidua diligentia reuoluiſſet, hortatu amicorum, & ſumptibus Philippi Valeſij Galliarum Regis adiutum, opus ſuum ingens ex dictis innumerabilium auctorum tam Chriſtianorum, quàm Gentilium collegiſſe. Atqui conſtat Philippum Valeſium anno* 1328. *gerenda regni gubernacula ſuſcepiſſe: anno autem* 1350. *vita defunctum. Igitur ex Poſſeuini ſententia, neceſſe foret Vincentium percurrente iam ad medium* 13. *ſæculo opus ſuum ſcripſiſſe: proindéque multis annis, poſtquam à Bellarmino & Roberto, immò & Sixto Senenſi conſignatur, rebus humanis exemptum. Quæ ſententia ſi vera eſſet, Bellarmino ipſi multum anxio, circa vindicias primæ partis, & ſecundæ ſecundæ S. Thomæ, opportunè ſuffragaretur: dubium enim illud tolleret penitus, quod inuenit notátque, ex eo quòd magna pars primæ ſecundæ, itidémque ſecundæ ſecundæ ſummæ Theologicæ S. Thomæ, inueniatur iiſdem verbis, in primo & tertio libro ſpeculi moralis Vincentij Bellouacenſis. Arguit autem Bellarminus, non potuiſſe Vincentium ſpeculum ſuum morale confi-*

cere

cere ex doctrina & verbis ſancti Thomæ, cùm ipſe obierit anno 1256. & ſanctus Thomas anno 1274. Sed neque eſſe veriſimile vllo modo S. Thomam Summæ ſuæ partem ſecundam, eámque nobiliſsimam, ex alio Scriptore hauſiſſe. Poſita enim aſſertione Poſſeuini facilè Bellarminus ex iis anguſtiis quibus ſe implexum fatetur, ſeſe extricaret. Nam vixiſſet diu Vincentius poſt ſanctum Thomam, & proinde opera eius potuiſſet & legere, & ſuos in vſus tranſcribere. Sed ſanctus Antoninus, qui Vincentij ſpeculum hiſtoriale ſuis in Chronicis paßim deſcripſit, additis tamen nonnullis auctariis, ætatem illius, cuius operibus tam frequenter vtebatur, cuius ordinis ipſe quoque profeſſor erat, ignorare non potuit. Is itaque part. 2. tit. 23. cap. 11. §. 2. quo ſui eiuſdem Ordinis Dominicani viros recenſet ſcriptis celebres; expreſſè notat Vincentium ann. 1240. claruiſſe, ad quem annum ſuam hiſtoriam perduxit, quam continuauit aliquis alius (vt agnoſcit Bellarminus) vſque ad annum 1494. quo vſque nunc producta legitur. Ab hoc igitur etiam auctum fuiſſe ex ſcriptis ſancti Thomæ, ſpeculum morale Vincentij, conſentaneum eſt credere: ſicque expeditiùs ille ſoluitur nodus, quem indicat Bellarminus ſibi tantam anxietatem intuliſſe. Nec enim opus eſt fingere (vt nititur) alium iuniorem auctorem, dictum etiam Vincentium, qui ſecundam partem ſancti Thomæ, in compendium redigere voluerit. Continuator enim ſpeculi tam moralis quàm hiſtorialis Vincentij prædictas partes ſummæ S. Thomæ ex ſerie integra tranſcripſit: cuius nec vocabulum ſcitur, nec quòd nomen Vincentij pertulerit ſicut primus auctor ſpeculi, neceſſe eſt arbitrari. Sed hoc per tranſennam hîc duximus obſeruandum.*

* Vide edition ſummæ S Thomæ cũ obſeruat. & vindicijs Frãciſci Garciæ Dominicani.

§. 5.

MATTHÆVS PARIS, non Pariſienſis, ſic enim cognominabatur à familia, non à patria; Monachus ad ſanctum Albanum, in Anglia congregationis Cluniacenſis, ſcripſit inter cetera opera, *hiſtoriam Anglicanam*, *ſeu maiorem hiſto-* Anno 1250.

riam à Guillelmo Normanno, *vſque ad finem Regni Henrici III.* hoc eſt, *vſque ad annum Chriſti* 1250. in qua hiſtoria pag. 582. grauiter inſinuat, Dionyſium, quem Gallia veneratur, fuiſſe Apoſtolicæ ætatis & gratiæ virum, miſſum à S. Clemente in Galliam, ab eóque non Galliæ modò, ſed totius Occidentis, conſtitutum fuiſſe Apoſtolum. Hic enim narrat cùm Cardinales, mortuo Cæleſtino IV. Gregorij IX. ſucceſſore, congregati, in deligendo Pontifice moras nećterent, ſanćtum Ludouicum Regem & Clerum Galliæ ad eos miſiſſe nuntios interminantes ſe Papam in Gallia electuros, ſi diutiùs deſignationem ſummi Pontificis protelarent. *Hoc autem* (ſubiungit ille auctor) *audacter ſignificabant, confiſi de antiquo priuilegio ſuo, per S. Clementem beato Dionyſio conceſſo & obtento, qui conceſſit Apoſtolatum eidem Dionyſio, ſuper gentem Occidentalem.* Audis hominem Anglicum, eximium Galliæ decus, ex Apoſtoli eius Dionyſij titulis prædicantem, atque antiquum Francorum priuilegium, ex ipſius Dionyſij Apoſtolatu certum & authenticum, aſſerentem: adeo vt ſanctus Ludouicus & Regni Præſules de eo pleniſſimè confiderent: quod notum & exploratum in omni Occidente, nemo in dubium reuocaret. Boſquetus perſuadere ſibi vult, quòd ſola, & ferè vniuerſa, vt ait, Gallicana Eccleſia in eam demum conuenerit ſententiam, quæ Dionyſium Areopagitam vnum eumdémque cum Pariſienſi agnoſcit. Sed fiet ſanè ex hac noſtra

inductione perſpicuum, quòd vniuerſa omnino Gallicana Eccleſia, id non ab aliquot ſæculis, ſed ſemper: hoc eſt, nõ nupera, ſed tam antiqua, quàm perenni traditione, ab ortu ipſo fidei, ad hoc vſque ſæculum defluenti pro rato & conſtanti tenuerit. At non ſolùm in ea perſtitiſſe ſententia, ſed exteras quoque gentes, immò æmulas Francis aduerſáſque nationes, qualis imprimis Anglicana ſemper fuit, eandem de ſancto Dionyſio, quam Gallia profitebatur perſuaſionem, habuiſſe, eumdémque Galliæ Apoſtolum glorioſum, pari veneratione coluiſſe: hócque feruore pietatis eius reliquias flagitâſſe, ſuam in patriam attuliſſe, eiúſque memoriam quibuſque intentæ deuotionis in ipſum indiciis, fuiſſe teſtatas. Quod ſatis apertè atque luculenter innuunt pleraque Regum & Procerum Angliæ literaria monumenta, à Dubletio dudum ſancti Dionyſij chartophylace, ex autographis, quæ in tabulario illius cœnobij etiamnum aſſeruantur, ſeriatim tranſcripta lib. 3. antiq. ſuarum. Maximè ex chartulâ Offæ Merciorum Regis relata pag. 720. Item ex chartula Adelwlfi Regis Anglorum deſcripta pag. 785. Edgardi Anglorum itidem Regis pag. 817. ſancti Eduuardi Regis Confeſſoris pag. 831. Willelmi Regis Anglorum & Comitis Normannorum pag. 839. Willelmi Comitis de Ferrariis in Anglia pag. 890. aliorúmque. Quibus (iis etſi non adcenſitus à Dubletio) dignus commemoratione accedit Richardus I.* Angliæ Rex,

S Dionyſij apud Anglos gloria.

* Vide Catalogum Ioanni, Speed La-

tinum factũ & edium ad calcem hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Anglicanæ Nicolai Harfeldij, in quo ſacræ ædes Angliæ, quas Henricus VIII. vel euertit, vel reliquit numerantur.

cor Leonis dictus, qui amore pio incenſus in S. Dionyſium, vt eius cultum apud ſuam gentem ampliaret, non contentus diplomatibus munificis, firmiora ac inſigniora ſuæ pietatis monimenta, poſteris relinquere voluit, quò eos ad obſeruantiam tanti cælitis excitaret, perennémque proderet, ſuæ in ipſum deuotionis affectionem. Fundauit etenim anno 1179. in Comitatu Hamptoniæ iuxta Southamptoniam inſignem collegiatam Eccleſiam, ſub inuocatione beatiſſimi noſtri Dionyſij, quam Canonicis nigris attribuit.

At longè auguſtiori monimento ſancti Dionyſij memoria iampridem antè in Anglia facta fuerat ſpectabilis ac venerabilis. Id verò vt graphicè inſinuetur, Petri Molinæi iniquitatis Miniſtri, perpetui gloriæ hieromartyris noſtri detractoris, hîc eſt liuida in ipſum ac procax obtrectatio caſtiganda. Iam petulantiam eius ſatis coercuimus, qua titulum PATRONI GALLIÆ, à Regibus Chriſtianiſſimis & Clero populóque Franciæ iamdudum B. Dionyſio attributum, irridere auſus eſt, atque impotenter impetere. Hîc igitur mordax dicterium, quo ſancti Thomæ Cantuarienſis occumbentis pro Chriſti Eccleſia, pietatem laceſſit, opportunũ cenſemus retundere. Procaci ſtylo, ridiculóque, quo vnico delectatur, agonem fortiſſimum enarrat, tanti Athletæ (cuius cædem laudat iniquiſſimam) eiúſque, extremos ſpiritus cum ſanguine effundentis, ſic verba vltima ironicè refert *. *Proditorem Regis illum ag-*

*Apres l'auoir appellé trahiſtre au

greſſores appellârunt, inque templo Cantuarienſi occiderunt, cerebro eius in pauimentum diſperſo. Verba cuius fuêre poſtrema: Deo animam meam & Eccleſiæ cauſam commendo, beatæ quoque Mariæ & Sanctis huius templi patronis, necnon B. Dionyſio. Hoc certè vltimum præſertim pungit Molinæum, impium Dei Martyris deriſorem: ídque iſtemet fert ideo acerbiſſimè, quòd in ipſo extremo halitu, memor ſancti Dionyſij (cuius cultor fuerat perpetuus) S. Thomas, ſuam illi cauſam immò animam, poſt Deum & beatiſſimam Deiparam, ſimul cum tutelà Cantuarienſis Eccleſiæ commendârit. Nempe inuiſus eſt vbique Molinæo, ſimiliſque farinæ hominibus noſter ſanctus Dionyſius, magnus Areopagita, cuius diuinis ſcriptis, *profanæ vocum nouitates*, quas ſegreges inuexerunt, potentiſſimè refelluntur. Canino igitur dente morientem pro Chriſti Eccleſia B. Angliæ Primatem, Thomam Cantuarienſem Molinæus impetit: agitur enim in rabiem ipſo audito DIONYSII nomine, cuius patrocinio agonizātem animam athleta ille glorioſus occumbendo commiſit: Sed cur (geſtit puto obiicere miniſter impius) Thomas Cantuarienſ. animam ſuam commendauit extremo ſub vitæ momento ſancto Dionyſio nominatim? nónne ſatis erat quod Deo, quin etiam B. Mariæ Virgini & patronis Eccleſiæ Cautuarienſ. ſuum commendârit agonem? Cur Dionyſium addidit, Galliæ vtique Apoſtolum, ipſúmque non Cantuarienſem, ſed Pariſienſem Epiſcopum?

Roy, le tuerét & épandirent ſa ceruelle ſur le paué. Ses derniers mots en mourant furent: Ie me recommande & la cauſe de l'Egliſe a Dieu & à *la beate Marie*, & aux Saincts patrons de cette Egliſe, & à ſainct Denys.

In reſponſione ad Cardinalem Perronium lib. 7. c. 11 p. 814.

Nota illam ironicā, qua Deigenitricem glorioſiſſimam deſignat, loquēdi formulam, *la beate Marie*. Etenim ſerpentina lingua ſine veneno potentis inuidiæ tam benedictæ Virginis nomen proferre non potuit. Virus innatum miniſtris, deprehendimus ex Geneſ. 3. 15.

Bina ratio hoc effecit. 1. quam iam attigimus; inſita nempe beato Thomæ à puero, in tantum cælitem affectio. 2. Conſideratio ipſa afflictæ in ſui paſtoris nece Cantuarienſ. Eccleſiæ, quæ Deo omnipotenti ſub ſanctiſſimæ Deigenitricis Virginis Mariæ, necnon beati Dionyſij patrocinio conſecrata erat. Sic enim acta eius Martyrij habent. *Ceruicem inſtar orantis inclinauit, iunctis & ſurſum erectis manibus Deo, beatæ Mariæ, ſancto Dionyſio, & reliquis Sanctis eius Eccleſiæ patronis ſuam & Eccleſiæ cauſam commendauit.* Igitur ſanctus Dionyſius etiam in Anglia ſummopere colebatur, cuius regni primatialis Eccleſiæ Cantuarienſis, vnus non infimus ex beatiſſimis tutelaribus erat, quod decus vafer miniſter voluit illi ex innato odio ſurripere, illum ſeorſim à patronis huius inſignis Eccleſiæ, vltimóque loco commemorans. Refert enim beatum Thomam, ſupremum efflando ſpiritum, *Deo ſuam & Eccleſiæ cauſam, beatæ Mariæ & Sanctis huius Eccleſiæ patronis, necnon S. Dionyſio commendâſſe.* Verùm ſpecialis ipſe erat, Dionyſius patronus Eccleſiæ Cantuarienſis, quem ſolum poſt beatam Virginem Deiparam, ideo glorioſus Martyr Thomas gladiis occumbens impiorum, nominatim opitulatorem ſibi creditæque Eccleſiæ compellauit. At de gloria ſancti Dionyſij apud Anglos ſatis ſupérque.

§. 6.

SANCTVS LVDOVICVS Rex Francorum Chriſtianiſſimus non alium beatum Dionyſium, ſuum Galliæque Regni protectorem veneratus eſt, quàm Areopagitam illum, cuius cultores fuerant, eius anteceſſores, perpetui. Patet id vel ex ſuprà allato Matthæi Paris Angli ſcriptoris teſtimonio; probat enim ſanctum Ludouicum indubiè credidiſſe, cum vniuerſo Galliæ Clero, ſanctum Dionyſium Apoſtolicis temporibus illuxiſſe, S. Clementis fuiſſe ſymmyſtam & cooperarium, atque ab eo in Galliam legatum eiuſdémque non ſolùm ſpecialem LEGISLATOREM, ſed vniuerſi inſuper Occidentis fuiſſe Apoſtolum conſtitutum, quo ex honore prærogatiuam inter ceteras Occidentis nationes ſpiritualis primogenituræ, Galliam adeptam ſciebat ſanctus Ludouicus cum Clero ſuæ Gallicanæ Eccleſiæ omnibus populis notum eſſe: quod verè graphicéque innuit Matthæus ille Anglicus aſceta, hiſtoricúſque ſatis illuſtris, dum ait nuntium (quod commemorat) ad Cardinales, ſanctum Ludouicum cum Clero Galliæ direxiſſe, ex fiducia *antiqui priuilegij conceſſi per ſanctum Clementem, qui B. Dionyſio Apoſtolatum ſuper gentem Occidentalem contulerat.* At extraneo interprete non indiget, neque referendario ſanctus Ludouicus, vt ſuam de Dionyſio fidem patefaciat. Extant pleraque hu-

ius certæ perſuaſionis, etiamnum clara inſignia, & teſtimonia indelebilibus apicibus conſcripta, quæ longa ſerie Dubletius ex regalis Monaſterij ſæpedicti tabulario prolata, ſuis in antiquitatibus retexit. Vnius duntaxat Chartulæ inſignioris, quæ inſtar omnium eſſe poſſit, huc referre exordium operæprecium cenſui. LVDOVICVS *Dei gratia Francorum Rex. Notum facimus vniuerſis præſentium ſeriem inſpecturis, tam præſentibus quàm futuris. Quia cùm poſtquam beatiſſimus* DIONYSIVS *Patronus & Apoſtolus Franciæ, Francorúmque* LEGISLATOR, *primordia fidei orthodoxæ Francis dudum* * *euangelizâſſet, & ab errore paganeo illos ſalubriter diuertens, felicem Martyrij palmam inde reportâſſet, ſacrúmque ſuum ſepulchrum, mira Dei ordinatione* (qui ſcilicet illum & ab Oriente huc tranſmiſit, & obtruncatum fecit deciſas ceruices, ad locum vſque, quo abhinc quieſcit, triumphali prodigio deferre) *in agro Franciæ elegiſſet, Francorum Reges Chriſtianiſſimi noſtri anteceſſores, tamquam veri diſcipuli & imitatores* DIONYSII, *ac eorum populi & regnicolæ, Catholicam legem ita didicerunt quod ad præſens lex ipſa Chriſtianáque fides, à nulla tam alia natione ſicut à Galliæ veris Chriſticolis inuiolabiliter colitur, & tantam ab eodem ſancto ſumpſerunt fiduciam, vt ſua prece non ſolùm in proſperis ſcelera, ſed etiam ipſi & eorum milites in huius glorioſi Dionyſij exclamatione inimicorum tela, in bellis ſeſe deuiciſſe crediderunt. Prædeceſſores noſtri antedicti, eaſdem bonorum largitiones, & Dei munera interuentu eius beatiſſimi*

* Rectiùs ſic quàm vt refert Dubletius: *euigilâſſet.*

titiſsmi Dionyſij, vt pie creditur, obtenta, ab eodem recognoſcent ſacratiſsimam baſilicam in loco iam dicto ſibi præordinato ad eius laudem & gloriam omnipotentis Dei: necnon deuotiſsimum Monaſterium Abbatis Conuentus, & religioſorum inibi die noctúque altiſsimo famulantium, magno admodum & ſumptuoſo opere erigi, conſtitui, & dotari fecerunt, ac in illa ſic conſtructa, plures ſanctiſsimæ Chriſti paſsionis, multorúmque Dei Sanctorum reliquias inibi deuotè cuſtodiendas & reuerandas repoſuerunt, ipſique Eccleſiæ, ſiue baſilicæ, quæ fuit & eſt tantæ dignitatis, quòd ore Dei dedicari & ſanctificari meruerit, Monaſterióque, &c. *quamplurima priuilegia ampliſsima,* &c. *conceſſerunt, ac demum Eccleſiam ipſam in tam ſingulari deuotione & reuerentia habuerunt, quòd inter ceteras Gallicanas Eccleſias, non ſolùm dum in humanis agerent, optatiſsimum orandi locum confugiúmque; ſed etiam poſt eorum obitus, in vltimis voluntatibus ſuis, ſepulchra ſua in dicta Eccleſia vſque modo ſibi elegerunt. Nos ipſorum noſtrorum prædeceſſorum veſtigiis inhærere cupientes, & ob ſpecialem deuotionem, quam etiam habemus erga eundem beatiſsimum Dionyſium,* &c. Quem *magnum* vtique Dagobertus appellabat. Pipinus *Apoſtolorum ſectatorem* profitebatur, *Clementiſq; Legatum;* Carolus Magnus *Galliæ* prædicabat *Oecumenicum Apoſtolum*, ipſúmque cenſebat *Areopagitam*: Robertus aſſerebat ex fide iamdudum recepta, *Pauli Apoſtoli diſcipulum* percelebrem. Hunc inquam Dionyſium beatiſſimum ſe ſuſpicere, colere, proſequi omni venerationis

affectu ſanctus Ludouicus, tot tantorúmque Regum perdignus heres, hac luculenta profeſſione teſtabatur. Qui vt poſt Deum, ſceptri Chriſtianiſſimi iura illi referret, à quo Galliarum inclyta Monarchia fidei ſuſceperat initium: regium diadema, aliáque regalia inſignia * perpetuo more, in ſacrario ſancti Dionyſij ſub eius præſidiis conſeruanda depoſuit, atque à ſuis ſucceſſoribus deponi voluit. Cùm autem poſtrema expeditione aduerſus Chriſti hoſtes ſuſceptâ, Tunetum proficiſceretur, anno 1269. petitâ de more à ſancto Dionyſio & ſociis abeundi licentiâ, eíque vt proprio ſui Galliæque defenſori relicta imperij clientelâ: Matthæo Vindocinenſi Abbati Monaſterij B. ipſius Franciæ opitulatoris (ſicut quondam Sugerio proauus eius Ludouicus iniunxerat) Regni adminiſtrationem commiſit. Felicíque fato defungens S. Dionyſio (cui ſpiritus ſui, viam ad Deum capeſcentis, vt dux eſſet ſupplicauerat) mortales exuuias reddi iuſſit, hoc eſt in Galliam referri, quo ſub tanti protectoris vmbra, cum Regibus ſuis progenitoribus fiducialiter requieſcere, & Regis gloriæ aduentum ſub benignis eius auſpiciis mereretur opperiri. Sed aditum regni ſuperni, tanto comite ductoréque ſibi præeunte, in feliciſſimo ipſo carnis exitu Rex ſanctiſſimus (quem Chriſtus pro meritis, mox coronauit in gloria) ouans properúſque ingreſſus eſt.

* Authentico Regali dato an. 1261. vide Dublet. pag. 910. *. *. Id. pag. 1245.

§. 7.

GVILELMVS DE NANGIACO, vulgo de Nangis in libro *de geſtis ſancti Ludouici*, quæ vt viderat perſcripſit; qualem cenſuerit, colueritque Dionyſium Martyrem, Rex ille eximius, ſatis expreſſo teſtimonio, quod congruum publicæ exiſtimationi profert, inſinuat; dum ſua ætate Apoſtoli Galliarum templum, ad quod pios Rex ſanctiſſimus ferebat affectus, non alio nomine quàm Eccleſiæ ſancti Dionyſij Areopagitæ vocitatum innuit: ita enim notat. *Anno Domini 1243. Regni Ludouici Regis 17. ætatis verò ſuæ 28. ſexto Kalend. Martij, die feſtiuitatis B. Matthiæ Apoſtoli, quo die feſtum dedicationis Eccleſiæ beati Dionyſij Areopagitæ factæ per dominum celebratur: peperit Regi Ludouico filium diu optatum, ſibi deſponſata venerabilis Margarita.*

Sæculi 14. *Teſtimonia ab anno* 1300. *ad* 1400.

§. 1.

NICEPHORVS CALLISTVS Xantopulus, An. 1305.
qui hiſtoriam Eccleſiaſticam à Sozomeno, Socrate, Theodoreto deſcriptam, ſua vſque ad tempora protraxit, elegantérque ſuo Græco idiomate expreſſam prodidit, ſub Andronici ſenioris

Conſtantinopolitani Cæſaris Imperio, cui illam dedicauit: tranſmigrationem ſancti Dionyſij Areopagitæ ab Oriente in Occidentem, iuxta perſpicuam Patrum Græcorum traditionem & fidem, immò vniuerſi orbis conſenſum, diſertè aſſeuerant, lib. 2. hiſtor. ſuæ Eccleſiæ cap. 20. Ibi ſiquidem poſtquam diuini illius viri factam Athenis à Paulo Apoſtolo illuminationem, Epiſcopalem ordinationem, eiuſdémque laudauit cæleſtem ſapientiam, zelum, abceſſúmque ex patria commemorauit: continuo filo ſubnectit, paucis quidem verbis, at efficaciſſimis. cùm enim res orbi vniuerſo notiſſima eſſet, opus ampliori deſcriptione non erat. DIONYSIVS *porro cùm pietatis doctrinam, præclarè & liberè prædicâſſet, multóſque annos in Occidente Chriſti gloriam extuliſſet, ad multam vſque progreſſus ſenectutem, denique pro eodem, corona decoratus eſt.* Cuius auctoris, magni certè eſt ponderis hæc teſtificatio: quam in gratiam Latinorum factam nemo ſenſatè dixerit, quorum Nicephorus non amans fuit, ſed hoſtis, iiſdem etenim ſe infeſtum palam ipſe prodidit. Nam editis Carminibus Andronicum ex eo laudat, quòd eius pater Michaël Imperator ex Byſantio illos expulerit, eóſque ipſe pungit & lacerat, vbicumque ſeſe offert eoſdem impetēdi vel leuior occaſio. Teſtimonium igitur quod profert de tranſgreſſo ab Oriente in Occidentem diuino Areopagita, non tam ſpontè quàm inuitè protulit, veritate ſcilicet patentiſſima coa-

ctus, quæ Latinis tantum virum vt concederet, ipſum reniti non valentem, prorſus adegit.

§. 2.

NICOLAVS DE LYRA ex Iudæo Chriſtianus, eamdem traditionem de ſancto Dionyſio Areopagita ſequitur *in libro contra Iudæos*, & in ſermonibus ac in commentario quem *poſtillam* paſſim appellamus *in vniuerſa Biblia*, vbi Damarim mulierem à Paulo cum Dionyſio fide illuſtratam, eiuſdem Areopagitæ vxorem fuiſſe obſeruat: qua in ſententia reperitur Chryſoſtomus lib. 4. de Sacerdotio, & ſanctus Ambroſius in epiſt. ad Vercellenſem Eccleſiam ſerie 25. vel etiam (vt in quibuſdam ſignatur editionibus) numero 82. An. 1320.

§. 3.

IVO aſceta Dionyſianus iuſſu cœnobiarchæ ſui Ægidij, dicti *de Ponthesia*, ſtylo nouo ex antiquis monimentis concinnauit hiſtoriam accuratam, de vita, miraculis, paſſione & gloria ſancti Dionyſij Areopagitæ: qua præclarè demonſtrauit, illum Galliæ Apoſtolum, verum Areopagitam eſſe, quem Paulus Athenis, ſemine verbi gratiæ Chriſto progenuit, Cleménſque ſummus poſt Apoſtolos Hierarcha deſtinauit in Gallias, cum pleriſque Euangelij æter- Anno 1320.

ni prædicatoribus, quémque perfunctum glorioſiſſimo Apoſtolatu, Feſcenninus impius præſes in odium Chriſtiani nominis, ferro cum ſociis obtruncauit. Quam collectionem doctè, nitidéque exaratam, de eius auctoris manibus gratè ſuſcipiens præfatus Abbas Ægidius, inſigni munere Philippo Longo Chriſtianiſſimo Regi præſentauit, cum dedicatoria epiſtola, quam eidem inſcripſit, *ſuper vita & paßione ſanctißimi Dionyſij Areopagitæ totius Galliæ Apoſtoli.* Ad cuius oram ſe ſubſcribens profitetur, maieſtatis Regiæ Capellanum minimum, cùm eiuſdem Archicapellanus eſſet, qui hodie vocitatur ſummus Eleemoſynarius.

§. 4.

IOANNES Rex Chriſtianiſſimus, anteceſſorum eximiam æmulatus aduerſus ſanctum Dionyſium pietatem, quem non ſolùm regni ſubditos, ſed & ceteros quoſque Chriſti fideles, non latere, ait, beatiſſimum eſſe *Francorum Apoſtolum, glorioſum cum ſociis Martyrem, & primum in Franciæ Regno* (hoc eſt, in Gallia interiori) *orthodoxæ fidei cultorem, qui ſalubribus documentis, Gallorum mentes, qui habitabant in tenebris illuſtrauit, & ad electorum ſemitas, ipſos erigendo ſublimiter direxit, & adeò eos dilexit, vt in corde Franciæ voluerit crudeli occumbere martyrio.* Quapropter proteſtatur ſe, ipſum beatum Dionyſium cum ſociis præ cete-

ris Cælitibus venerari, illius in auxilio potiſſimùm confidere, atque ad ipſum ſpecialiſſimam ſe gerere deuotionem. Porrò Ioannis ſapiens filius hæréſque Carolus V. Hæc eius ſecutus pietatis veſtigia, deuotam quoque mentem in ſanctum Dionyſium, quem magnum certè illum Galliæ Luciferum agnoſcebat, authentico reſcripto demonſtrauit, in quo ita præfatur. *Propter deuotionem ſynceriſſimam & ſpecialiſſimam, quam gerimus erga beatum Dionyſium fidei Catholicæ nuncium in Francia, affectamus vt in Monaſterio pretioſi illius Martyris beati Dionyſij Gallorum Apoſtoli*, deſtinati à Deo, quem ſub auxilij & honoris titulo in bellorum certamine inuocare Maieſtas Regia conſueuit*, &c.

* Ita intelligunt Methodius & Metaphraſtes, qui dicũt ei proficiſcenti in Gallias, oraculum diuinè redditum.

Sæculi 15. Teſtimonia ab anno 1400. ad 1500.

§. I.

IOANNES CHARLIERIVS, cognominato de Gerſon, à pago eius nominis in agro Renrenſi, Theologus ſuo ſęculo præſtantiſſimus, & Cancellarius Eccleſiæ ac Vniuerſitatis Pariſienſis: ipſo vel nomine illuſtriſſimus; qui ſingulare hoc perpetuúmque elogium, DOCTORIS CHRISTIANISSIMI, doctrinæ ſuæ tam ſuſpicienda puritate, quàm pietate eximia promeruit; Areopagitam Dionyſium, Pauli diſcipulum, ipſum eſſe quem Gallia ſuum credit ac veneratur Apoſtolum, omnino poſt Anno 1420.

Patres perſuaſum habuit, & intrepidè docuit in ſermone de SS. Petro & Paulo, quo ita loquitur.

Parte 4. pag. 710.

Dicamus vlteriùs hunc nil mentiri, qui appellauerit ſanctum Paulum pulchrum & clarum mundi ſolem, & qui hunc ei tribuerit honorem, &c. *Sanctus Dionyſius ex * Gallia, qui tunc temporis erat Athenis, nónne paulò poſt à ſole hoc illuminatus fuit? Reuera ſic, per quod quidem clarum lumen, tota Gallia fuit, & eſt conuerſa à tenebris, & ignorantia, in veræ fidei & veræ ſcientiæ ſplendorem. Eſt igitur ſanctus Paulus ſpecialis Patronus & Magiſter noſter, in quantum nobis oſtendit, & ad vtilitatem noſtram docuit talem diſcipulum, qui eſſet Magiſter noſter, Doctor & Apoſtolus. Gallia ergo ſpecialem reuerentiam & deuotionem debet ſancto Paulo, poſtquam oſtendit talem noſtræ conuerſionis cauſam.* Citat idem Doctor honorificè ſcripta eiuſdem Areopagitæ Pauli diſcipuli v. g. in tractatu de Theologia ſpeculatiua, conſiderat. 1. 28. 41. 43. in qua illum vocat diuinum Dionyſium *. De cuius pretioſi capitis veneratione, idem notatu digna commemorat, in tractatulo de MIRABILI VICTORIA PVELLÆ, &c. parte col. 875. & in epiſtola ad Abbatem ſancti Dionyſij ſuper controuerſia eiuſdem capitis beatiſſimi Martyris, quam tunc habebant Dionyſiani aſcetæ, cum Pariſienſibus cathedraticis, quæ ſic explicit. *Scriptum Pariſiis 7. Idus Octobris, quo tempore meditabar de ſermone faciendo in natali eiuſdem pretioſi Areopagitæ Dionyſij, qui ſuo aduentu gloriam in altiſſimis Deo, & in terra noſtra pacem aſpirauit hominibus*

* Græcia,

* Vide eũdem ſermo. de S. Ludou. 2 p. col 757. & 1. p col. 541 in tractatu de exam. doctrinarum.

bus bonæ voluntatis. Legitur illa epiſtola parte 4. operum eiuſdem Gerſonij, immediatè ante opuſculum de ſchiſmate tollendo. col. 151. 152. & 153. Sed iterum de eodem Dionyſio Græco & Gallico auctoritatem ſumit, ac argumentum ducit ſermone *de pace & vnitate Græcorum*, habito coram Chriſtianiſſimo Rege nomine vniuerſitatis Pariſienſis conſid. 11. qua Græcos ipſos, per Dionyſium ſuum nos affinitate, immò conſanguinitate ſpirituali complecti, acutè notat ac inde arguit, ſatagendum eſſe vt illos reducamus ad vnitatem, quia fratres noſtri ſunt, immò patres *per quos fides ad nos defluxit. Nónne enim*, inquit, *ſanctus Dionyſius Galliæ Apoſtolus natione Græcus fuit, per quem ſuſcepimus veram pacem & fidem Chriſtianam, nec hoc quidem ſine magna ſolicitudine & labore?* De cuius iterum paſſione, ſeu agonis initiatione per diuinam ſynaxim, illi à Chriſto Domino in carcere impertitam, ſic diſſerit *in anagogico de verbo & hymno gloriæ*, partitione 2. *Expertus hanc efficaciam credo fuerat ſæpè beatiſsimus Dionyſius**, *qui poſt nimia tormenta poſitus in carcere ſacrum illud myſterium celebrauit: cui viſibiliter aſtitit Dominus noſter* IESVS CHRISTVS, *cum multitudine Angelorum, & ſeipſum tradidit ſacramentaliter eidem beato Dionyſio dicens. Accipe hoc chare meus, quod mox complebo tibi, vnà cum patre meo: mecum enim maxima eſt merces tua; & his qui audierint ſalus in regno meo. Subiunxit, & pro quibuſcumque petieris, impetrabis. Obſecramus igitur te Dionyſi benigniſsime*

* Idipſum notat & inculcat ex eadem S Dionyſij Areop. hiſtoria, Algerus contra Berengariũ.

Bbbbb

vt nobis impetres reſerationem Theologiæ tuæ. Quam ſubindicat illum, *à ſancto Paulo didiciſſe, cooperante in verbo gloriæ Spiritu ſancto.* Ita ille.

§. 2.

Anno 1445. SANCTVS ANTONINVS Florentiæ Archiepiſcopus, ex ordine Prædicatorum, vir pari eruditione, quâ ſanctimoniâ: aſſertor quoque huius ſententiæ fuit, quæ non alium Dionyſium Pariſiorum præantiſtitem, ac Galliæ Apoſtolum, quàm gentium Doctoris Pauli auditorem, diuino in codice dictum AREOPAGITAM, agnoſcit. De quo profusè ſcribit in ſumma ſua hiſtoriali part. 1. tit. 6. cap. 28. inſcripto *de diſcipulis beati Pauli, Dionyſio Areopagita, & ſociis eius.* Vbi hoc legere eſt inter cetera. *Qui à Paulo inſtructus per triennium cum eo conuerſatus eſt, & de cæleſtibus, quæ ipſe in raptu viderat multa edoctus, Athenienſium demum ab eo Epiſcopus eſt ordinatus. Ibique Dionyſius maximam partem ſuæ patriæ ad fidem conuertit. Poſtea verò Epiſcopum alium ſibi ſubrogans Romam perrexit paßione Apoſtolorum peractâ; à ſanctóque Clemente Papa in Franciam directus cum Ruſtico Presbytero & Eleutherio Diacono, ad vrbem Pariſios idolis præ ceteris deditam, properauit: ibique poſt multorum conuerſionem, fabricata Eccleſia, & Clericis diuerſi ordinis ampliata, tanta in eo cæleſtis gratia enituit,* &c. Opus non eſt ſingula, quæ ſequuntur perſequi, quoniam licèt ſuis verbis ea ſanctus Antoninus enar-

ret, nihil tamen habent diuerſum ab iis, quæ notiſſima ſunt, vtpote excerpta ex hiſtoria agonis tanti athletæ & Doctoris, quæ peruulgata iamdudum erat in vniuerſa Chriſti Eccleſia: quæ Dionyſium noſtrum, MAGNI titulo, vt inſinuat ſanctus Antoninus ibidem, ex diſtinct.38.c. *omnes pſallentes* honorauit.

§. 3.

PRIMVS Cabillonenſis Pontifex, Topographiam Sanctorum Chriſti Martyrum delineauit, quæ primùm prodiit in lucem, vt notatur in limine anno 1450. recognita verò Pariſiis excuſa fuit apud Iacobum Keruer cum Martyrologio Vſuardi ann. 1573. In qua ſub vocabulo *Pariſius*, quæ & *Lutetia*, Galliæ totius regia, ita ſignat. *Hîc Dionyſius Epiſcopus, Ruſticus Presbyter, & Eleutherius Diaconus, à Clemente Papa miſſi Martyres. Hîc ſanctus Ionius conſors ſancti Dionyſij. Hîc Eugenius à Dionyſio Toletanus ordinatus, cùmque ipſum reuiſeret iuxta vrbem decollatus, & in lacum proiectus, inde anno 30. repertus, in ipſo Magiſtri templo conditur: cuius brachium à Ludouico Rege Toletanis conceſſum, fuit multæ venerationis.* Anno 1450.

§. 4.

DIONYSIVS RICKELIVS aſceta Carthuſianus, vnde adeptus eſt cognomentum, Anno 1471.

cuius doctæ lucubrationes, & res ſanctiſſimè geſtæ diuinas dotes indicant, ſingulari pietate coluit S. Dionyſium Areopagitá, cuius venerabili nomine inſignitus erat, in cuius diuina opera commentarios præclaros exarauit. Nempe ſuper Angelicam, ſeu *cæleſtem Hierarchiam*; ſuper *Eccleſiaſticam Hierarchiam*; ſuper libros de *diuinis nominibus*; ſuper *myſticam Theologiam*, & ſuper *vndecim epiſtolas* eiuſdem B. Dionyſij: cuius *paßionem* citat in commentariis ſuper Actus Apoſtolorum cap. 17. & *in ſermonibus* effert præconia eiuſdem, magnifica commendatione. Illum verò noſtrum vbique fatetur & prædicat, adeo crebra & aperta expreſſione, vt teſtificatio eius ampliori inſinuatione non indigeat. Obiit vir ſanctus, & tam ſcientia, quàm pietate admirabilis anno 1471. in feſto ſancti Gregorij Papæ 4. Idus Martij; qua die illum inter pios Galliæ Patres illum conſignauimus in noſtro Gallicano Martyrologio. Porrò eſt hic, quod obiter moneamus extra vndecim epiſtolas S. Dionyſij, quas iſte auctor Commentariis illuſtrauit, duodecimam reperiri apud Boninum Mombritium Mediolanenſem tom. 1. de Sanctis, hoc titulo prænotatam. *Epiſtola beati Dionyſij Areopagitæ de morte Apoſtolorum Petri & Pauli ad Timotheum.* Cuius exordium eſt. *Saluto te dominum, diſcipulum & filium ſpiritualem veri patris, & boni auctoris, qui conſummaſti voluntatem magiſtri tui.* In qua epiſtola, ſicut cernere eſt pleraque ſpirantia Apoſtolicum ardorem, & genui-

num ætatis ſpiritum; ita nonnulla occurrunt, circa finem præſertim, nonnihil diſſonantia ab illa germanitate; quæ ſanè B. Dionyſio congruere non poſſunt. Fortè ſynceræ epiſtolæ aſſutum eſt auctarium à ſciolo, qui æmulari Dionyſium geſtiens, nihil aliud effecit, quàm ſuam ineptam prodere. Quòd ſi magna pars huius epiſtolæ, ex ſancti Dionyſij textura eſt (præſertim hoc quod præſignauimus exordium) hinc profectò aduertere licet, quanto cum honore Dionyſius Areopagita compellabat Timotheum, illum Epheſiorum Præſulem, primarium Pauli adiutorem: quem non ſuum*, ſed Pauli ipſius ſui magiſtri diſcipulum & filium ſpiritualem appellabat.

* Supra oſtēdimus Timotheum Epiſcop. Epheſ. aliū eſſe penitus ab illo quem ſanctus Dionyſius ſiue in ſcriptis filium ſuum vocitat atque diſcipulum.

§. 5.

LVDOVICVS vndecimus Galliarum Rex Chriſtianiſſimus, ſacris codicillis pleriſque, ſuam ex inſito ab anteceſſoribus glorioſiſſimis traduce, deuotionem, erga beatiſſimum Dionyſium ſignificauit; potiſſimum verò authenticâ reſcriptione ad Senatum Pariſienſem, in qua Apoſtolatum, prædicationem & Martyrium inclyti illius athletæ, multa cum laude commemorat, aſſerítque per illum Gallis Euangelium Chriſti fuiſſe primitus nunciatum, interiorem Galliam diuinæ gratiæ ſplendore irradiatam, hincque regnum ſuum vndique Chriſti fide ſalutifera illuſtratum. quamobrem ipſum beatum Dio- Anno 1482.

nyſium meritò nuncupatum fuiſſe glorioſum Franciæ Patronum & Apoſtolum; ſuúmque eſſe dominum & protectorem profitetur. Laudat Dagoberti ſingularem in eius clarificanda memoria pietatem, Eccleſiámque ab illo ſub tanti cælitis nomine fundatam, ipſiúſque Galliæ glorioſiſſimi tutelaris ſacris eam ditatam exuuiis, decoratam inſuper pleriſq. dominicæ paſſionis monimentis: vexillo ſupernè miſſo Regibus Chriſtianiſſimis, hoc eſt, auri flammulâ, quâ præuiâ tot triumphos reuexerunt, præditam; ſeſe ſpeciali veneratione proſequi, intimíſq. deuoti animi affectib. amplecti profitetur. Lecta fuit & laudata in ſupremo Senatu, regia hæc declaratio (quæ gratificatoria etiam, tam aſcetis cœnobij Dionyſiani, quàm oppidi incolis conceſſio eſt, octaua die Ianuarij 1182. & in rationalium Principis curia die 13. eiuſdem menſis: porrò vltima Februarij in tributaria curia. Ceterùm Carolus octauus ratam habuit ad extremos vſque apices hoc paternæ pietatis conſtitutum, reſcripto principali ad Senatum directo, & in patrum conſeſſu recitato die 5. Auguſti anno 1486. Extat quoque diploma Ludouici XII. ipſius Caroli ſucceſſoris, quo ſanctum Dionyſium noſtrum LEGISLATOREM nominat, fidei parentem, Regni diuinum Doctorem & Patronū, Chriſtianiſſimorum Regū protectorem ac ductorem; mira Dei ordinatione in loco vbi quieſcit & colitur felicis palma Martyrij conſpicuum. Ad cuius inclytam Eccleſiam,

poſtquam Remis diuino liquore inunctus fuerat, auito ex more piè ſeſe profectum inſinuat, quò, Apoſtolo ipſi Galliarum beatiſſimo, debitæ venerationis obſequia referret, ſúbque eius fauſtiſsimis auſpiciis Regalis diadematis inſigne ſuſciperet. *Nos* (inquit) *ipſorum noſtrorum prædeceſſorum veſtigiis inhærere cupientes, & ob ſpecialem deuotionem, quam habemus erga eundem beatiſſimum Dionyſium, Eccleſiámque ſuam, ad quam cùm ab illuſtriſſimis reuerendiſſimiſque Franciæ Paribus, vnctione ſacræ amphoræ, more Chriſtianiſſimorum Regum, ad ſceptrum Regale modernè aſſumpturi, Remis illiniti fuiſſemus; deuotè ſumus profecti, & in eadem Eccleſia aurea corona, ſic illinitis Regibus ordinata, capiti noſtro ſolenniter impoſita extitit.* Addit verò Rex piiſſimus obtentu prædictarum rationum declarationem inſignem, qua omnia rata decernit anteceſſorum ſuorum diplomata in honorem S. Dionyſij edita, & in gratiam eius, Eccleſiæ & Monaſterio conceſſa: ſiquidem ita pergit. *Eam ipſam Eccleſiam, Monaſterium, Abbatem, Conuentum, & perſonas illius in ſuis dictis immunitatibus, libertatibus, & iuribus laudabili continuatione ad vnguem ſeruare & cuſtodire, vt inibi diuinus cultus, quem noſtris præſertim temporibus vigere ſemper optamus ad Dei laudem, & animæ noſtræ necnon prædictorum anteceſſorum noſtrorum ibidem ſepultorum ſolatium, ſaltem manu-teneamus, litteras inſertiones & incorporationes eorumdem prædeceſſorum noſtrorum tam Latino, quàm vulgari ſermone confectas per nos inferiùs roboratas, ad per-*

petuam illarum memoriam præſentibus literis noſtris tranſcribi, incorporari, & in vnum redigi fecimus, &c. *Datum apud eundem ſanctum Dionyſium menſe Iulio, anno Domini* 1498. *& regni noſtri primo.* Ex qua Regia conſtitutione irrefragabile argumentum contra aduerſarios noſtros elicimus: qui certè chartas illas regias, quas à temporibus primorum Regum, ſequentiúmque, per ſæculorum continuam, ſeriem editas in cauſæ noſtræ ſubſidium protulimus; ſuppoſitionis non poſſunt notâ inurere: quas Ludouici Regis XII. patriæ dicti parentis, ſacra authoritate recognitas & probatas eſſe conſtat. Etenim inductione facta, ſubiungit Chriſtianiſsimus verè princeps. *Omnes & ſingulas litteras ſuperiùs inſertas, omniáque & ſingula in eis contenta, ratas & gratas, ratáque & grata habentes: eas & in eiſdem contenta laudauimus, ratificauimus, approbauimus, & confirmauimus, ac ex noſtræ Regiæ maieſtatis plenitudine, & regia auctoritate noſtra ſpecialique gratia laudamus, ratificamus, approbamus,* &c. Hoc vno igitur obſignatorio diplomate, vt omnia prædeceſſorum reſcripta amplexus eſt; ſic ea probando & ad vnguem, vt ait, illibata ſeruari decernendo: omnia etiam quæ adſcripſit beato Dionyſio anteceſſorum Regum numquam ſatis laudanda pietas; honorifica attributa, epitheta, præconia; vera & legitima fuiſſe, intemeratéque obſeruanda ac retinenda eſſe, vt ſacroſancta & inuiolabilia Regiæ auctoritatis ſigilla, teſtimoniáque conſtantiſsima venerandæ

randæ antiquitatis ; magnifica enuntiatione declarauit, atque authentica in perpetuum fore edixit decreuítque illa perinſigni ſanctione ſua.

§. 6.

HARTMANNVS SCHEDEL Doctor Germanicus, in vaſta collectione hiſtoriarum rerúmque ac vrbium à ſe ſparſim, variéque conſcriptarum, Nurembergæ edita, anno 1493. ſub ſexta mundi ætate fol. 109. verſo, beati Dionyſij ita commeminit, quem Athenienſem ortu, Areopagitam cognomine, Pariſienſem martyrio; ex antiquæ traditionis clariſsimis, quæ congeſſit, monimentis aſſerit ac indigitat. *Dionyſius Areopagita, Philoſophus clariſsimus in hac perſecutione Domitiana, cum Ruſtico Presbytero & Eleutherio Diacono, in Pariſio paſsionem meruit. qui cùm à Clemente Romano Pontifice, ex præcepto beati Petri, ad Gallias, prædicationis gratiâ directus fuiſſet, & opus Domini commiſſum ardenter egiſſet, à præfecto Pariſiorum vrbis Feſtennio* * *vnà cum ſociis nonagenarius, priùs colaphizatus, conſputus, ac deriſus, & ſuper cratem ferream poſitus, flammis nudus extenſus, & alia tormenta paſſus fuiſſet; tandem genibus flexis, capite percuſſus, Martyrium conſummauit. Deinde caput ſuum inter brachia portauit Angelo duce, ad locum vbi poſtea requieuit. Hic enim ille eſt Dionyſius, qui Athenis* * *in paſsione Domini* IESV *dixit,* AVT DEVS NATVRÆ PATITVR, AVT TOTA MVNDI

Anno 1493.

*Feſcennino.

*Athenienſis.

MACHINA DESTRVETVR. *Quem poſtea Paulus Apoſtolus baptizatum diligenter inſtruxit, & Athenienſium Epiſcopum ordinauit, vbi maximam regionis partem Chriſtianæ fidei ſubiugauit. Deinde in Galliis ſeptimo Idus Octobris Martyrio coronatus, cùm doctiſsimus haberetur, multa præclara reliquit ſcripta*, &c. Hæc ille. In cuius dictis hoc ſingulare reperi, quòd miſſum à ſancto Clemente in Gallias ponit ſanctum Dionyſium Areopagitam, ex beati Petri præcepto. Quod ſic intelligendum videtur, vt Petrus ipſe dum ad crucem properaret, extremáque Clementi monita traderet, Galliæ recordatus fuerit: cuius orbitati proſpiciens, vnum inter Apoſtolicos ſymmyſtas Dionyſium Areopagitam, huic ſolatium ferendo, præſidiúmque, prorſus idoneum cenſuit; quem ideo è Græcia euocare & in Galliam deſtinare generalem legatum, myſteriíque pietatis prouectorem, ipſimet Clementi (cui præcipuam Chriſti gregis, ſui vice tum curam deputabat Apoſtolorum ipſe princeps) mandato ſupremo iniunxerit. Vtinam Harthmannus indicâſſet auctorem vel codicem, ex quo ſingularem hanc obſeruationem de Petri præcepto, mutuauit.

Sæculi 16. Teſtimonia, ab anno Chriſti Domini 1500. ad 1600.

§. 1.

BAPTISTA HISPARIOLVS, ciuitate Mantuanus, profeſſione Carmelita, inſignis Theologus, & Poëta, verè pius: qui nobilia opera præſtanti ingenio concinnauit, quatuor in tomos diſtributa, in quorum ſecundo, ſunt faſtorum libri 12. Iulio II. Pontifici Maximo inſigni procemio dedicati. Porrò lib. 10. præclaro carmine cecinit ſancti Dionyſij Areopagitæ, Galliarum Apoſtoli Pariſiis cum ſociis coronati trophæum, iam ſuprà à nobis in limine huius noſtri opuſculi de ſancto Dionyſio tranſcriptum. quod elogium quaſi Mantuano haud ſatis fuiſſet ad celebrandas plenè laudes tanti cælitis, & Galliæ indita ex eius Apoſtolatu & Martyrio gloriæ enuncianda decora: atque oſtendendam ſuam, de illo Areopagita (quem triumphâſſe Pariſiis non dubitauit aſſerere) ſententiam; vberiori vena, encomiaſticum opus exorſus, libros tres carminum de eodem Dionyſio Attico, Gallicóque contexuit, ad quod lectores remittit laudis tanti athletæ ſtudioſos: in quibus inter alia notatu digniſſima, hæc habentur. Anno 1503.

Gallorum ſublime decus, puriſſima gentis
Gloria Cecropiæ, toto Dionyſius orbe

notatione dilucidat. Typis excuſum fuit hoc pium ac eruditum opus per Henricum Stephanum Chalcographum doctiſſimum, ab auctoréque dicatum Ioanni Epiſcopo Iaurienſi in Pannonia, anno ſignato. Vnde errat Poſſeuinus in apparatu, vbi notat anno duntaxat 1555. è prælo emiſſum fuiſſe. Porrò in illa myſticarum proſarum expoſitione, Clicthoueus, celebrem, quam ante annos ferè 500. Adam de ſancto Victore fecerat de Dionyſio modulationem, abhinc in Liturgia eiuſdem Hieromartyris vbique decantatam, totam deſcribit, & luculenter ac eruditè explicat. Incipit illa proſodia, quam etiamnum in vſu retinet & canit in natali ſancti Dionyſij Eccleſia Pariſienſis, exordio hoc inſigni.

Gaude prole Græcia
Glorietur Gallia
Patre Dionyſio:

Ad quem primum verſiculum Clicthoueus ſcholium hoc ſuum attexuit. *In Græcia natus eſt Dionyſius, & in iuuenilibus annis educatus. In Gallia verò prouectam egit ætatem & propè ſenilem. In Græcia ex aqua & Spiritu ſancto natus eſt, & Pauli Apoſtoli in baptiſmo filius, vt Acta Apoſtolorum planè teſtantur. In Gallia verò & apud Pariſios per Euangelium filios Deo genuit, quorum pater ſecundùm ſpiritum meritò dici poteſt.* Cetera eius ſcholia ad Liturgicum hoc præconium ſancti Dionyſij Areopagitæ (cui ſimile ferè in Græcorum Menæis legitur) digna ſunt planè & grauitate, & doctrina,

Clicthouei, qui certè omni litteratura excultiſſimus fuit, ſicut oſtendere poſſunt vel ſoli libri quatuor doctiſſimi, quos tam Græcè, quàm Latinè conſtruxit, vt explanationis ſancti Cyrilli Alexandrini in Ioannem, quæ 12. libris conſtare debebat, deliquium ſuppleret, adiunctis illis quatuor nouis libris, in vicem quatuor veterum intermediorum, qui interierant. Quo ex memorabili facinore, plurimùm ab eminentiſſimo Cardinale Perronio commendatur in refutatione falſæ relationis Mornæi *de collatione Fonsbellaquenſi*, vbi hæc ei promerita reddit patrio idiomate elogia. *Eximius ille Doctor Sorbonicus, vnus ex magis ſtrenuis propugnatoribus doctrinæ Eccleſiæ ſuo tempore fuit, qui Antilutherum ſcripſit, ac aduerſus Oecolampadium alióſque nuperos dogmatiſtas, pleroſque ſtruxit commentarios: in iiſque potiſſimum nonnullos tractatus de Chriſti crucis adoratione. Scripſit etiam contra Lutherum librum peruberem, quo Miſſam proprium eſſe verúmque ſacrificium aſſeruit. Contra quem Lutherum etiam pro defenſione liberi arbitrij diſſertationem edidit. Pædagogus antè fuerat nepotum Cardinalis Amboſiani.* Certè tantum virum Cardinalis Perronius bardum non exiſtimauit, vt fabulis & næniis fidem præberet: nec ita decurtatæ naris, vt Adæ à ſancto Victore, vel cuiuſuis alterius, qui aniles nugas pro hiſtoriis ſacris (vt æmuli volunt) obſtruſiſſent, in tremendam actionem diuini ſacrificij, cuius tanto ardore maieſtatem tuebatur non ſubolfeciſſet: nugacitatémque agnitam, nõ ita ve-

cors erat profectò, vt ſua illuſtratione adornando fabuloſam cantilenam, inter ſacra Eccleſiæ Cantica reponeret. Riſiſſet illius vel ſtupiditatem, vel inſaniam Henricus Stephanus raræ eruditionis typographus: vel certè delirij admonitum amicum tanta fama pollentem compuliſſet è ſuo elucidario næniam tam patentem (quam aduerſarij dicunt) meliùs conſultum expungere: quòd ſi noluiſſet, fabulam ipſe illam procul à ſuo prælo ablegâſſet. Vir enim admodum impatiens nugarum erat, adeò vt pias etiam traditiones, quas ſatis perſpectas non habebat, vt fabulas inſectaretur: vnde, nimia ſuo ex genio iudicandi etiam de dogmatibus ſacris libidine, à fide Catholica demum infauſtè deflexit, & penitus diſceſſit ab antiqua fidelium communione.

§. 3.

IOANNES TRITHEMIVS Abbas Spanhemenſis in Germania, deinde tranſlatus ad Abbatiam ſancti Iacobi Herbipolenſem, vbi piè obiit anno 1519. vir admirandæ eruditionis, cuius innumera ferè extant in præclariſſimis ſcriptis inſignia (quorum breuem indiculum exhibuit Bellarminus*: ampliſſimum verò, quin & trinum Catalogum dedit *ſuo in apparatu* Poſſeuinus poſt Arnoldum Wionium, *in ligno vitæ*) cùm omnes hiſtoricos diligenter peruoluiſſet, rediuiua virorum illuſtrium geſta ſcriptáque ab obli-

An. 1519.

* In lib. de ſcriptoribus Eccleſ.

uione reuocauit in lucem, auctórque condendarum Bibliothecarum poſteris ſcriptoribus præluxit. Hic igitur inſignis auctor lib. 2. *de viris illuſtrib. ordinis ſancti Benedicti*, qui inſcriptus eſt *de huius ordinis Doctoribus, & præcipuis ſcriptoribus, c.* 34. hoc titulo Hilduinum iiſdem adcéſuit, quod Areopagiticarum auctor extiterit vindiciarū; quod opus plurimum commendat Trithemius, ex eóque auctoris excellentes animi dotes perſpectas laudat multiplici præconio. *Vir* (inquit) *in diuinis ſcripturis admodum eruditus & in ſæcularibus litteris apprimè inſtructus, ingenio ſubtilis & diſertus eloquio, fertur nonnulla ſcripſiſſe opuſcula, in quibus ſe virum doctiſſimum oſtendit. Sed pauca eorum ad meam cognitionem peruenerunt: reperi eum tantùm opus illud inſigne, quod vtroque ſtylo proſaico videlicet & metrico, ad Ludouicum Caroli Magni filium compoſuit de vita ſancti* DIONYSII *Pariſienſis lib.* 2. Tulit igitur iudicium de Areopagiticis Hilduini, idoneus imprimis cenſor Trithemius: tantúmque abeſt, vt ad placita Boſqueti & aſſeclarum eius tranſierit, qui Hilduinum ex hoc ſcripto, fraudis erroríſque manifeſti (vt ipſis ſolis videtur) inſimulant, auctorémque fabulæ ante illum incognitæ, qua finxerit Pariſienſium Dionyſium fuiſſe Areopagitam criminantur: quin potiùs Trithemius conſiderata Hilduini ſcriptione, hanc probauit, hanc laudauit, hanc inſigne opus nuncupauit, ex eiúſque textura auctoris ingenium ſuſpicatus, illum encomiis pleriſque honorauit.

norauit. Vera igitur ſcripſiſſe & laude digna illum cenſuit: & idipſum, quod ille (quem hoc ex inſigni lucubratione tantopere commendat) de noſtro Dionyſio vero Areopagita credidit & tenuit. Scripſit enim de Areopagita Dionyſio Pariſienſi Protomyſta Hilduinus: huius opus non modò ratum ac gratum habet Trithemius: ſed hunc Dionyſium Pariſienſem ipſemet fatetur, nec contentus fuit perinſignis ille virorum illuſtrium nomenclator, occaſione huius editæ aſſertionis, Hilduinum cum aliis præclaris ſcriptoribus numerare, & eius opuſculum ornare inſignis notæ titulis, in præcitato catalogo. At rurſum in Chronico Monaſterij Hirſaugienſis, ſub Luitberto Abbate primo, ad annum 840. eiuſdem Hilduini, cum iterata laude, ob ſcripta Areopagitica meminit. *Hilduinus* (inquit) *Abbas S. Dionyſij Pariſienſis, vir vndecunque doctiſsimus deſcripſit vitam & paſsionem ſancti Dionyſij ad Ludouicum Imperatorem I.* Sic ſuffragatur ac ſubſcribit Hilduino doctiſſimus Trithemius, cuius iudicium, nonniſi magni ponderis, apud eruditos quoſque eſſe debet. Ceterùm quod mentionem facit libri metricè ſcripti ab Hilduino de eodem B. Dionyſio ipſe Trithemius; monere lectorem hic operæ precium eſt, nó extare quidem excuſum cum ceteris Areopagiticis proſâ ſcriptis Hilduini, primùm à Matthæo Galeno Weſtcapellio, deinde & à Laurentio Surio editis: ſed MSS. aſſeruari illud opuſculum in Gemblacenſi Mona-

ſterio diſtinctum in 4. tractatus, ſeu libellos, affirmat Molanus, in annotat. ad Martyrol. Vſuardi VII. Idus Octobris: & poſt eum Arnoldus Wion lib. 2. ligni vitæ; qui addit eiuſdem Dionyſij librũ vnũ de reuelatione B. Dionyſij MSS. haberi in parco Monaſterio iuxta Louaniũ. Sed Sigebertus qui diu ante Hilduini opuſcula, numerauit, nonniſi opuſculorum, quæ Trithemius recenſuit, ſuo in catalogo meminit: verùm in Codice veteri Abbatiæ ſancti Victoris Pariſienſis, tractatus *de inuentione* ſeu reuelatione ſancti Dionyſij & ſociorum continetur, ſed ſine Hilduini nomine.

§. 4.

Anno 1520. PETRVS patria Venetus, Epiſcopus Exquilinus, cognominatus *à Natalibus*, quoniam *natales Sanctorum*, vnum in faſciculum conſeruit; quorum *Catalogum*, ineunte hoc ſæculo, ſatis celebrem, & in multis accuratum prælo mandauit, eundémque recognitum iteratis typis vulgauit anno 1521. in cuius lib. 9. c. 16. cùm Græcorum imitatus morem (qui Dionyſium Areopagitam colunt annua celebritate 3. Nonas Octobris) natalem eius eadem die annotâſſet; quò tamen improuiſum emendaret erratum, quo paſſum Athenis Dionyſiũ, ſubindicaſſe videbatur, defectu ſcilicet notitiæ Græcarum tabularum, quæ Pariſiis illum laureatum perhibent: & ne hac ex ſua hallucinatione deceptus quiſpiam arbitraretur, Diony-

ſium illum Athenienſem (velut perperam ex geminatione natalis æmuli colligunt) diuerſum eſſe à Pariſienſi; ipſemet Petrus Sanctorum nomenclator meliùs tandem conſultus, ſeptimo Idus Octobris, id eſt, nono eiuſdem menſis, quo die paſſus Hieromartyr ille cum ſodalibus cõperitur: iterum Areopagitæ memoriam conſignauit, quē eundem prorſus eſſe, cum eo, qui ipſa die, illuſtriſſimo occubuit cum bino ſodali Martyrio, declarauit inſigni hac teſtificatione, inſcripta eiuſdem lib. cap. 4. *Dionyſius Epiſcopus & Ruſticus Presbyter & Eleutherius Diaconus, in prouincia Galliarum ciuitate Pariſius paßi ſunt, ſub perſecutione Domitiani Imperatoris, agente Feſcennino præfecto. Qui beatus Dionyſius natione Athenienſis, ab Areopago, qui vicus erat ceteris excellentior, vbi erant ſcholæ nobiles Philoſophorum, Areopagita dictus eſt. qui etiam ex Philoſopho mundano, à beato Paulo Apoſtolo conuerſus, Philoſophus Chriſti, eiúſque diſcipulus effectus eſt.* Multíſque interiectis adiungit. *Verùm poſt aliquod tempus à beato Clemente Petri ſucceſſore in Franciam deſtinatur, & ipſi Ruſticus Presbyter, & Eleutherius Diaconus ſociantur: ſancti quoque Saturninus & Marcellinus Epiſcopi, & Lucianus Presbyter comites adiunguntur.* Deinde recta ſerie illorum enarrat in Gallias progreſſum, Dionyſij & ſociorum ad vrbem Lutetiam acceſſum, ibíq. Apoſtolicam prædicationem, glorioſúmque agonem, & triumphum. Subiungit demum. *Dionyſius autem Doctor Eccleſiæ mirabilis, ſcripſit librum de*

Angelica Hierarchia. Item, de diuinis nominibus. Item, de myſtica Theologia, & alia fortè plurima, quæ noſtris temporibus inueniri non poſſunt. Hæc Petrus Epiſcopus, Catalogi Sanctorum concinnator, quem vt pertexeret inſignium auctorum hac de re libros, necnon ſacra Eccleſiarum monimenta, ſtudioſè perquiſiuit, ac multo labore & ſudore congeſſit: quemadmodum ipſe graui ad lectorem, præmonitione profeſſus eſt: ſic enim præfatur. *Ego Petrus de Venetiis Equilinus Epiſcopus, inter Sacerdotes minimus, & Eccleſiæ prælatus indignus, ex prænominatis codicibus & voluminibus ſcilicet Euſebij Cæſarienſis, Rufini, Hieronymi, Auguſtini, Gregorij Turonenſis, Gennadij, Bedæ, Vſuardi, Adonis, Sigeberti, Petri Comeſtoris, Helinandi, Vincentij,* &c. *necnon ex aliis plurimis diuerſarum Eccleſiarum antiquitatibus, & paßionariis, quoſcumque inuenire potui, non ſine multis laboribus, crebriſque vigiliis ſtudioſiùs collectis,* &c. *Omnium noui ac veteris teſtamenti nomina, geſta, vita, paßiones & triumphos compendioſo ſtylo ſubſtantialiter recollecta illuſtrium virorum fretus auctoritate,* &c. *præſenti Catalogo curaui retexere, & breuißima oratione narrare.* Ita ille ibi proloquitur, cuius hanc præmonitionem, &c. adnectere conſentaneum cenſuimus, vt manifeſtum euadat, quibus præſidiis ſubuectus ſuum Catalogum ille compilauit, in eóque Dionyſium vnum eundem Pariſienſem ac Athenienſem aſſeruit.

§. 5.

IACOBVS FABER Stabulenſis Theologus ſua ætate doctiſſimus, cuius pleraque extant conſummatæ eruditionis monimenta, cùm Græcè haud minus quàm Latinè eſſet verſatiſſimus, opera ſancti Dionyſij Areopagitæ ſcholiis præclaris adornauit. Quem non ſolùm Galliæ Apoſtolum, & Chriſtianæ ſapientiæ Lutetiæ Pariſiorum primum didaſcalum agnouit & aſſeruit: ſed arcanam hac in re diuinæ prouidentiæ diſpoſitionem felici acumine mentis perſcrutatus, etiam reſerauit, ſpectabili, quam lucubrationi ſuæ infixit, animaduerſione. quæ, vt inſigne decus gloriæ, ipſimet diuinæ philoſophiæ apud Pariſios fundatori vendicat, ita & Regiæ ipſi vrbi eximiam affert perpetuæ laudis & felicitatis commendationem. *Inſuper*, inquit, *non ſine diuina ordinatione, & ſumma prouidentia id effectum eſſe mihi viſum eſt, vt hic ſacratiſſimus, & longè diuina ſapientia illuſtriſſimus, pater, primum Athenienſium Antiſtes, Atticam rexerit Eccleſiam, & ciuitatem primariam, omnium parentem literarum illuminauerit; quâ illuminatâ, mox in Gallias à beatiſſimo Clemente Apoſtolus miſſus, ſedem, Pariſiorum inſignem vrbem (ſeu Lutetiam appellarent) delegerit. Quæ meliùs* DIONYSIA, *à* DIONYSIO *primo ſuo Antiſtite & Apoſtolo, primo ſuſceptore & regeneratore, quàm ab Iſide aut à luto, vt volunt permulti, potuiſſet appel-* An. 1525.

lari. Primus enim eam ad vitæ fontes erexit in Chriſto paruulam; (ſolent enim primi ſuſceptores indere nomina) primus mortem ab ea effugauit & induxit vitam; quam in Chriſtiano cultu ſuo ſanguine, & omnium tormentorum molitionibus libenter ſuſceptus, tandem confirmauit. Vnde & victor, mundo triumphante ad Deum, qui ipſum miſerat, conſcendit. Tunc Deus illum locum, piorum ſtudiorum fontem præordinauit, vt ad quem in certum euentus rei argumentum, ex Athenis, virum ſuprà omnem humanam ſapientiam doctum direxerit. Vos igitur Dionyſia bonarum literarum academia, eadem & Pariſienſis, quam vnus idémque pater ſociam fecit Athenis & ſororem, veſtro applaudite Apoſtolo, veſtro primo Antiſtiti & parenti, primo ad vitam ſuſceptori & illuminatori & eius ſacras diſciplinas in honore ſuſcipite, atque in eis ipſis dies noctéſque proficite. Sic ille vir doctiſſimus, incomparabili ſanè facundiâ: & diuinam Lutetiæ clarificationem, per feliciſſimum Dionyſij Areopagitæ ad illam, acceſſum; & ipſius Magni Dionyſij perfectum ſanè præconium complexus tam veris enunciauit verbis, quàm aureis profectò apicibus expreſſit. Ceterùm edidit etiam inſignis ille Doctor, librum inſcriptum *Agones Martyrum, qui menſe Ianuario paßi ſunt*, non proprio contextu, at eodem ſtylo & ſerie, quibus illorum acta (quæ eruit è profunda ſpecu reconditæ antiquitatis) fuerant ab exceptoribus priſcis conſcripta: è quibus, actorum ſancti Luciani beati Dionyſij aſſeclæ, cum eodem in Gal-

liam deſtinati, ſuperiùs auctoritatem induximus. Quem librum etiam commemorauimus non ſine auctoris benemeriti laude, in noſtro ad Gallican. Martyrol. *apparatu* cap. 19. §. 6. Vbi primum in lucem emiſſum ab auctore etiam notauimus rarum illum Codicem anno ſalutis 1526. quo Meldis exiſtens ipſe Faber, ipſum recèns editum, ſuis cum commentariis in epiſtolas Canonicas, Antonio à Prato Cancellario Franciæ, poſtea Cardinali, dedicauit.

§. 6.

ZACHARIAS Patriarcha Cōſtantinopolitanus, Theolypti ſucceſſor, 16. excurrẽte Chriſtianæ religioni ſæculo Græciam adhuc retinuiſſe antiquã (vt etiamnũ retinet) cum Romana Eccleſia de Dionyſio Areopagita ſententiam: inſigni monimento prodidit, quo reſpondens Theologis Wirtembergenſib. ſuper Auguſtana Confeſſione ad ſe ab iis tranſmiſſa, atque ab ipſo diſcuſſa, rebrobata, & impugnata: doctrinam ſacramentorum auctoritate ſancti Dionyſij Areopagitæ propugnat: cuius & ſcripta aſſerit à Græcis ſemper probata, atque pro authenticis habita: geſta autem in quibus legitur eiuſdem Athenienſis ortus & Pariſienſis occaſus, adeo ſyncera eſſe, vt ad illos Lutheranos Magiſtros à ſe deſcripta tranſmiſerit, quò ipſos defeciſſe ab Apoſtolica doctrina per teſtimonium actáque tanti Patris, Orientis Anno 1540.

Occidentíſque Doctoris primarij, quam Eccleſia ſemper diuinum vt virum coluit, & ſecundùm Apoſtolos Chriſti, iugiter honorauit; efficaciùs conuinceret, tubæque tam ſonoræ clangore illos ad caſtra orthodoxæ fidei, quæ turpiter deſeruerant reuocaret. Porrò in illa quam ad eos tranſcripſit vita ſancti Dionyſij Areopagitæ, ea profectò exſcripta erant quæ de ipſiuſmet Dionyſij Gallico Apoſtolatu in eiuſdem geſtorum hiſtoria* Metaphraſtes, in eiúſque elogio Michaël Syngellus, atque in ipſius Martyrio Methodius dudum ex antiquis documentis prodiderant: quódque etiamnum in Græcorum Menæis conſcriptum, ab iiſdem in natali noſtri ipſius ſuíque Hieromartyris concinitur. In his enim disertè prædicatur, quomodo ille ipſe Dionyſius, vnus è Senatoribus Areopagi, à magno Paulo in fidei retia pertractus & baptizatus, ínque Epiſcopum aſſumptus, deinde ſacra & ineffabilia edoctus myſteria; ſancta ſanè ſingularia & admiranda, & ſublimiſſima ad poſteros tranſmiſerit. Dehinc poſt explanatam Eccleſiaſticæ diſpoſitionis formam, ad partes profectus Occidẽtis, multis inibi patratis miraculis in vrbem Pariſiis capite plexus fuerit, quod ipſum caput ſuis exceptum manibus, ad duo vſque milliaria; raptus in admirationem ſpectatoribus deportauerit: neque antè dimiſerit quàm mulieri Cattulæ appellatæ, obuiam factus, & diuina prouidentia detentus, velut theſaurum quendam depoſuerit, vide Græcorum

* Lecta in Concil. Florentino, & à Græcis admiſſa.

corum Menologium cum Menæis editum Venetiis apud Antonium Pinel anno 1628 necnon *Acta & ſcripta* Theologorum Wirtembergenſium & Patriarchæ Conſtantinopolitani D. Ieremiæ, edita anno 1584. Wirtembergæ.

§. 7.

GVILLELMVS BVDÆVS ſæculi ſui perlucidum lumen, Galliæque decus ferè ſingulare, de quo verè nitidéque Scæuola Sammarthanus in aureis ſuis elogiis virorum doctrinâ illuſtrium, qui noſtra patrúmque memoria floruerunt, lib. 1. ſcripſit, *haud eſſe opus eum celebrare, cuius fama in excelſo & illuſtri loco poſita, omnes omnium nationum homines in admirationem ſui quotidie conuertit.* Cuius æmulus quidem perpes Eraſmus fuit: ſed impar exiſtimationi eiuſdem ſuccubuit, inuitúſque eidem litterarij principatus, ſi non detulit, ſaltem ereptos ſibi, reliquit honorificos faſces. Hic igitur tantus vir, in ea ſententia fuit totus, vt non alium Pariſienſem primum myſtam ſacrum, quàm Dionyſium Areopagitam crederet: cuius etiam diuinos fœtus reuerenter amplexus crepundiis pretioſis exornauit. tranſcripſit enim eius ſacra opera ex autographis quæ accuratè reuocata ad puritatem genuini contextus, notationibus doctiſſimis illuſtrauit: cum quibus prælo emiſſa, in lucem demum publica cum vtilitate exierũt. Clauſit diem extremum vir Anno 1540.

incomparabilis, vera dignus immortalitate, ætatis anno 73. labente Auguſto, anno huius ſæculi 40. ad ſancti Nicolai Campeſtris fanum, auito tumulo conditus.

§. 8.

Anno 1545. ALOYSIVS LIPPOMANVS Epiſcopus Veronenſis, Theologus ſua ætate præcellens, qui in Concilio Tridentino clariſſimus effulſit, catenas aureas, è Græcis Latiníſque Patribus ſuper ſacram ſcripturam in Geneſim, Exodum, Pſalmóſque contexuit, & *vitas Sanctorum* collegit, quas *octo tomis* complexus eſt. In quibus Dionyſij Areopagitæ Apoſtoli Pauli diſcipuli, Franciæ Apoſtoli & Pariſienſis Eccleſiæ protoparentis res diuinè geſtas luculenter retulit: tranſcripſit ſiquidem ex ſerie, eiuſdem glorioſi Areopagitæ encomium vitæ & mortis, per Michaëlem Syngellum Hieroſolymitanum Sacerdotem & Martyrem ante annos 800. conſertum. Item vitam eiuſdem per Suidam: & aliam per Simeonem Metaphraſtem editam, quibus ſtipatus ſacris fideiuſſoribus, aliíſque fretus antiquitatis venerandæ teſtimoniis; noſtrum Dionyſium verum Areopagitam indubiè aſſeuerauit. Qua in re vt mentem ſuam lectori ſuo proderet, hanc præmonitionem adhibuit. *Memini ſæpè inter grauiſſimos viros me præſente motam fuiſſe quæſtionem num Dionyſius Areopagita, qui à beato Paulo Apo-*

ſtolo, ad Chriſti fidem conuerſus eſt, Athenarum poſtea Præſul, etiam Pariſienſis Eccleſiæ Epiſcopus fuerit, & num ſub Domitiano, an ſub Traiano Imperatore paſſionis ſuæ agonem conſummauerit. Móxque obiter commemoratis hæſitationis quorumdam ambagibus, ſubiungit. *Qua de re cùm ego quandoque (vt fieri ſolet) meam rogarer dicere ſententiam, eumdem prioris & ſecundæ quoque Eccleſiæ Præſulem fuiſſe me credere liberè profeſſus ſum. Quid enim ſi Ado & Suidas* non dicant, cùm duo alij præclari viri* (immò innumeri, his & antiquiores & vix impares, quos ſuperiùs examinatos audiuimus) *id conſtanter affirment? Studuerunt illi breuitati, nec omnia quæ ij recenſuerunt, illi commemorârunt, vt per te ipſe videre potes. Potuit ergo eſſe Pariſinus quoque Epiſcopus, etſi illi hoc omnino tacuerint. Mitto tot celebria miracula, tot inſignes picturas, quas nos Lutetiæ propriis oculis inſpeximus, quæ hac de re manifeſtam nobis fidem conciliant*, VT CONTRARIVM ASSERERE IN PARTIBVS ILLIS PIACVLVM ESSET MAXIMVM. *Sub Traiano autem Principe, eum Chriſti hoſtiam factum non dubitamus: praualet enim vni, trium ſingularium virorum teſtimonium. Verùm hæc Imperatorum variatio, vt paulò antè dicebamus, non multùm permouere debet lectoris animum. Cùm etiam Domitianus & Traianus, non plus fortè quàm 20. annos inter ſe diſtent, & Sanctus ipſe etiam ſub Domitiano multa pertulerit: non dubitauit Metaphraſtes Domitianum ſuæ perſecutionis auctorem nominare. Habes ergo de præſtantiſſimo Chriſti Martyre ſententiam.*

* At Suidas etſi hoc explicitè non dicat, implicitè tamen dicit: quia quoad finem noſcendum B. Dionyſij, ad Syngellum remittit, qui agonem eius copiosè deſcripſerat, & Pariſiis coronatum eumdem celebrauerat.

Vtinam autem tu & ego, & quicumque Chriſto nomina dedimus, Dionyſij fidem, pietatem, doctrinam, Zelúmque imitari poßimus, qui tam ei quæ in Oriente, quàm ei quæ in Occidente ſita eſt, Eccleſiæ, datus eſt in ſpeculum & exemplum præclarißimum. Propterea etiam quatuor in locis, illum hucuſque apud noſtras has lucubrationes deſcriptum inuenies. Vale, & conatus hos noſtros precibus tuis foue. Ita rem definiebat cenſor ille grauiſſimus ac peritiſſimus Eccleſiaſticæ hiſtoriæ.

§. 9.

Anno 1562. ANTONIVS MONCHIACENVS Demochares Reſſonæus, ſpectabilis, Doctor Pariſienſis & ſcriptor celebris, ac acerrimus magni Sacramenti pietatis aduerſus hæreticos aſſertor, cuius iam ſupra ſub epigraphe teſtimonij ſancti Dionyſij commeminimus: ſuffragio nobis aperto patrocinatur, tom. 2. de ſacrificio cap. 18. quo Catalogum Pariſienſium Antiſtitum (quorum coryphæum, ipſum Areopagitam facit) ex priſcis tabulis Eccleſiaſticis, è ſacrario Cathedraticæ Baſilicæ Pariſienſis depromptis (iuxta regulam Tertulliani *) conſignauit: vbi nonnulla eiuſmodi præclara documenta, geſta, inſtituta, exempla commemoràſſet, continuo filo ſubnectit. *Hæc certè omnia palam faciunt B. Dionyſium Miſſæ fuiſſe ſtudioſum, cuius ritum & officium à beato Paulo Apoſtolo præceptore didicerat. Vnde facile fuerit colligere, à quo primum Miſſæ ſa-*

* In præſcript.

crificium emanârit, ſi perpenderimus hunc beatum Dionyſium à Paulo, & Paulum à Chriſto edoctos & inſtitutos fuiſſe. Quapropter relinquitur Gallis, ſed præcipuè Pariſinis, quorum Dionyſius fuit Apoſtolus, vt Miſſæ aſſertionem acerrimè tueantur vſque ad poſtremum vitæ ſpiritum, niſi à doctrina & exemplo ſui Apoſtoli, necnon Pauli & Chriſti declinare velint. Ecce quomodo auctoritate ſancti Dionyſij Areopagitæ, propugnator ille auitæ pietatis, in ea aſtruenda nititur, quæ vires potiores habet ex eo quod Pauli ille Apoſtoli fuerit notiſſimus diſcipulus, idémque Gallorum, maximè verò Pariſienſium, primus cæleſtis didaſcalus. Quemadmodum enim hic auctor bene præfatur. *Hic Dionyſius ſicut primus Pariſiis Euangelium, Chriſtianámque religionem attulit: ſic & Dei cultum Miſſæque ſacrificium docuit. Teſtantur Pariſienſes Antiquitatum Annales, in quibus ſcripto relinquitur, quomodo beatus Dionyſius Areopagita Athenienſis Pauli Apoſtoli diſcipulus, ad Gallias miſſus à beato Clemente ſummo Pontifice, venerit Pariſios; vbique prædicans Euangelium, & auertens populum ab idolorum, & præſertim Mercurij cultura; ad Chriſtum verum Deum conuerterit.* Ita ille eximius Doctor ſacrificium Redemptoris contra furentes hæreticos defendit auctoritate S. Dionyſij Areopagitæ, quem docuiſſe Pariſienſes ritum diuinæ Liturgiæ euidentiſſimum eſſe probat, ex Epiſcopalibus tabulis, ſacris diptychis, antiquitatis vrbicæ annalibus, & perſpicuis rei geſtæ veſtigiis.

§. 10.

Anno 1563.

CLAVDIVS ESPENCÆVS Pariſienſis Theologus præſtantiſſimus, cuius proprium elogium inferiùs loco proprio conſignabitur, eo ſcilicet ſitu & ordine, quo inter myſticos Galliæ ſcriptores ſuo iure & titulo recenſetur: præclarè identitatem, quam vindicamus Apoſtolici Dionyſij, cum Pariſienſi ſua ſyngrapha obſignauit. Sic enim ſcribit comment. ad Timoth. titulo 25. cuius prænotatio eſt. *Primi Galliarum Apoſtoli.* Septimo Idus Octobris *Pariſiis Dionyſius Epiſcopus, Ruſticus Presbyter* * *Eleutherius Diaconus à Clemente I. Româ huc miſſi; & iiſdem mittentibus, Nicaſius, Quirinus & Pientia in pago Vulcaſſino paſſi 5. Idus Octobris coluntur: & 3. Idus Auguſti Taurinus à Dionyſio Epiſcopus Ebroicenſis deſtinatus.* Nec ex aliena ſententia hoc recitauit Eſpencæus, vel eidem haud aduertenti id excidit: nam ſub oram huius tituli Gregorium Turonenſem ſuo iudicio redarguit, qui contra patentem Eccleſiarum conſpirationem, Dionyſium alióſque eius ſynchronos Apoſtolicos viros, ad poſteriorem longè epocham ablegauit. *Cùm ergo hìs Galliarum colligendis Apoſtolis, Martyrologia inter ruſticandum hoc Septembri anno 1563. legeremus, & hiſtorias Francorum Gregorij Turonenſis relegeremus, non ſine admiratione comperimus tantum virum (indubiè memoriæ lapſu) aliquot ex ſuperioribus poſteriores fuiſſe arbi-*

* Error irrepſit in editionem Eſpencæi vbi inuerſo ordine, typographus impreſſit *Eleutherius Presbyter, Ruſticus Diaconus.*

tratum, ſcilicet lib. 1. cap. 30. Cuius dictum de Dionyſio, adlectíſque ſibi à Gregorio ſymmyſtis, ſub Decio conſtare non poſſe concludit: niſi fortè quis dixerit *poſteriores*, quos Gregorius numerat, *tanto anterioribus fuiſſe cognomines.* At hoc hactenus inauditum, & penitus teſtimoniis venerandæ antiquitatis aduerſum. Dionyſium enim & ſymmyſtas *primos Galliæ noſtræ fuiſſe Apoſtolos* (ait citatus ibidem ab Eſpencæo, Petrus Venerabilis, ſtylum acuens contra Petrobruſſianos lib. 1. epiſt. 2. in fine) *teſtatur antiquitas, & nobis à Sanctis viris relictæ tradunt hiſtoriæ. Nec nos ſolùm, ſed omnes populi Chriſtiani, puſilli cum maioribus, ſenes cum iunioribus, certiſſimè tenent.* Hæc ante annos 500. affirmabat conſtanter ex veritatis ſuffragio Petrus ille Venerabilis, cui ideo doctiſſimus Eſpencæus, ſponte adſtipulatur.

§. II.

ARNOLDVS MERMANNIVS Aloſtanus anno 1572. Antuerpiæ è prælo Plantiniano emiſit commentariolum mole tenuem at grauem eruditione, inſcriptum *Theatrum conuerſionis gentium totius orbis*, ſiue, *Chronologia de vocatione omnium populorum*: vbi ſic habet de noſtro Dionyſio pag. 46. *Et quidem in Gallia, Græcis Galatia à lacteo gentis colore dicta* (γάλα enim Græcis, *Latinis* Lac *ſignificat*) *quæ nunc à Theutonum genere Francia appellatur, prædicatum fuit Euangelium per varios* An. 1572.

compluréſque Apoſtolos, &c. *Lutetiæ Pariſiorum per Dionyſium Areopagitam Athenienſium Epiſcopum S. Pauli auditorem, Eleutherium*, &c. *& Ruſticum*, &c. *à ſancto Clemente Rom. Pont. Max. illuc deſtinatos, anno & quod excurrit 90. Traiano Principe*, &c. *Nicephorus Call. refert Dionyſium, reſectum ſuum caput ad duo paſſuum millia manibus tuliſſe, & occurrenti fortè matronæ cuidam, velut depoſitum tradidiſſe & commendauiſſe.lib. 2. cap. 20.*

§. 12.

Anno 1580. IOANNES MOLANVS Theologus Louanienſis, Martyrologij Vſuardi percelebris inſtaurator, auctórque inſignium plurimorum tractatuum qui in Bibliotheca Belgica recenſentur

Obiit 1585. (vbi meritò nuncupatur *vir cùm in omni hiſtoriarum genere, tum in ſacra potiſſimum verſatus*: quod ſatis opuſcula eius teſtantur:) vnum eundémque eſſe Areopagitam Dionyſium cum Pariſienſi, & verè cenſuit, & apertè indicauit. Nam cùm Vſuardi Martyrologium ad amuſſim expenderet, Græcorum more celebrem quidem natalem eius notauit 3. Octobris. At cognomini Areopagitæ, quod alio charactere ſignauit, vt innueret non legi in authenticis exemplaribus, notulam illam addidit ¶. quam in epiſtola ad lectorem nu. 12. dicit ſignificare, *eouſque in omnibus Eccleſiis legi poſſe. Illa enim quæ ſequuntur notam* ¶, &c. *non eſt neceſſe paſſim per Eccleſias legi. Scilicet quia feſta ſunt quibuſ-*

quibuſdam Eccleſiis propria. Sicut natalis ille, qui ex Græcæ Eccleſiæ ritu moréque illic poſitus eſt. Quamobrem nullam ibi annotationem de ſancto Dionyſio Areopagita apposuit, quòd eundem cum Pariſienſi eſſe pro comperto haberet. At die 9. Octobris, quo Pariſiis beatus ipſe Dionyſius paſſus colitur, plenam ſubtexuit de præconiis, ac panegeriſtis ſancti Dionyſij Areopagitæ, Lutetiæ vtique illa die, cum ſociis laureati annotationem: in qua nominatim laudat Areopagitica Hilduini vtroque ſtylo conſcripta. Ceterùm Molanus alibi iterum mentem ſuam circa hanc identitatem perſpicuè declarauit, nimirum lib. 3. *de Sanctorum imaginum & picturarum vero vſu cap.* 44. Cuius prænotatio eſt. *Cur Dionyſius Areopagita caput manu geſtat?* Quo ſub titulo ita diſſerit. *Paucis intercurrentibus diebus occurrit natalis Dionyſij Areopagitæ Pariſiorum primi Epiſcopi, qui pingitur caput ſuum manibus portans. Nam ad declaranda Martyris & Galliarum primi Sacerdotis merita glorioſa beatiſsimi Dionyſij ſe cadauer erexit, ſanctáque manu caput dolabrâ lictoris truncatum, Angelico ductu greſſum regente, & luce cæleſti circumfulgente, pendulis cæpit brachiis vectitare. Et facta eſt comes multitudo cæleſtis exercitus examini eius corporis, caput proprium, ab ipſo monte, vbi fuerat decollatus, per duo ferè milliaria deportantis, vſque ad locum, in quo nunc Dei diſpoſitione, & ſua electione requieſcit humatum. Hactenus Hilduinus Abbas ſancti Dionyſij, qui Martyrium eius, annis abhinc plus mi-*

*nus octingentis ad Ludouicum Imperatorē grauiter conſcripſit, & ex vetuſtiſsimis auctoribus fideliter collegit, potiſsimum tamen ex conſcriptione Viſbij, qui fuit oculatus martyrij teſtis. Et hæc geſtatio capitis, tam celebriter nota fuit in Gallia, vt Græci auctores eius quoque meminerint, veluti Simeon Metaphraſtes, & alius vetuſtus ſcriptor, à Perionio cum operibus ſancti Dionyſij tranſlatus**. Hunc acuminatum ſtylum ſtringit vir doctus contra Ioannem Oecolampadium hæreticum, qui picturam iſtam ſancti Dionyſij Areopagitæ in Eccleſia perantiquam, atque authenticam ſcurriliter deridebat, quem neruosè confutat ibidem. Porrò iudicium Molani in hiſtoriis Sanctorum egregiè periti, magni momenti eſſe debet, ex Baronij præſtantis Annaliſtæ Catholicæ Eccleſiæ ſententia: is enim ſic de illo & eius ſcriptis cenſet cap. 9. App. ad Martyrolog. Rom. *Tanti viri de Eccleſia Dei & veritate Catholica optimè meriti, nec breuem ſchedulam deperire æquanimiter patior: cui (dicam ingenuè) iſthæc omnia, hac ex parte accepta fero, quod in denſiſsimam ſyluam primus ipſe ingreſſus, mihi aliiſque aditum patefecit, quo etiam nomine, tum ego tum eruditi omnes, plurimum ei nos debere lubenter agnoſcimus & confitemur.*

* Cui cōſentit Nicephorus lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 20.

§. 13.

Anno 1580.

STEPHANVS LVSIGNANVS ex Regio Cypri ſanguine, aſceta Dominicanus, ac ſacræ

Theologiæ Lector, in libello edito, cui titulus eſt, *Catalogus virorum illuſtrium veteris & noui Teſtamenti*, pag. 25. vbi ſeriem profert præcipuorum diſcipulorum Pauli Apoſtoli, quarto loco Dionyſium noſtrum aſſignat, hac cum epigraphe. *Dionyſius Areopagita Epiſcopus Athenarum, deinde Lutetiæ Pariſiorum.* & pag. 67. quâ Eccleſiæ Pariſienſis cenſus ſacros deſcribit, Eccleſiæ illius Præſules inſcribit, *ſucceſſores ſancti Dionyſij Areopagitæ, D. Pauli Apoſtoli diſcipuli.* Quem primo conſignat loco, ea ſub deſignatione. *Sanctus Dionyſius factus Pariſienſis Epiſcopus à ſancto Clemente Papa, priùs enim fuerat Athenarum in Græcia Pontifex.* Ita ille.

§. 14.

GILBERTVS GENEBRARDVS Theologus quoque Pariſienſis perilluſtris, éxque profeſſore Regio Hebraicarum litterarum, Aquenſis in Phocenſi prouincia Archiepiſcopus, cuius infrà itidem proprium expprometur elogium, ea ſerie temporum, qua inter myſticos Galliæ Scriptores, magno ſanè ſplendore emicuit: eidem patrum de Dionyſio Attico & Gallico ſententiæ ſubſcripſit manifeſta adſtipulatione. Ita enim notauit *lib. 3. ſuæ Chronographiæ*, ſub Pontificatus S. Clementis primordio. *Dionyſius Areopagita Romam Athenis, vbi conſtitutus fuerat Epiſcopus, veniens, vt * Petrum (quem martyrio functum ignorabat)*

Anno 1584. Quo anno ſuam Chronographiã, Arnoldo Põtaco Vaſatenſi Epiſcopo dedicauit.

* Paulum.

videret, in Galliam ad Pariſios, tandem Clementis ſuaſu proficiſcitur. Vtque pleniorem geſtorum eius Lutetiæ, lector hauriat notitiam, indicat perdoctus ille ſcriptor, Hilduini Areopagiticam collectionem, quam eo pacto certam & ſynceram perſpicuè iudicat. Idem verò illuſtriori teſtimonio inſinuat, cùm ex ſententia ipſius Dionyſij Areopagitæ, Galliarum Apoſtoli, diuinæ Liturgiæ ſacrificium, aduerſus Nouatores demonſtrat & defendit: libello enim, quem ea de re ſcripſit pereruditio, hoc programma præfixit*: *de ſancta Liturgia, ſeu Miſſa ſecundùm vſum & formam Apoſtolorum, & eorum diſcipuli ſancti* DIONYSII, *Apoſtoli Francorum.*

*Poſſeuinus hunc tractatum non cum ceteris operibus Genebrardi annumerauit, fortè quia non vidit. Gallicè enim compoſitus fuit ab auctore, quo ſpecimine illum allegat Galtherus in Chronographia ſeculo 1. §. 23. pag. 37.

§. 15.

An. 1593.

HENRICVS MAGNVS Chriſtianiſſimus Francorum Rex, vindéxque inclytus Imperij Galliarum; qui & orbis vnicus ipſe arbiter, generis vtpote humani ſimul tremor atque deliciæ: ſancto Dionyſio Galliarum Apoſtolo, eodem iure ſe obſtrictum eſſe, quo illum diuino Paulo deuinctum nouerat, egregiè profeſſus eſt. Húc enim illuminationis ſuæ ſalutaris, ſecundùm Deum perſenſit auctorem: cuius tam efficacibus quàm opportunis ſuffragiis, ex deuio erroris tramite, in orthodoxæ fidei viam reductus: agnitæ veritatis Catholicæ publicam profeſſionem, ſub ipſius auſpiciis glorioſis, in ſacratiſſimo eius tem-

plo, Regum auito Mauſolæo, cælo ſolóque ſibi, de ſeipſo victori, applaudente; ſolenni ſponſione tamdiu deſiderata, feliciter demum emiſit. Quo die verò hoc æternæ dignum memoriæ, pium præclarúmque edidit facinus inuictiſſimus Rex; ſatis haud eſſe duxit ſe ſacra beati Areopagitæ, Pauli diſcipuli, Galliarum Apoſtoli limina, venerabũdum oſculari, eiúſque ſub clientela errorem eiurare, rectam fateri fidem, veniam reatus emereri, atque perpetuam polliceri auitæ pietatis, Apoſtolicæ videlicet doctrinæ & Catholicæ veritatis obſeruantiam. Tanta actione celebriter perſoluta: illico Montem Martyrum ſua ſtipatus nobilitate ſupplex conſcendit: vt quo loco B. ipſe Chriſtianæ fidei in Gallia parens, pro illius aſſertione cum inclytis comilitonibus occubuerat; eodem, ipſius fidei ſynceritatem iterum profiteretur, capútque ſalutis ſuæ ibi erigeret, vbi pro ſalutis æternæ aſtruendo præconio, ſacras ceruices ferali gladio, vertex ille Chriſtianiſſimæ Eccleſiæ Gallicanæ Dionyſius, Senator cæleſtis, ſuppoſuerat. Cuius etiam ibidem imploraret opem, ad pios fouendum, quos conceperat affectus; vbi pretioſum ſanguinem ille amore Chriſti gloriæ, & perennis Galliæ felicitatis, profuderat. Contigit autem hæc tam fauſta, quàm optata Galliæ populis (quin potiùs vniuerſo Chriſtiano orbi;) Henrici Magni, ad auitæ pietatis ſacra, conuerſio die 25. Iulij anno Chriſtianæ ſalutis 1593. Cúmque illo die Rex maxi-

nius optimúſque, in præcipuorum Galliæ Pontificũ manibus, Orthodoxæ fidei ſacramenta depoſuiſſet: eodem momento columbæ ſuprà templi Dionyſiani maiorem porticum viſæ ſunt volitantes, Angelorum ſeu trium Galliæ Apoſtolorum, illic quieſcentium indices, Regi auitam fidem amplectanti gratulantium, atquæ diuinæ adeo actioni benignis nutibus opitulantium: cuius tam ſpecioſi ſpectantibus conſpectus, quàm fortunati omni Galliæ auſpicij: arcana ediſſeruit, præconiáque celebrauit eleganti admodum enarratione Gabriel Lurbeus egregius iuriſperitus, auctor *Burdegalenſis Chronici*: ad cuius calcem illa relatio extat edita; ex qua ſelecta verba iſta, mihi digna viſa ſunt, quæ hic proprio (quo conſeruntur idiomate) propter genuinam myſterij expreſſionem, retexerentur. O. *Iournée du 25. Iuillet bien-heureuſe, memorable & neceſſaire! Les Anges s'en ſont éioüis, & nos nepueux s'en reſentiront à iamais; comme ayant par ce moyen la porte du ſalut de la France, été ouuerte. Auſſi eſt grandement conſiderable la dignité du lieu, où le voltigement deſdites colombes a été veu; ſçauoir eſt, ſur le ſainct & auguſte temple de ſainct Denys, domicile ſacré, où repoſent les premiers bien-heureux Apoſtres & Martyrs de la France; & les corps des Rois tres-Chreſtiens, qui ſont treſpaſſez en la loy de l'Egliſe. Action certainement digne du lieu, comme il a pleu à Dieu la conſtituer, étant par conſequent tres-raiſonnable que le menſonge & l'erreur fuſſent enſeuelis dehors par la profeſ-*

ſion ſolennelle de ſa Majeſté: & qu'auec l'innocence & pureté il entraſt dans ce Sanctuaire. Sub cuius verendo tecto quieſcit, poſt innumeras victorias & triumphos, Maximus ille Galliarum Auguſtus, feliciſſimus genitor LVDOVICI IVSTI Chriſtianiſſimi itidem Regis, nomine XIII. De cuius eximia quoque pietate, infrà loco proprio, ſpeciale elogium (occaſione ſolennis voti, ab eo nuper emiſſi deſumpta) fauentibus Superis, expromemus.

Sæculi 17. incipientis anno Domini 1600. & hinc excurrentis, Teſtimonia.

§. I.

CÆSAR Cardinalis * BARONIVS, Soranus; Martyrologij Romani abſolutiſſimus inſtaurator, conditórque perilluſtris ſacrorum Eccleſiæ Catholicæ Annalium: vtrobique identitatem Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi indubiam cenſuit, atque ipſam non modò ſplendidè profeſſus, ſed etiam ſtrenuè tutatus eſt: ſiquidem in Notis ad Martyrologium 7. Idus Octobris; vbi textum quem eruditiſſimis Notis confirmat, Bedæ & ceteris antiquis Latinis auctoribus congruere aſſerit: Græcíſque itidem, qui ſolùm in die natalis eiuſdem Martyris exequendi, differunt à Latinis. Inde ipſum identitatem probat perſolidè ipſorum ex Græcorum teſtimoniis,

* Creatus anno Christi 1596 5 Non. Iunij a Clemente VIII. in 2. Cardinalium creatione Obiit Prid. Kalend. Iulij anno 1607.

Galliæque intima conteſtatione & S. R. E. conſtanti adſtipulatione. QVÆ OMNIA MERITÒ (ait) PIÆ MENTI AD PERSVADENDVM, SATIS ESSE POSSVNT. Ceterùm in Annalibus tom. 2. ad annum Chriſti 109. quemadmodum in notationibus ad Martyrologium pollicitus fuerat prolixius eadem de re diſertè, meridianáque luce clarius oſtendit atque probat pleriſque rationibus & auctoritatibus grauiſſimis ac efficaciſſimis in medium adductis, AREOPAGITAM DIONYSIVM non alium à Pariſienſi, ſed vnum cum ipſo eundémque prorſus exiſtimandum eſſe, ídque ex Orientalis cum Occidentali Eccleſia perpetuo conſenſu, inſignium auctorum patenti teſtificatione, atque communi fixáque eruditorum ſententia, perſpicuè inſinuat ac demonſtrat. Quod verò aliqui, ex temporis non ita perinde apud omnes æquè ſignata epocha, hiſtoriæ tam certæ, tam exploratæ de DIONYSII Athenienſis, demum conſummato Lutetiæ Pariſiorum agone, veritatem ipſam rei geſtæ in diſcrimen adducere conantur; iis bene candidéque reſpondet magnus ipſe Baronius, exilem temporis diſſonantiam, leuiuſculum eſſe mendum: neque ob vnum errorem vel alterum qui in vitas Sanctorum irrepſerit, cetera quæ remanent fide carere, pronunciandum eſſe. *Aliàs in magnum diſcrimen omnia Sanctorum acta* (ex quibus maiori parte hiſtoria Chriſtiana coaleſcit & conſtat) *fore inducenda, cum pene in omnibus aliquid*

notari

notari poſsit, quod corrigendum videatur: ſitque canonicarum tantummodo ſcripturarum prærogatiua ſingularis, vt in eis cuncta vera & inconcuſſa narrentur. Inde obiter at neruosè ſoluit aduerſariorum argumentum ex erraticis deductum calculis Gregorij Turonenſis: quæ inferiùs proprio loco magis accuratè expendimus atque diſcuſſimus Porrò quia Bedæ auctoritate etiam aduerſarij abutuntur petita ex edito eius Martyrologio quo diſtinctis diebus natalis notatur DIONYSII AREOPAGITÆ & Pariſienſis: araneâ telâ infirmiorem hanc obiectionem eſſe ex eo euincit, quòd in autographo Bedæ Romæ aſſeruato, vna tantùm die, vnicus tantùm Dionyſius aſſignetur. *Ceterùm* (inquit) *antiquiſsimum Bedæ Martyrologium quod extat apud nos ſcriptum, itidem & Romanum dictum, acceptum olim quod alibi diximus, ex reliquiis Monaſterij ſancti Cyriaci, vnum tantùm habet Dionyſium, Pariſienſem ſcilicet ſeptimo Idus Octobris. Vnde non à Beda poſita, ſed ad Bedam, ea de Dionyſio Areopagita addita eſſe oportuit, ex Græcorum videlicet Menologio. Nam eo die 3. Octobris iidem agunt de Areopagita.* Oſtendit ſubinde ſententiam illam, quòd vnus idémque ſit Dionyſius Areopagita cum Pariſienſi, Bedæ ipſius tempore, omnino certam & indubitatam extitiſſe: poſteáque nihilominus re iterum examinata, viſis atque recognitis antiquiſſimis tam Græcorum quàm Latinorum monimentis, omnium eruditorum calculo firmatam fuiſſe ſen-

tentiam, vnum eundémque eſſe Dionyſium A-reopagitam cum Dionyſio Pariſienſi Epiſcopo. Non eſt igitur illa *vulgi*, vt imperitè vel potiùs inuerecundè ſcribit paſſim Boſquetus, illa opinatio, ſed explorata conſtánſq. ſententia ERVDITORVM OMNIVM Baronio iudice, cuius vnius auctoritas, tanta æquo cuique æſtimatori eſſe debet, vt ipſo iudicante, mille illam Boſquetorum agminibus anteferendam non dubitem. Nemo ſiquidem ſapiens ſolius vulgi illam putauerit eſſe perſuaſionem, quam tanti viri ſuffragio obſignatam videt, quin & ipſomet veridico teſte, omnium inſuper eruditorum calculis confirmatam. Quibus etiam ſuo iure venit meritò adſcribendus Reuerendiſſimus Dominus Henricus Spōdanus Epiſcopus Apamienſis perilluſtris; laudatiſſimúſq. Annalium Magni ipſius Baronij Abbreuiator, immò continuator, auctórque eruditiſſimus aliorum nobiliſſimorum operum: cuius cōſtans ea de re cum ipſo Baronio aſſeueratio, concórſque ſententia, nemini litterato ignota eſſe poteſt: nec parui momenti, propter inſignem ipſius auctoris eruditionem ac celebritatem, eſt à quoquam prudente facienda.

§. 2.

ROBERTVS Cardinalis * BELLARMINVS, præclariſſimus hæreſeωn huius æui debellator, & acerrimus fidei Catholicæ vindex, Baro-

* Creatus ab eodem Pontifice Clemēte VIII. in 4. Cardinalium

nio adſtipulator (cuius amiciſſimus fuit collega) hîc propria ſponte accedet, *à quo* (inquit, lib. de ſcript. Eccleſ. in Beda) *viro doctiſsimo & optimo, & mihi cùm viueret coniunctiſsimo, non poſſum niſi valde ægrè diſſentire.* Vnde ipſius placita paſſim amplectitur, veſtigiáque inſequitur, non ſolo quidem affectu amicitiæ, ſed iuſta potiùs æſtimatione raræ tanti viri eruditionis, immò magis conſpicuæ in eius dictis veritatis intuitu. Conſentit igitur illi in identitate aſſerenda Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi: quam quia ab illo accuratè demonſtratam & probatam iudicauit, ideo & ratam habuit, & conſtantem retinuit. Quamobrem in libro præſignato *de Eccleſ. Scriptorib.* dum Hilduinum recenſet, ob Areopagitica ab illo iuſſu Ludouici pij edita, ipſamet quidem admittit quo ad hiſtoriæ ſubſtantiam; vt certa & veritati conſentanea. Sed ſola in epocha temporis, quo paſſum Pariſiis Dionyſium Areopagitam Hilduinus innuit, ipſum emendandum arbitratur. *Quod enim in extremo libro Hilduinus ſcribit, paſſum eſſe Dionyſium anno Domitiani 16. non caret dubitatione*, &c. Inductáque illius elenchi ratione, demum concludit. *Itaque neceſſe eſſe videtur, vt ſanctus Dionyſius, non ſub Domitiano, ſed ſub Traiano, vel Hadriano*, &c. *obierit.* Quæ eſt Baronij (quem in hiſtoricis paſſim ſequitur) ſententia manifeſta. Hanc igitur Bellarminus ipſe, vt veram amplexatur: quin & Hilduini ipſa recipit Areopagitica, vt in reipſa quam ille narrat

creatione die 5. Martij 1598. Obiit die 17. Septẽbris anno Sal. 1621.

ac aſſerit, vera omnino & comperta. Exceptio enim ipſa * *firmat ius in ceteris*, & quæ intacta relinquit, inconcuſſa ſupponit. Ideóque Bellarminus hac contentus leui animaduerſione, auctoris honorificè meminit, & ſcripta eiuſdem ſyncera iudicat, dum ad illa remittit. Ita enim proloquitur. *Hilduinus Abbas ſancti Dionyſij, petente Imperatore Ludouico pio, ſcripſit Areopagitica quæ extant, cum epiſtolis præfixis Ludouici ad Hilduinum & Hilduini ad Imperatorem. Reperiuntur hæc apud Surium tom. 5. die 9. Octobris.* Ita purè cenſuit, de Hilduini pia doctáque lucubratione, vindiciis ſcilicet Areopagiticis ſolertiſſimus cenſor Bellarminus, in ipſo Scriptorum Eccleſiaſticorum catalogo, quo omnes illorum numerabat apices, notabátque eorumdem næuos, etiam exiliores. Grauiores igitur errores nunquam prętermiſiſſet. Nec enim rata habuiſſet Hilduini Areopagitica in rei ſumma & ſerie, ſi illum exiſtimaſſet falsò, Areopagiticam dignitatem, Pariſienſi Dionyſio tribuiſſe. In hoc ſiquidem fundamento, omnis cardo rei vertebatur. Sed hunc immotum reliquit, ideóque & fixum & inconcuſſibilem ipſum exiſtimauit.

* Cap. *Innoſtra* de ſepult. & gloſ. *deinde* in Clemen. *Exiui* §. *deinde* de verb. ſignific.

§. 3.

I hæbe, peragrato tandem viſurus in orbe
Quem poßis proferre parem, da lumina cælo,
Sufficit hic terris.

Apoll. Sidon. Carm 7.

ARMANDVS nempe Eminentiſſimus CARDINALIS*, & Dux de RICHELIEV, Heros ille incomparabilis, in cuius anima virtutum omnium, in vita negotiorum, in ingenio doctrinarum orbem conſpicimus. Cuius immortale nomen ſiue animis, ſiue marmoribus, vel codicibus inſcriptum, ipſi hoſtes ſuſpiciunt, æmuli laudant, omnes venerantur. Sed quem adhuc viuentem, vigentémque & grandi paſſu in res magnas progredientem, intueri quidem licet atque mirari: ceterùm eius laudes contexere, iam nunc non eſt animus; nimis enim auguſtæ ſunt, vt tam anguſto verborum gyro concludi poſſint. Omnia certè poſtera temporum ſpatia, ampliſſimis clariſſimíſque hiſtoriarum monimentis poſt ſe relinquent, quantâ ſapientiâ Gallicum orbem ſub LVDOVICO IVSTO, PIO, VICTORE, TRIVMPHATORE, GALLIARVM AVGVSTO, cui tam fortunatis auſpiciis multis abhinc annis aſpirat, inclytus ille Heros temperauerit, conſiliis promouerit, exornârit geſtis, oraculis firmauerit, miraculis illuſtrârit. Nec regnum modò Chriſtianiſſimum, ſed orbis quoque vniuerſus ſublimia hæc

* Creatus à Gregorio PP. XV. in 4. Cardinalium creatione celebrata die 5. Septembris, anno ſalut. 1622.

eius præconia, æternùm celebrabit. Inſuper Catholica Chriſti Eccleſia, quæ inter ſuos ineluctabiles cardines, illum iamiá fortunato delectu cooptauit, robur eius opémque in arduis queíſque occaſionibus opportunè adepta ac experta, ſibimet affatim ſempérque gratulabitur, quod tanti columinis innixa firmitudine, aduerſos quoſque caſus & impetus, tam fortiter quàm feliciter propulſârit; ſuámque contra impios inuaſorum ambitus libertatem conſeruârit, dignitatémque tanti opitulatoris auxiliis ſuffulta, ſpretîs hoſtium ſuæ fidei efferatis odiis, ſuperatíſque inſultibus, ſartam, tectam illibatámque hactenus retinuerit. Hic enim maximus omnium, quos vſquam habuit, Cardinalis, vtriſque pollens mentis manúſque viribus; & Regiæ potentiæ præſidiis illam vndequaque defendit, & doctrinæ ac cæleſtis ſapientiæ (quâ ad miraculum vſque promicat ac præcellit) ſubſidiis, dogmata orthodoxæ fidei ſacroſancta, aduerſus ſegregum exitialia deliria, magiſtrorúmq. erroris paradoxa nefanda, tam ſtrenuè propugnauit, quàm auſpicatò aſſeruit.

Enimuerò aliquot ab hinc effluxêre anni, cũ quatuor Nouatorũ ſectæ anteſignani Miniſtri, auitã religionem, id eſt, Apoſtolicam Patrum fidem, exitioſo, propudioſóque ſcripto, conglobatim inſectari aggreſſi, ſuam virulentam criminationem, Chriſtianiſſimo Regi auſu ſtupendo inſcripſerunt. Tantam audaciam, tam portentoſum facinus, quod in veræ religionis perniciem tende-

bat, impatienter tulit noſter hic Alcides. Regis, Regni, & quod ſummum eſt religionis, curare tueríque ſalutem & incolumitatem, quam ſemper præcordiis altæ inſitam geſſit, mox vt ſui muneris eſſe partes cenſuit, continuò præſtitit. Concuſſit igitur in illos Catholicæ pietatis hoſtes, diuinos cæleſtis ſui animi motus, euoluit arcanas immenſi pectoris dotes, deſcendit in abditos grauidæ mentis receſſus; támque ſublimi animo, quàm acuto calamo, aculeatóque ſtylo illorum librum confutauit. Et breui quidem reſſponſo: at mirum in modum accurato, erudito, nitenti, perurgenti. Eo nimirum tractandi genere conſerto, quo controuerſias omnes compendio mirabili complexus, diremit, & non modò miniſtrorum ſcriptum vndequaque profligauit: ſed omnes ſimul hæreſis moles ac molitiones, ſus déque concuſſas, vno dexteræ præpotentis impetu confregit atque ſubvertit.

Ceterùm in illo perilluſtri ac auſpicatiſſimo tractatu polymico, PRÆCELSVS IPSE CARDINALIS Apoſtoli Galliæ gloriam quã tuemur tam patriæ; amore quàm iuſtitiæ debito, & veritatis cultu: magnifico aſſeruit præconio. Enimuero DIONYSIVM AREOPAGITAM, NOSTRVM, hoc eſt Galliæ APOSTOLVM diſertè pronunciauit, cap. 6. ſect. 3.*pag. 133. lin. 14. & 15. Hoc igitur ſupremo iudice egregiè in præſenti pugna, de aduerſariorum pertinacia triumphamus: quod enim negant, ille affirmat, & quod decus DIONYSIO no-

*Libri prænotati. *Les principaux points de la foy de l'Egliſe Catholique, defendus contre l'eſcrit adreſſé au Roy par les quatre Miniſtres de Charanton*, 1617. Ita enim legimus loco ſignato. *Mais quel lieu pourroit-il y auoir de reuoquer en doute ceſte denomination puis que les anciennes Liturgies de S. Baſile, & de S. Chryſoſtome en font mention; que ſainct Denys Areopagite noſtre Apoſtre fait le meſme, &c.*

ſtro ex patrum fide vindicamus ipſe inuiolabili ſuo decreto, hoc eſt ſacroſancto oraculo, eidem adiudicat. Eſt igitur quòd nobis tanto ſub duce auſpicéque certantibus, feliciſſimæ victoriæ trophæum demum fuiſſe collatum, nonnihil gloriemur. Qui certè dum tantum Cardinalem Gallia vocat atque colit imperij ſui ſingulare lumen ac columen, Roma ſacræ purpuræ miratur decus, Eccleſia præclariſſimum ſuſpicit ſidus; Regnum Ducem ſuum prædicat atque Parem: ſanctus etiam Dionyſius vindicem ſuum inuictiſſimum habet: nóſque ſententiæ quâ ei perinſignem Areopagitæ titulum & ius ſacrum Gallici Apoſtolatus aſtruimus, hunc eundem potentiſſimum ac auguſtiſſimum conſequimur protectorem.

§. 4.

Anno 1603. LVDOVICVS SERVIN Regis in ſupremo Galliarum Senatu Pariſiis Aduocatus, in Forenſi actione habita 27. Februarij anno 1603. ſuper Breuiarij Andegauenſis innouatione p. 27. Areopagiticas vindicias Hilduini, iuſſu Ludouici Pij editas, cum tota Apoſtolatus Gallici ſancti Dionyſij hiſtoria, à patribus accepta & tradita, non modò collaudauit, ſed cenſuit & monuit documenta illa maiorum manere debere apud Francos ſacroſancta & inuiolabilia. Sic enim effatur. *Ne ſeroit-ce pas remettre en doute ce que*

que nous croyons de ſainct Denys qui étoit Apôtre des Gaules ? & nous qui celebrons ſa fête par chacun an, ne ſerions nous point accuſables, ſi nous ne tenions pour vray ce qu'a écrit de luy l'Empereur Loüis le Debonnaire, en ſon epiſtre à l'Abbé Hildeuuin, pour faire vn recueil de toutes parts de la vie de ce glorieux Martyr, où il dit comme il s'enſuit. PROGENITORES NOSTRI, &c. Deinde nonnullis ex imperiali reſcripto retextis ſubiungit, tramitem ſuum repetendo idem D. Seruinus. *Voudrions-nous douter du martyre ſouffert par ce grand témoin de nôtre Seigneur, veu ce qu'en a écrit Visbius autre Martyr, qui l'a veu, qui l'a écrit, & a ſouffert pour la foy à ſon exemple? Si nous endurons que ces Saincts de nos Gaules ſoient ôtés de nôtre Kalendrier, quelque preuue que nous puiſſions auoir de Michaël Syngelus, de l'Eſchole Grecque, ordonnée par ce ſanct Apôtre de la France; quoy qu'en diſent les vieux liures, le priuilege de S. Landeric Euéque de Paris, octroyé à la priere du Roy Clouis, & les anciennes chartres; quoy qu'ait rapporté ce docte Hilduuein des anciens écrits,* velut ex prato non Pariſiaco, ſed Paradiſiaco? *quoy qu'en ait écrit Hincmarus Archeueſque de Reims, bref quoy que nous liſions dans nos hiſtoires que nos Rois pour cry de bataille auroient accouſtumé de dire :* SAINCT DENYS MONT-IOYE; *quoy qu'au lieu que nos premiers Celtes aloient aux ſepulchres des hommes vaillans, & y paſſoient les nuicts pour conſulter les Oracles, nous voyons que les predeceſſeus de nôtre Roy ont ordonné leur ſepulture pres des os de ce ſainct Martyr, pour*

Hhhhh

attendre la reſurrection prés des os de ſon corps, & aupres de ceux de ſes compagnons? à la fin on nous en ſera perdre la memoire? Ita ille ſtrenuus facundúſque admodum vindex iuſtitiæ, pro auitæ pietatis tutela ac obſeruantia, grauiter atque doctè in ipſo tribunali iuſtitiæ, nimirum in auguſtiſſimi Galliæ Senatus conſpectu, diſſerebat; quibus dictis & rationibus illos, qui contra Patrum traditionem ſentiunt ac litigant de noſtro Apoſtolo Dionyſio, duplici piaculo obnoxios non obſcurè prodit; poſtulabat etenim eoſdem temeratæ ſimul pietatis atque Maieſtatis, ob violatam Apoſtoli Galliæ dignitatem, Regum temeratam auctoritatem & reuerentiam, Regníque Chriſtianiſſimi impetitam religionem, atque propudioſo auſu, impugnatam poſt tot ſæculorum continua teſtimonia, atque iudicia manifeſtiſſima; præcipuam, quæ ex titulis ſacroſanctis noſtri Areopagitæ oritur, iiſdémque innititur, gloriam & honorem.

§. 5.

Obiit anno 1611. ætatis ſuæ 67.

PAPIRIVS MASSONVS, Foreſius, in Senatu Pariſienſi & Regia Aduocatus, vir peracris iudicij, ac exquiſitæ doctrinæ, Galliæ Apoſtolum Dionyſium Apoſtolicis temporibus floruiſſe, in ſua *fluminum Galliæ deſcriptione* ſub Sequanæ titulo pag. 254. certò aſſeuerauit ex vita eiuſdem Dionyſij Græcè ſcripta, & Venetiis pridem excuſa, quam ſeſe legiſſe inſinuat. Vbi & inclyti illius

Martyris caput reciſum manibus propriis ad locum vſque diuinitus delectum deportantis, triũphum celebrat magnificum, egregiis præconiis. Porrò ibidem vitam ſancti Eugenij Toletani protomyſtæ, ſancti Dionyſij Areopagitæ diſcipuli in agro Pariſiaco interempti, laudat, ac ex parte recitat. Ceterùm idem lib. 1. *Annalium de rebus geſtis Regum Francorum* ex instituto de vita & morte Dionyſij noſtri diſſerit, quem ipſum Areopagitam eſſe non tantùm ex Liſbij * relatione, ſed ex Methodij, Suidæ, Michaëlis Syngeli, Anaſtaſiíque, & Hincmari teſtimoniis ſubindicat. Variíſque ſupputationibus commemoratis de propria temporis nota, quo Dionyſius ipſe Martyris nomen ſibi ſanguine ſuo peperit: concludit demum, Theologorum (quorum pleroſque ſuprà audiuimus) ſententiæ acquieſcendum eſſe. *Horum enim in rebus ſacris* (ita litteris maiuſculis ſuum exarat ſenſum) *iudicio, ſtare oportere*. Subnectit cõtinuò Dagobertum, TEMPLVM SVVM DIONYSIO AREOPAGITÆ DICASSE. Vt videas talem creditum Apoſtolum Galliæ diu ante Hilduini Areopagitica conſcripta: quæ doctiſſimus ipſe cenſor Maſſonus adeo probat, vt etiam probanda à quibuſque doctis, non dubitet aſſerere. *Qui libellus*, inquit, *propter variam eruditionem poteſt cuiuis docto placere*. Ita eruditiſſimus ille iuriſperitus ac hiſtoricus Galliæ, pro vindice Dionyſij Apoſtoli noſtri Hilduino, pronunciabat.

* Viſbij.

§. 6.

Anno 1601. NICOLAVS OVDAERT Bruxellenſis Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis Canonicus, & ſacer iuridicus, in Ephemeride Eccleſiaſtica, ſeu Faſtorum ſacrorum compendio, quod Antuerpiæ ex officina Plantiniana anno 1601. publicauit: menſe Octobri die 9. quâ ſancti Dionyſij & ſociorum eius celebris occurrit natalis, eiuſdem dum canit tam graui, quàm breui epigrammate epinicium, Areopagitam illum eumdémque Galliarum Apoſtolum (quemadmodum ſemper hactenus in Eccleſia creditum eſt) palam enuntiauit. Ita enim de eo prædicat, in illo quod ipſi ſymmyſtíſque eiuſdem glorioſis, appendit carmine triumphali.

Naturæ patitur Deus, ipſa aut machina mundi
Soluitur, antiquum rurſus adéſtque chaos,
Exclamat pleno Dionyſius orbe Dianæ
In tenebris vidit Phœbi vt abire iubar.
Poſtea ſed Paulus, dum inſcriptas explicat aras
Ignotúſque Deus, quis ſit & vnde, docet;
Miraculum explanat: Chriſtúmque annuntiat vna
Tam bona depereat, nec ſinit hora ſibi.
Atque ita tantus erat, qui Pago Martis Athenis
Fit Chriſti, & Chriſto Gallica regna parit.
Fert ſuum vbi ipſe caput, demptum ceruice, ſodales
Ruſticus occiſi, quando & Eleutherius.

§ 7.

IACOBVS GALTHERVS Societatis IESV Preſbyter, primùm Profeſſor Philoſophiæ Turnoni, deinde Theologiæ & linguæ Hebraïcæ Lugduni, auctórque percelebris *Tabulæ Chronographicæ de ſtatu Chriſtianiſmi, à Chriſti natiuitate ad annum vſque eiuſdem Domini* 1608. Sæculo primo in columna ſacrorum Scriptorum, vbi ſanctum Dionyſium Areopagitam collocat, eundem primum Athenarum fuiſſe Antiſtitem, demum autem Pariſiorum nitidè annotat: ſic enim eius vitæ periodos contractè depingit, initiúmque cum medio & fine geſtorum eius connectens, breuibus at certis indiciis, omnem refert actorum eius inſigniorum ſeriem. Anno 1609. [a] *Sanctus Dionyſius Areopagita primus Athenienſis, deinde Pariſienſis Epiſcopus. Martyrolog. Rom. 9. Octob. Baronius ibidem, vbi multos citat, & anno 95. num. 7. & anno 109. num. 38. & ſeq. conuerſus fuit Athenis à ſancto Paulo, Act. 17. anno 52. Cuius ad Chriſti fidem acceſsio nonnihil præparata fuit per illam Ecclipſim mirabilem, quam Heliopoli in Ægypto cum Apollophane Philoſopho conſpexerat, eodem temporis momento, quo* IESVS CHRISTVS *cruci affixus extrema pro nobis patiebatur. Dionyſ. Epiſt. ad Polycarp. Baron. anno 34. num. 120. 121. & annot. 52. num. 11. & 12. Tranſmiſſus fuit Luteriam Pariſiorum à ſancto Clemente. Baronius anno 95. num. 7. & Martyrio affectus eſt cum ſanctis Ru-*

[a] Ita ex patrio idiomate Gallico, Latinâ phraſi ad verbum expreſſimus.

ſtico & Eleutherio, nouiſsimis ſub Traiani temporibus, vel auſpicante Imperium Hadriano, &c. Hæc ille diligens Eccleſiaſticæ hiſtoriæ inueſtigator, atque accuratus rerum temporúmque obſeruator. Cui nequit Boſquetus ignorantiæ labem inurere, niſi cum patenti propriæ exiſtimationis detrimento. Is enim fuit Galtherus, qui laudem ab Henrico Magno publicam perennémque, ob exaratas ſacras illas tabulas promeruerit, à quo Regios apices perennis commendationis tam ſpectabilis operæ; cum primùm prodiit in lucem eius opus, maximo ipſimet Principi dicatum, conſequutus eſt. Porrò non modò Regis tanti præconio, ſed omnium quoque eruditorum applauſu, hinc Galtherus ſublimem percepit gloriam, qui illam eius chronographiam publicæ editam vtilitati, & gratiſſimi aſpectibus contuiti, & ſummis elogiis proſecuti ſunt. Nec eſt quod Boſquetus hîc excipiat, Galtherum identitatem, quam indicat ſancti Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi à Baronio didiciſſe: cuius nomen vnaquaque notatione indigitat. Hoc enim nihil aliud dicere eſt, quàm Galtherum virum peritiſſimum ſacræ antiquitatis Baronio conſenſiſſe, eiúſque complexum ſententiam, quam animaduertebat ſagaci iudicio, certam ac probatiſſimam eſſe.

§. 8.

De crypta Montis Martyrum.

ANNO partæ ſalutis 1611. die 13. Iulij, cùm in declíuo Montis Martyrum, vbi S. Dionyſius cum ſociis glorioſam mortem paſſus eſt, ad Capellæ nimis anguſtæ aliquam faciendam accretionem, iuſſu venerabilis Abbatiſſæ Mariæ de Beauuillier, foderetur: refert Binetus in vita Apoſtolica ſancti Dionyſij Areopagitæ Apoſtoli Galliarum cap. 10. inter excauandum apparuiſſe ſpecum ſub rupe, ſeu Cryptam veterrimam, priſcorum Chriſtianorum latibulum, vbi ſacros ritus myſteriáque ſua naſcente adhuc religione pij ſecreto peragebant, athletáſque in pugna fidei coronatos ritu Chriſtiano funerabant: ſicut Romæ in catacumbis Martyres, furentibus perſecutionum procellis, à fidelibus clam ſepeliebantur. Quo in antro ara quædam, ſeu altare de lapide admodum rudi, nec ferro nec alio inſtrumento dolato vel polito, ad partem ſpeluncæ dextram, quæ ſolem Orientem conſpicit, repertum eſt, viſæque in eo crucis figuræ ſparſim inſculptæ, necnon peruetuſti in cryptæ lateribus ſignati characteres, tantæ caducitatis, vt vix ad legendum poſſent dignoſci, præter hos pauculos apices: MART. CLEMIN*. DIO. qui ſoli ſuperererant conſpicui: nec dubium hæ litteræ à Protochriſtianis in rupe ad monimentum exa-

Anno 1611.

* *Clemen.* at exeſâ ex parte litterâ E; I pro E. ferè deletâ, iam inſpicientibus apparebat.

ratæ, MARTYRES, CLEMENTEM, DIONYSIVMQVE ab illo huc directum, commemorabant. Vtinam verò reliqua legi ſcriptura hîc quondam efformata potuiſſet, quæ plura ſanè magíſque expreſſa Apoſtolicæ illius miſſionis beati Dionyſij ſociorúmque eius nobis præſtitiſſet inſignia, clarioráque geſtorum eius veſtigia profectò expreſſiſſet. Attamen ſigna iſta quamuis exilia, Apoſtolicæ ætatis diuini noſtri didaſcali indicio ſunt, monimentóque itidem aduerſus ſegreges, & originis apud nos Euangelicæ religionis, atque antiquiſſimi ritus ſacrificij Chriſtiani, quod in illius montis viſceribus, vbi Dionyſius Apoſtolus Galliæ primus more Chriſtiano litauit: ipſéque cum miniſtris ſuis, ex ſacerdote victima Chriſti demum in eodem monte effectus immolatúſque, fidem ipſius Redemptoris (cuius gloriam crucis ſigna circumquaque impreſſa prodebant) fuſo ſacratiſſimo obſignauit cruore. Acervus igitur hic eſt perſpicuus, quem ante anno 1500. poſuit aduerſus eorum futuras nouitates ſanctus Dionyſius ſui teſtimonij: quóque illos interpellat, vt ad fidem, quam prædicauit, religionémque, quam hîc moriendo conſecrauit,
Eſa.51.1. tandem aliquando redeant, reſpiciántque *ad lapidem, vnde exciſi ſunt patres ſui*; quin & aras cum religione natas conſpiciant, crucíſque ſalutaris ſigni figuras, à primis Chriſti cultoribus exaratas honoratáſque ſpectent, atque eaſdem, ſi horum filij cenſeri velint, pio, vt illi præluxerunt

runt exemplo, venerentur. At verò de hac veterrima crypta eiúſque gradibus, ſitu, forma, atque repertis ibi Chriſtianæ antiquitatis inſigniis, beatíque Dionyſij ac ſymmyſtarum eius obſeruandis veſtigiis extat, iuridica relatio à Brulio ſuis in antiquitatibus vrbicis, ex autographo tranſcripta *lib. 4. pag. 1160. & ſeq.* Subindéque à Marrierio collectore hiſtoriæ Monaſterij regalis ſancti Martini de Campis, ſuperiore anno edita *lib. ibidem 4. pag. 320. ad 325.* ex quo venerando monimento etiam aduerſus negatores titulorum noſtri Apoſtoli arma corripimus. Cùm enim Clementem cum Dionyſio ſub eadem antiquiſſima inſcriptione conſignatum legimus, coniunctionis vtriuſque coætanei admonemur, argumentúmque hinc aſſumimns manifeſtum, Apoſtolicæ noſtri Euangelizatoris miſſionis & ætatis ac dignitatis. Cedant igitur, ſi non humanis ſuffragiis, quibus id ſuprà quàm opus ſit teſtatum præſtitimus: ſaltem apertis huius veritatis, quam tuemur, documentis, quæ ſaxa ſpecúſque, haud ſonoris quidem vocibus, at ita perſpicuis indiciis conteſtantur. Etenim hîc locum, illud Euangelicum, iure ſuum habet, *quòd ſi tacere voluerimus, lapides ipſi clamabunt*: non ſono quidem vocis, ſed euidentiâ facti. Luc.19.40.

§. 9.

Anno 1624. STEPHANVS BINET Societatis IESV Theologus inſignis, eiuſdémque nunc Prouincialis meritiſſimus in Prouincia Franciæ, vitam Apoſtolicam ſancti Dionyſij Areopagitæ deſcripſit elegantiſſimè, eo quo vt alter ſui æui Hilarius, Gallico attollitur cothurno: háncque præpotenti Principi GASTONI vnico Chriſtianiſſimi Regis LVDOVICI XIII. fratri, Aurelianorum Duci, tam grato, quàm debito munere dedicauit, Pariſiis editam apud Sebaſtianum Chapelet, anno ſalut. 1624. in cuius ferè veſtibulo ſupradicti Hieromartyris effigiem ex priſcis iconibus expreſſam, cum hac inſcriptione præfixit: *Sanctus Dionyſius, Pauli diſcipulus, Apoſtolus Galliarum, Regum patronus.* Cuius diuinè geſta, tam accuratè quàm nitidè, ſubinde delineauit: ſed martyrium Lutetiæ peractum præſertim graphicè adeo deſcripſit, vt quod de primitiuo eius exceptore dixerat pridem Hilduinus, hoc de auctore non immerito vſurpari poſſit. *Stylum ſcilicet eius ita compoſitum eſſe ad commouendum pium lectoris affectum, vt ab inſpectore ipſo tanti athletæ Martyrij, conſignatam litteris fuiſſe eius ſeriem, cuíque paginarum eius ſpectatori iure meritò videatur.* Ad calcem autem huius narrationis ſic litigantium circa notam temporis, quò diuinus noſter Heros cum inclytis ſymmyſtis ferro obtruncatus

victor occubuit, animos blandè demulcet, calculóſque diſſidentes placido monitù ſuo componit. *Mei*, inquit, *propoſiti non eſt hîc diſcutere, num annos Apoſtolus noſter 91. vel 100. aut 110. ſeu potiores, vel pauciores elegerit: nec itidem expendere num ſub Hadriano vel Traiano, aut etiam Domitiano glorioſum conſummârit agonem. Reuocare autem in dubium, an mortem opetierit Pariſiis, me neutiquam condeceret. Tametſi enim vniuerſus orbis hoc in dubio verſaretur, nos tamen qui Franci ſumus nullatenus ferre deberemus, vt quiſpiam vel leuiuſculæ hac de re hæſitationis ſemina, noſtram in cogitationem iniiceret. Ego equidem quæ ſcribo, deuotis dico Lectoribus non curioſis criticis, doctiſque illis indagatoribus, qui perpetuam impendendo operam ſupputandis imperiorum momentis, regnorúmque ſucceſſibus ac variis rerum euentibus, tantâ ſolertiâ, tantóque ardore, neſcio quam curioſitatem venantur, vt in apertum diſcrimen veritatem ipſam coniiciant, deuotionem verò diſputando etiam extinguant. Ceterùm ſibimet plerumque ex iis iurgiis, nil niſi populorum odia comparent ac lucrentur. At verò ſcire conducibilius reputo, pro quo Imperatore, ſancti noſtri certando interfecti ſunt, nimirum pro Rege gloriæ* IESV CHRISTO: *quàm ſub quo infelici Cæſare, illos carnifices trucidauêre. Securus etenim ſum de ipſa rei ſumma, videlicet quod qualicumque tempore, locóque, ac quouis modo ſanctus Dionyſius mortem perpeſſus fuerit, ipſe reuera fuit, eſt, eritque ſemper Apoſtolus noſter, Franciæque feliciſſimus tutelaris, qui vota noſtra precéſque Deo, ſuo potenti interuentu præ-*

ſentabit, nobiſque perpetim diuinæ bonitatis ſolatiá procurabit, nec per eum ſtabit vnquam, quin eximiis gratiæ largitionibus perfruamur. Ita ille diſſerit Scriptor percelebris, ſed longè nitidiori eloquio, facundiâ vtpote Gallica inimitabili, & ſtylo prorſus lacteo, inauratóque calamo, quo inſignia illa verba exarauit. Ex cuiuis vena peruberi ac longè ſuauiſſima, Litaniæ illæ piiſſimæ atque doctiſſimæ Latino inſtructæ ornatu emanârunt, ad oram vitæ ipſius beati Dionyſij Areopagitæ ſubtextæ: in quibus poſt ſupremæ Triadis adorationem, & beatiſſimæ Virginis Deiparæ, ac beatorum ſpirituum inuocationem; ſanctum Dionyſium iîs, inter potiora encomia, honorificis titulis compellat, atque deprecatur. *Sancte Dionyſi, Magne fidei noſtræ Apoſtole, illuſtriſsime Chriſti Martyr. Dilectiſsime Pauli Apoſtoli diſcipule. Collaborator Sanctorum Apoſtolorum. ſanctiſsimæ Trinitatis Theologe. Æmulator Angelorum. Apex Theologorum. Galliarum Magiſter. Pugil Chriſti inuictiſsime. Athenarum Epiſcope. Beatiſsime patrone Pariſienſium. Hierarcha Deifice. Doctor egregie, Deo plene. Aquila Paradiſi. Martyr Galliarum. Crucifixe cum crucifixo. Flagellis cæſe vt Apoſtoli. Decollate cum Paulo. Galliarum excubator. Arx Eccleſiæ Gallicanæ.* Sed iſtæ laudes, quamuis ſummæ, meritis, vt ſunt inclyti noſtri Apoſtoli prorſus impares, ſic longè minores piis laudatoris affectibus, qui B. Areopagitam non modò Galliæ œcumenicum legiſlatorem ſuſpicit, ſed & ſpecialem Societa-

tis IESV, ſub beatis illius auſpiciis fundatæ, opitulatorem veneratur. Quamobrem in obſecrationibus ad Deum ſub eius patrocinio fuſis, idem ſacrarum Litaniarum pius concinnator ſub finem, fauſtam illam initiationem commemorat, ita enim orat. *Vt Societatem* IESV *natam in loco horum Martyrum* (Dionyſij ſcilicet & ſociorum) *paſſionis, conſeruare per eorum ſacratiſſimas preces digneris*, &c. Ceterùm eiuſdem memorabilis primordij, hoc perſtat, cernitúrque in ſacello ſacratiſſimo Montis Martyrum, præclarum ac indelebile mnemoſynon.

D. O. M.

Siſte ſpectator, atque in hoc Martyrum ſepulchro, probati ordinis cunas lege. Societatis IESV *quæ ſanctum Ignatium Loyol. Patrem agnoſcit, Lutetiam Matrem, anno ſalut.* 1534. *Auguſti 15. hic nata eſt. Cùm Ignatius ipſe & ſocij, votis ſub ſacram ſynaxin religiosè conceptis, ſe Deo in perpetuum conſecrauit*, AD MAIOREM DEI GLORIAM.

Hanc autem Societatis IESV conſecrationem præfatus P. Binet piè ſapientérque apud ſe verſans, tam inſigni actioni, locum adeo celebrem ſanctúmque, non ſine diuino nutu delectum fuiſſe, meritò arbitratur. *Hic* (inquit, Gallico quidem, at certè non vulgari idiomate) *ſancto Ignatio & ſociis eius nouem, fortunatè*

conceſſum eſt, ſuam ſocietatem auſpicari: nimirum vt illic primùm Deo vota offerrent, vbi ſanctus Dionyſius, ſacrum caput deciſum, gratum fidei munus, Deo pridem obtulerat. Hîc primum hauſerunt Patres iſti, religionis ſpiritum, anno 1534. Hîc primum ipſimet perennémq. extrema quæque pro Chriſto patiendi conceperunt ardorem. Primam hic emiſerunt ſolennem profeſſionem ad pedes ſanctiſſimæ Virginis Dei genitricis, inter ſancti Dionyſij manus. Hîc ipſius ſancti Martyris gentilibus, cunctíſque Orientis populis, ea ſalutis ſubſidia referre ſpoponderunt, quibus magnus ille Heros, Galliæ vniuerſóque Occidenti, opem dudum ſalutiferam tulerat; & quemadmodum fidei ſolem ille ab Oriente in Occidentem deduxerat, ipſi viciſſim ſolem ab Occidente (vbi iamdudum prælucet vera fides) in Orientem reportarent; cúmque ſuo certo mortalis huius vitæ diſcrimine, auroram gratiæ & Euangelij pulchrum lumen iis terris refunderent, à quibus ante nonnulla ſæcula, procul receſſit. Iſthîc denique illi primi noſtræ Societatis patres ſeſe poſteróſque ſodales, CHRISTI IESV *perenni obſequio ſuauíque iugo mancipârunt, fauſtáque hîc inierunt ſacræ conteſſerationis fœdera, & prima poſuerunt ſub nomine* IESV, *ipſius Societatis cunabula. Quam tamen repentino volatu diuina prouidentia non permiſit auras Orientis inuadere: ſed ortus ſui ſuſcepto progreſſu, remotas dehinc illas regiones ſudore ac ſanguine profuſo, inundare gratiæ ſalutíſque vitalibus profluuiis: quin alterum orbem inſuper peragrando, Indos, Iaponios, imperuiáſque terras & auditu necdum cognitas gentes, Dei ſeruatoris feliciſſima agnitione imbueret.*

Mons ſanè Martyrum ſaluberrima hæc fluenta longè latéque effudit, hos flores ſpecioſos, vberéſque fructus Regia Pariſiorum Lutetia ſuo è ſolo produxit. Hæc illa ſanè propago fuit Dionyſij Galliarum Apoſtoli, illic proprio cruore purpurati, ſoboléſque generoſa ac nobilis. Cui idcirco glorioſo cæliti Societatis IESV patres, vt proprio parenti, ortum ſuum, & quidquid inde habent incrementi debent. Haud mirum igitur ſi certatim hactenus contenderunt illi palmas offerre virentes atque coronamenta, ſemper florida plectere; Areopagiticámque infulam ipſimet aſtruere, quam ſanctus illorum Patriarcha Ignatius vna cum eiuſdem Hieromartyris veri Galliæ Apoſtoli, & diuini orbis Doctoris, Pariſienſi victoriali laurea prima ſub eius auſpiciis emittendo vota, veneratus eſt; quámque ſcriptis egregiis præſtantiſſimi quíque, eiuſdémque Societatis proceres, ſtrenuè eidem inclyto Chriſti athletæ, Athenarum Pariſiorúmque protomyſtæ ſacratiſſimo, iure optimo vendicârunt, vnáque diuina etiam eiuſdem ſcripta propugnârunt vt germaniſſima. Qua de re videndæ ſunt Apologiæ diſertiſſimæ ac erudítiſſimæ Petri Lanſelij, Leonardi Leſſij, Martini Delrio, Petri Cotonij, & aliorum. At de ipſo Areopagitæ titulo, præfati Lanſelij potiſſimum eſt apologia conſulenda, cum tractatu Petri Halloix de eiuſdem ſancti Dionyſij Areopagitæ vita & operibus quæſtione I. * quam inſigni hac coronide abſoluit. *Sanè melius eſſet ſacras Dionyſij diſci-*

* Inſcripta: *An idem ſit Dionyſius Areopagita Pauli diſcipulus, qui & Epiſcopus Pariſienſis Francorũ Apoſtolus.* Hanc autem & accuratè expêdit, & concludit affirmatiuè.

plinas in honore ſuſcipere, atque in eis ipſis dies noctéſque proficere: quàm inquirendis contra hanc tam longo receptam interuallo ſententiam, inutilibus argumentis fruſtra tempus inſumere. Et quæſo (ſuos fortè aliquos orando monet) *ne locus detur illi querelæ;* FILII MATRIS MEÆ, PVGNAVERVNT CONTRA ME.

a Cant. 1. 6.

§. 10.

Anno 1616.

CLAVDIVS ROBERTVS Preſbyter Lingonenſis, vir integritate morum, doctrinæ vbertate, pietate ſingulari, raráque vtriuſque hiſtoriæ peritia, ac omnium panoplia ſcientiarum noſtra ætate perornatus: libri *Galliæ Chriſtianæ*, operis ſanè ingenti eruditione conſperſi, dignus immortalitate exarator, in Præſulum Pariſienſium Catalogo, aſſertorem ſeſe auitæ quam tutamus traditionis palam exhibuit. Hac enim ſacra in ſerie, ducem anteſignanúmque collocauit vrbicorum Antiſtitum ſanctum DIONYSIVM AREOPAGITAM, eiuſmodi ſub breui, at accurata prænotatione 1. *Sanctus Dionyſius Areopagita ex Athenienſi Epiſcopo miſſus in Galliam à ſancto Clemente Papa anno Chriſti 98. vbi feliciſsimè erigens ac dirigens Eccleſiam, Martyrio afficitur, anno ætatis circiter 110. ſalutis verò humanæ circiter 120. Imperio Traiani finiente, & Adriani incipiente, die 9 Octobris.* Quæ eadem fermè eſt quam infrà prodidimus temporum ſupputatio. At verò de reipſa doctiſſimus hic Chronohiſtoricus ita certus erat, vt poſt indicatos,

indicatos, pleroſque ſibi adſtipulantes illuſtriſſimos teſtes *, in neſcio quos nuperos antiquæ ſententiæ aduerſatores ita excandeſcat atque inuehatur. *Nec* (inquit) *illos moror, inſanabili quodam æſtu morbi affectos Eccleſiæ communi ſenſui altiori voce reclamanti negantes, quod vni Tacito, mendaciorum loquaciſſimo facile concederent.* Ita ille vir doctus ac grauis, qui rem totam attentè conſiderauerat atque perpenderat, ſagaciſſimo iudicio, de aduerſæ partis propugnatorum pertinacia, iure merito pronunciauit: intemeratus vtique iudex, de quo aptè veréque Guinetus cecinit.

Cyclopum nec tela timet, nam ſacra tuetur
Phœbigenam æterno laurus honore virum.

* In quibus potiori loco habẽdus eſt, periluſtris D. *Hieronymus Bignonius*, Regis in ſupremo Galliarum Senatu primarius Aduocatus, quem Robertus citat eidẽ ſententiæ adhærentem, in lib. Gallicè ſcripto, *de Excellentia Regum Franciæ.*

PLVRES admodũ potuiſſem hîc ſuffragatores nobis cõgerere, qui poſt Patres, iſta fermè noſtrâ ætate, hanc ſyngraphis ſententiam obſignârunt, v.g. Frãciſcum Belleforeſtium tom. 1. ſuæ Coſmographiæ. Philippum Ferrarium Alexandrinum, ordinis Seruitarum B.V. Mariæ Generalem, in ſua Topographia in Martyrologium Romanum, voce *Lutetia*, & *Pariſij*: vbi ex priſcis tabulis ſignat Pariſienſem Dionyſium, ipſum Areopagitam. Andream Querceranum, aliàs *du Cheſne*, Geographum Regium, Hiſtoriæ Gallicæ egregium collectorem, auctorémque pereruditum ac celebrem, multorum inſignium operum. Hic enim in lib. vulgari idiomate conſcripto, editóque Pariſiis anno 1624. ſub titulo Antiquitatum Vrbium, arcium, & locorum inſignium Franciæ cap. 5. pag.

34. notanter ſcribit ſanctum Dionyſium, quem Apoſtolum Gallia colit, natione fuiſſe Græcum, & ideo fundatam ab illo Pariſiis primam Eccleſiam, ſub inuocatione ſancti Stephani, fuiſſe Græcorum cognominatam. *Il baſtit & conſacra vn ſanctuaire* (dit-il) *en l'honneur de* DIEV *& du premier Martyr ſainct Eſtienne. Sanctuaire ſurnommé des Grecs, en memoire de ce que cét Eueſque auoit pris naiſſance en Grece.* * Adſcribere etiam huic veritatis teſtium catalogo potuiſſem optimo iure Antonium Poſſeuinum in Apparatu tomo prmo pag. 401. & 402. Arnoldum Wionium lib. 2. Ligni vitæ. Iacobum Brullium lib. 1. Antiquit. Pariſienſ. pag. 6. & 62. Odonem Geſſeum Societatis IESV Theologum in hiſtoria Dominæ noſtræ Anicienſis cap. 2. & in vita Martyrióque, &c. S. Saturnini Apoſtoli Toloſatium cap. 3. Dominicum à IESV Carmelitam diſcalceatum, in parænetica hiſtoria trium Apoſtolorum ſuperioris Aruerniæ c. 1. vbi primam Apoſtolorum Galliæ miſſionem vindicat, eóſque qui ætatem Apoſtolicam ſancti Dionyſij aliorúmque Franciæ protomyſtarum impugnant, accuratè refellit. Alios autem prætermittimus pleroſque breuitatis cauſa præſtantes, hac noſtrâ ætate auitæ traditionis à nobis aſſertæ, defenſores. Quorum anteſignamus iure aſſignandus erat Iacobus Dubletius Dionyſianus aſceta, atque ſenior Chartularius. *Is etenim vir, ſi quis alius* (vt de eo candidè ſcribit Petrus Halloix Societatis

* Idem in ſua ſummorum Pōtif hiſtor. ſub Stephano III. *Suiuant* (dit-il) *le commandement de ſon frere & predeceſſeur, Paul I. donna le nom de Monaſtere des SS. Mart, vs en* L'ESCHOLE DES GRECS, *en memoire & reuerence du precieux* DENYS, *& de ſes compagnons Martyrs, leſquels on* CROIOIT DES LORS ESTRE VENVS DE GRECE EN FRANCE, *& auoir conuerty les Pariſiens à la Foy.*

IESV Preſbyter eximius,& ipſe gloriæ ſancti noſtri Areopagitæ propugnator) *omnium quæ res S. Dionyſij res contingunt, diligentiſsimus fuit inueſtigator.* Sed quoniam paſſim citatur, propter illa quæ ex ſcriniis Dionyſiani cœnobij protulit à ſe deſcripta vetera monimenta, ideò ſuperfluum exiſtimauimus, ſpecialis titulo teſtimonij illum recenſere. Nonnullos autem alios tam veteres, quàm neotericos haud minoris famæ ſtrenuos aſſertores huius ſententiæ, in Commentariis noſtris ad Martyrologium Gallicanum die 9. Octobris, auxiliãte Chriſto per ſeriem cõnumerabimus, hîcq. iam recenſuiſſemus, ſed *tẽpus enarrãtem præteriiſſet*, liberq. noſter hic excreuiſſet in immenſum. Satius igitur duximus, hos intra cancellos nos cõſtringere, cùm ſatis ſupérque eſſe poſſint illa teſtimonia, quæ per ordinem temporum protulimus. Etenim hac in ſerie ab antiquis primíſque ſæculis ad noſtram vſque ætatem deducta, habet pius ſolérſque huius diſquiſitionis inſpector, quo deprehendat num illa, quam propugnamus, ſententia de Dionyſij Pariſienſis cum Areopagita identitate, noua ſit, vel quorumdam duntaxat priuata, aut certè perantiqua & Chriſtianorum populorum communis. Et nuperam quidem nemo verè dixerit, quam conſtat ab initio diffuſæ per orbem religionis, ad hæc noſtra vſque tempora perenni traduce defluentem: vt palam ſit Boſquetum vel ſponte falli, vel fallere, qui iſtam traditionem, recentem nominare non erubuit, atque affirmare

34. notanter ſcribit ſan[illegible] [illegible]urat, annis exortam Apoſtolum Gallia co[illegible] Quâ ſanè eadem fronte, & ideo fundatam [illegible] anterioribus ſæculis Ec-ſiam, ſub inu[illegible] contrarium ſenſiſſe, & vix Græcorum [illegible]nino, in illam de Areopagita ſen-*vn ſanctu*[illegible]*lib. 1. pag.* 48. Cùm ex inductio-*premie*[illegible]*poſita*, luce meridiana clariùs de-*nom*[illegible]*ſit*, Eccleſiam Gallicanam vniuer-[illegible] traditionem cum Euangelio imbibiſſe, [illegible]terque abhinc retinuiſſe, & propugnâſ-[illegible] ſpiritu ac ardore, quo illam hodiéque [illegible]ſtruit ac tuetur. Quod verò illam ſententiam, [illegible]ſequenti pagina aſſeuerat, adhuc labente ſæculo 9. fuiſſe adeo à communi perſuaſione remotam, vt duntaxat cenſeretur, ***nouorum quorumdam hominum, neque doctrinæ auctoritate, neque nominis fama celebrium:*** Sanctis Doctoribus, ſummis Pontificibus, Chriſtianiſſimis Regibus, Cæſaribus Auguſtis, ſacríſque Antiſtitibus, Theologis, hiſtorícíſque Eccleſiaſticis præſtantiſſimis, qui diu ante illam, quam ſignat epocham, eandem traditionem vnanimiter profeſſi ſunt ſacris diplomatibus, authenticis reſcriptis, clariſſimíſque documentis; prorſus iniurioſum eſt, atque etiam propudioſum ipſo dictu. Quo enim modo ſententia illa ***nouorum hominum & paucorum quidem, nominis fama minimè celebrium***, priuata dici poteſt, quæ ſumma hominum capita, pręcipuáq. mundi lumina, hoc eſt ſummos Eccleſiæ paſtores, Cardinales, Antiſtites; Reges, Principes, Scriptores quaque

* Idem in ſua ſummorum Pôtif. hiſto[illegible] ſub Steph[illegible] III. [illegible] (dit[illegible]

ætate magis conſpicuos auctores ac aſſertores habet? quomodo paucorum hominum fingi-ur opinatio, quæ omni ex natione teſtium licúmque ſuffragiis, ſententiíſque obfirma-: nempe adſtipulantium nobis illuſtriſſi-orum ex qualibet ferè orbis regione homi-num, quorum dicta ſuperiùs ſingulis ſæcu-lis inducta ſunt? hæc enim illorum eſt non vmbratilis, ſed realis nomenclatura, quam hîc ſubiicere operæprecium cenſuimus, vt vno conſpectu appareat cuíque ſpectatori, qui, quales quantíque illi ſint, quos Patronos noſtræ ſententiæ iſto in Apologetico laudauimus ac conſignauimus.

CATALOGVS TESTIVM
ASSERTÆ A NOBIS VERITATIS, de Dionyſij Athenienſis cum Pariſienſi indiuidua vnitate.

I.

SVMMI PONTIFICES.

1. S*Anctus Clemens*, pag. 402. 403. 404. 406. 450. 488.489
2. *S. Anacletus*, p. 445. 501
3. *S. Innocentius I.* p. 470. 474. 475. 552. 553
4. *Gelaſius I.* ibid.
5. *S. Gregorius Magnus*, ibid. & rurſus à p. 476. ad 478

6. *Zacharias*, p.684
7. *Stephanus III.* à p.479. ad 484. & p.725
8. *Paulus I.* à p.484. ad 493. & 627
9. *Hadrianus I.* p.494
10. *Leo III.* p.495.641.642
11. *Nicolaus Magnus*, p.684
12. *S. Leo IX.* à p. 683. ad 686
13. *Calliſtus II.* p.446
14. *Eugenius III.* à p.710. ad 712
15. *Innocentius III.* p. 718. & 719
16. *Gregorius XIII.* p.456

II.
CONCILIA.

1. *CLypiacenſe* p. 616. & 617
2. *Sueßionenſe, Papale & Imperiale*, p.641.642.675.& 676
3. *Piſtenſe, dictum vniuerſale & Regium*, p.671.672. & 673
4. *Leodienſe*, p.536.& 677
5. *Florentinum Oecumenicum Græcorum & Latinorum*, p. 359.& 360.& à p.649. ad 653

III.
Reges Chriſtianiſſimi, & Imperatores Auguſti.

1. *DAgobertus I.* à p.596. ad 615
2. *Clodoueus II.* à p.615. ad 619
3. *Pipinus*, à p.619. ad 630
4. *S. Carolus Magnus Rex & Imperator*, à p.630. ad 644
5. *Ludouicus Pius Rex & Imperator* à p. 350. ad 354. & 357. Itémque à p. 360. ad 370. & à p.644. ad 648
6. *Carolus Caluus Rex & Imperator*, à p.661. ad 671
7. *S. Robertus Rex*, à p. 686. ad 689. & p.705
8. *Henricus I.* p. 725. & 726
9. *S. Henricus II. Imperator*, ibidem.
10. *Ludouicus Craſſus*, à pag. 696. ad 700
11. S. LVDOVICVS, p. 730. & à p.735. ad 738
12. *Ioannes*, p.742. & 743
13. *Ludouicus XI.* p.749. & 750
14. *Carolus VIII.* p.750
15. *Ludouicus XII.* pag. 751. 752
16. *Henricus Magnus*, à pag. 780. ad 783

IV.
Reges Hiſpaniæ.

1. *Alphonſus* . . . p. 534
2. *Philippus II.* p. 535. & 536

V.
Reges Angliæ.

1. *Offa, Rex Merciorum*, p. 731
2. *Adelvvlfus, Rex Anglorum*, ibidem.
3. *Edgardus itidem*, ibid.
4. *S. Edvvardus Rex Confeſſor*, ibidem.
5. *Vvillelmus, Angliæ Rex & Comes Normaniæ*, ibid.
6. *Richardus I. Rex Angliæ, cor Leonis dictus*, p. 731. & 732

VI.
Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales.

1. *Anaſtaſius Bibliothecarius*, p. 499. & 500. & à p. 653. ad 655
2. *Cæſar Baronius*, p. 458. & 459. iterúmque p.
3. *Robertus Bellarminus*, pag. 336. & p. . . . .
4. *Armandus, Dux de Richelieu Par Franciæ*, &c. à p. 789. ad 792

VIII.
Patriarchæ.

1. *Sanctus Methodius, ſecundæ ſedis Patriarcha & Martyr*, p. 434. & 435
2. *Tharaſius eiuſdem Cathedræ hierarcha*, in ſol. obiect. 1.
3. *Zacharias Conſtantinopolitanus itidem Patriarcha*, p. 608. 767. & 768

IX.
Archiepiſcopi & Primates.

1. *Sanctus Eugenius Toletanus, Martyr*, p. 402. & 530. & ſeqq. & p. 575
2. *Rabanus Moguntinus*, pag. 466. & 467
3. *Hincmarus Remẽſis*, p. 346. & 383. & à p. 442. ad 447. item à 657. ad 661
4. *Franco Rotomagenſis*, pag. 678
5. *S. Thomas Cantuarienſis Martyr*, à p. 732. ad 734
6. *S. Antoninus Florentinus*, p 746. & 747

7. *Gilbertus Genebrardus, Aquarum Sextiarum,* ſeu *Aquenſis,* pag. 779. & 780

X.
Epiſcopi.

1. **S***Anctus Sanctinus Meldenſis,* p. 443. & 447
2. *S. Antoninus itidem Meldenſis,* ibidem.
3. *S. C[illegible]nnius,* aliàs *Cerannius, Pariſienſis,* à p. 585. ad 591
4. *B. Venantius Fortunatus Pictauienſis,* à p. 591. ad p. 596
5. *S. Landericus Pariſienſis,* p. 616. & ſeqq. & p. 784
6. *Inchardus itidem Pariſienſis,* p. 474
7. *Aeneas etiam Pariſienſis,* p. 673
8. *Primus Cabilonenſis,* pag. 747
9. *B. Fulbertus Carnotenſis,* p. 689. & 692
10. *Galtherus Cameracenſis,* p. 641
11. *Bartholomaus Laudunenſis,* à p. 700. ad 703
12. *Galtherus & ipſe Laudunenſis,* p. 713

Petrus Exquilinus, à p. 762. ad 764

14. *Aloyſius Lippomanus Veronenſis,* à p. 770. ad 772
15. *Robertus Cenalis Abrincenſis,* p. 638. in marg.
16. *Arnoldus Pontacus Vaſatenſis,* p. 393. in marg.

Et ij quidem Antiſtites ſinguli ſuum teſtimonium ferunt. Alij longè plurimi, quos nominatim in hac tabula non recenſemus, in Conciliis ſunt ſignati, in quibus eamdem de B. Dionyſio ſententiam communibus ſuffragiis, protulerũt.

XI.
Theologi.

1. **V***Enerabilis Beda,* à p. 458. ad 469
2. *S. Ratbertus Paſchaſius, Corbeia Gallica Abbas,* à pag. 390. ad 392
3. *S. Maiolus Abbas Cluniacenſis,* à p. 681. ad 683
4. *S. Odilo Cluniacenſis, quoque Cœnobiarcha,* p. 692. & 693
5. *Berno Abbas Augienſis,* p. 478. & 680
6. *Algerus Scholaſticus Corbeienſis,* p. 745
7. *Hugo à S. Victore, Saxo,* pag. 707.

pag. 707. & 708
8. *Sanctus Bernardus*, p. 712. & 713
9. *Petrus Abaillardus*, à pag. 459. ad 462. & pag. 706
10. *Honorius Auguſtodunenſis*, p. 741
11. *Nicolaus de Lyra ex Iudæo Chriſtianus*, p. 741
12. *Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis*, à p. 743. ad 745
13. *Dionyſius Carthuſianus*, p. 747
14. *Radulphus Decanus Tungrenſis*, p. 471
15. *Iudocus Clictoueus Doctor Pariſ.* à p. 756. ad 759
16. *Iacobus Faber Stapulenſis D. Pariſ.* à p. 765. ad 767
17. *Antonius Demochares D. Pariſ.* p. 772. 773
18. *Claudius Eſpencæus D. Pariſ.* p. 774
19. *Ioannes Molanus D. Louanienſis.* pag. 776. & 777
20. *Arnoldus Mermannius Aloſtanus*, pag. 775

XII.
Hiſtorici & Chronologi Eccleſiaſtici.

Græci.

1. A*Riſtides Athenienſis*, p. 428. & 431. at præcipuè 445
2. *Ariſtarchus Græcorũ Chronographus*, à p. 418. ad 425
3. *Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Metropolicus & Eccleſiæ hiſtoricus*, à p. 425. ad 452
4. *B. Michaël Syngelus Preſbyter Hieroſolymis.* à pag. 432. ad 434
5. *S. Methodius*, à p. 434. ad 437
6. *B. Simeon Metaphraſtes*, p. 359. 360. & à p. 649. ad 653
7. *Suidas*, à p. 655. ad 657
8. *Nicephorus Calliſtus*, pag. 739. 740

Sed Græcos omnino noſtros eſſe, ipſi aduerſarij fatentur.

Latini.

1. V*Isbius*, ſpectator agonis ſancti Dionyſij Areopagitæ, & actorum eiuſdem paſſiuorum exceptor, p. 386.

& 778. idem in pleno Senatu laudatus, & probatus à Domino Seruino, p. 793
2. *Geneſius* Preſbyter Pariſienſis ſanctæ Genoueſæ coætaneus, ac eiuſdem vitæ inſpector & ſcriptor, à p. 580. ad 585
3. *Auctores*, qui etiam teſtes oculati actuum extremorum, Sãctorum Martyrũ, videlicet, *Luciani*, p. 516. 517. & 519. *Ionij*, p. 519. & ſeqq. *Vrſini*, p. 855. *Carauni*, à p. 523. ad 525. *Nicaſij*, à p. 525. ad 530. *Eugenij*, pag. 530. & ſeqq. *Eutropij*, à p. 544. ad 552. Aliique innumeri actorum Sãctorum ſupremorum cõſcriptores primitiui, qui ſparſim in textu commemorantur. Præter Martyrologia Eccleſiarum, diptycha ſacra, & antiqua alia *MSS*. quæ paſſim etiam proferuntur & annotantur. Inſuper teſtimonia ipſius ſancti Dionyſij & protofideliũ Lutetianorum, haud vocalia quidem; ſed perſpicua, qualia duo inſignia ſunt Pariſiis: nempe Eccleſia *ſancti Stephani Græcorum*, de qua agitur, à p. 561. ad 570. & peruetuſta *crypta Montu Martyrum*, pag. 799 800. & 801
4. *Hærigerus Abbas Laubienſis*, p. 678. ac 679. itémque 680. & 681
5. *Sigebertus Gemblacenſis*, p. 365. & 367. 669. & 696
6. *Ordericus Vitalis Anglus*, à p. 708. ad 710
7. *Rigordus Gothus*, à p. 724. ad 726
8. *Conradus Abbas Vrſpergenſis, Germanus*, à p. 721. ad 724
9. *Sugerius Abbas*, à p. 702. ad 706
10. *Matthæus Vveſtmonaſterienſis Anglus*, p. 528
11. *Petrus Comeſtor Trecenſis Presbyter*, à p. 713. ad 715
12. *Robertus Monachus ſancti Mariani, auctor Chronici Antiſſiodorenſis*, pag. 717. & 718
13. *Anonymus, ſcriptor coætaneus geſtorum Dagoberti Regis*, à p. 601. ad 606
14. *Anonymus auctor diſtichi relati*, p. 683
15. *Anonymus alius*, pag. 718. & 719
16. *Helinandus Aſceta*, pag. 726
17. *Matthæus Paris Anglus*,

à p.729. ad 731. & 735
18. *Guillelmus de Nangis*, p.739
19. *Iuo Monachus*, p.741. & 742
21. *Ioannes Trithemius Abbas Spanhemenſis*, à p.759. ad 761
22. *Hartmannus Schedel*, p. 753. & 754
23. *Guillelmus Eiſingrenius Germanus*, p.536
24. *Stephanus Luſignanus Cyprius*, pag. . . .
25. *Petrus Galeſinius S. R. E. Protonot. Mediol.* p.456. 457. & 536
26. *Iacobus Galtherus Societatis* IESV *Theologus*, pag. 797. & 798
27. *Antonius Poſſeuinus Mantuanus eiuſdem Societatis Theologus*, p.376. & 377
28. *Stephanus Binet Societatis eiuſdem, Prouincialis in Franciæ prouincia*, pag. 802. & ſeqq.
29. *Petrus Halloix eiuſdem Societatis*, ibid.
30. *Claudius Robertus Presbyter Lingonenſis*, *auctor Galliæ Chriſtianæ*, pag. 808. & 809

XIII.

Iuriſperiti ciuiles.

1. G*Villelmus Budæus ſupplicum Libellorum in Regia Magiſter*, p.769
2. *Ludouicus Seruin in ſuprema Francorum Curia Regis œcumenicus Aduocatus*, p. 556. & 557. ac 792. & 793
3. *Gabriel Lurbæus Iuriſconſultus, auctor Chronici Burdegalenſis*, p. 782. & 783
4. *Papirius Maſſonus Aduocatus in Senatu Pariſienſi & Regia celebris, auctórque inſignis Annalium Regum Francorum*, p.794. & 795

Poëtæ ſacri.

1. F*Ortunatus*, à p.591. ad 596
2. *Hilduinus Abbas*, à p.660. ad 662
3. *Adam à S. Victore*, p.715. & 716. necnon 757
4. *Baptiſta Mantuanus*, pag. 343. 344. rurſúſque pag. 755. & 756
5. *Nicolaus Oudaërtius Bruxellenſis*, p.796
6. *Ioannes Morellus*, in fine præſentis Apologiæ.

34. notanter ſcribit ſanctum Dionyſium, quem Apoſtolum Gallia colit, natione fuiſſe Græcum, & ideo fundatam ab illo Pariſiis primam Eccleſiam, ſub inuocatione ſancti Stephani, fuiſſe Græcorum cognominatam. *Il baſtit & conſacra vn ſanctuaire* (dit-il) *en l'honneur de* DIEV *& du premier Martyr ſainct Eſtienne. Sanctuaire ſurnommé des Grecs, en memoire de ce que cét Eueſque auoit pris naiſſance en Grece.* * Adſcribere etiam huic veritatis teſtium catalogo potuiſſem optimo iure Antonium Poſſeuinum in Apparatu tomo prmo pag. 401. & 402. Arnoldum Wionium lib. 2. Ligni vitæ. Iacobum Brullium lib. 1. Antiquit. Pariſienſ. pag. 6. & 62. Odonem Geſſeum Societatis IESV Theologum in hiſtoria Dominæ noſtræ Anicienſis cap. 2. & in vita Martyrióque, &c. S. Saturnini Apoſtoli Toloſatium cap. 3. Dominicum à IESV Carmelitam diſcalceatum, in parænetica hiſtoria trium Apoſtolorum ſuperioris Aruerniæ c. 1. vbi primam Apoſtolorum Galliæ miſſionem vindicat, cóſque qui ætatem Apoſtolicam ſancti Dionyſij aliorúmque Franciæ protomyſtarum impugnant, accuratè refellit. Alios autem prætermittimus pleroſque breuitatis cauſa præſtantes, hac noſtrâ ætate auitæ traditionis à nobis aſſertæ, defenſores. Quorum anteſignamus iure aſſignandus erat Iacobus Dubletius Dionyſianus aſceta, atque ſenior Chartularius. *Is etenim vir, ſi quis alius* (vt de eo candidè ſcribit Petrus Halloix Societatis

* Idem in ſua ſummorum Pótif hiſtor. ſub Stephano III. *Suiuant* (dit-il) *le commandement de ſon frere & predeceſſeur, Paul I. donna le nom de Monaſtere des SS. Mart, rs en* L'ESCHOLE DES GRECS, *en memoire & reuerence du precieux* DENYS, *& de ſes compagnons Martyrs, leſquels on* CROIOIT DES LORS ESTRE VENVS DE GRECE EN FRANCE, *& auoit conuerty les Pariſiens à la Foy.*

IESV Preſbyter eximius,& ipſe gloriæ ſancti noſtri Areopagitæ propugnator) *omnium quæ res S. Dionyſij res contingunt, diligentiſsimus fuit inueſtigator.* Sed quoniam paſſim citatur, propter illa quæ ex ſcriniis Dionyſiani cœnobij protulit à ſe deſcripta vetera monimenta, ideò ſuperfluum exiſtimauimus, ſpecialis titulo teſtimonij illum recenſere. Nonnullos autem alios tam veteres, quàm neoreticos haud minoris famæ ſtrenuos aſſertores huius ſententiæ,in Commentariis noſtris ad Martyrologium Gallicanum die 9. Octobris, auxiliáte Chriſto per ſeriem cõnumerabimus, hîcq. iam recenſuiſſemus,ſed *tēpus enarrātem præteriiſſet*, libérq. noſter hic excreuiſſet in immenſum. Satius igitur duximus,hos intra cancellos nos cõſtringere, cùm ſatis ſupérque eſſe poſſint illa teſtimonia, quæ per ordinem temporum protulimus. Etenim hac in ſerie ab antiquis primiſque ſæculis ad noſtram vſque ætatem deducta, habet pius ſolérſque huius diſquiſitionis inſpector, quo deprehendat num illa, quam propugnamus, ſententia de Dionyſij Pariſienſis cum Areopagita identitate, noua ſit, vel quorumdam duntaxat priuata, aut certè perantiqua & Chriſtianorum populorum communis. Et nuperam quidem nemo verè dixerit, quam conſtat ab initio diffuſæ per orbem religionis, ad hæc noſtra vſque tempora perenni traduce defluentem: vt palam ſit Boſquetum vel ſponte falli, vel fallere, qui iſtam traditionem, recentem nominare non erubuit, atque affirmare

auſus eſt, ab octingentis duntaxat, annis exortam *part. 1. p. 48. & par. 2. p. 90.* Qua ſanè eadem fronte, non veritus eſt ſcribere, anterioribus ſæculis Eccleſiam Gallicanam contrarium ſenſiſſe, & vix tandem, nec omnino, in illam de Areopagita ſententiam illapſam *lib. 1. pag.* 48. Cùm ex inductione ſuprà expoſita, luce meridiana clariùs demonſtratum ſit, Eccleſiam Gallicanam vniuerſam, hanc traditionem cum Euangelio imbibiſſe, conſtantérque abhinc retinuiſſe, & propugnâſſe eodem ſpiritu ac ardore, quo illam hodiéque aſtruit ac tuetur. Quod verò illam ſententiam, ſequenti pagina aſſeuerat, adhuc labente ſæculo 9. fuiſſe adeo à communi perſuaſione remotam, vt duntaxat cenſeretur, *nouorum quorumdam hominum, neque doctrinæ auctoritate, neque nominis fama celebrium:* Sanctis Doctoribus, ſummis Pontificibus, Chriſtianiſſimis Regibus, Cæſaribus Auguſtis, ſacríſque Antiſtitibus, Theologis, hiſtorícíſque Eccleſiaſticis præſtantiſſimis, qui diu ante illam, quam ſignat epocham, eandem traditionem vnanimiter profeſſi ſunt ſacris diplomatibus, authenticis reſcriptis, clariſſimíſque documentis; prorſus iniurioſum eſt, atque etiam propudioſum ipſo dictu. Quo enim modo ſententia illa *nouorum hominum & paucorum quidem, nominis fama minimè celebrium*, priuata dici poteſt, quæ ſumma hominum capita, pręcipuáq. mundi lumina, hoc eſt ſummos Eccleſiæ paſtores, Cardinales, Antiſtites; Reges, Principes, Scriptores quaque

ætate magis conſpicuos auctores ac aſſertores habet? quomodo paucorum hominum fingitur opinatio, quæ omni ex natione teſtium iudicúmque ſuffragiis, ſententiíſque obfirmatur: nempe adſtipulantium nobis illuſtriſſimorum ex qualibet ferè orbis regione hominum, quorum dicta ſuperiùs ſingulis ſæculis inducta ſunt? hæc enim illorum eſt non vmbratilis, ſed realis nomenclatura, quam hîc ſubiicere operæprecium cenſuimus, vt vno conſpectu appareat cuíque ſpectatori, qui, quales quantíque illi ſint, quos Patronos noſtræ ſententiæ iſto in Apologetico laudauimus ac conſignauimus.

CATALOGVS TESTIVM ASSERTÆ A NOBIS VERITATIS, de Dionyſij Athenienſis cum Pariſienſi indiuidua vnitate.

I.

SVMMI PONTIFICES.

1. S*anctus Clemens*, pag. 402. 403. 404. 406. 450. 488. 489
2. *S. Anacletus*, p. 445. 501
3. *S. Innocentius I.* p. 470. 474. 475. 552. 553
4. *Gelaſius I.* ibid.
5. *S. Gregorius Magnus*, ibid. & rurſus à p. 476. ad 478

6. *Zacharias,* p.684
7. *Stephanus III.* à p.479. ad 484. & p.725
8. *Paulus I.* à p.484. ad 493. & 627
9. *Hadrianus I.* p.494
10. *Leo III.* p.495. 641. 642
11. *Nicolaus Magnus,* p.684
12. *S. Leo IX.* à p. 683. ad 686
13. *Calliſtus II.* p.446
14. *Eugenius III.* à p. 710. ad 712
15. *Innocentius III.* p. 718. & 719
16. *Gregorius XIII.* p.456

II.

CONCILIA.

1. *CLypiacenſe* p. 616. & 617
2. *Sueſſionenſe, Papale & Imperiale,* p.641. 642. 675. & 676
3. *Piſtenſe, dictum vniuerſale & Regium,* p.671. 672. & 673
4. *Leodienſe,* p.536. & 677
5. *Florentinum Oecumenicum Græcorum & Latinorum,* p. 359. & 360. & à p.649. ad 653

III.

Reges Chriſtianiſſimi, & Imperatores Auguſti.

1. *DAgobertus I.* à p.596. ad 615
2. *Clodoneus II.* à p.615. ad 619
3. *Pipinus,* à p.619. ad 630
4. *S. Carolus Magnus Rex & Imperator,* à p.630. ad 644
5. *Ludouicus Pius Rex & Imperator* à p. 350. ad 354. & 357. Itémque à p. 360. ad 370. & à p.644. ad 648
6. *Carolus Caluus Rex & Imperator,* à p.661. ad 671
7. *S. Robertus Rex,* à p. 686. ad 689. & p.705
8. *Henricus I.* p. 725. & 726
9. *S. Henricus II. Imperator,* ibidem.
10. *Ludouicus Craſſus,* à pag. 696. ad 700
11. S. LVDOVICVS, p. 730. & à p.735. ad 738
12. *Ioannes,* p.742. & 743
13. *Ludouicus XI.* p.749. & 750
14. *Carolus VIII.* p.750
15. *Ludouicus XII.* pag. 751. 752
16. *Henricus Magnus,* à pag. 780. ad 783

IV.

Reges Hiſpaniæ.

1. *ALphonſus* . . . p. 534
2. *Philippus II.* p. 535. & 536

V.

Reges Angliæ.

1. *OFfa, Rex Merciorum*, p. 731
2. *Adelvvulfus, Rex Anglorum*, ibidem.
3. *Edgardus itidem*, ibid.
4. *S. Eduvardus Rex Confeſſor*, ibidem.
5. *Vvillelmus, Angliæ Rex & Comes Normaniæ*, ibid.
6. *Richardus I. Rex Angliæ, cor Leonis dictus*, p. 731. & 732

VI.

Eminentiſſimi S. R. E. Cardinales.

1. *ANaſtaſius Bibliothecarius*, p. 499. & 500. & à p. 653. ad 655
2. *Cæſar Baronius*, p. 458. & 459. iterúmque p.
3. *Robertus Bellarminus*, pag. 336. & p. . . . .
4. *Armandus, Dux de Richelieu Par Franciæ*, &c. à p. 789. ad 792

VIII.

Patriarchæ.

1. *SAnctus Methodius, ſecundæ ſedis Patriarcha & Martyr*, p. 434. & 435
2. *Tharaſius eiuſdem Cathedræ hierarcha*, in fol. obiect. 1.
3. *Zacharias Conſtantinopolitanus itidem Patriarcha*, p. 608. 767. & 768

IX.

Archiepiſcopi & Primates.

1. *SAnctus Eugenius Toletanus, Martyr*, p. 402. & 530. & ſeqq. & p. 575
2. *Rabanus Moguntinus*, pag. 466. & 467
3. *Hincmarus Remẽſis*, p. 346. & 383. & à p. 442. ad 447. item à 657. ad 661
4. *Franco Rotomagenſis*, pag. 678
5. *S. Thomas Cantuarienſis Martyr*, à p. 732. ad 734
6. *S. Antoninus Florentinus*, p 746. & 747

7. *Gilbertus Genebrardus*, *Aquarum Sextiarum*, ſeu *Aquenſis*, pag. 779. & 780

X.
Epiſcopi.

1. S*Anctus Sanctinus Meldenſis*, p. 443. & 447
2. *S. Antoninus itidem Meldenſis*, ibidem.
3. *S. Ceraunius*, aliàs *Ceraunius*, *Pariſienſis*, à p. 585. ad 591
4. *B. Venantius Fortunatus Pictauienſis*, à p. 591. ad p. 596
5. *S. Landericus Pariſienſis*, p. 616. & ſeqq. & p. 784
6. *Inchardus itidem Pariſienſis*, p. 474
7. *Aeneas etiam Pariſienſis*, p. 673
8. *Primus Cabilonenſis*, pag. 747
9. *B. Fulbertus Carnotenſis*, p. 689. & 692
10. *Galtherus Cameracenſis*, p. 641
11. *Bartholomaeus Laudunenſis*, à p. 700. ad 703
12. *Galtherus & ipſe Laudunenſis*, p. 713

Petrus Exquilinus, à p. 762. ad 764

14. *Aloyſius Lippomanus Veronenſis*, à p. 770. ad 772
15. *Robertus Cenalis Abrincenſis*, p. 638. in marg.
16. *Arnoldus Pontacus Vaſatenſis*, p. 393. in marg.

Et ij quidem Antiſtites ſinguli ſuum teſtimonium ferunt. Alij longè plurimi, quos nominatim in hac tabula non recenſemus, in Conciliis ſunt ſignati, in quibus eamdem de B. Dionyſio ſententiam communibus ſuffragiis, protulerũt.

XI.
Theologi.

1. V*Enerabilis Beda*, à p. 458. ad 469
2. *S. Ratbertus Paſchaſius*, *Corbeiæ Gallicæ Abbas*, à pag. 390. ad 392
3. *S. Maiolus Abbas Cluniacenſis*, à p. 681. ad 683
4. *S. Odilo Cluniacenſis*, *quoque Cœnobiarcha*, p. 692. & 693
5. *Berno Abbas Augienſis*, p. 478. & 680
6. *Algerus Scholaſticus Corbeienſis*, p. 745
7. *Hugo à S. Victore*, *Saxo*, pag. 707.

pag. 707. & 708
8. *Sanctus Bernardus*, p. 712. & 713
9. *Petrus Abaillardus*, à pag. 459. ad 462. & pag. 706
10. *Honorius Auguſtodunenſis*, p. 741
11. *Nicolaus de Lyra ex Iudæo Chriſtianus*, p. 741
12. *Ioannes Gerſon Cancellarius Pariſienſis*, à p. 743. ad 745
13. *Dionyſius Carthuſianus*, p. 747
14. *Radulphus Decanus Tungrenſis*, p. 471
15. *Iudocus Clictoueus Doctor Pariſ.* à p. 756. ad 759
16. *Iacobus Faber Stapulenſis D. Pariſ.* à p. 765. ad 767
17. *Antonius Demochares D. Pariſ.* p. 772. 773
18. *Claudius Eſpencæus D. Pariſ.* p. 774
19. *Ioannes Molanus D. Louanienſis.* pag. 776. & 777
20. *Arnoldus Mermannius Aloſtanus*, pag. 775

XII.

Hiſtorici & Chronologi Eccleſiaſtici.

Græci.

1. A*riſtides Athenienſis*, p. 428. & 431. at præcipuè 445
2. *Ariſtarchus Græcorũ Chronographus*, à p. 418. ad 425
3. *Euſebius Cæſarienſis Epiſcopus Metropolicus & Eccleſiæ hiſtoricus*, à p. 425. ad 452
4. *B. Michaël Syngelus Preſbyter Hieroſolymit.* à pag. 432. ad 434
5. *S. Methodius*, à p. 434. ad 437
6. *B. Simeon Metaphraſtes*, p. 359. 360. & à p. 649. ad 653
7. *Suidas*, à p. 655. ad 657
8. *Nicephorus Calliſtus*, pag. 739. 740

Sed Græcos omnino noſtros eſſe, ipſi aduerſarij fatentur.

Latini.

1. V*isbius*, ſpectator agonis ſancti Dionyſij Areopagitæ, & actorum eiuſdem paſſiuorum exceptor, p. 386.

& 778. idem in pleno Senatu laudatus,& probatus à Domino Seruino, p.793

2. *Geneſius* Preſbyter Pariſienſis ſanctæ Genoueſæ coætaneus, ac eiuſdem vitæ inſpector & ſcriptor, à p.580.ad 585

3. *Auctores*, qui etiam teſtes oculati actuum extremorum, Sāctorum Martyrũ, videlicet, *Luciani*, p.516.517.& 519. *Ionij*, p.519.& ſeqq. *Vrſini*, p.855. *Carauni*, à p.523.ad 525. *Nicaſij*, à p.525.ad 530. *Eugenij*, pag.530.& ſeqq. *Eutropij*, à p.544.ad 552. Aliique innumeri actorum Sāctorum ſupremorum cōſcriptores primitiui, qui ſparſim in textu commemorantur. Præter Martyrologia Eccleſiarum, diptycha ſacra, & antiqua alia *MSS*. quæ paſſim etiam proferuntur & annotantur. Inſuper teſtimonia ipſius ſancti Dionyſij & protofideliũ Lutetianorum, haud vocalia quidem; ſed perſpicua, qualia duo inſignia ſunt Pariſiis: nempe Eccleſia *ſancti Stephani Græcorum*, de qua agitur, à p.561. ad 570. & peruetuſta *crypta Montu Martyrum*, pag.799 800. & 801

4. *Harigerus Abbas Laubienſis*, p. 678. ac 679. itémque 680.& 681

5. *Sigebertus Gemblacenſis*, p. 365.& 367.669.& 696

6. *Ordericus Vitalis Anglus*, à p.708.ad 710

7. *Rigordus Gothus*, à p.724. ad 726

8. *Conradus Abbas Vrſpergenſis, Germanus*, à p.721.ad 724.

9. *Sugerius Abbas*, à p.702. ad 706

10. *Matthæus Vveſtmonaſterienſis Anglus*, p.528

11. *Petrus Comeſtor Trecenſis Presbyter*, à p.713.ad 715

12. *Robertus Monachus ſancti Mariani, auctor Chronici Autiſſiodorenſis*, pag. 717.& 718

13. *Anonymus, ſcriptor coætaneus geſtorum Dagoberti Regis*, à p.601.ad 606

14. *Anonymus auctor diſtichi relati*, p.683

15. *Anonymus alius*, pag.718.& 719

16. *Helinandus Aſceta*, pag. 726

17. *Matthæus Paris Anglus*,

à p.729. ad 731. & 735
18. *Guillelmus de Nangis*, p.739
19. *Iuo Monachus*, p.741. & 742
21. *Ioannes Trithemius Abbas Spanhemenſis*, à p.759. ad 762
22. *Hartmannus Schedel*, p. 753. & 754
23. *Guillelmus Eiſingrenius Germanus*, p.536
24. *Stephanus Luſignanus Cyprius*, pag. . . .
25. *Petrus Galeſinius S. R. E. Protonot. Mediol.* p.456. 457. & 536
26. *Iacobus Galtherus Societatis* IESV *Theologus*, pag. 797. & 798
27. *Antonius Poſſeuinus Mãtuanus eiuſdem Societatis Theologus*, p.376. & 377
28. *Stephanus Binet Societatis eiuſdem, Prouincialis in Franciæ prouincia*, pag. 802. & ſeqq.
29. *Petrus Halloix eiuſdem Societatis*, ibid.
30. *Claudius Robertus Preſbyter Lingonenſis, auctor Galliæ Chriſtianæ*, pag. 808. & 809

XIII.
Iuriſperiti ciuiles.

1. G*Villelmus Budæus ſupplicum Libellorum in Regia Magiſter*, p.769
2. *Ludouicus Seruin in ſuprema Francorum Curia Regis œcumenicus Aduocatus*, p.556. & 557. ac 792. & 793
3. *Gabriel Lurbæus Iuriſconſultus, auctor Chronici Burdegalenſis*, p.782. & 783
4. *Papirius Maſſonus Aduocatus in Senatu Pariſienſi & Regia celebris, auctórque inſignis Annalium Regum Francorum*, p.794. & 795

Poëtæ ſacri.

1. F*ortunatus*, à p.591. ad 596
2. *Hilduinus Abbas*, à p.660. ad 662
3. *Adam à S. Victore*, p.715. & 716. necnon 757
4. *Baptiſta Mantuanus*, pag. 343. 344. rurſúſque pag. 755. & 756
5. *Nicolaus Oudaërtius Bruxellenſis*, p.796
6. *Ioannes Morellus*, in fino præſentis Apologiæ.

Qua in recenſione cernere'eſt XVI. ſummos Pōtifices. Totidem Chriſtianiſſimos Reges. Quatuor Imperatores Auguſtos. Duos Hiſpaniæ Reges. Sex Reges Angliæ. Quatuor Eminentiſſimos S. R. E. Cardinales. Tres ſecundæ ſedis Patriarchas. Archiepiſcopos & Primates ſeptem. Sexdecim Epiſcopos, præter illos qui ingenti numero in quinque Conciliis conſignati, eamdem traditionem coniunctis ſuffragiis firmauerunt. In quibus Conciliis, vnum Oecumenicum fuit, nempe Florentinum, centum quadraginta & vnius Epiſcoporum, in quo Papa præſidente, præſentéque Orientis Imperatore, & Ioſeph Conſtantinopolitano Patriarcha, Græci cum Latinis conuenerunt, illámque traditionem vtrimque laudauerunt: etenim in controuerſia de Spiritus ſancti proceſſione, ex ſancti Dionyſij Areopagitæ, Pariſiis Martyrio illuſtriſſimo coronati authentica hiſtoria*, ab omnibus æquè probata inſignem Latini auctoritatem deprompſerūt, quam Græci etſi ſuæ cauſæ magnum obicem afferentem, ſine repugnantia admiſerunt. Inſuper conſpicis in hac tabula collocatos per ſeriem temporum Theologos præcipui nominis viginti. Sacros Hiſtoricos & Chronologos, Græcorum ex gente octo priſcos ac celebres: ex Latinis autem triginta haud minus illuſtres. Iuriſperitos verò præſtantis eruditionis, quin & primariæ dignitatis, quatuor. Demum ſex Poëtas ſacros. Inter quos eximios teſtes & iudices intemeratos ac

* à Simeone Metaphraſte antiquis ex monimētis collecta, totóque Oriente ac Occidente celebri.

auguſtiſſimos, infulam Areopagiticam cum Pariſienſi laurea Dionyſio noſtro addicentes, Sancti vel beati à Chriſto glorificati numerantur * viginti ſeptem, in quibus ſex Martyres, reliqui verò Confeſſores ſanctiſſimi comperiuntur: Doctoréſque Eccleſiæ Catholicæ plerique fulgent, nullúſque eſt in hoc illuſtriſſimo conſeſſu, qui propriis ſuæ gloriæ ſplendoribus non eniteat. Stat igitur à parte noſtra, denſa, inclyta ac inuicta planè legio, omne robur triariorum, ex Aſia, Africa, Europa, euocatorum: quibus æmuli noſtri pro ſua parte, nullum poſſunt ſibi opitulantium omni æuo virorum illuſtrium, parem aciem opponere: at nec agmen etiam longè inferiùs, numero, ætate, auctoritate ac viribus obiicere. Quò fit vt Boſquetum hic ſeriò interpellemus, quatenus illos doctos deſignet ac producat, qui ſuam opinationem vel dudum aſſeruerunt, vel demum (vt ait lib. 1. p. 52.) repoſuerunt contra hanc quam dicit (pag. 49. lib. 1. & pag. 90. 2. part.) *vulgi ſententiam.* quo nomine non communem illam eſſe peritorum innuit perſuaſionem, ſed plebeiorum duntaxat. Quandoquidem aſſertores eius doctis opponit, ſícque indoctos illos probroſa ſugillatione indicat ac iudicat: quos ſuprà ex omni natione, ætate, gradu, quin & culmine humani generis ſelectos oſtendimus, hanc quam tuemur ſententiam, Eccleſiaſticam videlicet perpetuam traditionem, profiteri ſuáque corroborare adſtipulatione. Certè magna eſt differen-

*Nou.

tia inter vulgarem ſententiam, & ſententiã vulgi. Siquidem ſententia vulgaris in bono ſenſu, pro paſſim recepta communíque intelligitur: at ſententia vulgi, illam duntaxat denotat autumationem & perſuaſionem, quæ vilium duntaxat eſt hominum, plebeiorum ſcilicet imperitorum, quos de vulgi turba dicimus. Etenim vulgus ſemper pro inferiori parte populi accipitur, ea ſcilicet quæ minimè cordata, prudens, litterata, ac ſpectabilis, ſed prorſus ignobilis ac imperita eſt. Vnde Tullius pro Plancio. *Non eſt conſilium, in vulgo, non ratio, non diſcrimen, non diligentia.* At verò ſententiam illam quæ Dionyſium Pariſienſem Areopagitam facit ac aſtruit; Boſquetus non modò vulgarem vocitat, ſed per euidentem contemptum atque ludibrium haud ſemel nuncupat *ſententiam vulgi*, part. 1. pag. 49. & 50. & part. 2. pag. 90. In vulgi igitur ignobilis inſipientíſque fæcem detrudit eiuſdem aſſertores, quos ideo doctis opponit, à quibus demum aduerſam opinionem repoſitam hoc ſæculo fuiſſe ſupponit. Quaſi verò idiotæ cenſendi ſint illuſtriſſimi illi numeroſiſſimíque teſtes aſſertoréſque præſtantiſſimi, huius quam defendimus perlucidæ veritatis (auitæ ſcilicet traditionis atque ſententiæ, toto orbe à primis religionis ortæ ſæculis, diffuſæ atque comprobatæ, hincque ad nos vſque tantâ conſtantiâ, tantâ auctoritate propagatæ:) vt illos à doctis, contrarium vt fingit ſentientibus, Boſquetus iure diſcreuerit, *nouóſque homines*, quos à tot

ſæculis claruiſſe conſtat: eoſdémq. *neque doctrinæ auctoritate* prædítos, qui ſapientiæ fuere Chriſtiana præclariora ſydera; neque *nomine celebres*, qui immortalia nomina ad nos vſque tranſmiſerunt; neque *famâ* inſignes, qui magna ex parte rerum humanarum obtinuerunt faſtigia, ſine atroci iniuria nominare potuerit: denique ſublimia illa mortalium capta, ſelectáque humani generis ornamenta inter vulgi triuiales turbas deuoluere, animo non exhorruerit, calamo non erubuerit. Quo in temerario auſu eodem prorſus vſus videtur ſtylo, etſi non ſpiritu, quo Berengarius pridem, Eccleſiæ vniuerſæ impugnans perſpicuam perpetuámque fidem de reali Chriſti corporis in magno pietatis ſacramento, exiſtentia, quam Humbertus Cardinalis & Lantfrancus poſt primos Eccleſiæ Patres, Doctoréſque adſtruebant; *vulgi ſententiam*, immò *vecordiam* vocitabat. Cuius inſaniam bene idem Lantfrancus coërcuit, illum eo nomine durè perſtringens, quòd *Romanos Pontifices, Eccleſiam vniuerſam, ſanctóſque Patres*, *vulgi nomine* acciperet, interimque priuato ſenſu abundans ſibimet noua ſapienti caneret, paucíſque admodum ſecum à Regali via deflectentibus, temerè inauſpicatòque adhæreret. Subdítque Lantfrancus perlepidè, malè ſe cum eiuſmodi vulgo (quod contemptim nominabat Berengarius) ruſticum ac idiotam Catholicum eſſe, quàm cum ipſo, curialem ac facetum eſſe erroris patentiſſimi præ-

conem. Abſit vt Boſquetum à fide Catholica deuium, vt erat Berengarius, exiſtimem, cuius orthodoxiam perſpectam eſſe non dubito: ſed prætermiſsâ dogmatum, circa quæ errabat Berengarius materiâ; doleo admodum, illum huius verbis ſacra in re hiſtorica ita abuſum fuiſſe, vt eius quaſi ex ore moréque, *vulgi* illam ſententiam de identitate Dionyſij Græci ac Gallici cognominauerit, quam communem eſſe Chriſti fidelium, fuiſſéque ab omni tempore in Eccleſia, immò ab Eccleſia vbique ſuſceptam & proditam per ſummorum ſuorum Pontificum oracula; Cardinalium, Epiſcoporum, Doctorúmque cuiuſque nationis teſtimonia, ſynodorúmque etiam iudicia, atque Regum Chriſtianiſſimorum, Imperatorum, aliorúmque Chriſtianorum cuiúſque gentis Principum authentica reſcripta atque monimenta, populorúmque omnium perpetuum conſenſum, etiam diuinis teſtificationibus obſignatum, hactenus fuiſſe conſtat. Ideóque ſi ſententiam illam, *vulgi* vult eſſe opinionem Boſquetus: ſimul neceſſe fuerit, vt hos omnes quos recenſuimus capitatim illuſtriſſimos teſtes & iudices, aſtipulatoréſque noſtros, nimirum Orbis Chriſtiani vniuerſi fulcra, apices, lumináque præclariſſima, in vulgi cœnum detrudat; quod ſine grauiſſima Chriſtiani nominis iniuria, quin proprio ingenti piaculo & reatu, non poteſt, nec quiſquam alius præſumere. Id tamen ſi nihilominus auderit, neque eum puduerit,

duerit tot Pontifices Maximos, tot Reges Chriſtianiſſimos, tot orbis Chriſtiani cardines, tot ſanctos Antiſtites, & inſignes Scriptores, tot Principes, tot populos iſtam in ſententiam conſpirando, pleno in ſole meridiano cæcutiiſſe, atque vulgarem in errorem turpiter ac infeliciter abreptos, à recta linea, quam demum attigiſſe putat deflexiſſe. Conducibilius tamen fore mihi arbitror, huic *vulgo*, ex quo conſiſtit Chriſtianitas, adhærere; quàm vni Boſqueto, pauculiſque ſimilibus nouis venerandæ antiquitatis reprehenſoribus, conſentire; verbáque illa quæ Eraſmus aptè in alios Nouatores protulit, appoſitè contra iſtos nuperos criticos vſurpabo. *Mihi pro mea cauſa ſufficit veterum ſanctimonia, vitæ probatiſsimorum auctoritas, Epiſcoporum maieſtas, publica Chriſtianorum gentium conſuetudo, quos omnes ſi damnatis inſaniæ, malo cum illis inſanire, quàm vobis aſſentiri.*

CAPVT DECIMVM.

Diſcutiens aduerſariorum argumenta tam recentia quàm vetera.

HVIVS eſt ſententiæ quam aſſeruimus veritas ita perſpicua, vt eius ſplendorem non poſſint aduerſariæ partis ſectatores, vllis quaſcunque eidem obiiciunt nebulis obſcurare. Quæ

ſanè tanto iam fulgore depulſæ ſunt, vt tenues in auras abiiſſe euanuiſſéque penitus, ad tantæ lucis conſpectum, videantur. Scitè veréque iampridem id in hac eadem cauſa, prænuntiauerat Hincmarus celebris ille Remenſis Primas, in Epiſtola ad Carolum Caluum Imperatorem, quâ aduerſariis exploratæ identitatis ſancti Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi iam ab Hilduino magiſtro ſuo, deinde ab Anaſtaſio Bibliothecario Apoſtolicæ ſedis, demum à ſeipſo ſtrenuè propugnatæ, ſecurus de victoria, gloriabundus de patentiſſimo veritatis huius triumpho, grauiter inſultabat. *Si quæ ſint illorum reliquiæ, qui negabant Dominum & Patrem noſtrum, Patronum veſtrum eſſe Areopagitam, à beato Paulo baptizatum, & Athenienſium ordinatum Epiſcopum, & in Gallias à beato Clemente directum, ex his quæ Græca teſtificatio, & ſanctæ ſedis Romanæ atteſtatio, & Gallicana intimat conteſtatio, ratum & in hac cauſa quod longè ante nos dictum eſt recognoſcant, quia veritas ſæpiùs exagitata, magis ſplendeſcit in lucem.* Quod longè maiori experimento noſtri didicère aduerſarij; qui poſt tot ſæcula triumphantem veritatem acriùs auſi impetere ſuo damno, vires eius per tot temporis excurſus nequaquam imminutas, at auctas plurimùm perſenſerunt. Certè enim nec Hilduinus, neque Anaſtaſius, nec Hincmarus qui ante annos octingentos ſententiam iſtam contra antiquos eius hoſtes propugnârunt, illam iis præſidiis quibus munitam præſtitimus, in-

ſtruxerant, & victores nihilominus hoc ex conflictu rediêre. Poſt eos Heroës ſiquidem vix vnus aut alter, per tot ſæcula inuenti ſunt, tantilli nominis, aduerſariæ opinionis defenſores (hoc eſt euicti erroris, ac deploratæ cauſæ Patroni:) cùm innumeri ſingulis inde ætatibus exſurrexerint, vindicatæ pridem noſtræ ſententiæ aſſertores illuſtriſſimi potentiſſimíque protectores: Scriptores ſcilicet toto orbe præcipui, Doctores excellentiſſimi, ſanctiſſimi Epiſcopi, ſummi Pontifices, Chriſtianiſſimi Reges, Imperatores Auguſti, exteri quoque Reges & Principes, qui Dionyſium Areopagitam Galliæ Apoſtolum, Pariſienſis Eccleſiæ fundatorem & conſecratorem, vno conſenſu profeſſi ſunt, hunc illis titulis exornauerunt, iis rationibus coluerunt, iis ſunt honoribus proſecuti, fidémque hanc ſuam quibuſque modis potuêre declararunt, libris, reſcriptis, diplomatibus, ædificiis, perſpicuíſque vbique monimentis. quibus conſtat, non modò *vniuerſam ferè*, vt inuitè ac minus arctè fatetur Boſquetus pag. 52. *Eccleſiam Gallicanam*, ſed extera quoque Regna, hoc eſt cunctas ſub Sole nationes & vniuerſos populos, videlicet Latinos & Græcos, atque potius vt vno dicam verbo, vniuerſam Chriſti Eccleſiam, toto orbe diffuſam; non ab *octingentis* ſolùm, vt ait ipſe Boſquetus, *annis*, ſed mille quingentis, conſtanter in ea ſententia, quam hodiéque profitemur & tuemur, perſtitiſſe. Háncque patet non humana tantùm quauis teſti-

ficatione & conſpiratione fulciri, aut Eccleſiaſtica ſolùm auctoritate firmari: Sed diuina inſuper approbatione, miraculis ſcilicet plurimis & patentiſſimis, quibus Rex gloriæ Chriſtus præconis & agoniſtæ ſui Dionyſij noſtri, veri nimirum Areopagitæ natiuam obſignauit dignitatem, venerabilémque memoriam illuſtrauit, ac effecit ſole ipſo clariorem.

Contra tam manifeſtæ veritatis euidentiam pudor eſt videre quoſdam, & quidem in Gallia adhuc cæcis oculis digladiari. Ægrè ferebat admodum iampridem Hilduinus, quòd apud Francos inuenirentur ita degeneres, qui Apoſtoli Franciæ iura minuerent, gloriæque eius potiſſimùm detraherent decus, pro cuius tutela honoris, ſi exteri hunc impugnaſſent, vltricia ipſi debuiſſent arma arripere. Et tamen cum ita indignabatur contra hos ingratos, vix minimam produxerat partem eorum teſtimoniorum, & probationum quæ veritatis & iuſtitiæ, cuius patrocinium aſſumpſerat, indubiam certámque & perſpicuam efficiebant cauſam. Acceſſêre eidem deinde ſuppetiæ illæ ampliſſimæ, atque fortiſſimæ copiæ, quas ad plenum cumulum euidentiæ & certitudinis ſuprà adiecimus. Grauiori igitur piaculo illi obſtringuntur, qui poſt tot prodita nitentis lumina veritatis, lubentes cæcutiunt, contráque tot fulmina leues fragiléſque aliquot tenuium argutiarum clypeos obiiciunt, quibus tantum abeſt vt patentis adeo veritatis refrin-

gant vires, quin potiùs exacuunt; dum præſidiorum vmbratilium, quibus ſeſe optimè munire putant, produnt in ipſo ſplendore Solis, hoc eſt tam perſpicuæ quàm authenticæ veritatis luce, inanitatem. Æquum quidem eſſet inter nos certamen, ſi paribus copiis inſtructi congrederentur. Pares verò eſſent, ſi tot rationibus, perſuaſionem ſuam quibus noſtram ſententiam confirmauimus, obfirmarent; adeovt tot per ſeriem temporum, per ordinem locorum, teſtium toto orbe inſignium ſuffragia ſibi opitulantia proferrent: quamuis enim paribus ſi forent tantùm inſtructi viribus acies noſtras nequaquam deiicerent, tamen rem ſub alea ponerent, ancipitíque pugna poſſent nobiſcum, de hac quam rurſum mouere audent controuerſia (poſtquam tam turpi quàm frequenti fuga clade attriti) exiles eorum cohortes concertare. Sed omnibus iis exuti præſidiis bellum inſtaurant. Inferiori igitur longè ſorte confligunt, viribúſque ſufficientibus cùm deſtituantur, neceſſe eſt illos vel ſponte dare manus in noſtros nexus; aut indecorè prorſus dum ſolâ pertinaciâ pugnant, perire; aut profectò penitiori receptui canere, quo ſolo famæ honoríque ſuo poſſunt, tam apud præſentes quàm poſteros, opitulari. Nolim tamen illos ita acriter perurgere. ad commiſerationem enim ſua ex debilitate me excitant. Igitur ab iis non exigam quod præſtare nunquam poterunt, vt opinionem paribus, quibus nos ſen-

tentiam noſtram communiuimus, ſuam corroborent, argumentorum teſtimoniorúmque præſidiis: ſed tantùm vt rationibus noſtris aptas reſponſiones adhibeant, teſtimoniorúmque quæ produximus Patrum, Doctorum, Pontificum, Regum, Hiſtoricorum, Scriptorúmq. cuiuſq. gentis & ætatis fidem eleuent, auctoritatem labefactent, vires inductionum elidant; diuinæque etiam adſtipulationis, quam per miraculorum, in confirmationem ſententiæ noſtræ editorum euidentiam, oſtendimus, auctoritatem quia negare non audent, nihilominus ſi velint, ſi poſſint, certitudinem imminuant, éxque perſpicuis tabellarum indiciis, illa conficta euincere, non grauentur. Interim quamuis ea ſit illorum cauſæ deplorata conditio, vt nec vllam audientiam, toties damnata, toties è conſeſſibus æquiſſimorum peritiſſimorúmque iudicum proiecta, iure ſuo poſſit expetere: tamen ne infelicem nimium ſuam ſortem queritentur, ſi ex iuſto rigore iuris, ſilere poſt tot teſtimonia atque iudicia, aduerſum ſe continuis tot ſæculis, totum per orbem Chriſtianum lata, adigantur; per me equidem non ſtabit quin quæcunque voluerint contra probatam ſuprà ſententiam tot rationum ponderibus atque agminibus teſtium, obiecta, argumentáque proponere. Nec modò vetera quæ pridem diſſoluta ſunt, quaſi noua & hactenus intacta proferre: ſed ſi quæ adinuenerunt, per ſeriem integram producere; vt ſi inſolubilia

perſtiterint, redintegratæ poſt tot tempora deſperatæ litis fortunatiori ſucceſſu, hoc eſt, victoriâ, tam inexpectatâ quàm indebitâ, potiantur. Si verò poſtquam adamuſſim diſcuſſæ fuerint illorum obiectiones, futiles, euanidæque à nobis demonſtrentur: vincenti nupero poſtremóque hoc conflictu veritati (quam ſententiæ noſtræ patronam aſtruximus) triumphum ampliùs non inuideant, ſed virentem palmam, nouámque lauream, & currum purpureum, ac trophæum perpetuum, de ſua deuicta pertinacia, non ſit illis pudor, ocyus apparare.

ARGVMENTVM I.

Et ferè præcipuum ductum ex ipſis, quæ Boſquetus germana natiuáque dicit, ſancti Dionyſij Pariſienſis I. Epiſcopi actis.

BOSQVETVS de Hilduino non modicùm neque ſemel conqueritur, quòd genuina ſancti Dionyſij acta alterârit, immò corruperit ſuis additionibus, quibus primum Epiſcopum Pariſienſem & Martyrem, ipſum Athenienſem ac Areopagitam effinxerit, & veris fictíſque (promiſcuè) monimentis ſuam perſuaſionem confirmârit. 1. part. pag. 49. 50. 51. pleraque etiam de Liſbio aliíſque, quæ Dionyſij ſyncera acta non habebant, deerántque eiſdem, pro ſuo arbitrio & imperio inſeruerit. Vnde part. 2. pag. 68. acta quæ

nitida, natiuáque aſſerit ſancti Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi, reponit hac ſub conſpicua epigraphe. *Vitam, aut potiùs paſsionis ſancti Dionyſij acta, Hilduino antiquiora, accipe ex fide quinque MSS. Codd. optimæ notæ.* Ex quibus elicit conſtare, Dionyſium Pariſienſem, minimè fuiſſe Areopagitam, neque ad ætatem Apoſtolicam pertinere, proinde neque à ſancto Clemente fuiſſe in Gallias legatum. Ideóque ex actis ipſis quæ cauſæ huius fundamenta ſunt, noſtram *quam vulgarem appellat ſententiam* pag. 49. prorſus concidere.

RESPONSIO.

Si tantas haberet vires, quantam virium ſpeciem, hæc obiectio, aduerſarij, quorum ſe Boſquetus coryphæum anteſignanúmque facit, ſibi hinc maximè applauderent. At nulla eſt obiectionis huius efficacia, quæ laruata tantùm fucatis inſtruitur pigmentis. Oſtendimus enim ſuprà ex teſtimonio authentico Ludouici pij Imperatoris, Hilduinum, acta ſancti Dionyſij, quæ prodidit in lucem, non ſuo ex cerebro effinxiſſe, non ſuo ex Muſæo, alibi incomperta cùm eſſent, deprompſiſſe, ſed ex gazophylacio immò ſacrario Pariſienſis matricis Eccleſiæ, vbi fuerant diu ante Hilduinum prouidè à Maioribus recondita, atque à poſteris ab hinc ſedulo conſeruata. Quæ enim narrauit Hilduinus, ſeu potiùs retexuit, ex iuſſione eiuſdem Imperatoris, continebantur, vt idem Auguſtus aſſerit, *in libello*

lo paſsionis ſancti Dionyſij, necnon & illis codicellis, ſeu *tomis vel chartis vetuſtiſsimis armarij Pariſiacæ Eccleſiæ*, obtutibus ipſius Cæſareæ maieſtatis repræſentatis. Item in conſcriptione Viſbij conſignata *in tomo ſatis ſupérque abdito*, id eſt, iampridem antè conſcripto & ſtudiosè conſeruato, *Pariſiíſque diuino nutu inuento.* Item ex libello antiquiſſimo hieromartyris noſtri paſſionis. Inſuper ex peruetuſtis Miſſalibus libris Pariſienſis Eccleſiæ, ab Innocentio, Gelaſio, & Gregorio Magno aliíſque ſummis Pontificibus agnitis & probatis, quæ ad amuſſim illa quæ expreſſit Hilduinus ſuis in Areopagiticis referebant. *Quarum* (inquit Hilduinus ipſe in reſponſione ſua ad Ludouicum Imperatorem) *Miſſarum cantus, ſenſus & verba, adeo paſsionis eorundem* (*Dionyſij ſcilicet & ſociorum*) *quam vobis miſimus ſeriei concordare videntur, vt nulli ſit dubium à teſte illorum Martyrij. agones eorum fuiſſe deſcriptos, & ex ipſa veraci hiſtoria, memoriam tormentorum ſuorum, in præfatis precibus fuiſſe mandatam.* Quam probauit etiam ex epiſtola Ariſtarchi Græci Chronologi antiquiſſimi, Euſebij Cæſarienſis Martyrologio originali, facto Tharaſij Conſtantinopolitani Patriarchæ, communi Græcorum fide, Athenienſium ad quos inueſtigationis certioris ſtudio profectus fuerat, auita inſigni, conſtantíque traditione, hiſtoriarum Græcarum ſcriptis, & ſucceſſionum Epiſcopalium illarum partium tabulis. Præterea ex orthodoxorum Patrum col-

leſtionibus, authenticíſque hiſtoriis, non recentium amanuenſium calamo exaratis, at de *antiquariorum antiqua ſcriptura tranſumptis*, quarum autographa in manibus habebat, earúmque ad ſpeculationem & conſpectum, aduerſæ partis Patronos vrgentiſſimi affectus ardore, inuitabat, immò prouocabat. Sed præter illa fulcra quibus Hilduinus contra ſuos æmulos firmiter nitebatur: alia plurima, iis quæ indicat longè efficaciora eidem ſubſidia præſtitimus. Probauimus etenim triplici inductione, facta, ex Græcæ Eccleſiæ teſtificatione, Romanæ ſanctæ ſedis atteſtatione, Gallicanæque conteſtatione intima: quæ aſſeruit de Dionyſio Areopagita primo Pariſiorum Pontifice, & in fulcimentum ſententiæ protulit Hilduinus; vera & ſyncera omnino eſſe, ſemper ante illum in Oriente ac Occidente tradita & credita, veríſque eiuſdem glorioſi Areopagitæ actis antiquiſſimis prorſus conſentanea. Quamobrem non habet ampliùs Boſquetus quo Hilduinum criminetur, quaſi nouam inuenerit opinionem, actorum ſancti Dionyſij corruperit ſynceritatem, iíſque (quibus ſuam firmat ſententiam) accrementis, partim ex veris, partim ex fictis monimentis, ab illo pro arbitrio conflatis, ipſa vera ac vetera acta beatiſſimi huius Martyris, cum diſpendio veritatis eiuſdem Hilduini votis aduerſæ, deprauauerit, & ad ſuum libitum inflexerit. Neque obſtat quod plura admodum commemoret ſua in collectione Hilduinus, quam

quæ in illis actis, quæ Boſquetus affert, Hilduino, vt ait, antiquiora, *& ex fide quinque Manuſcriptorum Codicum optimæ notæ* à ſe deprompta, contineantur. PRIMÒ enim peto ab eo vnde probet, illa acta quæ profert (mera quæ ſanè apographa ſunt) Hilduino antiquiora eſſe. SECVNDÒ, quomodo inſinuet *optimæ eadem eſſe notæ*, cùm nec deſignet à quo habeat eadem accepta, locum vnde elicita, ſcrinium, ſacrarium, hierogazophylacium, è quo deprompta; tempúſque ipſum quo exarata pateant, vt antiqua adeo quæ annos 800. immò 1000. exuperent, à peritis antiquitatis exiſtimentur, & pro authenticis admittantur. * TERTIÒ, dico non multùm referre ſi illud quod producit apographum, in vno vel in quinque aut centum codicibus deſcriptum ſit: cùm & Æſopi fabulæ, pluſquam in mille voluminibus exaratæ legantur) eadémque narratio ſiue vera, ſiue falſa, plurimis in codicibus conſignari poſſit, immò ſoleat. QVARTÒ, dico haud eſſe mirum ſi in illo ſcripto quod exſcribit Boſquetus, illa omnia quæ de ſancto Dionyſio refert Hilduinus ex antiquis monimentis, minimè contineantur, quia non plenam complectuntur ſancti Dionyſij hiſtoriam: neque enim vitam eius narrant, ſed duntaxat mortem, prætermiſſis omnibus omnino eiuſdem vitæ actibus. Vnde eſt quod malè fidei Boſquetum hîc poſtulemus, qui ſe vt acta integra ſancti Dionyſij prodere lectori perſuaderet: præfixit vitæ titu-

* Boſquetus part. 2. p. 90. hiſtoriarum ſuarum. *Vnã certiorem Dionyſij paſſionẽ dedimus, ante traditionem recentem & Dagoberti ætatem, conſcriptam; poſt illam incipiente traditione circa octauum ſaculum, parum immutatam: ac tandem ab Hilduino perturbatam & variis narrationibus auctam.* At quã parum fideliter hoc ſcribat, ſuaderéque nitatur Boſquetus, liquet omnino ex hoc accurato, & dictorum eius, & prolatæ ab eo narratiunculæ, examine.

lum in eorumdem limine. Fateor quòd malè conſcius ſibi ex hac aperta fraude, protinus malæ notæ maculam ibidem vtcumque eluerit: ſic enim ſpontaneam culpam, neceſſario temperamento corrigit, *vitam, aut potiùs paſsionis Dionyſij acta*, &c. *accipe.* Neque enim vitam, immò neque vitæ vel minimam narratiunculam, ſcriptum illud refert: ſed præcisè duntaxat paſſionem, illámque adeo nubilam & decurtatam, vt nec Imperatoris, nec Præfecti nomen ſub quibus paſſus eſt Dionyſius cum ſociis, nec tempus eius perſecutionis deſignet, neque illa *diuerſa tormentorum genera* * ſpecificet, quibus excruciatus eſt. Immò neque decollationis expreſsè meminit. Ictu ſolùm percutientis necatos hos Martyres innuit: verùm an gladio, an ſecuribus & quidem hebetatis capita illorum truncata fuerint, nullatenus exprimit. Trophæum autem ipſum beati Dionyſij potiſſimum, quo deciſum caput reſumpſit propriis manibus, & mirabili progreſſu ad locum vſque ſepulturæ peruenit, iniquo prorſus inuoluit ſilentio. Verùm ab exordio profeſſus erat, *ſe non ex aſſe quæ de ſeruo Dei Dionyſio ſunt comperta* proſecuturum. Nihil igitur eſt illud apographum quam abbreuiata, neſcio quo conſilio detrahendi ſancti Dionyſij gloriæ ſcriptiuncula, ex plenis ſancti Dionyſij actis extracta, reſectis omnibus quæ illi potiora gratiæ, dignitatis, meritorum, memoriæ inſignia adſcribunt & confirmant: vt ex ſimplici inſpectione,

* Ariſtides apud Adonem 9. Octob.

conferenti breuem illam, mutilámque, & datâ operâ detruncatam relatiunculam, ſola præfatione copioſam; cum integro vitæ & paſſionis ſancti Dionyſij autographo, quod ante Surij editionem antiquiſſimis ex monimentis, ſine vlla ſtyli alteratione, adiectione, vel immutatione, Boninius Mombritius in hagiologio, & Matthæus Galenus Weſtcapellius in ſuis Areopagiticis, ediderunt: liquidò certè apparebit. QVINTÒ, dico quàmquam paſſio illa tam miſerè decurtata, quàm pro integra ac ſyncera profert Boſquetus, vt genuina & authentica à nobis reciperetur, Boſquetum ipſum eiúſque fautores nihil ex hoc inſtrumento poſſe conficere: nihil ſiquidem hinc minùs quàm intentum ſuum conſequerentur. Quæſtio enim quam nobiſcum agitant, in eo diſquirendo ſita eſt. Num Dionyſius ille qui Pariſiis gloriam crucis prædicans, cum bino Achate felici conſummatus eſt Martyrio, vir fuerit ætatis Apoſtolicæ, adeóque Pauli Apoſtoli ille ſit diſcipulus qui Dionyſius nomine, Areopagita cognomine, in Actis Apoſtolorum vocitatur; id enim eſt quod nos aſſerimus. An verò, quod vult Boſquetus & eius ſimiles; Dionyſius noſter, qui immolatus gladio factus eſt Lutetiæ cum ſociis prima fidei reuelatæ victima, fuerit vnus ex poſtremis Euangelij in Gallia præconibus, qui ferè trecentis poſt Chriſtum annis (hoc eſt ſub Decio, vel etiam ſub Diocletiano) Gallias ingreſſus, Lutetiæ primum ſalutis nuntium at-

tulerit? Acta illa omni qua potuit fieri arte conſtricta & decurtata, vt nihil prorſus habent, ſententiæ noſtræ aduerſum, ita nec opinioni aduerſariorum quicquam conſentaneum continent: immò verò nonnihil nobis fauent. Hoc autem breui patefacio inſinuatione. Et primùm quidem nullatenus aſſertioni noſtræ, nimis licet contracta, & non ſyncero fine abbreuiata, illa paſſio ſancti Dionyſij aduerſatur: nequaquam enim perhibet Dionyſium (cuius de ortu, patria, vitáque & actibus prorſus ſilet) alium eſſe ab Areopagita. aut innuit non eundem eſſe Areopagitam, quem Dionyſium illum eſſe, qui Pariſienſi in ſolo plantauit germen fidei, ſuóque demum ſanguine irrigauit, aſſerimus. Inſuper quod ad ſecundum ſpectat: haud indicant mutila illa acta paſſiua, alia quàm Apoſtolorum ætate, poſteriori ſcilicet longè ab ipſius Areopagitæ tempore, Dionyſium noſtrum Pariſiis laureatum, fuiſſe, quamobrem aduerſariis nihil conferunt: quin nobis (quod tertium articulum firmat) palam omnino ſuffragantur. Tum quia præfatio auctoris illius compendioſæ paſſionis, miſſionem ſancti Dionyſij ſymmyſtarum, Saturnini & Pauli, ex Apoſtolorum cura & electione manâſſe diſertè ſignificat, & cõtinuo ipſius B. Dionyſij eiúſque aſſeclarum Ruſtici & Eleutherij quaſi coniunctam recitat in Gallias profectionem, & auſpicatum ad vrbem Pariſiorum acceſſum. Sic

enim proloquitur. *Igitur poſt Domini noſtri* IESV CHRISTI *ſalutiferam paßioneem*, &c. *Apoſtolorum prædicatio vniuerſis gentibus profutura ſucceßit. Qui cùm imminere ſuas cernerent paßiones, quod Domino* IESV CHRISTO *docente didicerant, repleti Spiritus ſancti gratiâ docuerunt. Adeo vt fide creſcente, non pauci mererentur fieri Confeſſores, quos modò Eccleſia Catholica, gaudet promeruiſſe Martyres. Hos*, &c. *ad ſuſcipienda mandata Dei idoneos*, APOSTOLORVM ESSE IVDICAVIT ELECTIO. *Quibus & Euangelica præcepta ſemper agẽtibus, ſeruanda committerent, electiſque viris, Dei diſpoſitione prouidenter honorem decreuerunt Epiſcopalem adiungere: quò faciliùs eorum prædicationibus acquiſiti, ad myſterium ſacri proueherentur altaris. Ex qua Confeſſorum turba ſanctum & venerandi nominis Saturninum vrbs Toloſa gaudet promeruiſſe Epiſcopum.* &c. *Simili etiam gratia beatißimus Paulus Antiſtes atque Confeſſor Narbonenſem Prouinciam ſalutiferi acquiſiuit eloquio.* Tum ſubinſinuat neminem ex hoc agmine prodeuntem, ab hoſte imbellem repertum fuiſſe: móxque pergit, vt lectorem præmoneat, ſancti Dionyſij contracta tantùm ſerie ſe narrare paſſionem. *Sanctus igitur Dionyſius*, &c. Qua ex connexione patet hunc abbreuiatorem, minimè cenſuiſſe Dionyſium illum beatiſſimum, qui Pariſiis intulit prima ſemina gratiæ & veritatis, fuiſſe temporibus Decij, diutiſſimè, ſcilicet poſt Apoſtolorum ætatem, in Galliam directum: ſed ipſo primo Chriſtianæ religionis ſæculo, quo Saturninum Toloſam, & Pau-

lum Narbonem præmemorat ab Apoſtolis fuiſſe miſſos. Vnde quamuis ſyncera eſſet quam in contextu timidè tamen Boſquetus legendam ponit, vacillanti linea & minori charactere (vtpote referentis nutante fide) de tempore miſſionis ſancti Dionyſij notatio: *Qui, vt ferunt, à ſucceſſoribus Apoſtolorum, verbi diuini ſemina gentibus eroganda ſuſceperat*, ad inferiorem non indicaret primo vel ſecundo ſæculo, referendam ipſius ſancti Dionyſij miſſionem: ſed prorſus ad eandem epocham reuocandam, quâ Saturninum & Paulum prænotauit fuiſſe Apoſtolica diſpoſitione legatos. Porrò Saturninus non fuit miſſus ſub Decio, quod incautè cùm ſcripſiſſet Gregorius Turonenſis, hiſt. lib. 1. c. 30. retractauit lib. 1. de gloria Martyrum cap. 48. vbi illum ordinatum fuiſſe notat *à diſcipulis Apoſtolorum*, ſcilicet, Lino, Cleto, Clemente, quos inter, etſi vnus proprio ordine ſedens, in Petri Cathedra præemineret, communibus ij tamen Eccleſiam ſuſtentabant laboribus, & regebant conſiliis. Siquidem vt poëma vetus de Pontificibus habet.

Apud Plat. pag. 157.

Qui conſederunt Linus Cletúſque fuerunt:
His Clemens iunctus, ſimili fuit ordine functus.

Vnde paſſim in ſacris hiſtoriis miſſiones Chriſti nunciorum ab iis factæ ad gentes, *ab Apoſtolorum ſucceſſoribus*, vel *diſcipulis* collectiuè dicuntur promanâſſe. Succeſſores enim illi primi Apoſtolorum, ipſorum fuerant primarij diſcipuli. Qui certè ex eorum præſcripto & ordinatione

cum

cùm Eccleſiam adminiſtrarent (vt ſanctus Irenæus docet lib. 3. contra hæreſes cap. 3.) pleroſque Euangelij nuncios ex illorum deſignatione ad gentes circumquaque ſummiſerunt, in iiſque potiſſimum Saturninum, & Dionyſium eorúmque ſodales : quos ideo *ab Apoſtolorum ſucceſſoribus*, non certè remotis (aliàs à ſancto Leone vel ſancto Gregorio, qui Apoſtolorum quoque fuere ſua quiſque vice ſucceſſores, ipſos Saturninum & Dionyſium deſtinatos in Galliam aſſerere, ex hac nota liceret) ſed, proximis & immediatè ſequentibus, adeóque præcipuis eorum diſcipulis & adiutoribus, totóque ex aſſe hæredibus, (qualis imprimis Clemens fuit, cuius Paulus Apoſtolus ſcribens ad Philippenſes honorificè meminit:) Philip. 4.
delectum fuiſſe in partem miniſterij huius, hoc eſt Apoſtolatus Gallici functionem, neceſſe omnino eſt intelligere & fateri. Et quidem ambos à ſancto Clemente fuiſſe diuinos hos Heroës ad inferni monſtra excindenda, & erigenda Chriſti rediuiui & glorificati trophæa, ad Gallias tranſmiſſos, vetus vel illud apographum, de geſtis ſancti Dionyſij quod Engoliſmæ aſſeruatum ſua ætate affirmabat Clericus ille, quem Boſquetus loquentem refert* in Concilio Lemouicenſi ante annos 600. expreſsè perhibuiſſe liquet, ex ipſa eiuſdem relatione. Sic enim ille fatur. *Hæc mihi non diſcrepare videntur à ſcriptura, quæ penes nos Engoliſmæ de Dionyſij geſtis habetur. Ibi enim legitur quia Clemens quemdam Philippum ordinauerit Epiſco-*

* Part. 2. pag. 67. & 68.

*pum, & Hiſpaniæ ordinauerit ad prædicandum. Dionyſio verò verbi diuini ſemina gentibus tradidit eroganda, quem in Galliam miſit, ſociòſque ei Saturninum, Marcellium & Lucianum, atque Ruſticum & Eleutherium adhibuit. Qui cùm ſimul perueniſſent ad portum Arelatenſium ciuitatis, Marcellus in Hiſpaniam abiit * Saturninus autem Toloſam profectus eſt. Et* DIONYSIVS *cum Ruſtico & Eleutherio Pariſios adierunt.* Ita in illis Dionyſij actis perantiquis, etiam ab inuido relatore pleno in Synodico conſeſſu, ante ſex ſæcula recitatis, & à nupero acriori aduerſario productis, legebatur. Vnde conuincitur malæ fidei Boſquetus, qui vt ſuadeat Dionyſium miſſum fuiſſe ſub Decio, vel etiam Diocletiano, acta quæ affert ſancti ipſius Dionyſij ſic legenda ſuggerit, vt prædicandi in Gallia munus illum accepiſſe dubiè perhibeant *ab Apoſtolorum ſucceſſoribus*, nullius fixa aſſignata deſignatione: vt liberiùs ad poſteriora tempora illum diuinum Galliæ Doctorem ac Apoſtolum deduceret. Non tamen id fecit intrepidè, ſtimulis enim agitatus conſcientiæ, vt inſtabilis hæc clauſula dubia indicaretur, illam diuerſis à cætero textu minoribúſque exarauit apicibus, aſteriſcóque adhibito ſic in margine legendum admonuit. *Aliàs: qui tradente beato Clemente Petri Apoſtoli ſucceſſore.* Quæ profectò verba ad marginem non fuerant velut minùs germana, quàm quæ in ſeriem ipſam intruſit, releganda: ſed ſuppoſititiis illis neglectis & abiectis in textum ipſum repo-

* Hic eſt Eugenius Toletanus, de quo copiosè dictum eſt ſuprà.

nenda; vt genuina pote prorſúſque natiua: quandoquidem in omnibus authenticis actis & veteribus Codicibus optimæ notæ, de geſtis ſancti Dionyſij, vt propria & primitiuo textui germanè cohærentia, exprimuntur & conſpiciuntur, teſtimoniíſque firmata ducentorum ſupráque vt ita dicam auctorum inſignium, quos ſuperiùs per ſæculorum ordinem induximus; atque auctoritate Eccleſiarum Cathedralium, aliarúmque illuſtrium innumerarum confirmantur, quæ ea ex actis ipſis germaniſsimis deprompta, ante omnem hominum memoriam ſacris in officiis, nimirum in feſto ſancti Dionyſij, priſco ex vſu recitantur, in quarum myſticis libris, breuiariíſque MSS. vetuſtiſſimæ notæ, deſcriptum hoc matutinæ ſynaxis celebre reſponſorium legitur. *Beatus Dionyſius Chriſti Martyr, tradente beato Clemente eroganda gentibus ſemina diuina ſuſcepit. Et quo amplius gentilitatis feruere errorem cognouit, illuc intrepidus & virtute fidei armatus acceſſit*, &c. quæ eadem verba non ſemel pro antiphonis replicantur. Cùm ita igitur ſint authentica & celebria, à Boſqueto non potuerunt, vt ſpuria ad marginem reiici, ſine graui iniuria & patenti offendiculo Eccleſiarum Occidentis, quæ illa iamdudum tam ſolenni praxi diuinis in præconiis vſurpata probauerunt: & abſque ingenti vituperio, tot teſtium grauiſſimorum, ſua cuiuſque ætate productorum, qui ea pura, germana & vera ac indubitata agnouerunt, citaue-

runt, tranſcripſerunt. Immò ita abiici extra claſſem ab ipſo Boſqueto illa verba nequiuerunt, ſine grauiſſimo eius conſcientiæ piaculo & reatu. Non potuit enim illa legere in priſcis monimentis intra textum conſerta, & nihilominus extra ſeriem reiicere priuato ſuo iudicio, ſine labe ſpontaneæ noxæ, contractæ, ex bonæ ſcilicet fidei deliquio. Quòd ſi velit piaculum declinare, non ſufficit, vt codicem illum quem ſecutus eſt ita habuiſſe, vt exſcribit proteſtetur: neque enim veriſimile eſt, ita vllibi fuiſſe ſcriptum. Porrò ſi in illo codice (quem vnde acceperit non indicat) ita legebatur, non debuerat tamen Boſquetus deprauatum tam manifeſtè codicem, contra tot aliorum tenorem, Eccleſiarum fidem, commune Sapientum, Sanctorúmque qui ſicut nos legerunt (vt compertè probatum eſt) teſtimonium & conſenſum, immò contra acta quæ vt authentica prodit 2. part. pag. 67. & 68. præferre tot aliis libris, teſtimoniis, monimentis, ſecus habentibus. Neque enim ſe poteſt alia excuſatione tueri, ſi dixerit ſe haud aduertiſſe illum codicem eſſe vitiatum. Hoc effugium enim fortiter excludunt tres in aduerſum rationes. PRIMA, quòd ſatis apparuerit illi deprauatus, ex ipſa, quâ cum omnibus aliis codicibus vitæ & paſſionis ſancti Dionyſij, Eccleſiarum liturgicis libris, ſcriptorum cuiuſque ætatis inſignium teſtificationibus, cõtrarietate pugnat. SECVNDA, quia codicis illius, ſimiliúmque ſi

quos habuit Boſquetus corruptio, vel manifeſta ſatis ſupérque ex eo euadit, quod codex iſte mendoſiſſimus Lutetiam faciat Germanorum ciuitatem, Germaníſque illius vrbis incolis Dionyſium prædicaſſe verbum vitæ, referat. Sic enim ibi. *Pariſios Domino ducente peruenit, nón veritus incredulæ gentis expetere feritatem.* Cuius putas gentis? Audi corruptiſſimi codicis ridiculam cantilenam. *Tunc memorata illa ciuitas & conuentu Germanorum, nobilitate pollebat*, &c. Et infrà. *Tantas per illum Dominus dignabatur exercere virtutes, vt rebellium corda Gentilium non minùs miraculis quàm prædicationibus obtineret, miróque modo inermi viro non valebat plebs armata reſiſtere, ſed ſubdebat ſe illi certamini, Germaniæ ceruicoſitas*, &c. Scilicet Lutetia, non Gallorum (qui nuſquam in illa farragine nominantur) ciuitas, ſed Germanorum vrbs erat? ibíque non Gallis, ſed Germanis ſanctus Dionyſius tanta vi, tanto ſplendore prædicabat, *vt armatam plebem*, *Germaniæ* nimirum *ceruicoſitatem*, ipſe inermis, ſuis miraculis & incenſis ſermonibus Chriſti regno ſubigeret? hanc næniam quis parumper naſutus non deprehendat? quis vel modicum in libris exercitatus hanc perſpicuam corruptelam erratúmq. tam patens non animaduertat? Certè enim ſemper Lutetia Gallorum ciuitas, Germanorum nunquam fuit. Quam etſi Franci ex Germania erumpentes aliquando ſui iuris fecerunt, nondum tamen cùm paſſus eſt Dionyſius, illam occupauerant: etenim nonniſi quinto iam

excurrente Chriſtianitatis ſæculo, Gallias illi inuaſerunt. Perperam igitur putauit ignarus ille rapſodus, qui primùm pſeudographam illam narratiunculam de paſſione ſancti Dionyſij exarauit, Francos quos videbat Pariſiis imperantes, ibidem ſemper antea, regni ſedem habuiſſe. Quo acumine vt ſe ſciolum proderet, Gallorum ſuppreſſa (vt iam à Francis planè deuictorum) mentione, Francos ipſos noluit proprio nomine deſignare, ſed Germanorum inſigniuit vocabulo: quoniam ex Germania prodeuntes, Galliarum ſibi imperium fortiſſimo incurſu vendicârunt. At ineptè prorſus exiſtimauit, illìs Pariſiis iam regnantibûs, ſanctum Dionyſium prædicâſſe, qui Rhenum anno 428. nondum fauſtis auibus tranſilierant, quo anno ab Ætio magiſtro equitum, pulſi fuerunt Galliæ illa parte, quam prope Rhenum aliquandiu occupauerant. Redierunt autem poſtea feliciori progreſſu, ſed tamen Lutetiam Pariſiorum non ante annum Chriſti 456. ſibi ſubdidère. Hoc enim anno, vt Sigebertus notat, & acta ſanctæ Genouefæ perhibent, Chilpericus Francorum Rex Lutetiam ingreſſus, regni in ea potentiſſimi fundamentum collocauit. Quo tempore ſanctum Dionyſium prædicâſſe Pariſiis, abſurdum prorſúſque ridiculum eſt comminiſci. Fatentibus enim aduerſariis iamdudum per agonem glorioſum terris exceſſerat, & ad triumphum cæleſtem cum ſuis comilitonibus perrexerat. Putidis igitur men-

dis ſcatet, apertíſque commentis refertus eſt peſſimus ille codex, quem *optimæ notæ* Boſquetus nominat. TERTIA denique ratio, quæ conuincit illum exploratæ fallaciæ, ex eiuſdem ore depromitur. Fatetur etenim non ſolùm omnes fermè Scriptores (at ſecus docentes inſignes nullos habet) tradere ſanctum Dionyſium à ſancto Clemente Pariſios miſſum fuiſſe, ſed inſuper agnoſcit *part.* 1. *pag.* 50. *paßiua ſancti Dionyſij acta* huic aſſertioni conſentire. Ergo deprauatum apertè vnum codicellum, contra communem probatorum authorum ſententiam, apertámque actorum exploratorum paſſionis ſancti Dionyſij fidem, & propriam experientiam, amplecti non debuit: nec ſine ſpontaneo reatu, quo conſpicuam niſus eſt obſcurare veritatem, ſanctum Dionyſium à beato Clemente non fuiſſe miſſum, lectori ſuggerere tentauit, genuinam repudiando, & ſpuriam admittendo ſcriptionem.

ARGVMENTVM II.

Depromptum ex actis ſancti Marcelli Martyris à Boſqueto productis. Lib. 1. ſuarum hiſtor. cap. 25. pag. 50.

AB eo tempore (Ludouici ſcilicet Pij imperio) non omnes Gallos huic nouæ traditioni manus dediſſe legimus. In Concilio Lemouicenſi, &c. Clericus quidam Engoliſmenſis vulgarem de Dionyſio opinionem

arguit, ipſúmque Areopagitam omnino negat. Id olim ſe vulgi ſententiam ſecutum exiſtimaſſe fatetur: at Marcelli Martyris vitâ perlectâ mutâſſe ſententiam. Illic enim Dionyſius & Saturninus fratres, Ægeæ filij, Româ à Clemente miſsi, & Sixto Papâ ac Laurentio hortantibus, Marcellus alter frater ſecutus in Gallias. Inde infert Boſquetus, Dionyſium noſtrum fuiſſe Sixto & Laurentio ſynchronum, qui anno Chriſti 260. hoc eſt octauo (vt vult) poſt Saturnini paſſionem anno vixêre. Proinde Dionyſium ipſum Areopagitam haud eſſe poſſe.

RESPONSIO.

Antidotum contra venenatam hanc ſuadelam, ex ipſius meatibus elicimus, ſic enim habent acta pſeudographa citata ab illo Clerico (cuius fidem iudiciúmque poſtea examinabimus) in Concilio Lemouicenſi, hincque ab Boſqueto deſcripta, *part.* 2. *pag.* 67. quæ ſemetipſis aduerſa, ſeſe deſtruunt, ac euertunt funditùs, illâ ipsâ qua conſtant tam falsâ quàm ridiculâ dictorum congerie. Vbi enim ineptus ille orator Patribus Concilij perſuadere conatus, ſe exquiſitam in Dionyſij Areopagitæ & Pariſienſis inueſtigando diſcrimine diligentiam adhibuiſſe, patentiſſima inflatus ignorantia, aſſeruiſſet. Dionyſium Areopagitam, fuiſſe Corinthiorum illum Epiſcopum, quem ſanctus Hieronymus in Catalogo Scriptorum Eccleſiaſticorum commemorat fuiſſe ſub M. Aurelio clarum, nempe anno

175.

175. (qui error exploratiſſimus eſt, ſupráque exactè confutatus vbi de Abaillardi palinodia fuit actum) ſubinfert alium omnino eſſe ab eo, qui Pariſiis paſſus eſt. *Hic autem*, inquit, *de Francia Dionyſius, vnde fuerit oriundus in paßione ſancti Marcelli fideliter indicari mihi videtur. Sic enim habetur. Puer quidem Marcellus cæpit timere. Tunc ſanctus Laurentius corroborans ætatis eius infantiam, ait ad eum, Marcelle, genitor tuus Ægeas noluit Chriſtum credere: nam mater tua Marcellina & fratres tui Marcellinus & Dionyſius, iubente ſancto Clemente Papa vrbis Romæ, partibus Galliarum, vt ad fidem Chriſtianam gentes inſtruerent directi ſunt, vade ad eos ne pereas in manu Decij.* Et infrà dicitur. *Profectus Marcellus cum Anaſtaſio comilitone Chriſtiano, vt iret vbi confrater ſuus Saturninus Epiſcopus peruenit vſque ad Argentomagum, vbi à Præſide comprehenſus, inquiſitus eſt vnde eſſet, aut de qua Prouincia & ciuitate veniſſet? puer reſpondit, Chriſtianus ſum, ab vrbe Roma exiui, & propero ad ciuitatem Toloſam, vbi fratres mei Saturninus & Dionyſius commorantur. Cui Heraclius præſes ait, dic mihi vocabulum patris ac matris tuæ. Puer reſpondit, pater meus Ægeas, & mater mea Marcellina nuncupati ſunt. Sed ſi velint Epiſcopi, ipſa paßio in Concilio eorum poteſt ſine mora deferri. Hæc mihi non diſcrepare videntur à ſcriptura, quæ penes nos Engoliſmæ de Dionyſij geſtis habetur. Ibi enim legitur quia Clemens quendam Philippum ordinauerit Epiſcopum, & Hiſpaniæ ordinauerit ad prædicandum: Dionyſio verò verbi diuini*

ſemina gentibus tradidit eroganda, quem in Galliam miſit, ſociòſque ei Saturninum & Marcellinum. (debuiſſet addere germanos fratres, vt fabulæ de Marcello præinductæ, tiſſura hæc agonis ſancti Dionyſij, aptiùs cohæreret) *& Lucianum atque Ruſticum & Eleutherium adhibuit; qui cùm ſimul peruenìſſent ad portum Arelatenſium ciuitatis, Marcellinus in Hiſpaniam abiit. Saturninus autem Toloſam, profectus eſt, & Dionyſius cum Ruſtico & Eleutherio Pariſiis adierunt. Lucianus verò Presbyter ad Bellouacenſem profectus eſt vrbem. Iulianus quoque Cenomanenſis, vt in geſtis eius reperimus, genere Romanus fuit. Saturninus autem, vt paſſio eius docet, tempore Diocletiani & Maximiani, Decio Germanico & fratre Conſulibus paſſus eſt.* Ita ſtolidus ille & frontis prorſus inuerecundæ declamator, nugabatur. Cuius aperta deliria miror admodum quo pacto Boſquetus vir litteratus & in hiſtoria ceteroqui exercitatus, pro oraculis inducat, iiſque quaſi magni momenti auctoritatibus tanta in controuerſia innitatur. Certè enim, quis vel modicum peritus ſacrorum ciuiliúmque annalium, prorſus inſanire illum Engoliſmenſem Clericum protinus non aduertat? cùm Dionyſium & Saturninum miſſos in Galliam à ſancto Clemente referat aſſerátque, & nihilominus ſynchronos ſancti Laurentii & Sixti Papæ II. cuius ipſe Laurentius Archidiaconus fuit, eoſdem efficiat. Quem quidem Saturninum (cuius dicit ſanctum Dionyſium fratrem) ſub Diocletiano & Maximiano

nihilominus paſſum concludit. Hoc enim ſi verum eſſet, natum Saturninum ipſum, poſt martyrium ſancti Laurentij neceſſe foret concedere. Et ſic ex aduerſo falſum vtique eſſet, illum ei fuiſſe contemporaneum. Qui ſanè ſi miſſus fuit cum Dionyſio à Clemente, & nihilominus ſub Diocletiano mortuus eſt, ſupra ducentos annos Clementi ſuperuixiſſe eundem Saturninum, conſequentérque illum Dionyſium (quem ab illius ætate, paſſioníſque communi tempore Clericus ille conſignat, effingítque eiuſdem germanum) dicere oporteret. Quid quod addit tempore Diocletiani & Maximiani Saturninum eſſe paſſum, ſignátque nominatim Decio Germanico & fratre Conſulibus? qui ſanè ſub illis Imperatoribus in faſtis nuſquam apparuerunt, immò neque ſub illis Imperatoribus viſi ſunt? Signatur quidem in Conſulum faſtis Decius Imperator (qui 1. anno principatus nempe Chriſti 253. Decium filium ſuum Cæſarem dixit, & 2. ineunte imperij anno cum eo in Moëſia interfectus eſt) tribus vicibus Conſul, ſed numquam cum fratre, at primùm & tertiùm cum Grato, ſecundùm verò cum filio Decio iuniore, qui in Conſulum tabulis & priſcis inſcriptionibus, Etruſcus cognominatur. Sed Decius Imperator nec in faſtis, neque in vllis antiquis monimentis vnquam vocitatur Germanicus. Memoratur autem Germanicus Cæſar ſub Auguſto Conſul cum Fonteio. Iterúmque ſub Tiberio cum ipſomet Tiberio

Imperatore. Sed quod iſte Germanicus Conſulatum geſſerit ſub Diocletiano & Maximiano, æquè ridiculum eſt ſomniare, ac abſurdum prorſus eſt & omnino repugnans temporum dimenſionibus, Dionyſium noſtrum Saturninúmque ponere ſub Diocletiano & Maximiano agonem obeuntes; quos ineptus ille fabulator temporibus Apoſtolicis floruiſſe nihilominus commemorat, dum ſemel atque iterum affirmat; à ſancto Clemente Papa in Gallias miſſos fuiſſe. Nemo enim dubitat Apoſtolorum ætate vixiſſe Clementem: quem præter indices Pontificales & omnes ſacros hiſtoricos & ſcriptores qui id teſtantur, conſtat Paulum Apoſtolum inter ſuos adiutores numeraſſe PHILIPP. 4. Nec elabi poſſet ſtolidus ille tam putidarum fabularum perorator & conſignator, ſi de Clemente I. ſe non inſinuare quæ refert, at de II. cauillaretur. Maiori enim incommodo ſeſe inuolueret. Cùm res ſit quàm Sol ipſe magis perſpicua, à beato Clemente Apoſtolorum alumno ac ſucceſſore, nullum æquiuocum in Petri Cathedra conſediſſe, niſi illum Clementem, ideo ſecundum ab eo numeratum & dictum, qui Gregorio ſexto vi abdicato ſuffectus, nouem duntaxat menſibus Pontificatum geſſit: electus enim fuit anno 1044. & obiit anno ſequenti menſe Iulio. Ab hoc igitur Pontifice qui mille ferè annis à primo Clemente ſedit, comminiſci Saturninum & Dionyſium deſtinatos ad prædicandum in Galliis primum Euan-

gelij nuntium, & quidem ſub Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, Decio Germanico & fratre eius Conſulibus, eſt perquam ridiculum prorſúſque à ſanæ mentis hominum iudicio conſenſúque abhorrens. Ideóque neque prætendere ſibi poteſt tam ineptum effugium, fabularum ille narrator & artifex. Qui cùm cogatur his perſtrictus anguſtiis ad Clementem I. regredi, à quo legatos iterum atque iterum agnoſcit & teſtatur Dionyſium & Saturninum in Gallias; falſam prorſus neceſſe eſt fateatur illam putidam, quam non erubuit pro certa & exquiſita hiſtoria in conſpectu Patrum Synodi Lemouicenſis enarrare atque celebrare commentationem, de ſancti Marcelli geſtis, quem dum puerum à ſancto Laurentio inſtructum ac inſtigatum ad Gallicum agonem; vnáque fuiſſe fratrem ſancti Dionyſij Pariſienſis & Saturnini Toloſani protomyſtarum affirmat: coætaneum S. Clementis nihilominus, cum fratribus, perperam aſſerit. Immò ipſum ſanctum Laurentium à quo edoctum refert illum Marcellum ipſius B. Clementis ſimul ſynchronum temerariè effingit: quem deinde cum ipſis Saturnino & Dionyſio ad tempora vſque Diocletiani tam falsò quàm ineptè detrudit. His enim manifeſtæ contradictionis ambagibus ſeſe implicat, inuoluítque inextricabilibus mendacij nexibus, architectus ille infelix tam abſurdorum paradoxorum, & deliriorum ita patentium; quin & labe intole-

rabilis impudentiæ, & putidæ ignorantiæ ſordibus totum ſe aſpergit ac inficit. Quamobrem indignum prorſus ſe prodit qui audiatur. Iure igitur è veſtigio declamationis fuit exploſus, & dictorum eius tam futilium quàm mendacium non alia ratio à Patribus habita eſt, quàm ſi quis motæ mentis hominis ineptias audiendo, ipſas quidem contemneret: morbidi tamen cerebri miſero nugatori condoleret: inſaniẽtis etenim morbo potiùs quàm delirãtis, abſonis factis aut dictis attendendum, quiſque ſapiens arbitraretur. Qui fit vt Boſquetus nulla ſe poſſit excuſatione tueri, qui inſulſi adeò declamatoris auctoritate, Dionyſio glorioſiſſimo Galliæ Apoſtolo, primariæ antiquitatis gloriam detrahere rigidè ſerióque contendit. Nec enim illum fugere potuit, quantis abſurditatibus & ineptiis illa narratio, è fabulis ita exploratis penitus conſarcinata, ſcateat. Quod ipſe etiam inuitè licèt, haud obſcurè tamen confeſſus eſt, nihilominúſque pondus illam retinere hac in controuerſia, non exile voluit. Sic enim eloquitur, poſtquam eius ſeriem obiter, quam profusè alibi refert, expreſſit. *Quæ* (in hac relatione habentur) *licèt confuſa & falſis veriſque compoſita, maximè perturbata ſint, lucis tamen radium aliquem immittunt, & veritatem nobis afflant.* Vnde obfirmatè illam inconditam ridiculámque & mendaciis refertam quantumuis farraginèm, ſequitur lib.3. pag.120. 128. 130. & 145. &c. Sed quæro à Boſqueto, quam veritatem ex

ſcatente tota ſerie illa commentatiuncula deliramentis poſſit elicere? ſi leuis error in huius notatione aliqua, deprehenderetur, facilè condonarem: neque enim inficiarer ex ſyncera, ſi ceteroqui eſſet, relatione aliquid certi depromi poſſe. At conſcriptio illa meris putis conſtat mendaciis, falsíſque prædicamentis tota exuberat: nulláque periodus in ea eſt, quæ non euidentem inuoluat contradictionem. tota enim vbique ſibimet repugnat, & omnium ætatum conſenſui patentiſſimæque in omnibus libris veritati aduerſatur. Igitur nihil ex ea, quod certitudinem efficiat, veritatis purum afferat lumen, elici poteſt. Quemadmodum enim ſacra oracula docent, *non è ſpinis vuæ colliguntur, neque lux oritur è tenebris, neque ex amaro fonte aqua hauritur dulcis*, neque ex mendacij putida ſentina, veritatis prodeunt puri latices. Damnauit ideò Gelaſius Papa in Romana Synodo, cum ſeptuaginta Epiſcopis celebrata, apocryphas eiuſmodi beatorum Martyrum hiſtorias, ne quid gliſceret ex illarum commentis in Chriſtianorum animos, quod à veritate & grauitate Eccleſiaſtica diſcreparet. *Propterea in ſancta Romana Eccleſia*, inquit, *non leguntur, ne vel leuis ſubſannandi orire-tur occaſio.* Quam in claſſem relegandam eſſe illam pſeudographam ſancti Marcelli paſſionem, Boſquetus, qui eam in cauſæ ſuæ ſubſidium profert, inficiari nequit, quæ tot ſcatet mendis, immò mendaciis, næniis, deliramentis, paradoxis;

Matth. 7. 16. 2. Cor. 6. 14. Iacob. 3. 11.

Can. ſancta Romana diſt. 15. cap. 3.

patuliſque in hiſtoria Chronologiáque erroribus, vt legi ſine riſu, vel potiùs ſine horrore & ſtupore peritorum auditorum non poſſit. Vnde non mirum ſi à Patribus reiecta fuit, illarúmque in numerum relata, quæ ſpuriæ hactenus cenſitæ ſunt. Quamobrem hâc neglectâ legendâ aſpernabili, tam Epiſcopi, quàm Eccleſiæ Galliarum in antiquiſſima ac receptiſſima ſententia de S. Dionyſij vera ætate, ac gloria Apoſtolica de cetero vt in antea perſtiterunt, quemadmodum palam fit ex præſignata inductione teſtium, cuiuſque ab hinc ſæculi inſignium, hanc quàm auitam tutarunt ſententiam, continua ſerie approbationis, obfirmantium. Quibus ſatiùs profectò eſſet Boſquetum aſſentiri, quàm tam inſulſæ adhærere fabulationi, omnibus falſitatis characterib. inſtructæ, à qua ſanè tuenda diſcedere tandem debet, tam multiplici illius falſiitate iam comperta: axioma enim iuris ſacri eſſe, ipſe qui iuriſperitus eſt, non ignorat. *Falſitatem inſtrumenti, cuius vigore lata fuit ſententia, probare; ad retractandam ſufficere ſententiam.* gloſ. *opponi*, & gloſ. *ſe aſtrinxit*, in cap. *licet cauſam. tit. de probat.* falſitatíſque notas elici ex mala deſignatione anni, diei, ſtyli, incongrua connexione, rerum non ſyncera inſinuatione, *Capite inter dilectos. titulo de fide inſtrumentorum, & gloſ. penult. in cap. licet de crimine falſi.* At iis defectibus maculíſque ſcatet tota ſeries putidæ illius narrationis, à Clerico Engoliſmenſi in Synodo Lemouicenſi temerario auſu

recitatæ, ſed à Patribus reiectæ: qui illam ita ridiculam cantilenam Concilij geſtis aut decretis inſeri noluerunt, vt videre eſt in authentica illius Synodi deſcriptione apud Baronium & Binium, vbi nec vlla illius ſyllaba tranſcribitur. Sed hæc fabuloſa farrago, alia rurſum exploditur iuris Eccleſiaſtici regula, qua decernitur *falſitatis permixtionem, in ſcripturis totam vitiare ſcripturam. can. ſi ad ſcripturas diſtinct. 9.* Igitur ſi vna duntaxat in hac relatiuncula notaretur explorata falſitas, indignus eſſet fide totus eius contextus. At conſpicuis mendaciis erroribúſque omnis illa conſtat ſeries. Quamobrem nullius eſt auctoritatis idonea, at prorſus ad probandum quicquam inefficax ac inepta. Magíſque valet ad noſtrum aſſertum (quod ex ea impugnat Boſquetus) confirmandum, quàm tantiſper conuellendum.

ARGVMENTVM III.

Ex actis Sanctorum Martyrum Fuſciani & Victorici à Boſqueto inductis 1. parte hiſtoriarum ſuarum lib. 4. cap. 10. & parte 2. pag. 68.

ANNO Chriſti 296. Diocletiani ſcilicet & Maximiani duodecimo, Quintini martyrium accidiſſe oportet, & anno ſequenti Victoricus & Fuſcianus paſſi ſunt. Qui Dionyſij ſocij erant, vt patet ex illorum Martyrum paſſione exarata in 2. part. pag. 156. & 157.

manuſcriptis codicibus, quæ Dionyſij & ſociorum aut diſcipulorum ætas, ad Maximianum refertur. Sic enim habet.

Eodem tempore quo Maximianus truculentiſſimus Auguſtus, per arua Galliæ præſidebat: Rectio Varo Præfecturæ dignitatis agi præcepit. Sancti ergo viri Fuſcianus & Victoricus cum duodenario numero ſociorum, per ordinem glomerati, vnà cum venerabili Dionyſio Præſule *, *comitibus ceteris Piatone, Ruffino, Criſpino, Criſpiniano, Valerio, Luciano, Marcello, Quintino, & Regulo progredientes curſu intrepido pro Chriſti dimicantes victoria, bellatores Dei egregiè intra fines Galliæ, vrbe Pariſius duce Chriſto itineris, peruenerunt*, &c. *Igitur ſancti Dei cultores Fuſcianus & Victoricus, ab vrbe Taraſconenſi prædicandi gratia, greſſu celeri petierunt. Sanctus quippe Quintinus diuino fultus oraculo Ambianenſium vrbis laudabilis extitit prædicator*, &c.

* At vbi erant Ruſticus & Eleutherius? vbi Saturninus, Paulus, Trophimus, aliíq; à Gregorio memorati: quos fuiſſe tradit numero tantùm ſeptem? de quibus tamen hîc nihil prorſus: cùm præcipuè cônumerari debuiſſent. Adiectitia igitur planè videtur illa particula, *vnà cum ven. Dionyſio Præſule.*

Patet igitur ex hac paſſione Martyrum Fuſciani & Victorici, illos cum ſancto Dionyſio tempore Maximiani in Gallias aduenisſe. Proinde ipſum Dionyſium qui Pariſienſem Eccleſiam erexit, nonniſi circa finem tertij ſæculi, ſcilicet ſub Diocletiano & Maximiano, Galliæ illuxiſſe.

RESPONSIO.

Numquam Boſquetus notat vnde Sanctorum acta, quæ ad euertendam antiquam traditionem, receptáſque pridem eorumdem hiſtorias obliterandas affert, ad ſuorum paradoxorum fulcimen-

tum accepta habet. Satis ei eſt in eorumdem limine innuere, quæ typis recèns expreſſa prodit apographa deſumpta eſſe *ex Manuſcriptis Codicibus*, addítque aliquando illos eſſe *optimæ notæ*, at ſubnectere debuiſſet, nemini niſi ſibimet ſoli compertæ: cuius auctoritas maximè in ſacris controuerſiis & nouis, quas ipſe excitat contra maiorum placita litigationibus, non tanta eſſe debet vt ſine fideiuſſore vim habeat, adeóque præualeat in iudicio, contra traditiones ipſas Patrum & ſæculorum conſpiratione firmatas; maximè cùm in ſua cauſa nemini, ſolo ex verbo credatur, nullúſque in ſua lite teſtis poſſit eſſe ac Iudex. Non ſic cum illo nos geſſimus: cùm enim germaniſſima aduerſus illius fabulas promeremus Sanctorum acta paſſiua, non nuda illa protulimus, ſed adminiculata multiplici illorum ſynceritatis confirmatione. Vel enim ab auctoribus magis conſpicuis illa mutuata prodidimus, vel ſi ex antiquis ea expreſſimus monimentis, codices non ſolùm Manuſcriptos & peruetuſtos ex quibus illa deſcripſimus, eſſe, lectori ſignificauimus, at etiam vetuſtatis indicia aſſignauimus, loca ſacra atque illuſtria ſcrinia vbi aſſeruantur, vel vnde nobis accommodata ſunt indigitauimus: narrationéſque in iis deſcriptas, quæ ad rei controuerſæ definitionem magis conferebant, ſtuduimus authenticis probationibus fulcire, vt videre eſt in productione paſſionum Sanctorum Martyrum Luciani, Ionij, Caraunij,

Nicaſij, Eugenij & Eutropij, quas ſuprà propriis locis inſinuauimus.

Hanc autem expoſtulationem hîc neceſſe cenſuimus contra Boſquetum inſtruere, quoniam non ſolùm alia quæ protulit acta his prædicamentis carent penitus: ſed & paſſio iſta Sanctorum Fuſciani & Victorici, quam tanta educit pompa in aciem, nulla ſigna habet eiuſmodi præuia, quibus genuina appareat, & authentica perhibeatur. Quin ex aduerſo nonnulla in ipſa video indicia fucatæ texturæ & corruptæ compaginationis. Nam vim facit ex hoc Boſquetus aduerſus noſtram, hoc eſt Patrum apertam ſententiam, quâ Dionyſium Pariſiorum Præantiſtitem, beati Pauli Apoſtoli alumnum illum inſi-
Act.17. gnem, quem Areopagitam S. Lucas in Actis Apoſtolorum cognominat, aſſerimus: Quòd paſſio iſta, diſertè illum, omnino alium eſſe oſtendat. In hac enim longè iunior commemoratur: cùm trecentis fermè poſt Chriſtum annis perhibeatur cum Sanctis illis Martyribus, necnon Quintino Viromanduorum illuſtratore ac Martyre, temporibus Maximiani & Diocletiani Gallias ingreſſus, primum Chriſti præconium Pariſiis nunciâſſe. Verùm authentica Sanctorum Fuſciani & Victorici, necnon etiam Quintini, & aliorum ipſis aſſeclarum, nihil prorſus ferunt de Dionyſio primo Pariſiorum Hierarcha, eorum comite, ſiue duce. Extant apud Petrum Exquilinum lib. 1. Catalogi cap. 57. Et apud Boninum

Mombritium, *tom.* 1. *de Sanctis*; ſed neutrobique de Dionyſio quicquam legitur: cuius ætas Apoſtolica, conſpicua eſt in actis ſancti Reguli, quæ infrà in eius proprio elogio propria & ſyncera afferemus; atque in actis authenticis ſancti Luciani ſuprà productis. Porrò in actis germanis S. Piatonis nec apex de ſancto Dionyſio cernitur, vt clariſſimè demonſtrat neruoſéque probat Pleſſeus, tam *in aſſertione Epiſcopatus ſancti Piati Apoſtoli Neruiorum*, quàm *in ſaluationibus pro eadem aſſertione*, Tornaci anno 1619. & 1626. editis. Marcelli ſuperiori argumento geſta à Boſqueto deprompta ſpuria & inania quin & falſa & ridicula planè euicimus: quæ verò genuina ſunt de eo relata ab Exquilino lib. 6. cap. 24. aliáque antiquæ fidei, ex quibus eius Anaſtaſiíque ſocij elogium texuimus in Martyrologio noſtro 3. Idus Iulij, nec ſyllabam vllam habent de Marcelli ipſius, Anaſtaſiíque cum Dionyſio conſociatione. In actis authenticis ſancti Quintini, eius ſocij qui plerique ſunt numerantur, at ſanctus Dionyſius prorſus ſiletur, vt oſtendit Claudius * Fonſius doctiſſimus Iuriſperitus, in ſua *Hiſtoria ſancti Quintini Viromanduorum Apoſtoli, Martyris & Tutelaris, pag.* 12. & 13. Vbi etiam eos refellit qui cum ſancto Dionyſio à ſancto Clemente miſſum illum cum aſſeclis fuiſſe volunt: ex actis probatiſſimis ipſius ſancti Quintini, atque ex geſtis Sanctorum Victorici, Fuſciani, Criſpini & Criſpiniani, relationéque ac iudicio Meieri & Molani. Sed & Lo-

* aliàs, *De la Fons.*

crius, *in Chronico Belgico*, ex priſcis monimentis miſſionem illorum deſcribit, quin & catalogum delineat eorumdem, nec tantillum ſancti Dionyſij meminit. Criſpini autem & Criſpiniani acta puriſſima, primámque antiquitatem ſpirantia, alia ab iis quæ Surius (quem Boſquetus tenŭis facit paſſim fidei) habet, integra refert Mombritius tom. 1. de Sanctis, ſub titulo *paßionis Sanctorum Criſpini & Criſpiniani Martyrum*: quos quidem concurriſſe in Galliam cum ſancto Quintino & ſociis paſſiua illa acta in ipſo exordio perhibent: nihil autem dicunt de beato Dionyſio, qui ob ipſam Pontificatus dignitatem, primus in hoc nobili pugilum agmine, ſi de eorumdem conſortio fuiſſet, omnino conſignandus erat. Fateor pridem in quædam apographa actorum Sanctorum Rufini & Valerij, irrepſiſſe ſancti Dionyſij nomen: ſed errorem illum amanuenſium vitio illa in geſta intruſum, benè ante 800. annos aduertit & emendauit ſanctus Paſchaſius Abbas Corbeienſis, in exordio paſſionis ipſorum beatorum Martyrum Rufini & Valerij, ad fidem antiquorum exemplarium à ſe recenſitæ, atque noſtro ſæculo à doctiſſ. Sirmondo recognitæ, & editæ cum ceteris ſancti Paſchaſij operibus anno 1619. Ibi enim beatus ipſe Paſchaſius inanem illorum refellit pede fixo autumationem, qui illos Martyres ipſorúmque ſymmyſtas Quintinum, Victoricum & Fuſcianum, Criſpinum & Criſpinianum, ſub Diocletiano in agone Chriſtiano co-

ronatos, fuiſſe ſancti Dionyſij ſynchronos, & ab eo adductos in ſecundam Galliam Belgicam exiſtimabant, neſcio qua fama volatili (quam fortè ex pſeudographis hauſerant commentatiunculis) decepti. Magnum enim probat ex veris vtrorumque actis interceſſiſſe fluxum temporis, inter Dionyſij aduentum in Gallias, & illorum acceſſum. Quod temporis ſpatium, *decem & ducentos*, inquit, *non minùs continet annos, qui numerus annorum, & noſtri & illius aui homines non ſolùm certaminis tanti habiles officio denegat, verùm corporis vita fungi penitus recuſat.* Sic indicans fieri non potuiſſe, ſi cum Dionyſio in Gallias venerunt ad tempora Diocletiani perueniſſe, cùm conſtet ſanctum Dionyſium ipſo tempore Apoſtolorum Gallias glorioſo conſecraſſe trophæo, vnde illum ibidem nominat *Luciferum matutinum*: quòd ſcilicet ipſe cum ſociis ſuis (Ruſtico & Eleutherio) aliiſque, primùm infidelitatis tenebras in Gallia diſſipârit, veritatis viam Gallorum populis quibuſdam initiis retexerit, principium gratiæ cæcis adhuc mentibus aperuerit, ideóque potiorem promeruerit illuminationis gentis noſtræ gloriam. *Quoniam luminis ortus omnem claritatis*, inquit, *auſpicatur integritatem, & plenitudinis ſumma principij ſemper ad caput refertur.* Subinſinuat deinde ex dictis Pauli, Dionyſium plantâſſe; Rufinum, Valeriúmque, & eorum collegas poſtea aduenientes, rigâſſe: Deum autem incrementum dediſſe. Ex qua ſancti Paſchaſij aucto-

ritate habes quo pſeudographam illam narratiunculam, à Boſqueto productam, actorum Sanctorum Fuſciani & Victorici, qua ſanctum Dionyſium in Gallias intrâſſe temporibus Diocletiani cum Quintino, Rufino, Valerio, Criſpino, & Criſpiniano, perſuadere tentat, corruptionis euidentiſſimæ, aliáſque quaſuis ſimiles ſi quæ eſſent farragines, vitiatæ notæ euincas; cùm tempore Paſchaſij natiua nitidáque illorum Martyrum Gallicorum acta, minimè ſancti Dionyſij progreſſum in Galliam cum illorum profectione commiſcerent, quin apertiſſimè diſtinguerent, & inter vtramque epocham annorum pluſquam ducentorum conſtituerent interſtitium. Candida enim fide legit & deſcripſit antiqua illa monimenta ſanctus Paſchaſius, ex quibus ſententiam ſuam de beati Dionyſij Apoſtolica ætate communiuit, verámque aſſignauit temporum quæ fluxerunt ab eius Apoſtolatu, ad martyrium illorum qui diu admodum, deinde Belgicæ Galliæ fidei ſidera illuxerunt, felicem in illum concurſum, diſtantiam. Vnde ſecura mente & conſcientia, lectores ſuos ad ipſa autographa ex quibus tam illam hiſtoriam, quàm Chronologiam ſyncera manu expreſſit, ipſemet ſanctus vir doctiſſimúſque ſcriptor, benignis affatibus inuitat, ſéque inde ex illorum primitiuorum, incorruptorúmque actorum (per quæ vitiata correxit) auctoritate tuetur. Sic enim ibidem proloquitur. *Qua de re meritò nos redarguendos non*

æſtimo

æſtimo quoniam ſtuduimus deprauata corrigere, inueterata reparare: quandoquidem per hæc vtilitati legentium deſeruire quæſiuimus. Non enim gestorum fidem corrupimus, ſed noſtro ſub eloquio PRIORVM SCRIPTORVM TEXVIMVS HISTORIAM. *Quòd ſi quis noſtram ſpreuerit editionem* (quam ſuauiori contextu concinnauerat) LEGAT SI MALVERIT ANTIQVAM. Nimirum cui ſua, ſtylo duntaxat diſſimilis, rebus ipſis omnino conformis erat. Ceterùm audito Paſchaſio, quiſquilias ſuas Boſquetus ſuam in ciſtulam feſtiuè reponat. Futiles enim iſtæ ſunt merces, friuolæ ſcilicet illæ nugæ, aniles quas venditat pro hiſtoriis fabulæ, & corruptæ Martyrum Galliæ à Maiorib. inter ſpurias* reiectæ (quas nihilominus antiquis & probatis immeritò præfert) actorum relationes. Has igitur aliis quàm nobis venales de cetero exponat, qui commenta, tam explorata ſpernimus, vel ea numerare nihil aliud eſſe cenſemus quàm operam ludere. Certè illa ipſa quam Boſquetus hic ſcribit ſpuria narratio, ſatis ſibimet derogat fidem, ipſo ex ſpecimine texturæ. Dicebat Paſchaſius corruptas hiſtoriæ Sanctorum tranſcriptiones, *ſermone confuſo & horrido conſtructas, ſuomet inſpectu offendere auditorem, ſententiarúmque & verborum vitiis violatas, ad poſteritatis non eſſe ſtatuendas memoriam.* Liquet verò ex ſuperioribus argumentis, maximè ex ſecundo quam aptè & ad amuſſim iſta prædicata, prolatis à Boſqueto Sanctorum ſuppoſititiis vel deprauatis actis conueniant, in

* Vide Apparatum noſtrũ ad Martyrologium Gallicanum, cap. 7. 14. & 22. necnon Apologeticũ Theologicum pro pio Sanctorũ cultu eidem Martyrologio ſubtextum parte 2. §. 9. qui prænotatur *de Sanctorũ Canonizatione.*

quibus anachroniſmi nō modò ſtupendi irrepsêre, ſed inſulſa quoq. commenta, falſæ narrationes, exploratæ fabulæ, meræ nugæ, inepta attributa, dictorum repugnantiæ intollerabiles, & irridendæ næniæ paſſim occurrunt, quin iis compagibus illarum omnis ſtructura cōnectitur. Huius texturæ quam hîc in ſubſidium ſibi aſſumpſit, & in nos protulit vel vnicum ſpecimen accipe. Ambiani, omnia Martyrologia notant, paſſos extrema pro Chriſti fide glorioſos Martyres Victoricum & Fuſcianum tertio Idus Decembris. Qua in diœceſi, ſecundo ab vrbe lapide, antiquum titulum habent, ſeu Martyrium, nempe Abbatiam (quam conſpexi) ordinis ſancti Benedicti à Fredegunde Francorum Regina fundatam, ab Ingelrano Ambianenſi Decurione, ſeu Comite, regnante Philippo I. circa annum 1080. inſtauratam. Porrò illorum omnia vulgata acta perhibent, ipſos Morinis Ambianíſque contiguis, primum Chriſti præconium nuntiâſſe: quemadmodum in Notis noſtris ad Breuiarium Pariſienſe anno 1631. editis indicauimus, Notâ ſeu obſeruatione 13. à pag. 46. ad 49. ex actis primitiuis Quintinopoli aſſeruatis, Vſuardóque, Exquilino, Molano, Mombritio, Surio, Buzelino, Regnero, Locrio, Ferrario, aliíſque teſtibus conſpicuis. Tamen pſeudagrapha paſſio à Boſqueto deſcripta & laudata, bis illos aſſerit in vrbe Taraſconenſi prædicationem obiiſſe: hincque in finitima Ambianorum ciuitate cum hoſpite Gentiano deprehenſos, extremo

certamine ibidem perfunctos, victoriæ palmam retuliſſe. Quod tam bellè conuenit, ac ſi quis diceret illos in Hiſpania prædicantes, captos Lutetiæ & necatos. Taraſco enim ſeu Tarraco, vrbs eſt antiqua Archiepiſcopalis in Hiſpania, Cataloniæque priſca Metropolis. Ambianſium verò ciuitas (ſicut & huic Morinorum coniunctus ager, vbi glorioſè prædicârunt & triumphârunt beati Fuſcianus ac Victoricus, Chriſti purpurati teſtes) ſitum in Gallia habet conſpicuum, nempe in Picardia, quæ ſecundæ Belgicæ portio eſt inſignis, vt patet *ex antiqua notitia Galliæ*, Martyrologio noſtro præfixa. At non me fugit conſpici Taraſconem oppidum ad Druentiam, Auenioni vicinum. Sed quæ Galliæ Narbonenſi cùm ſecunda Belgica coniunctio, vt Taraſcum cum Ambiano fiat contiguum? Dicet Boſquetus, mendoſè in ſuo archetypo fuiſſe ſcriptum Taraſconem, quia re vera Teruana legendum erat, quæ Morinorum caput eſt. At valdè diſſonant Teruana & Tarraco, ſeu Tarraſcone. Et ſi hoc ipſum fuiſſet mendum ſibi notum, bis, non debuiſſet id ſine vna ſaltem marginali animaduerſione ſuum in apographum tranſcribere. Idcirco neceſſe eſt fateatur, ſeſe vel imperitia deceptum, vel ipſum quod protulit apographum vitioſum eſſe. Quod perperam etiam, *paſſionem Sanctorum Fuſciani & Victorici* prænotauit, cùm is à quo exarata primùm prodiit, illa ipſa tam corrupta támque conſtricta deſcriptio, admoneat

ſe non plenam, natiuam, originalémque rerum ſeriem retexere, ſed aliam extare, pleniorem vtique, ex qua paucula hæc excerpſit (oſcitanter, vt liquet, & cum multiplici labe) *geſtorum quæ iſta commemorant, hiſtoriam.* Hanc requirat igitur Boſquetus, interímque ſciat, *inſtrumentum referens* * *nihil ſine relato probare.*

* Gloſ. 1. In cap. ex inſinuatione, de reſcriptis.

ARGVMENTVM IV.

Ex actis ſancti Iuliani Cenomanenſis primi Epiſcopi à Lethaldo Monacho deſcriptis, eductum à Boſqueto hiſtoriarum ſuarum Lib. 1. cap. 34. pag. 56. 1. partis.

CENOMANENSEM *Iulianum, Dionyſij quoque comitem, ad hunc locum vltimum ſepoſui* (inquit Boſquetus) *propter eius vitam à Lethaldo Monacho ad Aueſgaudum Cenomanenſem Epiſcopum ſcriptam circa annum Chriſti* 1000. *Hic enim Monachus contra ſuorum traditionis temporum auctoritatem, primus omnium arma mouit, Gregorij Turonenſis acerrimus defenſor. Poſteaquam acriter in eos qui Sanctorum memoriæ miraculorum figmentis illudunt, verba fecit: Iulianum* DIONYSII *ſocium, non à Clemente qui ſub Traiano vixit, ſed à Sixto qui Decio Imperatore ſedit, miſſum ait, Gregorij auctoritate opinionem confirmans.* Hinc inferre ergo nititur, Dionyſium non à Clemente ſed à Sixto II. miſſum. Qui enim

ſocius fuit Iuliani, eadem miſſione cum eo in Galliam legatum, ipſum conuenit aſſerere. Nam vt Philoſophus docet, *quæ conueniunt vni tertio, etiam conueniunt inter ſe.*

RESPONSIO.

Structum ex dictis ſcriptíſque Lethaldi argumentum Boſquetus ipſe deiicit ac euertit. Nam pag. 9. 2. part. auctoritatem illi adimit, monet enim lectorem vt aduertat: *Lethaldum Scriptorem vitæ Iuliani Cenomanenſis miſsione Petri profligatâ, in poſteriori miſsione narranda cuncta permiſcere, ex iiſque fuiſſe qui veritatem indagantes, in ea ſtabilienda, certis hiſtoriæ & litterarum adiumentis deſtituti defecerunt.* Sed & 1. part. lib. 1. cap. 34. pag. 56. vbi produxiſſet ipſius Lethaldi nomenclaturam, qua is Euangeliſtas Galliæ recenſet, deſtinatóſque aſſerit diuino munere in Galliam, à ſedéque Romana miſſos: Photinum ſcilicet Lugdunenſibus datum, Arelatenſibus Trophimum, Narbonæ Paulum, Aruernis Auſtremonium, Lemouicinis Martialem, Turonicis Gratianum, Pariſiis Dionyſium, *Cenomanis Iulianum*: Reſcindit hanc ſeriem Boſquetus, hallucinatúmque in ea texenda concinnatorem illum pronuntiat. *Hæc*, inquit, *tamen ſtare non poſſunt, cùm Photinus ſub Aurelio paſſus ſit, nec eius comites ad octuaginta ab eius morte annos perueniſſe probabile ſit. Diuerſis ergo temporibus miſſi, neque Photinus inter hos memorandus.* Igitur ne-

que Dionyſius iis adcenſendus, qui poſt Photinum, vel miſſi vel occiſi fuerunt pro Chriſti fide. Nam ſole clariùs demonſtratum eſt, per continua ſexdecim ſæculorum teſtimonia, perpetuúmque Græcorum ac Latinorum conſenſum, illum fuiſſe à ſancto Clemente directum in Galliam, fuiſſe illuſtrem illum Areopagitam, Pauli Apoſtoli diſcipulum. Adde quod mira eſt cæcitas Boſqueti aſſerentis Lethaldum, ex ſententia Gregorij Turonenſis, Dionyſium Pariſienſem, Iuliani Cenomanenſis ſocium, cum eo ſub Decio à Sixto Papa delegatum aſtruxiſſe, opinionémque ſuam quæ contra traditionem receptam certabat, ipſiuſmet Gregorij auctoritate confirmâſſe: cùm manifeſtum ſit Gregorium Turonenſem, dum Dionyſium miſſum cum aliis commemorat, de Iuliano Cenomanenſi nullam penitus feciſſe mentionem, lib. 1. hiſtor. cap. 30. Ceterùm nec alibi vſpiam illum coniungit cum Dionyſio. Mentitus eſt igitur apertè Lethaldus, dum in prooemio vitæ ſancti Iuliani, catalogum (quem eiuſdem in vita ponit) legatorum Euangelicorum à Sixto, *Romana*, vt ait, *ſedis Apoſtolico*, in Galliam directorum, ex Gregorij Turonenſis lib. 1. hiſtoriæ ſeſe contexturum pollicetur. Etenim Iulianus quem iis admiſcet, nullatenus à Gregorio iiſdem aſſociatur: confundit ipſemet ineptè Decium cum Valeriano, perperámque reprehendit acta ſancti Dionyſij, quæ illum à ſancto Clemente miſſum produnt, ac ipſa acta

ſancti Iuliani ſugillat quæ idem confirmant, nam contrarium ipſe nequaquam aſtruit. At bene eſt quod ipſe Lethaldus, de malè texta narratione ſua diffidens, conſciúſque temeritatis, qua in receptam ſua ætate traditionem de ſancti Dionyſij gallico Apoſtolatu, auſus fuerat priuata nouáque opinione inſurgere; ſpondeat ſe pertinaciter ſuis placitis non inhæſurum, ſed ab illis diſceſſurum, *ſi grauitas auctoritatis alicuius magnifici Doctoris, ſe ab errore deduxerit, & quaſi anchoræ pondus, vacillantem ſuum animum ſolidârit.* Non eſt igitur dubitandum, quod ſi Lethaldus, tot quæ produximus in hac diſſertatione, per ſeriem continuam, inſignium Doctorum cuiuſque ætatis ſibi aduerſari teſtimonia, Sanctorum oracula, Pontificum decreta, Regum diplomata, omniúmque gentium pro Dionyſij Pariſienſis infula Areopagitica & Apoſtolica miſſione ſubſcribentium, conſona quæ oſtendimus ſuffragia vidiſſet vel audiiſſet: pedem ocyus ab erroris tam patentis anfractu reflexiſſet, lubénſque rediiſſet, in regalem viam adeo conſpicuæ (quam non ita dilucidatam nouerat) veritatis. Hortaretur ſanè ſi adhuc hanc ſpiraret vitam, Boſquetum ne turpitudinem ſuam poſt mortem diſcooperiret: at potiùs ſui lapſus commiſeratus, pro ipſo errati veniam deprecaretur; nec errantem ſequeretur: iam poſt funera pœnitentem, ſed ex interpellato itinere deceptuoſæ opinionis, rectum in certæ ſententiæ tramitem,

quo tot illuſtria hominum capita, per ſexdecim ſæcula inceſſerunt, omni depoſita tumidæ contentionis vanitate, auſpicatò conferret. Hanc enim eſſe nitidam viam, quâ ſolâ ad veritatem itur.

ARGVMENTVM V.

Sumptum ex controuerſia de tempore martyrij ſancti DIONYSII.

DE *Dionyſio incertum eſt* (inquit Boſquetus) *etiam inter eos qui Areopagitam illum eſſe dicunt, quo demum tempore in Gallias venerit. Plures tamen illum à Clemente Papa cum Regulo, Ruſtico, & Eleutherio, & aliis plerisque miſſum referunt. Eius acta ſub Domitiano Imperatore, iudicante Feſcennino, Siſinnio Præfecto, capite plexum fuiſſe narrant.* Igitur ex diſſidio autorum circa tempus quo ſanctus Dionyſius in Galliam è Græcia venerit, Martyriúmque Lutetiæ peregerit; ſubinſinuat Boſquetus, tam incertum eſſe illum in Galliam veniſſe, quàm incompertum quando eò acceſſerit, & ibidem occubuerit.

RESPONSIO.

Suprà *in S. Martiale*, contra Molineum probauimus, diſſidium de tempore quo res quædam peracta eſt, nullam de re ipſa ambiguitatem inferre:

ferre: quando ceteroqui conuenit inter auctores, actam fuiſſe, ſed de epocha duntaxat chronologica dubitatur. Caluinus id quoque tam apertè quàm inuitè confeſſus eſt, qui cùm vehementer optaret euincere Petrum primum Apoſtolorum (vt in Euangelio Matth. 10. nominatur) numquam Romam veniſſe: ex Patrum hiſtoricorúmque dictis, etſi non tam contrariis quàm diuerſis, de circunſtantia temporis Petri aduentus vel martyrij, arripuiſſe ſibi videbatur argumentum, quo ipſum Petri aduentum Romam, atq. eiuſdem ibi actum martyrium, de certo dubium, de dubio fabuloſum, falſúmque penitus conficeret. At numeratis libratíſque auctorum ſuffragiis, poſtquam animaduertiſſet illos omnes in re ipſa tam ſibi exoſa quàm aduerſa conuenire, de exilibus tantum circunſtantiis (hoc eſt minutiſſimis duntaxat temporis particulis) diſſentire; vi perſtrictus adeo manifeſtæ veritatis, & conſtantis circa rem ipſam conſenſus, illam in vocem erumpere coactus eſt. *Tamen propter conſenſum ſcriptorum non pugno quin Romæ Petrus mortuus fuerit.* Quia verò hoc illuſtre teſtimonium, veritati haud ſponte ſed inuitè reddiderat, ne res tranſiret ſine liuoris quo tumebat venenoſo efflatu, hanc caudam ſubnectit ſuæ præactæ confeſſioni. *Sed Epiſcopum fuiſſe, præſertim longo tempore, perſuaderi nequeo.* lib. 4. inſtit. cap. 6. §. 15. Attamen conſenſus auctorum qui illum adegerat fateri, Petrum Romæ mortuum, eodem nexu illum conſtringebat,

& ibi Epiſcopum eundem egiſſe, & diu pontificali munere ibidem, ad extrema ſcilicet vſque perfunctum, admittere. Habemus tamen ex tam infeſti hoſtis Eccleſiæ patenti confeſſione, conſenſum ſcriptorum in rem actam, illam reddere certam, quamuis iidem auctores, de modo rei, vt de temporis nota, vel alia circumſtantia, tantum diſcordent. Oſtendimus id variis conſpicuiſque exemplis in prædicta exercitatione noſtra contra Molineum, qui ex vacillanti apud quoſdam calculo ætatis S. Martialis, nullitatem eius exiſtentiæ perperam inferebat. Stabilitáque ibidem hac ex regula, nimirum rem debere certam permanere, quando de ipſa conſtat, tametſi non liqueat de modo, vel alia circumſtantia, vt eſt ſola deſignatio temporis; promptum eſt futilitatem obiectionis, quam Boſquetus arripuit ex epocha Apoſtolatus Gallici ſancti Dionyſij Areopagitæ, elicere. Cùm enim ſuprà copioſiſſimè ac peraccuratè probauerimus, hanc eſſe conſtantem probatorum authorum tam Latinorum quàm Græcorum ſententiam, immò vnanimem conteſtationem, quòd Dionyſius Areopagita, Athenis Lutetiam tranſmigrârit, ibíque fortis pro Chriſto cum aſſeclis bellator, Chriſto trophæa adoranda erexerit, & glorioſo agone victor de impietate triumphârit. Profectò illa ex demonſtratione neceſſariò colligere supereſt: nihil igitur eſſe de hoc articulo deinceps diſputandum. Quandoquidem ſi vel Caluinus ipſe hac in cauſa

cognitor ex litigatore interueniret, vt fecit in cauſa Petri, pronunciaret. PROPTER CONSENSVM SCRIPTORVM fateri neceſſarium eſſe, DIONYSIVM AREOPAGITAM PARISIIS ESSE MORTVVM: ſed ſolùm de tempore controuerti poſſe, quo primùm in Galliam acceſſerit, & Lutetiæ prædicatam Chriſti fidem, ſanguinis profuſi confirmauerit teſtimonio. Cuius in quæſtiunculæ Chronologicæ, quæ ſola moueri poteſt, diſcuſſionem non grauabor deſcendere, modò citra rei ipſius de qua penitus conſtat dubium, hîc illam agitari à nobis quiſque præmoneatur; fateatúrque ipſe Boſquetus, ſi candidè velit nobiſcum agere, nihil hanc appendiculam principalis cauſæ certæ determinationi officere: ratúmque & conſtantiſſimum, id quod de Gallico ſancti Dionyſij Areopagitæ Apoſtolatu & Pariſienſi triumpho, ſatis ſupérque probatum eſt, conſiſtere, neque hoc loco in controuerſiam vllo modo reuocari.

Hoc autem poſito, dico. Inter priſcos Scriptores omnes qui conſentiunt de ſancti Dionyſij ex Oriente in Occidentē profectione, eiuſdémque Gallica expeditione, atque Martyrio Lutetiæ conſummato, diuerſas extare opiniones de tempore quo Apoſtolatum ipſum Gallicum fortunata ſorte ſuſcepit, ac impleuit. Fatentur quidem magno conſenſu omnes, miſſum Româ in Galliam à ſancto Clemente, Petri Apoſtolorum principis in paſtorali cura orbis ſucceſſore,

Sed de epocha ipſius ſucceſſionis Clementis, nonnulla inter ipſos auctores diſcordia eſt, quam tetigit Nicolaus Manciacutius Clericus Lateranenſis, *in Carmine de Romanis Pontificibus à Petro ad Alexandrum vſque tertium*, ſub quo viuebat. Ita enim canit in limine.

Apud Onuphriũ in notis ad Platinæ pontificiã hiſtoriam.

Si vis Pontifices Romanæ noſcere ſedis,
Carminibus noſtris perlectis ſcire valebis.
Primò Papatus, Petrus eſt in ſede locatus.
Qui conſederunt, Linus Cletúſque fuerunt.
His Clemens iunctus, ſimili fuit ordine functus.
Hinc nutat mundus, ſit quartus, ſit ne ſecundus.

Et Clementem quidem Petro proximè ſucceſſiſſe tradunt, Tertullianus *in lib. de præſcript. cap. 32.* Sanctus Hieronymus *lib. 1. aduerſus Iouinianum ante med. & lib. 14. in Iſaiam cap. 52.* Rufinus eius etſi æmulus, *in præfatione recognitionum*, & in ſua contra eundem *inuectiua.* Beda *lib. 2. hiſtor. Anglorum cap. 4.* Hugo Victorinus *libro de myſtica arca cap. 4.* Marianus Scotus *in Chronico ad annum Neronis 14.* vbi illam firmat ſucceſſionem, ex Epiſtola decretali ſancti Leonis II. Papæ. Tamen S. Clementem mediatè tantum beato Petro ſucceſſiſſe, nempe poſt Linum, Sanctus Auguſtinus ſcribit *epiſt. 165.* cum Optato *lib. 2. contra Parmenianum.* At Lino ſuffectum fuiſſe Cletum, & hinc Clementem (quem ideo ordine quartum cenſuerunt à Petro:) ſanctus Irenæus *lib. 3. contra hæreſ. cap. 3.* Euſebius *in Chronico*, Epiphanius *hæreſ. 27.* Sanctus Hieronymus loquens ex propria

ſententia, *in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, *in Clemente*; aliíque plerique omnes teſtantur.

Iam verò ſi prima rata ſit ſententia, Clemens Pontificatum anno ipſo quo occubuit in cruce Petrus exorſus eſt, qui fuit Chriſti 69. à paſſione eiuſdem Domini 36. Si ſecunda acceſſit ad ſolium Apoſtolicum Clemens anno tantùm 81. quo Linus gladio ictus in cælum migrauit. Si tertia denique, anno duntaxat Chriſti 93. Clemens Apoſtolicæ ſedis Cathedræ inſedit: quo excurrente anno, Cletus Lini ſucceſſor, expleto per Martyrium Pontificatu, coronam quoque ſupernæ gloriæ percepit. Quæ quidem poſtrema ſententia certiſſima eſt, & tamen priores duas minimè euertit. Qui enim Patres dicunt Clementem Petro ſucceſſiſſe, ipſius Petri factum attendunt, qui decreuerat prope iam crucem conſcenſurus, vt Clemens ipſe, poſt ſe orbis ac vrbis Pontificatum gereret. At quemadmodum ſanctus Epiphanius *hæreſ.* 27. tradit, affirmátque ex veterum aſtipulatione, quin & Clemens ipſe *Conſtit. lib.* 7. *cap.* 37. Sanctus Methodius Martyr *in vita ſancti Dionyſij Areopagitæ*. Ioannes Papa III. *in Epiſtola ad Epiſcopos Germaniæ*: Clemens ex ſtudio humilitatis, poſt funera Petri, Pontificatum recuſauit. Ipſo igitur viuente, & ſic volente, Linus qui pridem Petri in vrbis Epiſcopatu (dum Cletus ſuburbana curabat) coadiutor fuerat, ſeu Vicarius, Pontificatum ſuſcepit. Cui ſublato perglorioſam necem, Cletus ſuffectus eſt, ita optante ac agente

Clemente: qui demum ipſe, cùm Cletus Chriſti vicariatum martyrio compleuiſſet, onus ſummi Pontificatus toties recuſatum tandem compulſus neceſſitate in ſe recepit, póſtq. illum in annos nouem prorogatum, abiit ad Chriſtum felici quoq. coronatus agone. Hac auté ex inſinuatione apertè liquet, Clementem, etſi titulum Pontificatus quem ei Petrus moriens contulerat, non pertulerit, tamen ius ex deſignatione Petri Pontificatus habuerit; quo etſi ex humilitate nonniſi poſtremo loco vti voluit, tamen ſymmyſtis quos prætulit ſibimet ſtrenuè collaborauit, donec iiſdem Petri primariis adiutoribus ac ſucceſſoribus per certamen ſupremum fidei ſublatis, locum ſubire Apoſtolicum, titulúmque cum onere ad ſe non iam ſolius Petri facto, ſed diuino patenti nutu deuolutum, compulſus eſt. Et quia etiam dum viciſſim ſederent Linus & Cletus, ipſe Clemens à Petro delectus (immò re vera, vt Tertullianus teſtatur, ORDINATVS) R.E. Pontifex, ſumma auctoritate emicuit; nam nominis & meritorum gloriâ, geſtorúmq. magnitudine, ſymmyſtis quos ſibimet cultor humilitatis prætulerat, longè ipſe præcelluit: hinc factum, vt quaſi ſolus poſt Petrum Pontificatum ad mortem vſque geſſiſſet, à pleriſque veterum pro vnico & proximo Petri ſucceſſore fuerit agnitus, atque etiam numeratus. Vnde quicquid illius conſilio vel monitu, cura, ſtudio, vel iuſſu toto hoc interſtitio, quod à Petri cruce, ad Clementis ipſius effluxit

merſionem, in Romana Eccleſia factum eſt dignum memoria, paſſim Clementi ipſi à ſacris Scriptoribus attributum eſt; ſicut ſuprà obſeruauimus de Pallio, quod à Lino inſtitutum quamquam fuerit, à nonnullis tamen, Clementi ob inſignem eius in Eccleſia Romana poſt Petrum celebritatem, immò auctoritatem adſcribitur*. His prænotatis, quæ notare neceſſe fuit ad miſſionem ſancti Dionyſij factam à ſancto Clemente (vt auctores inducti per ſæculorum ſeriem teſtando conſentiunt) certam ad epocham referendum: obſeruare iam oportet, tres circa illam miſſionem, Scriptorum veterum ſententias exiſtere.

*Sed & in actis nonnullorum Galliæ Apoſtolorũ, illi, ab *Apoſtolorum* (Petri & Pauli vtrique) *diſcipulis miſſi* dicũtur, qui à Lino Cleto & Clemente, Eccleſiam communi quaſi conſilio regentibus, ordinabantur, atque ad gentes illuminandas ſuperno Euangelici luce, deſtinabantur.

PRIMA & ferè dudum communis, eſt, quam ex Græcis ſanctus Methodius & Metaphraſtes, & ex Latinis Paſchaſius & Hilduinus, cum pleriſque aliis tradunt ac tuentur: ſanctum Dionyſium martyrio abſumptum ſignat ſub Domitiano, & quidem, vt Paſchaſius notat, anno eius imperij ſecundo, qui incidit in Dominicum 85. Porrò Hilduinus, martyrio affectum ſignat Dionyſium anno Domitiani 16. hoc eſt vltimo inchoato, ætatis vero ſuæ 90. SECVNDA eſt Michaëlis Syngeli & Suidæ poſteriorúmque nonnullorum, qui ſub Traiano Dionyſium Lutetiæ aſſerunt occubuiſſe. TERTIA eſt Ariſtidis & Adonis ſequaciúmque plurimorum, qui ſub Hadriano produnt Dionyſium ipſum Areopagitam, poſt grauiſſima tormentorum genera coronatum. Editus Vſuardus* in Martyrologio vbi duo natales ſan-

In fine vitæ & paſſionis S. Dionyſij.

* Signate ita loquimur. Nam extat in

Corbeiæ antiquo Monaſterio Diœceſ. Ambianenſis peruetuſtū exemplar MSS. Vſuardi Martyrologij, in quo vnus tātum Dionyſius, menſe Octobri, & quidem die 9. aſſignatur.

cti Dionyſij, ex vſu, moréque Græcorum conſignante, quinto ſcilicet Nonas & 7. Idus Octobris: tamen neutrobique, quia difficultas non modica in ſtatuenda certa Chronologia occurrebat, expreſsè principem ſub quo paſſus eſt Dionyſius indicat, ſed rem ferè indiſcuſſam relinquit. Verùm Baronius poſtremam illam ſententiam cenſuit probabiliorem, tam in Notis ad Romanum Martyrologium die 9. Octobris, quàm tom. 2. ad annum Chriſti 109. Neutiquam diſſentit à Baronio Bellarminus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis, *in Hilduino*, vbi ratam in ceteris habens huius de geſtis & paſſione ſancti Dionyſij Areopagitæ Pariſiis laureati collectionem; ipſum ea in re tantùm reprehendit, quod paſſum illum ſcripſerit *ſub Domitiano, anno eius 16. ingruente*, cùm neceſſe cenſeat aſſerere, Dionyſium ferro ſibi cæli viam aperuiſſe, ſub Traiano vel Hadriano: quicquid ſit non anno Chriſti 96. ſed poſt eiuſdem centeſimum, lauream fuiſſe æternæ gloriæ adeptum.

Non ſum huius auctoritatis, qui inter tantorum virorum placita ſententiam meam proferam: vt qui meliori indicio, epocham paſſionis ſancti Dionyſij attigerit, poſſim, quaſi indigitando, decernere. Vnaquæque habet eximios auctores, primæque magis fauent paſſiua Sanctorum acta, qui cum ſancto Dionyſio in Galliam conuolârunt. Secundæ patrocinatur Romanum Martyrologium editum Romæ, iuſſu Gregorij

XIII.

XIII. vbi ſic legitur 7. Idus Octob. *Tandem Dionyſius ſub Traiano Imperatore poſt grauiſsima tormentorum genera, vnà cum ſociis gladio animaduerſus martyrium compleuit.* Tertiæ pondus affert non modicæ firmitatis, vt obſeruarunt Baronius & Bellarminus, ipſius Dionyſij teſtimonium. Is enim Domitiano ſe ſuperuixiſſe ſatis indicat *lib. de diuinis nominibus*, vbi dictum citat ſancti Ignatij ex epiſtola eius ad Romanos, quæ ſcripta fuit, vt ſanctus Hieronymus teſtatur, anno Traiani 11. quo Romæ Ignatius paſſus eſt. Facit etiam ad hanc probationem, epiſtola ipſius ſancti Dionyſij ad beatum Ioannem Apoſtolum, in Pathmos inſulam relegatum, quâ diuinè afflatus reditum eius ab exilio in Aſiam, ipſi prænunciauit. Qui relegationis ſancti Ioannis terminus, ſupremo nutu præſcriptus, nonniſi poſt interfectionem Domitiani accidit: *Tunc enim*, ait ſanctus Hieronymus, *actis Domitiani ob nimiam crudelitatem reſciſsis, S. Ioannes ſub Nerua Principe Epheſum rediit, vbi vſque ad Traianum Principem perſeuerans*, anno 68. poſt Chriſti paſſionem, incruento defunctus eſt obitu. Quem conueniſſe apud Epheſum reſidentem, iuxta prædictionem ſuam, Dionyſium, plerique ex eadem epiſtola eliciunt. Hanc autem Epiſtolam ſynceram, eſſe ſancti Dionyſij ſcriptum vaticinium, agnoſcunt veteres: præſertim ſanctus Maximus qui ſcholiis illam, cum ceteris genuinis epiſtolis illuſtrauit, & Pachimeres qui eandem ſimul cum aliis ſancti Dionyſij natiuis

operibus copioſa paraphraſi adornauit, ea de re ab eminentiſſimo Cardinale Perronio, nonnihil commendatus, atque etiam contra Mornæum propugnatus lib. 2. de Euchariſtia auctore 12. qui Dionyſius eſt ipſemet Areopagita. Ceterùm hæc quidem probant clara indicia, minimè ſub Domitiano Dionyſium noſtrum fuiſſe extrema perpeſſum; ſed non euincunt, haud occubuiſſe ſub Traiano, ſaltem poſtremo (quod volunt Syngelus & Suidas) eiuſdem imperij tempore. At antiqua quæ feruntur Martyrologia repugnant, quæ ſignatè ponunt illum ſub Hadriano, extremam pro Chriſti fide & gloria concertationem ſuam peregiſſe. Quam in ſententiam vt planè concedam, facit Feſcennini Siſinnij præfecti conſtans apud omnes indigitatio; à quo Iudice extrema perpeſſum ſanctum Dionyſium, omnes tam Græci quàm Latini fatentur, actáque ipſa indicant eiuſdem, & aliorum eius ſociorum ac alumnorum, in interiori Gallia ſub diro hoc Præſide trucidatorum: præſertim Eugenij & Nicaſij, qui ab eodem Tyranno necati perhibentur. Siſinnium enim vixiſſe ſub Hadriano, liquet ex Alexandrino Chronico, vbi inter Conſules qui ſub ipſo Imperatore claruerunt cenſetur ipſe Siſinnius, cum Teberio, anno ipſius Hadriani 17. Olympiade 228. Indict. 15. Viguit igitur hac ætate Siſinnius, fuítque in maximo ſub hoc Cæſare honore, poſtquam rem Gallicam ad nutum illius adminiſtraſſet. Accedit, hanc no-

tam vt lubentiùs admittam, quòd faciliùs per hunc indicem, ſancti Dionyſij res in Galliam geſtæ ad certum calculum reuocentur, & incommoda quæ aliæ ferunt conſignationes aptiùs concilientur, ac omnia quæ circa hanc hiſtoriam occurrunt dubia vel diſſidia, quoad epocham temporum (nam circa rem ipſam nulla eſſe poſſunt) dirimantur. Statuta enim illa actorum ſancti Dionyſij coronide, ſeu terminatione, quæ ipſo Hadriano ineunte imperium, conquieſcit: dicere conſentaneum atque peruium eſt: primò, ſanctum Dionyſium ex Oriente in Occidentem penitùs tranſmigraſſe, eo anno, quo, interfecto Domitiano S. Ioannes ab exilio regreſſus eſt Epheſum. Túmque iuxta ipſius Dionyſij vaticinium, eundem ibi B. Ioannem conueniſſe: cuius conſilio & monitu, vt Occidentis colapſis rebus ex occaſu fidei columnam opitularetur, Romam adiit, à Clemente, Petri Cathedræ iam actuali ſucceſſore, quæ agenda forent petiturus, & ex eius auctoritate ac mandato paternam Galliæ curam ſuſcepturus. Omnes enim conueniunt Scriptores, cùm venit Romam Dionyſius Clementem in Apoſtolica ſede præſidentem inueniſſe: qui nonniſi ſub Domitiano propriè cœpit eſſe Pontifex, nempe anno Chriſti 93. Domitiani 10. Et ſic accommodari poteſt, Paſchaſij ac Hilduini, Methodiíque & Metaphraſtis computatio, ſi dicamus illos initium pro termino, principium pro fine; terminum à quo pro termino ad quem, ac-

cepiſſe. Verum eſt enim Sanctum Dionyſium ſub Domitiani termino, exorſum Apoſtolatus Gallici conſilium, quod non modò hauſit ex S. Ioannis (vt innuit Baronius) perſuaſione & hortatu, ſed ex diuina (qua prædixit ipſimet beato Ioanni eius ab exilio reditum) inſpiratione & afflatu: nam disertè ſcribit ex antiqua adſtipulatione Metaphraſtes, *supernè oraculum ei redditum.* Methodius autem, *cælesti & diuina voluntate, tanquam dilectum à Deo, per ſuſceptum iter fuiſſe deductum.* Quod factum, ſic congruum eſt aſſerere, anno Chriſti 99. quo Domitianus occiſus, & Nerua anni vnius & quatuor menſium Imperator, principatum auſpicatus eſt. Quo ex præfixo calculo minimè audiendi veniunt, qui cauſam prætendunt Dionyſio adeundi Romam, fuiſſe Apoſtolorum Petri & Pauli, factam à Nerone incarcerationem, quos vt inuiſeret atque ſuo foueret ſolatio, mox audito nuntio illorum vinculorum, ocyus eò conuolarit, non tamen antè peruenerit, quàm eoſdem Apoſtolos inuenerit ab impio Nerone trucidatos. Piam non abnuo illam fuiſſe Dionyſio petendi Romam occaſionem: ſed non magis neceſſariam, quàm cùm primùm Romam ductus Paulus vinctus ex Cæſarea, biennio in nexibus hæſit, vt ſanctus Lucas teſtis eſt, Act. vlt. ex quibus ſolutus anno 61. per Galliam & Hiſpaniam tranſiens in Orientem rediit: indéque Romam regreſſus, vt cum Petro afflictatæ à perſecutoribus Romanæ Eccleſiæ ſuccurreret,

anno 68. triumphali, cum ipſo Petro, agone coronatus eſt. Quæ enim maior tum cauſa Dionyſio Romam petendi, ad Paulum in vinculis illis ſecundis iuuandum, quæ breui mora durârunt, potiùs quàm cùm in primis, quæ in biennium protracta ſunt, teneretur? quorum quidem tempore nemo dicit Dionyſium ea de cauſa Romam acceſſiſſe? Excogitata igitur videtur ab iis qui cauſam veram Romanæ profectionis Dionyſij Areopagitæ neſciebant, illa quæ ſibi viſa congrua eſt occaſio. Cùm enim certum eius ex Oriente in Occidentem tranſitum conſtanti ex orbis teſtimonio conſpicerent, at cauſam eiuſmodi commigrationis ſpecialem non ita exploratam aduerterent; hanc accommodatitiam fortè prætexuerunt. Quæ pio inſtructa motiuo, aſſenſum, leuiùs rem inſpicientium, poterat ſpecie ipſa apparentis congruentiæ pellicere. Nec dubito quin auctores illius circumſtantiæ eam cenſuerint genuinam, cùm probi eſſent, & veri amantes, ſed cùm hanc inuexerunt, incommoda quæ hæc cauſa pertrahit, profectò non circumſpexêre. Sanè enim ſi Dionyſius mox ac vinctos audiit Apoſtolos Romam fuiſſet profectus: ibíque iiſdem nuper occiſis à Nerone adueniſſet, Clementem in ſede Apoſtolica non inueniſſet, Petri officium exequentem. Nam vt præoſtenſum eſt ex ipſius Clementis voto, vicem Petri proximus impleuit Linus, cui poſt annos 11. in cælum enſe ſublato, ſucceſſit Cletus, & huic de-

mum poſt annos 12. coronato, Clemens ſuffectus, nonniſi anno Chriſti 93. ſummum Eccleſiæ Pontificatum gerere inchoauit. Interceſſerunt igitur à nece Apoſtolorum, ad Præſulatum Clementis anni circiter viginti quatuor, poſt quos Romam veniſſe Dionyſium, vt illos in vinculis inuiſeret atque iuuaret in agone, nimis abſonum eſt opinari: Quem adhuc egiſſe in Oriente cùm S. Ioannes relegatus à Domitiano, ipſo interfecto, Epheſum ſicut ei prædixerat Dionyſius rediit, probat ipſa ſancti Dionyſij ad ipſum B. Ioannem epiſtola, à ſancto Maximo & Pachimere recenſita, & epocha ipſa Pontificatus Clementis, ſub quo ſedis Apoſtolicæ gubernacula moderante, Dionyſium, conſtitutis Athenienſis Eccleſiæ rebus, tranſmigrâſſe ex Oriente Romam, Scriptores omnes magno conſenſu tradunt tam Græci quàm Latini. Non igitur huius illius profectionis Apoſtolorum videndorum deſiderium, quorum martyrium ante tot annos præceſſerat, cauſa fuit: ſed inſpiratio diuina, qua vt probatum eſt impulſus, tantum vt ſubiret onus ac Apóſtolatum Galliarum, ad Epiſcopalis coronæ Principem & ſedis Apoſtolorum Præſidem Clementem, deductus à Chriſto quaſi per manum, properauit. At verò ſi quis, vt iis qui citiorem faciunt ſancti Dionyſij Romanam ad vrbem aduentum patrocinetur, dixerit, bis Romam ſanctum Dionyſium fuiſſe profectum, prima ſcilicet vice cùm audîſſet Apoſtolorum prin-

cipes à Nerone comprehenſos, quos poſtquam martyrio affectos inuenit, tum Athenas redierit, ibíque vſque ad Domitiani poſtrema tempora perſtiterit in paſtorali munere, donec demum ſancti Ioannis reuerſi ab exilio monitu, diſpoſitâ Athenienſi Eccleſiâ, Græciæque rebus curæ tanti Apoſtoli relictis,* Romam perrexerit, Clementem adierit: cuius gregis Chriſti proſpicientis incrementis, atque ſolatiis, ſuggèſtione & mandato, legationem Apoſtolicam Galliæ ſuſceperit obeundam: nihil ſanè ex hac diſtinctione ſequetur incommodi. Nec enim magis arduum eſt admittere Dionyſium, bis Romam variis de cauſis profectum fuiſſe, quàm ipſos Apoſtolorum principes Petrum & Paulum, quos ſemel atque iterum Romam conſtat acceſſiſſe. Prima vice quidem, vt Eccleſiam illic fundarent ſupremam, diuini verbi diſſeminatione; altera verò, vt illam ſuo ſanguine, quo cum *omnem doctrinam* (vt ait Tertullianus) *eidem profuderunt ipſimet* conſecrarent. Porrò ſi bina Dionyſij Romanam ad vrbem quæ veriſimilis (vt ex dictis patet) admittatur profectio; benè vtriuſque ſententiæ aſſerta conſonabunt, neque vllum video obicem, qui ea impediat quominus benè inuicem, & ad amuſſim, tam rerum quàm temporum, poſſint cohærere. Habet hoc in biuio prudens inſpector ſub ſuo arbitrio melioris tramitis delectum: tam prior enim quàm poſterior inſinuatio obſtacula remouet concordiæ, vtque prior

* Hinc non abludit illud Hieronymi lib. de Scriptoribus Eccleſ. *Ioannes ſub Nerua principe Epheſum rediit: ibique vſque ad Traianum principem perſeuerans totius Aſiæ fundauit rexitque Eccleſias.* Inde ortus enim Patriarchatus Epheſinus, qui ante Cõſtantinopolitanum inuectum, etiam in Græcia lõgè latéque inualuit: fuitque deinde inter Principes Metropolitanos Græcorum, *ſecundus honoratiſſimus.* Vide expoſitionem Andronici Palæologi ſenioris Imp. *Quo ſe ordine habeant ſubiecta Metropoles throno Patriarchæ Conſtantinopolitani*, apud Curopalatem lib. *de Officialibus Palatij & Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ.*

eſt perſpicuo magis indicio, atque firmiori argumenti connexione ſuffulta, ſic poſterior, faciliori expeditioríque præſtat conciliandæ vtriuſque traditionis ratione, & Scriptorum ineundæ perfectæ concordiæ viam peridoneam ſuppeditat. Ceterùm ambæ, meæ aſſertioni ſuffragantur, quæ Dionyſium à Clemente miſſum in Galliam, anno ineunte 99. hoc eſt primo Euangelij ſæculo labente, & ſecundo ferè ordiente, conſignat. Quâ epochâ conſtitutâ,

Dico ſecundò, Dionyſium Galliam ingreſſum, annos pleroſque in Apoſtolatu exequendo tranſegiſſe. Arelati enim aliquot temporis inſumpſit, inſtaurandæ Eccleſiæ, beati Trophimi nupero ad Superos tranſitu orbatæ: illic enim *ſemen fratri mortuo ſuſcitauit*, ſignis coruſcauit, fulminauit verbis, diuina virtute Martis profanum ſimulachrum & cultum impium euertit: erexit orationis ædiculam, quam ſub Apoſtolorum Petri & Pauli nomine conſecrauit, Chriſto multam peperit gratiæ ſobolem, collectóque gregi fidelium Regulum paſtorem præfecit. Hinc varias per regiones Galliarum diuiſit ſementis Euangelicæ operarios: ipſéque cum ceteris auxiliariis Lutetiam Pariſiorum, quo eum diuina fata vocabant, ad præclariſſimum certamen & triumphum, contendit. Híncque quaſi è centro ſui Apoſtolatus, oculos prouidentiæ paſtoralis in omnem Galliarum partem circumferens, & ipſe ſtatutis ibi primùm religionis inconcuſſibilibus fundamentis,

architectos

architectos ædificij ſalutis circumquaque deſtinauit, nec modò miſit vicinas in vrbes eiuſmodi operarios, ſed in longinquas etiam fundatores cæleſtis in terris fabricæ ablegauit. Sed nec intra Galliæ fines tantùm, ardores Apoſtolicæ huius ſollicitudinis ipſe concluſit: at in omnes fermè Occidentis auras ex iniuncto ſancti Clementis vicario munere, extendit ſuæ huius vigilantiæ paternos affectus. Siquidem Eugenium in Hiſpaniam miſit Toletum. Sanctinum miſit * in Germaniam, è cuius confiniis poſt nonnulla Euangelicæ prædicationis incrementa iſte rediens, apud Virdunum pedem fixit, primúſq. ibi Epiſcopus ſedit. Vnde poſt aliquot annos à Dionyſio propiùs euocatus, Mauro ſubſtituto paſtore, Iatini Meldarum primus factus eſt Antiſtes: Carnutúmque interim cum Antonino iuſſu Dionyſij luce gratiæ illuſtrauit. Qui in inſulas etiam diuini verbi legauit præcones, vicináſque Oceano gentes, & remotos pleroſque ab eius vndis populos, lumine diuinæ veritatis per ſubſidiarios ſuos irradiauit. Ipſe interim totus igneus, perpeti agitatione vbique flammans Celtas, Aquitanos, Belgas percucurrit, & in Hiſpaniam vſque tranſuolauit, vt initiatum opus ſalutis ab Eugenio à ſe miſſo, acceſſione ſuæ præſentiæ corroboraret. Nec enim modò Dexter id in ſuo Chronico atteſtatur, ſub anno Chriſti 110. vbi ait. *Haud multo poſt, ſanctus Dionyſius Areopagita Hiſpanias inuiſit, vt legatus à beato Clemente totius*

* Hac fortè de cauſa ſanctus Dionyſius Areopagita Galliæ Apoſtolus, inter Germaniæ illuminatores, à Cratepolio recẽſetur in Catalogo prænotato *de Germania Epiſcopis & orthodoxis Doctoribus, qui populum ad Chriſtĩ religionẽ ibidem ab initio conuerterunt*, &c. Fauet autem Cratepolio S. Methodius, qui tradit ſanctum Dionyſium Areopagitam in ampla Germaniæ regione etiam prędicâſſe.

Occidentis ordinatus. Sed & ſanctus Methodius: cuius auctoritas irrefragabilis eſt, in vita ſancti Dionyſij ſatis celebrata, diſertè aſſerit ipſum Euangelij ſemina diſperſiſſe κατὰ τοῖς Ἑσπερίοις μέρεσι, cunctis partibus Heſperiis, in quibus Hiſpanos liquet cenſeri. Redux ex illo excurſu Dionyſius, Lutetiæ Eccleſiam ſibi cælitus ſpecialiter delectam, & fœdere inſolubili coniugatam, maioribus prouexit incrementis. Illi enim dehinc vnicè hæſit, hanc vt propriam omni cura excoluit, nec eam modò verbo, ſed & ſacris inſtruxit theoriis. Sunt qui affirment quòd ibi diuinos ſuos & *planè cæleſtes* (ſic eos vocat Eccleſia) *libros* de cæleſti & Eccleſiaſtica Hierarchia, de diuinis nominibus, quorum myſteria ex Pauli diſciplinâ hauſerat vir ipſe Apoſtolicus, exarauerit: cùm inter ipſius beati Pauli diſcipulos præcipua ſcientia emineret. Fauet huic autumationi librorum ipſorum, qui ceteris poſteriùs ab eo editi ſunt conſcriptio, librique ipſius præcipui de diuinis nominibus, locus ille inſignis, quo celebrem ſententiam laudat ſancti Ignatij, ex eius epiſtola ad Romanos depromptam. Scriptam etenim hanc epiſtolam anno vndecimo Traiani quo ipſe ſanctus Ignatius paſſus eſt, liquet ex teſtimonio ſancti Hieronymi: vnde probat Bellarminus ſanctum Dionyſium non tantùm beato ipſi Ignatio ſuperuixiſſe, ſed & poſt Ignatij Martyrium ſcriptum fuiſſe à beato Dionyſio librum illum de diuinis nominibus prænotatum. At poſt tem-

pora Martyrij beati Ignatij Dionyſium conſediſſe Pariſiis vſque ad ſupremam concertationem qua ipſe coronatus eſt, ſatis liquet ex eius actis, & ſuperiùs expreſſis indicibus: quos breuiter ſub illa nota lib. *de nominibus diuinis* complexus Bellarminus, hanc inde concluſionem elicit. *Exiſtimamus ſanctum Dionyſium fuiſſe quidem Sanctorum Ignatij & Polycarpi æqualem, ſed ſuperuixiſſe vſque ad tempora Hadriani.*

Dico tertiò, hanc ſententiam de producta ſancti Dionyſij vita vſque ad tempora Hadriani, qui anno Chriſti 120. imperare cœpit, expreſſa teſtificatione probari Ariſtidis Athenienſis, qui actis paſſiuis ſancti Dionyſij ex Gallia à ſancto Anacleto Papa ortu Athenienſi acceptis, & Româ ab ipſo Athenas miſſis edoctus, in *lib. Apologetico pro Chriſtiana religione* ipſimet Hadriano, (vt teſtis eſt Euſebius) in Græcia porrecto, diſertè commemorat, inter fidei præcipuos agoniſtas, ſub præfectorum eius perſecutione laureatos, Dionyſiũ ipſum Areopagitam (qui primus fuerat ordinatus à Paulo Athenarum Pontifex, exindéque à Clemente factus Apoſtolus Galliarum) glorioſo martyrio, ipſam Chriſti fidem aſſeruiſſe, ſuóque ſanguine obſignaſſe. Sic enim Ado & Vſuardus ac Notkerus aliíque, ex ipſius Ariſtidis tam illuſtri teſtimonio narrant confirmántque: Adóque eius librum de Chriſtiana fide, in quo hoc ipſum liquidò tradebatur, affirmat ſuo adhuc tempore extâſſe, & Athenis etiamnum fuiſſe ce-

lebrem. *Hoc opus*, inquit, *apud Athenienſes ſummo genere colitur, & inter antiquorum monimenta clariſſimum tenetur, vt peritiores Græcorum affirmant.* Meminit huius libri cum auctoris præclaro encomio ſanctus Hieronymus in Catalogo Script. Eccleſ. num. 31. Sic enim ſcribit. *Ariſtides Athenienſis Philoſophus eloquentiſsimus, & ſub priſtino habitu diſcipulus Chriſti, volumen noſtri dogmatis rationem continens, eodem tempore quo & Quadratus Hadriano Principi dedit, id eſt, Apologeticum pro Chriſtianis: quod vſque hodie perſeuerans, apud philologos ingenij eius indicium eſt.* Fuit igitur ſcriptus iſte liber tam celebris anno Chriſti 127. vt teſtatur Euſebius Cæſarienſis in Chronico, Olympiade 226. Tunc enim Hadrianus Imperator, ſacris *Eleuſinæ initiatus* (ait Euſebius) *Multa Athenienſibus dona largitus eſt.* Túmque occaſionem benè nacti duo egregij fidei Vindices, *Quadratus diſcipulus Apoſtolorum, & Ariſtides Athenienſis noſtèr Philoſophus libros pro Chriſtiana religione Hadriano dedêre compoſitos.* Quo tempore Dionyſium Areopagitam iam martyrio laureatum fuiſſe, inde patet quòd eius extremi certaminis, Chriſti doctrinam aſſerentis, cum gloria meminit Ariſtides in ipſo ad Hadrianum, ſub quo ipſe Dionyſius occubuerat, Apologetico. At quo anno inquies Hadriani paſſum Dionyſium conſignas?

Dico igitur quartò, non dubium eſſe quin ipſo imperij initio Hadrianus contra Chriſtianos ſæuierit: ſubinde Apologiis Quadrati & Ariſti-

dis, maximè verò vt ſcribit Euſebius, litteris à Serennio Graniano illuſtriſſimo Præſide pro Chriſtianis, deferbuerit, Minutióque Fundano Proconſuli Aſiæ reſcripſerit, vt ſolo religionis nomine, Chriſtiani non inquirerentur. Hinc Sulpitius lib. 2. hiſtor. ſacræ. *Quarta ſub Hadriano perſecutio numeratur, quam tamen poſtea exerceri prohibuit.* Oſtendit Baronius tom. 2. Annalium ad ann. Chriſti 120. hoc eodem principatus Hadriani initio, lanienam Chriſtianorum ipſius iuſſu apertam fuiſſe. *Hadrianus igitur* (Baronius inquit) *ipſo in imperium ingreſſu, etſi erga omnes Romano ſubiectos imperio optimum Principem, tamen in Chriſtianos exhibuit ſe Phalaridem: eo nimirum conſilio vt pœnarum attrocitate atque ſæuitia, à pietatis cultu & religione quam ſuſceperant, abſtinerent. Placidum itaque cognominatum Euſtachium, qui in bello Iudaico ſub Veſpaſiano & Tito Præfectus equitum, & ſub Traiano in difficillimo bello Dacico ducem exercitus ſtrenuè egerat, quòd Chriſtianis ſacris initiatum tota cum familia, non potuiſſet à Chriſti cultu diuellere, vnà cum vxore & duobus filiis, leonibus tradi iuſſit, & à beſtiis intactos in bouem æneum candentem incluſit vbi glorioſum conſummârunt Martyrium duodecimo Kalend. Octobris.* Tam atroci ſupplicio florem Romanæ nobilitatis ſuſtulit, vt carnificinam Chriſtianorum terribilem ferox Tyrannus aperiret. Hincque per prouincias flamma perſecutionis exardeſcens, Gallias ipſas inuaſit. Ibi enim cùm Dionyſium Chriſtianæ pietatis

Euſebius lib. 4. hiſtor. Eccleſiaſt. c. 8.

ducem, pleriſque auxiliariis ſociatum, auita ſacra euertere, Chriſtianæque nouæ religionis promulgare ardenti ſtudio leges, ſacra conſtituere, inſtituta miris augere progreſſibus, Imperator audiiſſet, Feſcennium Siſinnium (quem poſtea vt prænotauimus creauit cum Teberio conſulem) præfectum delegauit, cui in mandatis dedit, vt Dionyſium cum aſſeclis primoribus apprehenſum, diris ſuppliciis ad Chriſti eiurationem compelleret, renuentémque, ſocióſque ſimul acerbiori qua poſſet morte plecteret. Ex Euſtachij Martyrio, à quo Hadrianus ſtupendo ſpectaculo fideles Chriſti diſcruciare cœperat, ſatis apparebat, quibus tormentis illos affici ſæuus ille Princeps oblectaretur: nempe vt feris obiicerentur dilaniandi, à quibus ſi non læderentur (quod fieri magicis præſtigiis autumabat) addicerentur igni: voracibus enim flammis abſumi poſſe, experimento doctus Euſtachij, qui in igne defecerat, non ambigebat. Ferocis Principis induit genium Siſinnius, comprehenſum enim Dionyſium feris deuorandum obiecit, quibus nihil illi nocentibus, in clibanum ardentem eum immiſit, à quo incolumis etiam diuina ope egreſſum, cruce deinde necare tentauit. Cúmque fruſtra hæc fierent, ad ferrum demum ventum eſt, quo fortior Heros diuinus, ſuperno nihilominus nutu occubuit, & victor laureatum caput reſumens manibus, gradiendo, in triumphum, ad locum vſque ſepulturæ vectitauit. De his pœnarum ge-

neribus à Feſcennio inflictis Dionyſio triumphatori, Eccleſia canit exultans de Martyris tam illuſtri victoria.

Prece domat feras truces,
Sedat Rogum, perfert cruces
Poſt clauos & patibulum
Tranſlatus ad ergaſtulum

. . . .

Prodit victor conflicturus,
Sub ſecuri ſtat ſecurus
Ferit lictor, ſicq; victor
Conſummatur gladio.

Annus hic erat Chriſti 120. qui numeratur ab Euſebio Cæſarienſi, Hadriani ſecundus: ſub quo Dionyſium Areopagitam (quem vel ex notata tormentorum multiplicitate, ipſáque temporis epocha ſatis patet non alium fuiſſe, quàm ipſum Galliarum conſecratorem) *per grauiſſima tormentorum genera*, glorioſo Martyrio, Ariſtides Athenienſis (actis agonis inſtructus ab Anacleto Papa ad gentiles ſuos Athenas miſſis) coronatum fuiſſe, *in Apologetico pro Chriſtianis* ad ipſum Hadrianum directo præclarè commemorabat. His præmiſſis,

Dico quintò, tum fuiſſe beatum Dionyſium circiter annorum 112. Cùm enim Chriſtus in cruce fixus orbem ſuo cruore expiabat, ac vt cecinit graphicè Sedulius lib. 5. Paſchalis operis.

Interea horrendæ ſubito venêre tenebræ,
Et totum tenuêre polum, mœſtiſque nigrantem

Exequiis texêre diem: Sol nube coruſcos
Abſcondens radios, tetro velatus amictu
Delituit.

Erat tum Dionyſius annorum viginti quinque, vt ipſe de ſe teſtis eſt, *in ſua epiſtola ad Apolophanem de eadem ſtupenda ſolis defectione ſcripta*, & à Ioanne Erigena iuſſu Caroli Calui, ex Græco verſa. Igitur annus Chriſti triceſimus quartus (quo ineunte crucifixus eſt) ætatis Dionyſij viceſimus quintus erat. Cui calculo ſanctus Maximus in ſcholiis ad epiſtolam ſancti Dionyſij, ad B. Ioannem Euangeliſtam, adæquatè ſubſcribit. Natum igitur oportet fateri Dionyſium anno Chriſti nono, conuerſum à Paulo anno ipſius Domini quinquageſimo ſecundo, ſuæ verò ætatis quadrageſimo tertio. Miſſum autem à beato Clemente (vt oſtendimus) in Galliam, anno Chriſti 99. Paſſum verò Lutetiæ cum ſociis extremum agonem, anno Chriſti 120. qui ſuæ ætatis abſolutus centeſimus vndecimus, vel incœptus centeſimus duodecimus erat. Quamobrem verè ſcripſit in eius encomio Michaël Syngelus *ad profundam & meritis fœcundam progreſſum ſenectutem, ad beatiſsimam pro Chriſto mortem proſiliiſſe:* & Nicephorus lib. 2. cap. 20. ad multam vſque prouectum ætatem, denique corona Martyrij decoratum.

Dico ſextò, tam longæuam vitam produxiſſe Dionyſium, hoc ſæculo extraordinarium non fuiſſe. Quod benè agnouit & aptè notauit ipſe

Boſquetus

Boſquetus lib. 1. hiſtoriarum ſuarum pag. 61. vbi ſic ſcribit. *Longior vita primis fidei præconibus data eſt, vt liberiùs & diutiùs religioni adeſſe poſſent. Teſtes Ioannes, Polycarpus, Memmius, Taurinus & alij.* Inter quos Dionyſium admittere æquum fuerat, qui Taurini ipſius (vt liquidò patet ex inductis à Boſqueto ipſo geſtis) Magiſter & inaugurator fuit, *prima parte pag. 53.* Sed de productiore Apoſtolicorum virorum ætate alibi diximus, nempe *in Synopſi ſeptuaginta duorum Domini diſcipulorum num. 23. in Apelle.* vbi contra Pammelium *de primo Smyrneorum Epiſcopo* diſputamus, diſſerimúſque *de Polycarpi vita, Epiſcopatu & ſenio; Simeoniſque, Cleophæ filij, Epiſcopi Hieroſolymorum poſt Iacobum, illuſtri Martyrio*, quod anno vitæ centeſimo viceſimo perpeſſus eſt. Parmenæ quoque Chriſti diſcipuli, Stephani Protomartyris ſymmyſtæ (vnus enimfuit ex ſeptem Protodiaconis) id etiam indicat peractum ſub Traiano anno Chriſti centeſimo nono Martyrium. Immò Ignatij extrema concertatio, quæ ætatis eius anno centeſimo decimo contigit. Cuius ætatem prætergreſſum Dionyſium liquet, vel ex eo quòd poſtremæ ipſius Ignatij Epiſtolæ, quam is candidatus Martyrij *ad Romanos* ſcripſit, in libro ſuo *de diuinis nominibus* Dionyſius ipſe locum inſignem citat. Idem produnt Ariſtidis, Adonis aliorúmque teſtimonia, qui ſub Hadriano paſſum Dionyſium ipſum Areopagitam, cum antiquis Martyrologiis atteſtantur. Nec obſtat noſtro calcu-

lo de Dionyſij producta vſque ad ſecundum (inchoatum non perfectum) Hadriani annum, & non vltra, ætate: quod perhibent acta ſancti Eutropij miſſi à ſancto Clemente in Galliam (vt Gregorius Turonenſis refert, affirmántque Beda, Ado, Notkerus: quæ à ſancto Dionyſio Græcè ſcripta & ad Clementem ipſum directa, atque ab eo in Græciam tranſmiſſa Conſtantinopoli in Codice antiquiſſimo de agonibus Martyrum Calixtus II. Papa, ſe ante Pontificatum reperiiſſe, Latinéque verſa Romam aduexiſſe, vt ſuprà inſinuatum eſt, aſſeuerat.) In quibus actis habetur, ſanctum Eutropium, cuius ſanctus Dionyſius & dux fuit & encomiaſtes, *annis viginti ſeptem*, apud Santonas regnum Dei procurâſſe: poſt quem circulum ſuperſtes adhuc erat Dionyſius in Gallia Apoſtolatum gerens, vbi agonem chari aſſeclæ ſatis prope conſpectum deſcripſit. At hi anni viginti ſeptem, continuo haud ſunt curſu accipiendi, ſic enim Dionyſij ipſius Martyrium vſq. ad annum Hadriani ſeptimũ protrahendum foret. Meminerit lector, ex ipſis actis Eutropij conſtare, illum bis in Gallias miſſum apud Santonas prædicâſſe. Prima ſiquidem vice eò venit, directus à Petro; altera, poſtquam rediiſſet ex tædio exigui progreſſus Romam, vnde iterum à Clemente remiſſus eſt fortunatioribus auſpiciis, cum Dionyſio nouæ expeditionis duce, ex cuius monitu ſtationem primam repetens, apud Santonas reſedit, feliciorique ma-

nu hoc nouale proſcindens, ſementem fecit gratiæ & ſalutis ingentem: quouſque demum collectis copioſæ meſſis manipulis, purpurato exitu, ad præmium abiit ſupernum. Maiorem autem partem temporis minori cum fructu in prima villicatione conſumpſit, vt acta eius ipſa indicant in quibus apud Petrum Exquilinum legitur. *A beato Petro Apoſtolo ad Gallias, prædicatum miſſus acceßit, ingreſſúſque ciuitatem Santonas, cùm Chriſtum prædicaret ab infidelibus cæſus, & de vrbe eiectus ſibi tugurium extra muros conſtruxit, vbi noctibus orationi, diebus verò prædicationi inſiſtebat. Cùm autem* MVLTO IBIDEM TEMPORE COMMORATVS, *fructum modicum prædicationis feciſſet, eo quòd ſolùm decem viros ſolummodo conuertiſſet. Romam repedans; Petrum Apoſtolum paſſum reperit, & à ſancto Clemente eius ſucceſſore ordinatus Santonenſium Epiſcopus, beatóque Dionyſio ſociatus, cum eodem iterum ad Gallias rediit.* Porrò à morte ſancti Petri vſque ad Pontificatum Clementis, anni effluxerunt *tres ſupra viginti*, vt inſinuatum eſt ſuprà. Igitur ſaltem hoc ſpatium in Gallia tranſegit, poſtquam à ſancto Petro directus fuerat Santonas B. Eutropius. Qui cùm anno Chriſti nonageſimo nono, ſub ſancti Dionyſij ductu, iubente ſancto Clemente ſit in Galliam regreſſus, annos duntaxat quinque exegit in Euangelica præconizatione: ſcilicet ab anno Chriſti nonageſimo nono vſque ad centeſimum tertium, quo perſecutione diriſſima à Traiano excitata ab ethnicis macta-

Lib. 4. cap. 105.

tus, Chriſti hoſtia ex ſacerdote effectus eſt. Sic igitur annos fermè viginti ſeptem, geminis conceſſis vicibus, ſacro in munere exegit. Cuius anni exeunte Maio conſummauit agonem. quem mox litteris ſanctus Dionyſius exarauit, & ad S. Clementem tranſmiſit, qui & ipſe iubente Traiano menſe Nouembri conſequente de medio ſublatus ad coronam perrexit, imperij ſcilicet eiuſdem Traiani (vt nomenclatores Pontificum accuratiores notant) anno tertio. Quod autem ſub eodem, Dionyſium quoque extrema paſſum Michaël Syngelus, & ex eo Suidas commemorant (quem ſub Hadriano perſpicuè probauimus laureatum) facilè conciliari poteſt, ſi Tertulliani aſſertum in mentem reuocemus. Hic ſiquidem grauis Scriptor *in Apologetico cap. 3.* aſſeuerat, ab Hadriano nullum aduerſus Chriſtianos edictum promulgatum fuiſſe. Non tulit enim legem nouam vt Chriſtiani vexarentur Hadrianus: ſed facto, vt oſtendimus, ſæuiendi viam capeſſens, perſecutionem protogauit. Vnde à pleriſque perſecutio Hadriani nulla numeratur, ſed quaſi eadem cenſetur ſub perſecutione Traiani. Quod quidem anſam præbuit Syngelo & Suidæ
* Nota. erroris, vt ſcriberent * *ſub Traiano* Dionyſium vltimo agone pro fide congreſſum interiiſſe: cùm debuiſſent ponere *in perſecutione Traiani*; continuata ſcilicet ab eius ſucceſſore Hadriano ſub quo, vt ex authentico Ariſtidis teſtimonio conſtat, & antiquis Eccleſiæ diptychis, Dionyſius

Areopagita quem Galliæ Apoſtolum vndequaque aſſeruimus, tam forti quàm felici certamine palmam perennis victoriæ adeptus eſt. Atque hactenus de ipſius martyrij certiori epochâ. Verumtamen addito quod Traiani etiam prænomen, Hadrianus Imperator tulit, vt patet ex Dextri Chronico, ad annum Chriſti centeſimum triceſimum. Nec inſolitum hoc fuit, vt qui adoptatus fuerat, adoptantis nomen præferret. Atqui Hadrianus à Traiano conſobrino adoptatus fuerat, vt Spartianus refert. Cùm igitur Hadrianus hoc ex iure moréque etiam Traianus prænominaretur; aliqui Scriptores hallucinati differentiâ nominum, & coniunctionem illam non aduertentes alij poſuerunt, ſub Traiano occiſum Dionyſium, alij ſub Hadriano: cùm verum nihilominus ſit, vt oſtenſum eſt, illum ſub Traiano Hadriano fuiſſe laureatum. Ex dictis igitur ſatis habes ſupérque, quò Scriptorum diuerſam temporis notam, agoni eius aſſignantium, ad Chronologicum concentum, poſſis omni ſublatâ diſſonantiâ, reuocare.

Argvmentvm VI.

Ex auctoritate eductum Seueri Sulpitij, ſcribentis ſub Marco Aurelio, Antonini filio, primùm intra Gallias Martyria viſa.

SOlvm obeſſe Seueri Sulpitij, cum dicto Gregorij Turonenſis inferiùs excutiendo, teſtimonium, Apoſtolicæ ætati Dionyſij noſtri, Boſquetus fatetur[*]: qui ideo fruſtra cælum terrámque mouit, vt ipſum Dionyſium iuniorem permultis aliis teſtificationibus, atque perſuaſionibus eſſe probaret; niſus enixè nimirum illum deuoluere ex Apoſtolico ſæculo, ad tempora Decij, demum etiam & ad Diocletiani vſque ſæuiſſimum principatum, qui oriente quarto Eccleſiæ ſæculo defecit. Idque datâ operâ, vt ipſe Galliarum inclytus Apoſtolus & Pariſienſis Eccleſiæ purpuratus parens ac informator, minoris apud nos exteróſque fieret auctoritatis & nominis, procúlq. admodum eſſet à glorioſis iis titulis, quibus tot annorum centuriis conſentiente orbe Chriſtiano, potitus eſt. Quiſquilias quaſcumque eo fine Boſquetus congeſſerat, ſuperiori tractatu exactè diſcuſſimus, atque neruosè depulimus; nugamentáque eſſe mera palam fecimus illa, quæ ex apocryphis monimentis, vel ſuppoſitis & deprauatis, reprobatíſque Sanctorum actis, aliíſque laruatis auctoritatibus, & ſpuriis collectionibus,

[*] Parte 1. lib. 2. p. 49. & 50.

ac tam falſis quàm futilibus aliis principiis, contra Patrum traditionem cuius iura tuemur, multiplici arte conſtruxerat. Illa erant eius ſanè inuenta propria. At iſtud quod nunc expendere aggredimur, ſequentiáque omnia obiecta, quæ contra aſſertionem noſtram potiſſimum militare videntur: minimè ex eius ingenio prodierunt; ſed ab iis profecta, qui maiori diligentia & eruditione, diu antequam farraginem ſuam compilaret, hanc controuerſiam agitârunt. Quorum nominibus tamen operæprecium eſſe cenſeo parcere, ne apud piam poſteritatem illorum memoria (quam melioribus exercitationibus potuiſſent illuſtrare) hac indelebili macula deturpetur, quòd Galliæ præcipuum decus, titulum ſcilicet potiſſimum gloriæ, noſtro Apoſtolo derogantes contendiſſe eripere viſi fuerint: cum ſi quis exterus hoc tentaſſet, omnibus debuiſſent reniti viribus & quaſi pro aris & focis pugnando, tantum quem aſſeruimus ipſi diuino Galliæ Doctori honorem Apoſtolicæ ætatis, ſanctitatis ac meriti, eidem vindicare atque aſtruere; ſicut dudum Hilduinus grauiter conqueſtus de aduerſariis non tam ſuis quàm patriæ, & exploratæ veritatis iuratis impetitoribus, admonebat. *Audiemus* tamen *eos* hac de re *iterum*, quamuis quæ argumenta obiiciunt pridem producta & ſoluta magna ex parte fuerint, aliáque, quæ tantilla addiderunt ſuaptè infirmitate concidant. Etenim poſt tam luculentam quam edidimus aſſertionis noſtræ

confirmationem nullas vires habere poſſunt, ſed ſicut tenues humi vapores, quos Sol ipſo fulgore ſuo longè diſpellit, ad tantæ demonſtrationis ſplendorem, neceſſe eſt hæc læuia nubila prorſus euaneſcere. Inflantur tamen vento nubes*, & aduerſariorum ſolidiora argumenta, quæ inferiùs accuratè expendimus, licèt ſpeciem quandam habeant ponderoſitatis, nonniſi flatibus tumeſiunt, quos diſſipare in tenues auras peruium eſt, ſingulis appoſita ſolutione tam ſolida quàm perſpicua. Igitur ab argumento illo quod maioris eſſe momenti putant, conflato nimirum ex dicto leuiori Seueri Sulpitij, noſtram diſcuſſionem ordiemur.

* Hinc illud Pſal. 76. 18. *Vocem dederunt nubes.* Hoc eſt, ventos & flatus.

Poſt Hadrianum (inquit Sulpitius lib. 2. ſacræ Hiſtoriæ) *Antonino Pio imperante, pax Eccleſiis fuit. Sub Aurelio deinde Antonini filio, perſecutio quinta agitata. Ac tum primùm intra Gallias Martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* Quo ex antecedente colligunt. Igitur Dionyſius Areopagita Pariſiis non fuit Martyr ſub Hadriano: ſed omnino ab eo alius eſſe debet, qui Pariſiis pro initiata fide, longè diu poſt Hadriani tempora decertauit. Nam ex hoc Sulpitij teſtimonio nonniſi quadraginta annis poſt Hadrianum (tot enim fluxerunt ab eo, ad Marcum Aurelium) Martyria primùm viſa ſunt ad quæ tempora perueniſſe Dionyſium Areopagitam, dici nequit. Quem, nec alium virum Apoſtolicum

dici poteſt prædicâſſe in Galliis, vbi, *ſeriùs*, ait Sulpitius, Chriſti *religio ſuſcepta* fuit.

RESPONSIO.

SEVERI SVLPITII *hiſtoriam qui legérit* (admonet Carolus Sigonius (*ſciat ex eius lectione magis in religionis & innocentiæ ſtudio*, quin & Latinæ eloquentiæ cultu, quàm *prudentiæ vſu, ſe profecturum*. Grauiter planè & ſyncerè. Vt enim ſanctitatem illius ratam habeam, cuius titulum Poſſeuinus acriter impugnat: citra eius beatitatis diſcrimen, multa de eius ſcriptis præſertímque de Hiſtoria excipi poſſunt. *Facundi Scriptoris* palmam tenuit, * ſcribit ad eum Paulinus: quem titulum nec Scaliger illi inuidendum cenſuit. *Ipſe Sulpitius*, inquit, *Eccleſiaſticorum fuit puriſsimus Scriptor, quoad nitorem eloquij nimirum, nam ceteroqui* NÆVI IN ILLIVS SCRIPTIS PLERIQVE NEC LEVES OCCVRRVNT, CIRCA IPSAM DICTORVM NARRATIONEM. Victor Giſelinus Medicus Brugenſis qui opera eius, nempe *Hiſtoriam*, deinde librum *de vita ſancti Martini*, atque *epiſtolas*, *dialogóſque* emiſit ex officina Chriſtophori Plantini Antuerpiæ anno 1574. notáſque in hæc eius ipſa opuſcula, ex Petro Galeſinio Mediolanenſi S. R. E. Protonotario (qui Sulpitium ante ingenioſè recognouerat:) itémque ex Ioanne Feleatio Iuriſconſulto, qui Sulpitium ipſum purè Gallicam in ſeriem verterat,

* Epiſt. 1. ad Seuerum.

* In vita eius quam ipſius ex ſcriptis conſtruxit.

locupletiores edidit: rectè admonet * lucubratiuncularum Sulpitij luſtratorem, vt aduertat, *Hiſtoriam ſacram fuiſſe ab illo conſcriptam in primo ætatis flore, cùm eloquentiæ ſtudium in eo flagraret.* Qua notatiuncula ſolerter indicat plus in tiſſura compturæ eloquij, quàm in ipſo rerum contextu ſoliditatis materiæ exiſtere. Carolus Sigonius præfatus, qui hortatu Cardinalis Paleoti Commentarium in Sulpitium ſcripſit, Bononiæ primùm excuſum anno 1581. vt illum virum ſanctum diſertúmque prædicat, ſic in eo deſiderat *laudem prudentiæ*. Cuius defectum Gennadius notat in Catalogo virorum illuſtrium, quo illum poſtquam commendauit pleriſque elogiis, ad oram ſubnectit: *Hic in ſenectute ſua à Pelagianis deceptus, agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium vſque ad mortem tenuit, vt peccatum quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret.* Nec lingua eius modò ſed calamus plerumque à vero deflexit. Ioannes Druſius qui ex ſegregibus opuſcula illius, poſt orthodoxos ſuprà ſignatos cenſores recognouit, ediditque Franeckeræ anno 1607. *Illum non ſemel exorbitâſſe à veritate*, ſua in præfatione ad Lectorem ideo prænotauit. Cuius iudicium parui momenti exiſtimari poſſet, niſi lata à Cardinale Bellarmino, cuius longè maior eſt auctoritas atque ſynceritas, perſimilis cenſura accederet. Is ſiquidem *in lib. de Eccleſiaſticis Scriptoribus*, vbi ſub Catalogo operum Sulpitij lapſum eius & correctionem commemorâſſet obiter,

continuo filo hanc obſeruationem annectit. *Seueri Sulpitij libri de ſacra Hiſtoria, & Dialogi de conuerſatione Orientalium, cautè legendi ſunt. In lib. 1. de ſacra Hiſtoria dicit, filios Dei, qui filias hominum adamauerunt, fuiſſe Angelos: quod refellitur à ſancto Chryſoſtomo in cap. 6. Geneſis, & ab Auguſtino lib. 15. de Ciuitate Dei cap. 23. & aliis probatis auctoribus. Dicit Sacerdotes qui habent poſſeſſiones, immemores eſſe praecepti Dominici dati quondam Leuitis. At Leuitæ poſſeſſiones habebant, quin etiam oppida & ſuburbana eorum, Leuit. 25. Quare Hieremias ex genere Sacerdotum agrum vendidiſſe legitur, Hierem 32. & Barnabas Leuites ſimiliter agrum quem poßidebat vendidit, Act. 4. Dicit praterea templum fundatum fuiſſe anno 588. ab egreſſu filiorum Iſraël ab Ægypto. At Scriptura 3. Regum 6. notat annos 480. In Dialogo dicit, Eccleſiam auro non aſtrui ſed deſtrui. Reprehendit Epiſcopos qui libros Origenis damnauerunt. Scribit coniugium ad veniam pertinere, virginitatem ad gloriam, fornicationem ad pœnam. Dicit ex ſententia ſancti Martini, Neronem ſimul cum Antichriſto venturum, & Antichriſtum ex malo ſpiritu concipiendum. Denique notatur à ſancto Hieronymo in cap. 36. Ezechielis, erroris eorum qua nouam Hieruſalem auream & gemmatam expectant.* Hæc de Sulpitij erratibus doctè ac ſyncerè Bellarminus, cuius iudicium Boſquetus iis in rebus magni ponderis eſſe aſſerit *parte 2. pag. 52.* immò omnibus anteferendum cenſet, non ſolùm *propter dignitatem*, at etiam *propter doctrinam*. Ex cuius Cardinalis ſen-

tentia, auctoritati Sulpitij quando canit ſolus, parum innitendum eſſe, ſatis ex notis eiuſdem ſuprà inductis Boſquetus iam deprehendit. Et regula quidem iuris ſacri eſt. *Teſtimonium totum vitiat paruum mendacium. can. pura 3. quæſt. 9.* Igitur hæc quæ in Sulpitij ſcriptis grauia admodum deliquia notata atque probata ſunt, ſufficiunt ad plenam ineundam teſtimonij eius quod aduerſarij contra nos, immò exploratam veritatem vrgent, repulſam. At quia Boſquetus eiuſmodi argumentum à dicto ſecundùm quid, ad dictum ſimpliciter procedere contendit. *Non enim*, inquit*, *in re hiſtorica qui peccat in vno factus eſt omnium reus. Alioquin fluxa eſſet per omnem hiſtoriam, Gregorij, atque itidem Sulpitij auctoritas*. Aliâ volo progredi viâ, qua teſtimonio ſignato Sulpitij pondus omne auctoritatis detrahendum eſſe, ipſo aduerſæ veritatis conſpicuæ obiectu patefaciam. Fateor equidem ſi in vno duntaxat defectu à recto veri tramite Sulpitius deprehenderetur: non ideo rigidè vocandum eſſe in aberrationis, ceterarum quas ſcripſit rerum ſuſpicionem. Sed pleriſque erratibus, iiſque grauiſſimis, vt patet ex elencho Bellarmini, auctorúmque inſignium ſuprà relatis teſtimoniis, implicatur. Quamobrem rectè aduersùs illius dictum præſertim repugnans illuſtriorum Patrum ſuffragiis: errata eiuſmodi grauia, in exemplum exiguæ fidei ſtatuuntur, valéntque illa plurimum, ad auctoritatem eius in priuatis quas habet ſententiis & relationibus, minuendam.

* Tract. 2. p. 57.

Verùm præter hác generalem exceptionem, alia nobis ſupereſt ſpecialis, quæ propria eſt huius loci atque præcipua. Sulpitius itaque ſcribit. *ſub Aurelio Antonini filio* (qui anno Chriſti 163. imperare cœpit) *perſecutionem quintam agitatam. Ac tum primum intra Gallias Martyria viſa, ſeriùs trans Alpes Dei religione ſuſcepta.* At verò ſententia illa prorſus à recta linea deflectit, éſtque manifeſtè erronea, & Patrum Sulpitio etiam antiquiorum & longè maiorum, patentibus teſtimoniis aduerſa, ipſorúmque tam ſolida quàm perſpicua auctoritate refellitur, videlicet,

Primò, S. IRENÆI clara teſtificatione. Hic enim Polycarpi, Ioannis Euangeliſtæ primarij diſcipuli alumnus, Lugdunenſis Eccleſiæ primus poſt beatum Pothinum Antiſtes, Martyr glorioſus, Doctórque Chriſtianæ pietatis perilluſtris (quem HOMINEM DEI, digno præconio ſanctus Auguſtinus agnominat) lib. 1. aduerſus hæreſ. cap. 3. inſinuat ſua ætate, Celticæ Galliæ populis, qui quinque prouinciis cenſebantur (primâ ſcilicet Lugdunenſi, quæ Lugdunenſis ipſa eſt ad Rodanum ſita Metropolis. Secundâ, quæ ad Sequanam dicta Rotomagus. Tertiâ, quæ Turonis ſuper Ligerim. Quartâ, quæ Senonis vocitata ad Icaunam, ſub qua Metropoli tum erat ciuitas, deinde regia, Pariſienſis. Et quintâ cui nomen Veſuntio, ad Dubim fluuium conſtituta) prædicationem veritatis non modò iam antea illuxiſſe, ſed & Eccleſias apud hos populos funda-

tas vigere, & fidem conſonam confeſſioni, non tantùm Hiſpaniæ, Germaniæ, ſed & Ægypti & Lybiæ, Orientiſque immò vniuerſi orbis perſonare. Variis ſiquidem linguis cognitionem vnam veritatis vbique iam diffuſam & receptam celebrari. *Nam etſi*, inquit, *in mundo loquelæ diſsimiles ſint, ſed tamen virtus traditionis vna & eadem eſt. Neque hæ quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ, aliter credunt, aut aliter tradunt. Neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ* QVÆ IN CELTIS, *neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Libya; neque hæ quæ in medio mundi ſunt conſtitutæ: ſed ſicut Sol creatura Dei in vniuerſo mundo vnus & idem eſt; ſic & lumen, prædicatio veritatis, vbique lucet & illuminat omnes homines, & qui volunt ad agnitionem veritatis venire.* Hæc ſanctus Irenæus, affectus martyrio ſub Seuero Imperatore anno Chriſti 205. valde ſenex. Fuerat enim in prima ætate Polycarpi & Papiæ diſcipulorum Chriſti Apoſtolorum auditor, ac antè annum 179. preſbyter erat primarius Eccleſiæ Lugdunenſis florentiſſimæ, à qua illo anno ad Eleutherium Papam, conſulturus eum de quibuſdam dubiis miſſus eſt*. Anno autem ordiente ſequenti, Chriſti ſcilicet 180. Pothino Epiſcopo Lugdunenſi, qui nonagenario maior agonem fidei cum pleriſque inclytæ pugilibus conſummauerat, fuit digna ob merita ſurrogatus. Diutiſſimè igitur ante illum Pothinus ſederat Lugduni Epiſcopus, vbi tanta Martyrum ſeges eius ex cultura, ro-

* S. Hieronymus in Catal. ſcript. Eccleſ. in Irenæo.

boratâ fide ſuccreuerat. Item Viennæ vigebat religio, nam horum & illorum populorū æqualis pro fide Chriſti conſtantia, in illa celebri concertatione quam Græci poſt Euſebium ſuis etiam encomiis honorârunt & prodiderunt perpetuis monimentis, egregiè enituit. Nemo igitur æquè dixerit Eccleſias Viennenſem & Lugdunenſem anno 163. plantatas, quas tanto vigore conſtat palmites cælo frugiferas pleraſque anno 179. emiſiſſe; Pothinúmque tantæ ætatis Epiſcopum, qui nonagenarius illo anno coronatus eſt, eo duntaxat tempore religionis magiſterium inchoaſſe, cùm maturum iam gloriæ populum diuinis operationibus effeciſſet. Quid quod ſcribit Gregorius Turonenſis, S. Irenæum à beato Polycarpo Lugdunum fuiſſe directum lib. 1. cap. 29.? At igneo curru triumphans iam ad ſupernam euolârat gloriam beatus Polycarpus anno 169. Antea igitur vigentem Lugduni Eccleſiam ſub Pothino ſene Antiſtite, Irenæus ipſe reperit, à quo Presbyter ordinatus eſt. Adde quod idem Gregorius ex antiquis hiſtoriis ad ſuum vſque ſæculum conſeruatis, capite ſuperiori eiuſdem libri aſſerit, tempore ipſo quo per ignem Polycarpus, Chriſto conſecratus fuit, in Galliis *multos pro Chriſti ipſius nomine per Martyrium gemmis cæleſtibus coronatos.* Solidè igitur iam plantata & radicata, longéque ac latè pullulabat in Galliis fides, quæ Martyres tanta copia germinabat vbi & fundatas, non vna die Eccleſias, ſanctus Irenæus, fuiſ-

ſe, cùm florenti ætate ſcriberet teſtabatur. Malè igitur ſcribit Sulpitius quod ſero trans Alpes religio fuerit ſuſcepta: quam & à Paulo Apoſtolo in Gallia prædicatam ſuprà perſpicuè oſtendimus: & à Creſcente, quem Viennæ Epiſcopum conſtituit, propagatam, eiuſdem Pauli teſtimonio, & adſtipulatione ſancti Epiphanij, Euſebij Cæſarienſis, Theodoreti, aliorúmque ſacrorum primi conſeſſus Scriptorum confirmauimus. Sanè Ado ſcribit in Chronico, *poſt Creſcentem in Galatiam reuerſum, Zachariam Viennenſi Eccleſiæ præfuiſſe, glorioſiſſimóque confectum ſenio ſub Traiano Martyrem occubuiſſe.* Falſum igitur eſſe palam eſt, ſub M. Aurelij tempore primùm Martyria in Gallijs viſa, tardéque trans Alpes religionem inuectam fuiſſe, quæ ſub Traiano aſſertores iam valde ſenes & ita præclaros habebat.

Secundò, TERTVLLIANVS, Sulpitij autumationi aduerſatur, qui cùm *aduerſus Iudæos* ſcriberet ſub annum 203. *Galliarum diuerſas nationes* Chriſto iam ſubditas aſſeuerabat: ſic enim ex populorum cuiuſque gentis fide, trophæum Chriſto contra Iudæorum obduratam erigebat perfidiam. *In quem enim alium* (infit) *vniuerſæ gentes crediderunt niſi in Chriſtum qui iam venit? cui enim & aliæ gentes crediderunt Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, Armeniam, Phrygiam, Cappadociam & incolentes Pontum & Aſiam, & Pamphyliam, immorantes Ægyptum, & regionem Africæ, quæ eſt trans Cyrenem, inhabitantes*

Romam

Romam & incolæ; tunc & in Hieruſalem Iudæi & ceteræ gentes, vt iam Getulorum varietates, & Maurorum multi fines, Hiſpaniarum omnes termini, ET GALLIARVM DIVERSÆ NATIONES, *& Britannorum inacceſſa Romanis loca, Chriſto iam ſubdita, & Sarmatarum ac Dacorum, & Germanorum, & Scytharũ, & abditarum multarum gentium, & prouinciarum, & inſularum multarum nobis ignotarum, & quæ connumerare minimè poſſumus,* IN QVIBVS OMNIBVS LOCIS, *Chriſti nomen qui iam venit, regnat.* Regnabat igitur iamiam in Gallia Chriſtus, aliàs ipſa nullibi erat, vel ſola incredula perſiſtebat, poſtquam barbaræ quantumuis remotæ gentes fide imbutæ, Chriſtum vniuerſalem orbis Regem atque Deum adorabant. Propudioſum eſt Galliæ Chriſtianiſſimæ, tantam illi affingere fidei tarditatem, vt vix poſt conuerſos Scythas, Mauróſque & Sarmatas, ad Chriſtum acceſſerit, tantóque tempore rebellis cæleſti vbique fulgenti lumini diuinæ veritatis & gratiæ, perdurârit. Quo iure igitur *filiæ primogenitæ**, Romanæ omnium matris fidelium Eccleſiæ, Gallicana inſigne cognomentum promeruit, cuius glorioſum titulum *Chriſtianæ primogenituræ*, in Reges deinde ſuos Chriſtianiſſimos, Gallia ipſa iampridem Chriſto conſecrata, præque ceteris gentibus addicta tranſcripſit? cuius nominis inclyto præconio omnium conſenſu nationum Reges ipſi Chriſtianiſſimi iure prærogatiuo, poſt tot ſæcula, ceteris queíſque antecellunt Principibus; dicuntur enim

* Nota vnde primùm fluxit nomen Chriſtianiſſimi & primogeniti filij Chriſti Eccleſiæ Catholicæ, Francorum Regibus, vniuerſi orbis conſenſu à tot ſæculis attributi, ſpeciali iure ac honore.

non modò *Chriſtianiſsimi*, ſed & *filij Eccleſiæ primogeniti*, ex primitiua fidei in Gallias diffuſæ, ex matricis Romanæ Eccleſiæ viſceribus emanatione. Ex qua origine, *Apoſtolicæ doctrinæ conſanguinitatem per diuini traducem ſeminis, & primigeni ortus gloriam* (vt Tertulliani verbis eloquar:) Gallia ipſa ab Apoſtolis & Apoſtolicis viris edocta, Chriſtóque progenita ante ceteras Occidentis nationes, merito iure obtinuit. Certè ſanctus Hilarius, qui ipſum beatum Martinum, Sulpitij venerandum in Chriſto pædagogum inſtituit, longè aliter de Gallicanæ Eccleſiæ ortu, & ſacra in fidei ſuſceptione prærogatiua ſentiebat, qui *in libro de Synodis*, tot illam inſignibus efferebat nobilitatis & gloriæ præconiis: eam ſiquidem commendabat non ſolùm propter imperturbatam in perſecutionibus conſtantiam, ſanctam & indemutabilem in ſana doctrina perſeuerantiam, inuiolatam innocentiam, ſed inſuper ob firmam & inconcuſſam in fidei petræ fundamento ſtabilitatem, & intemeratam religionis obſeruantiam ac propagationem. Quæ ſanè de recenti nouelláque Eccleſia prædicare, *ſerò* vt Sulpitius innuit procreata, abſonum eſſet, & à ſancti Hilarij grauitate, & à rei ipſius congruentia.

Tertiò, INNOCENTIVS I. PAPA, quem Deus præcipuo gratiæ ſuæ munere (aiebat ſanctus Auguſtinus epiſt. 92.) *in ſede Apoſtolica collocauit*, apertè damnauit illam Sulpitij pronunciationem, cùm ſcribens ad Decentium Egubinum

Epiſcopum aſſeruit, Gallias, *à ſancto Petro & ſucceſſoribus eius, Eccleſiarum fundatores primóſque Sacerdotes accepiſſe.* Quæ enim iam à Petro Doctores ſalutis & inſtitutores habuit, dici non poteſt fidem ſerò ſuſcepiſſe, & Chriſti religionem ſolùm circa tempora M. Aurelij, videlicet ad finem ſecundi ſæculi, agnouiſſe.

Quartò, EPISCOPI ANTIQVI GALLIÆ, qui ſub Leone Magno in Concilio Arelatenſi conſederunt, hanc ipſam Sulpitij reſciderunt erroneam ſententiam authentico iudicio. Sic enim illi Patres ſcribunt in Synodica * ad Leonem ipſum, Epiſcopalis coronæ Principem. *Omnibus etenim regionibus Gallicanis notum eſt, ſed nec ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ habetur incognitum, quod prima intra Gallias Arelatenſis ciuitas miſſum à beato Petro Apoſtolo ſanctum Trophimum habere meruit Sacerdotem, & exinde aliis paulatim regionibus Galliarum, donum fidei & religionis infuſum.* Et infrà, *Iure enim ac meritò ea vrbs ſemper apicem ſanctæ dignitatis* (hoc eſt ſacri Primatus, cuius iura imminuta ſatagebant reſtitui) *obtinuit, quæ in ſancto Trophimo primitias noſtræ religionis prima ſuſcepit, ac poſt intra Gallias, hoc quod diuino munere fuerat conſecuta, ſtudio doctrinæ ſalutaris effudit.* Quæ Synodalis Epiſcoporum vndeviginti ex pleriſque Galliæ Prouinciis euocatorum teſtificatio, tanto magis Sulpitij leuiori dicto præponderat, quantùm publica fides, priuato teſtimonio; Conciliíque nationalis iuridica auctoritas, cuiuſpiam hominis

* De huius epiſtolæ ſynodicæ ſynceritate, ac Trophimi Apoſtolica ætate, vide infrà quę dicimus in ſolutione 7. Argumenti deprompti ex dictis Gregorij Turonenſis. In adiuncta appédicula ad §. *Dico tertiò*, proximè poſt ipſius Trophimi & Pauli Narbonenſis, (amborũ Pauli Apoſtoli diſcipulorũ) præſtitas ſingulares vindicias.

particularis perſuaſioni, & decretum authenticum ſimplici opinationi, præualent iure ipſo.

Quintò, ZOZIMVS PAPA, quem ſanctus Auguſtinus impensè quoque ob ſanctitatis conſpicuas dotes venerabatur, hanc Patrum Arelatenſis Synodi aſſeuerationem, de Arelatenſis Eccleſiæ Apoſtolica fundatione, præambula declaratione obſignauit: dum ſcribens * vniuerſis Galliæ Epiſcopis decernit Arelatenſi Eccleſiæ, *vetus priuilegium minimè derogandum eſſe, ad quam primùm miſſus eſt, ex Apoſtolica directione Trophimus ſummus Antiſtes, ex cuius fonte totæ Galliæ riuulos fidei acceperunt*. Quæ Pontificis ſanctiſſimi aſſeueratio, tam certa quàm memorabilis à poſterioribus Pontificibus ſummis iudicata eſt, vt ipſorum approbatione fuerit ſacris Romanæ Eccleſiæ diptychis inſerta, 5. *Kalend. Ianuarij*: vbi ipſemet Trophimus eſſe inſignis ille *diſcipulus ſancti Pauli* memoratur, in eius ſecunda ad Timoth. epiſt. cap. 4. nominatus, & ab ipſo Arelate ordinatus primus Antiſtes. Sic enim ibi. *Arelate natalis ſancti Trophimi, cuius meminit ſanctus Paulus ad Timotheum ſcribens, qui ab eodem Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, præfatæ vrbi primus ad Euangelium prædicandum directus eſt* (à ſancto Petro ſcilicet) *ex cuius prædicationis fonte, vt ſanctus Zozimus Papa ſcribit, tota Gallia fidei riuulos accepit*. Breuiùs rem complectitur Ado ſignata die. *Apud Arelatem* (inquit) *natalis ſancti Trophimi Epiſcopi & Confeſſoris diſcipuli Apoſtolorum Petri & Pauli*. De qua

* Apud Sirmondum to. 1. pag 42.

Apoſtolica Arelatenſis Eccleſiæ fundatione, ſic aduerſus Petrobruſianos gloriabatur Venerabilis Petrus Cluniacenſis. *Numquid apud Arelatem, quam necdum veſter ſordidus error infecit, Pauli Apoſtoli diſcipulus Trophimus, de cuius fonte, vt Papa Zozimus ſcribit, omnes Galliæ fidei riuulos acceperunt; ſemper in campo aut in foro prædicauit?* En quàm ſera fuerit fidei in Galliæ prædicatio, quam Trophimus Apoſtolorum principum diſcipulus, Petri ſcilicet miſſione, Pauli ordinatione, primo in Euangelij ortu Arelatæ annuntians, hinc quaſi è fonte limpidiſſimo, vniuerſam per Galliam, Apoſtolico zelo gentis noſtræ ſalutis ſollicitus, profudit atque exundauit?

Sed opus eſſe non teor plures congerere auctoritates, quibus Sulpitij inſinuatio refellatur. Satis ſupérque eſſe poſſunt hæc quæ adduximus illuſtrium Patrum teſtimonia, quæ vt numero ſic dignitate auctoritatéque teſtium, Sulpitio longè præponderant, atque pluſquam opus ſit virium habent, ad eius errorem apertiſſimum profligandum. Cuius pronunciatum, haud verum eſſe, Sigonius ad illum ipſum locum annotauit, & poſt eum Druſius. quin & Boſquetus Prima parte pag. 60. cùm exploratam aduerteret Sulpitij aberrationem, ipſum (quem ſi verba eius rigidè accipiantur excuſari non poſſe, abnuere non audebat) niſus eſt adhibito commodo ſententiæ eiuſdem temperamento, ſaniorem ad intelligentiam reuocare. *Martyrio*, inquit, *Lugdunenſium Chriſti*

ſidem in Galliis priorem fuiſſe, fere pro comperto habeo, neque ideo Seueri authoritatem eleuatam exiſtimo. Ille breuiori ſcribendi modo minùs dixit quàm ſenſit, & ſerò receptam religionem, ac tum primùm viſa martyria ſcribens, non ideo tamen priùs prædicatam fidem negauit. Illuſtria & in omnium oculis martyria intellexit, quæ tum ſub Aurelio Galliarum conſpectui exhiberi cœperunt, ſuſcepta iam Chriſti religione. Nam antea & rara, & quaſi propter commune impietatis crimen illata Chriſtianis ſupplicia, nondum à populis religione ſuſcepta. Verùm vbi prædicata latè per Gallias fide, Chriſti nomen notius eſſe cœpit, Chriſtianorum multitudine ad Martyrium accurrente: tum primùm eorum damnatio Gallis ſpectaculo eſſe, & cuilibet eorum martyria cognita. Hanc Seueri fuiſſe mentem quis negabit, ſi Pothini longam ætatem, Iuſti & Veri Viennenſium tempora repetat, ſi Eutropium Santonum Epiſcopum à Clemente miſſum fuiſſe, Toloſam Saturninum, Biturigas Vrſinum, à diſcipulis Apoſtolorum accepiſſe, apud Gregorium Turonenſem legat? Hanc veritas manifeſta confeſſionem ab inuito Boſqueto extorſit: qui ſuo ſe iugulans enſe, plura alia ſubnectit quibus dum ſuam prodit anxietatem ac inſtabilitatem, ſimul veritatis quam propugnamus vires experitur, & aduerſæ partis, quam agit contra proprium iudicium, inanitatem ſatis agnoſcit.

Atque hæc dicta ſint de iactata toties ab ipſo Boſqueto aliiſque aduerſariis Sulpitij erratica ſententia, quam ipſi tot conuicti demonſtrationi-

bus falſam (ſi vt ſonat accipiatur) fateri coguntur: ſi verò (vt à ſapientiſſimis cenſoribus didicerunt illam emolire) à rigido ſenſu temperetur, & ad aptum certúmque hiſtoriæ ſacræ reuocetur concentum, noſtræ aſſertioni de Apoſtolica ætate primorum Galliæ Euangeliſtarum, nullum prorſus prætendit obicem. Vnde per me non ſtabit, quin Sulpitius liber abeat ab hoc iuridico conſeſſu: quominus enim reus falſi teſtimonij peragatur, facit ingenua eius declaratio, qua obiter tantùm ſe locutum, & carptim duntaxat res quas narrat collegiſſe, ideóque hiſtoriam ſacram conſtringendo, pleraque non expreſſiſſe, quæ ſtrictiùs à ſe dicta illuſtraſſent, candidè ſuæ in hiſtoriæ exordio profeſſus eſt. Et re vera Sulpitius totam hiſtoriam ſacram, ab orbe condito ad ſua vſque tempora duobus libellis complexus eſt. Vnde à Gennadio non hiſtoriam, ſed Chronicon ſcripſiſſe commemoratur. Haud mirum igitur, ſi ſub vna perſecutione ceteris atrociori, aliàs quæ præcurrerant leuiores perſtrinxerit, & præ feſtinatione calami (nam vt compendium hoc texeret, ipſemet vt affirmat, à pleriſque amicis vrgebatur) multa prætermiſerit, plura ſtrictim nimis inuoluerit, nonnulla etiam permiſcuerit, denique pleraque etiam notauerit ab genuina rerum ſerie aliena. Vnde ipſo minorem inter priſcos Eccleſiæ Scriptores auctoritatem promeruit, & cenſuras à doctis opuſculi eius recognitoribus, quantumuis eius me-

moriæ ſtudioſis cultoribus, retulit: atque potiſſimum in præſignata epocha, de ortu religionis in Gallia, omnium conſenſu exploſus eſt.

ARGVMENTVM VII.

Teſtimonio innixum Gregorij Turonenſis, quo ille Dionyſium alióſque Eccleſiarum Galliæ Apoſtolos, ſub Decio tantùm miſſos Româ fuiſſe, in Galliam inſinuauit, lib.1.hiſtor.Francorum cap.30.

SVB *Decio verò Imperatore, multa bella* (ſcribit Gregorius) *aduerſum nomen Chriſtianum exoriuntur.* & infrà. *Huius tempore ſeptem viri ordinati ad prædicandum in Gallias miſſi ſunt, ſicut hiſtoria paſſionis ſancti Martyris Saturnini denarrat. Ait enim ſub Decio & Grato Conſulibus, ſicut fideli recordatione retinetur, primum ac ſummum Toloſana ciuitas ſanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Hi ergo miſſi ſunt, Turonicis Gatianus Epiſcopus, Arelatenſibus Trophimus Epiſcopus, Narbonæ Paulus Epiſcopus, Toloſæ Saturninus Epiſcopus, Pariſiacis Dionyſius Epiſcopus, Aruernis Stremonius Epiſcopus, Lemouicinis Martialis eſt deſtinatus Epiſcopus.* Hæc Gregorius: cuius tota relatio hiſtoriæ exemplari quod nactus eſt paſſionis ſancti Saturnini innititur. Quòd ſi ſolidum ſit fundamentum, hinc inſtructa profectò ſtructura ſtabilis eſſe debet: at ſi fluxum, illa nutat; ſi fallax, immò falſum, hæc prorſus concidit, & funditus corruit.

RESPON-

RESPONSIO.

DICO itaque, Gregorium Turonenſem corrupto fuiſſe exemplari paſſionis ſancti Saturnini deceptum: errorémque ſuum poſtea eum cognouiſſe & emendâſſe. Hoc patet ex conſtanti & indubitato eiuſmet teſtimonio. Siquidem *lib. 1. de glor. Martyrum cap. 48.* Saturninum, non ſub Decio, qui imperium capeſſiuit anno Domini 253. ſed ipſis ſub Apoſtolicis temporibus, agnoſcit in Galliam miſſum, Toloſæ fidei prima ſemina intuliſſe. *Saturninus Martyr, vt fertur ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in vrbem Toloſatium* (inquit Gregorius) *eſt directus.* Vibrandum in ſe hoc præuidit ſpiculum Boſquetus, cuius vt cuſpidem elidat, *lib. 1. pag. 61.* obiicit; Gregorium Turonenſem eo loco, Saturninum Vrſinúmque (nam hunc quoque Gregorius ipſe, *lib. de glor. Confeſſ. cap. 80. ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatum* & deſtinatum in Gallias ſcribit) *à diſcipulis Apoſtolorum miſſos, non ex ſua mente, ſed ex traditione referre.* Quemadmodum idem *ſcribit ſanctum Eutropium miſſum fuiſſe à Clemente.* Quæ tergiuerſatio eſt futilis. Certè perpetua vertigine Boſquetus agitur, in his conſtituendis calculis & epochis miſſionum Apoſtolorum Galliæ ſignandis, quas pro narrationum diuerſitate, vel affectuum propenſione, aut argumentorum inſtantia, aut ſubterfugiorum neceſſitate, mutat, anteponit, poſt-

ponit, permiſcet, dirimit: ſícque ex occaſionum ſpecialium occurſu, acta Sanctorum tum ſyncera facit, tum ſpuria; vera reſpuit, ſuppoſititia præponit, dubia antefert certis; auctoréſque ipſos quos vno laudat loco, alio eadem tamen in cauſa reprehendit & repellit. Aculeis enim conſcientiæ ſtimulatus, quæ dum eum malam cauſam contra antiquam traditionem & fulgentem ſuis in oculis notæ veritatis ſplendorem, potiùs pertinacia, quàm vlla rationis ſpecie propugnantem, pungit: eiuſmodi illum ambagibus volentem nolentem immergit, neque enim recto ſinit incedere tramite, ſed circulis perpetuis (qui toto eius in libello perſpicui ſunt) ferri in ambitum illum compellit. Exemplo ſpectabili, illa eius variatio erit aperta, quoad Gregorij dicta de Sanctis Saturnino & Dionyſio, eorúmque collegis frequénſque contradictio. Siquidem *part. 2. pag. 62. 63.* cùm aduerſus ſancti Martialis dignitatem diſputat; auctoritatem Gregorij quæ ſub Decio Martialem cum Saturnino Dionyſióque & aliis refert in Galliam miſſos, tanti eſſe ponderis cenſet, vt ſolam ſufficere aſſerat ad retractandam cauſam in quatuor Conciliis pro Apoſtolica gloria ſancti Martialis habitis, contra Gregorij ipſius dicta (quæ neglecta fuiſſe non abnuit) determinatam. Ipſe tamen *lib. 3. pag. 129.* ipſa acta ſancti Saturnini, quibus relatio tota Gregorij nitebatur ſatis innuit impura eſſe, dum notat acutè, falſum vaticinium continere. *Sa-*

turninum (inſit) *iam de Martyrio ſecurum duobus Presbyteris ſuis imminentem mortem prædixiſſe refert Gregorius Turonenſis, eóſque rogâſſe ne ſe defererent: atque vbi fugientibus miniſtris ſe ſolum aſpexiſſet, orâſſe dicitur ne vnquam Eccleſia ſua ex his ciuibus Pontificem haberet. Quod nunc vſque*, ait Gregorius, *in ipſa ciuitate ita eueniſſe cognouimus. Verùm Toloſates Epiſcopos ſe depopulares ſuos* (aptiùs fortè, *de popularibus ſuis,*) *poſterioribus ſæculis habuiſſe ferunt.* Mendacia igitur illa acta ferunt, ex iíſque Gregorius deceptus eſt, qui falſam ex iiſdem vaticinationem ſancto Saturnino attribuit. Idem Boſquetus *part. 2. pag. 57.* vt ſanctum Martialem ad tempora Decij deducat, Gregorij auctoritatem in immenſum attollit. *Ceterùm*, inquit, *Gregorius, Senatoria ſtirpe clarus inter Aruernos, Lemouicibus finitimos, Martialis quem pleriſq. locis laudat, dignitatem & ætatem ignorare non poterat*, part. 2. pag. 57. At dicti huius haud præſcius *part. 1. lib. 1. p. 61.* contrarium induxerat Boſquetus, vbi ſcribit tempus miſſionis Martialis, ceterorúmque Saturnini collegarum, Gregorium ignorâſſe. C*ùm autem illos ſeptem Epiſcopos* (*ſcilicet Saturninum, Dionyſium, Trophimum, Martialem, Paulum, Gatianum, Stremonium,*) *ſimul veniſſe in Gallias traderetur; certum miſsionis tempus ignorans Gregorius, ſed Saturnini Martyrium ex Coſſ. actorum eius compertum habens, iam ſub illis Conſulibus in Galliis fuiſſe ſcripſit.* Igitur fauente Boſqueto ætatem illorum ſex, puta Dionyſij, Martialis, Trophimi, Pauli, Gatiani, Stremonij

orauit Gregorius, ſolùmque ex actis ſancti Saturnini cui coniunctos audiuerat eoſdem ipſe Gregorius, tempus quo miſſi venerant in Galliam, mera coniectura collegit. Conciliet Boſquetus hæc ſua diſſona dicta: hæc inquam, *Martialis dignitatem & ætatem Gregorius ignorare non potuit.* cum illis, *Certum miſsionis tempus eius & aliorum ignorauit.* Pergit tamen ſibi aduerſando Boſquetus part. 1. lib. 3. pag. 123. *Omnes*, inquit, *ſimul & ſemel veniſſe, antiqua traditio refert, quæ Gregorij Turonenſis auctoritate confirmatur.* Et ex aduerſo eadem pagina, quatuor tantùm infrà lineis, *Verùm non ſimul veniſſe eadem triditio conuincit.* Et rurſus infrà, *Non ergo ſimul & ſemel*, &c. *in Gallias miſsi fuerunt. Quod non ſolùm traditio, acta & Scriptorum fides confirmant, verumetiam diſcipulorum tempora manifeſtiſsimè demonſtrant.* Et eadem pagina, *Gregorius ad annos Decij refert, propter Saturnini actorum Conſules, miſsionis tempus, cum paſsionis anno confundens.* Quibus in locis Boſquetus ſibi manifeſtiſſimè repugnat, eadémque in pagina non ſemel contradicit, Gregoriíque auctoritatem (quem alibi tantopere facit) euertit; quem ſibi non conſtantem prodit, traditioníque, actis & ſcriptorum fidei, illo in loco, cui potiſſimum vt Dionyſij ætatem ad Decij tempora deducat innititur, non conſentanea ſcripſiſſe, ſed veritati exploratæ contraria ipſe affirmat & contendit ex traditionis, & actorum, ſcriptorúmque aliorum auctoritate. Vbi bellam hanc in Boſ-

queti pronunciatis concordiam rurſus aduerte. Parte 2. p. 64. poſtquam recitauit relationem Gregorij Turonenſis de ſeptem miſſis Epiſcopis ſub Decio, ex hiſtoria, vt ipſe Gregorius ibidem ait, S. Saturnini deſumptam: ita Boſquetus ſubiungit. *Quæ narratio ex actis publicis excerpta eſt, in quibus ſocij Saturnini deſcripti erant.* Et paulò antè. *Huius opinionis prima origo ex actis paſsionis S. Saturnini Martyris, & 1. Epiſcopi Toloſatis ducitur, vt à Gregorio Turonenſi refertur.* At quàm immemor ſui, & ſibimet ipſique Gregorio aduerſetur, eadem in re proſpice. Iſmet enim antea part. 1. l. 1. cap. 26. pag. 62. ſic ſcripſerat: *nullam in actis S. Saturnini à Gregorio citatis, aliorum Epiſcoporum* (Dionyſij ſcilicet, Trophini, Martialis & aliorum) *fieri mentionem; neque etiam ex illis miſsionem fuiſſe eorum à Gregorio repetitam.* Igitur Boſquetus ſibimet ipſe repugnat contraria dicens: & ex eius ſententia textus ille Gregorij, quo Saturninum, Dionyſium & ceteros Galliæ Apoſtolos, ſub Decio miſſos annotauit, vndique titubat, totúſque eſt erroneus, miniméq; ſibî cohæret: at veritati exploratæ per traditionem, acta & ſcriptorum fidem, prorſus contrarius eſt. Et verò ne ſola ex vnius Boſqueti, proprium præſidium euertentis (dum ſic Gregorij Turonenſis teſtimonium, in quo præcipuum ſeſe robur ac propugnaculum, hac in cauſa habere paſſim gloriatur; vitioſum omnino veritatíque aduerſum eſſe demum aſſerit & indicat) ſententiâ, argumentum, quod hoc ex loco Gregorij elicitur, infirmare nos

eniti arbitretur: ſepoſitis Boſqueti tam malè ſibimet conſentientis, immò palam contradicentis cenſuris, quibus propria refellit aſſerta, Gregoriíque illam narrationem labefactat ac infringit (cuius libros alibi *corruptelis aſperſos* affirmat *part. 1. pag.* 54.) hic propria inſinuatione oſtendimus, locum illum Gregorij, ex quo hactenus aduerſarij puerili iactantia triumphârunt, totum eſſe mendoſum, támque craſſis ſcatere erroribus, vt iis conſertus, potiùs quàm confertus reperiatur. Ideóque haud idoneum eſſe cui adhibeatur tantilla fides: multominus autem efficax quàm vt ex eo argumentum aliquod validum conficiatur. Iam verò id vt patefaciam aggredior.

Dico igitur primò, Gregorium Turonenſem, vt ſe fatetur haud expolitum Grammaticum in ipſo operis ſui exordio: ſic malè accuratum Chronologum cùm tota ſua conſcriptione, tum maximè illo lib. 1. ex quo locus quem expendimus depromitur; præcipuè autem ipſomet loco de quo agitur, adeoque illo puncto de quo controuertitur, ſatis ſupérque, ſeſe cuique inſpectori prodidiſſe. Et vt hoc de libro primùm diſſeram, miſſúmque faciam Boſqueti monitum annotantis *lib. 1. pag.* 55. contrarium in calculis collocandis temporis eſſe ſibimet Gregorium, circa Vrſini Apoſtoli Bituricenſis, Leocadiíque Principis, & Luſoris eius filij, concurrentia tempora (vt idem Boſquetus indicat ex collatione hiſtoriæ Gregorij ipſius, *lib.* 1. *cap.* 31. cum eiuſ-

dem *libro de gloria Confeſſorum cap. 29.*) dico leuiter prætereundo hanc obſeruationem, palam eſſe ex ipſo libri 1. hiſtoriæ Gregorij contextu, haud accuratè illum diſtinxiſſe tempora, ſed adeo illa confudiſſe, vt eadem apertè conturbauerit. Miſcuit enim Imperatorum ætates & geſta, ex quibus diſtinctis epochas hiſtoriæ debuerat certas & fixas conſignare. Permiſcuit v. g. ea quæ facta ſunt ſub Antonino Pio cum iis, quæ ſub Marco Aurelio, Antonino Philoſopho & Lucio Vero eius filiis; & cum iis quæ ſub eorum ſucceſſore Commodo, & quæ ſub aliis vſque ad Decium acciderunt. Nam inter Antoninum Pium nulla fit mentio tot Imperatorum qui interceſſerunt: nihil enim dicit de Marco Aurelio Antonino, Commodo, Pertinace, Didio Iuliano, Seuero, Antonino Caracalla, Macrino, déque Heliogabalo, Alexandro Seuero, itémque de Maximino, Maximóque & Balbino. Itidémque de Gordiano, vti neque de Philippo; quiquidem annos ferè centum regnauerunt, & ſub quibus magna facta eſt Euangelij propagatio, plurimæque fuerunt Chriſtianorum vexationes atrociſſimæ, per orbem vniuerſum excitatæ; multa præclara Martyria edita, Eccleſiæ diuina prædicatione vbique gentium fundatæ, ſanguinéque ſuorum Apoſtolorum conſecratæ. Nihil igitur minus ex tam defectuoſa hiſtoria colligi poteſt, quàm quod in ipſo eius limine Gregorius pollicebatur, *vt collecta per Chronica, vel per Hiſtorias, anteriorum an-*

annorum ſumma explanetur apertè, &c. Si quis enim aliundè ignarus hiſtoriæ, legat ipſo libro primo Gregorium Turonenſem: credet ſanè omnia quæ ſub tot Imperatoribus peracta ſunt, ſub Antonino Pio facta eſſe, adeóque Irenæum ſub eodem eſſe paſſum, etiámque Iuſtinum Philoſophum, & Pothinum Lugdunenſem Epiſcopum ipſius Irenæi deceſſorem: quæ tamen paradoxa, ipſorum confeſſione aduerſariorum falſiſſima ſunt. Ita ſiquidem ſcribit lib.1. Gregorius cap.28. *Nam ſub Antonini Imperio Marcionitana & Valentiniana hæreſis inſana ſurrexit, & Iuſtinus Philoſophus poſt ſcriptos Catholicæ Eccleſiæ libros, pro Chriſti nomine coronatur. In Aſia autem orta perſecutione beatiſſimus Polycarpus Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulus, octogeſimo ætatis ſuæ anno velut holocauſtum puriſſimum per ignem Domino conſecratur. Sed & in Galliis multi ſunt pro Chriſti nomine per Martyrium gemmis cæleſtibus coronati, quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter vſque hodie retinentur. Ex quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Pothinus Epiſcopus fuit, qui plenus dierum diuerſis affectus ſuppliciis pro Chriſti nomine paſſus eſt. Beatiſſimus verò Irenæus eius ſucceſſor Martyris, qui à beato Polycarpo ad hanc vrbem directus eſt, admirabili virtute enituit.* Quis porrò ita legens non diceret omnia ſub Antonino Pio accidiſſe, quæ ſub eo facta denarrat Gregorius Turonenſis, eodem ſcilicet tempore quo Marcionis & Valentini hæreſes ſurrexerunt. Ceterùm longè aliter res ſe habet. Nam

Nam Iuſtinus quidem, Polycarpus & Photinus, non ſub Antonino Pio, ſed illo pridem defuncto (vt conſtat ex Euſebij Cæſarienſis hiſtoria Eccleſ. lib. 3. cap. 12. & 15. & lib. 4. cap. 1. vbi recitat epiſtolam illam inſignem Martyrum Lugdunenſium ad Aſiaticas Eccleſias) ſub eius filiis interempti ſunt. Irenæus autem multo etiam poſtea ſub Seuero, vt omnes conſentiunt, agonem ſuum conſummauit. Vnde eſt quòd Gregorij aliud graue aduertas ibidem erratum: qui in eadem ipſa pagina vbi de ſeptem illis Epiſcopis ſub Decio in Galliam (vt autumat) miſſis, hallucinatus, rurſum lapſus per errorem ſcribit. *quadraginta octo Martyres* (ex quibus fuerit Vetius Epagatus) paſſos eſſe poſt Irenæum: ſic enim ait. *Beatum Irenæum diuerſis in ſua carnifex præſentia pœnis affectum, Chriſto Domino per Martyrium dedicauit: poſt hunc & quadraginta Martyres paßi ſunt, ex quibus primum fuiſſe legimus Vetium Epagatum.* At ſanè non ita legimus apud Euſebium *lib. 5. cap.* 1. in ipſa Lugdunenſis Eccleſiæ relatione ad Aſiæ, Phrygiæque Eccleſias, de Martyrij ipſius Epagati & ſociorum 47. concertatione. Quin immò, illos cum Pothino primo ipſorum Epiſcopo nonagenario, extremam luctam peregiſſe Euſebius idem teſtatur, éxque rerum ſerie fusè commemorat. Porrò Pothinus cum illis illuſtriſſimis Martyribus extremo in agone occubuiſſe notum eſt in perſecutione Antonini, anno Chriſti 179. vt certum eſſe indicat ex Euſe-

bio, Theophilus Raynaudus in ſuo aureo planè Sanctorum Lugdunenſium indiculo, ſub Pothini ipſius radioſo nomine. Irenæum autem ſub Seuero paſſum nemo negat, & quidem anno Chriſti, vt notat Baronius, 205. Interfluxerunt igitur ab agone Epagati qui cum Pothino coronatus eſt, ad Irenæi Martyrium anni plerique. Quamobrem euidenter aberrauit grauitérque lapſus eſt Gregorius, qui eos poſt beatum Irenæum aſſerit laureatos, contra authenticam rei geſtæ hiſtoriam, Lugdunenſis Eccleſiæ purpuratæ, adhúcque in atroci bello conflictantis ſacra ſyngrapha obſignatam, apud Euſebium ab Aſiaticis quibus tranſmiſſa fuerat depoſitam, atque ab illo deſcriptam, quin ab vniuerſa Eccleſia quæ illam ſuis ſacris inſeruit diptychis 4. Non. Iunij & 4. Kalend. Iulij approbatam : vt in tabulis liquet Eccleſiaſticis antiquis, hagiologiiſque Bedæ, Vſuardi, Adonis, & aliorum. Immò ex lib. ſancti Auguſtini *de cura pro mortuis agenda*, & homilia ſancti Eucherij *de beata Blandina* : patétque ex ipſis actis ſancti Irenæi ac ſociorum eius à Baronio conſpectis, quorum exordium eſt, *Quamquam nonnullis inuicta*, &c. Quo cum videndus Feuardentius, in operum ſancti Irenæi, quæ edidit, apparatu.

Dico ſecundò, in ipſo capite quo de agitur, Gregorium Turonenſem, aduerſus hiſtoriæ veritatem & rationem Chronologiæ grauiter impingere. Vnde patet eiuſdem, in eiuſmodi cal-

culo & ratione, minimi faciendum eſſe fidem. Scribit etenim illo capite, proximè ante malè ſignatam, ſæpedictam ſeptem præcipuorum Galliæ Apoſtolorum miſſionem, quam factam ait ſub Decio: eodem principe imperante Valentinianum cum Nouatiano ſuas hæreſes excitâſſe. *Valentinianus* (dicere Valentinus debuit) *& Nouatianus*, inquit, *tunc hæreticorum principes, contra fidem noſtram inimico impellente graſſantur.* ſubdítque coniunctim. *Huius tempore ſeptem viri Epiſcopi,* &c. At verò tantùm verum eſt Saturninum, Dionyſium, ceteróſque quos recenſet primos Eccleſiæ myſtas, veniſſe in Galliam ſub Decij tempore, eodémque Nouatianum & Valentinum turbare Eccleſiam ſuis impietatibus incepiſſe: quantùm eſt congruum veritati, Valentinum Nouatiano ſynchronum, coniunctis armis religionem perturbâſſe. Valentinus enim anterior fuit Nouatiano quatuordecim centum annis: ſiquidem graſſari cœpiſſe ſub Antonino Pio, anno imperij eius 20*. Euſebius in Chronico teſtatur. Sic enim ſignat. *Sub Higino Romanæ vrbis Epiſcopo, Valentinus Hæreſiarches & Cerdo magiſter Marcionis Romam venerunt, anno Domini* 145. Et infrà. *Iam præſidente Eccleſiæ Pio anno Chriſti* 145. *Valentinus hæreticus agnoſcitur, & permanet vſque ad Anicetum.* Aſtipulatur Euſebio ſanctus Irenæus, qui contra Valentini hæreſes ſcripſit maximè lib. 1. cap. 5. & 6. & lib. 2. cap. 4. hic enim tempora eius ſic definit. *Valentinus venit Romam*

* Hoc eſt Chriſti 141.

ſub Higino, increuit verò ſub Pio, & prorogauit tempus vſque ad Anicetum *. Porrò Nouatianus Romanus preſbyter & primus Antipapa, nonniſi tempore Galli & Voluſiani hæreſiarcha apparuit, ex ſchiſmate quod impellente Nouato preſbytero Carthaginenſi turbas ciente aduerſus S. Cyprianum, lapſorum anteſignanus conflauerat. Sic inſurgens autem contra Cornelium Pontificem, in hæreſim prolapſus eſt circa annum Domini 255. vt patet ex eiuſdem Euſebij Chronico, & S. Cypriani epiſtolis, Epiphaniíque & Auguſtini Catalogis de hæreſibus *. Igitur inter Valentini & Nouatiani exordia anni 114. effluxerunt. Mira itaque hallucinatione illos quaſi eodem tempore exortos & graſſantes Gregorius coniunxit, parique errore ſub Decio ambos collocauit, quo ſub eodem immediatè conſtituit Saturninum, Dionyſium, Paulum, Trophimum, alióſque Apoſtolicos viros, miſſos quos toto aberrans cælo ait ſimul ſub Decio in Gallias, Euangelij Chriſti diſſeminatores.

* Vide Tertull. de præſcript. c. 30. & Theodor. lib. 1. de hæretic. fabulis.

* S. Epiph. hæreſ. 59. S. Aug. hær. 38.

Dico tertiò, Gregorium ſæpè ſic grauiter impingentem (saluâ quod dictum ſit eius reuerentiâ) hîc præſertim haud vera narrâſſe, cùm ſeptem hos illuſtres Chriſti præcones, ſub Decio ingreſſos primùm Gallias commemorauit. Nam vt de Saturnino hîc taceam (cuius in §. proximè ſequenti actorum nota expandetur, ætáſque oſtendetur vera:) Itémque de Martiale, cuius ſuprà coæua Apoſtolis vita, ex quatuor Conciliorum

definitionibus, & conſtanti traditione demonſtrata eſt. Pauca de Trophimo, quem ſuperiori argumento Apoſtolorum Petri & Pauli probationibus authenticis aſſeruimus diſcipulum, ab iiſque Arelatenſem conſtitutum protomyſtam, hîc operæpretium ſubnectam. Id igitur inſuper patet ex teſtimonio Bedæ, ſic in Martyrologio ſcribentis, 29. Decembris congruenter veteri Romanæ Eccleſiæ Martyrologio. *Apud Arelatem natale S. Trophimi Epiſcopi & Confeſſoris, diſcipuli Apoſtolorum Petri & Pauli.* Et ex teſtificatione Adonis, qui ita ſignat Trophimi ipſius dignitatem & ætatem, in libello *de feſtiuitatibus ſanctorum Apoſtolorum & reliquorum, qui diſcipuli aut vicini ſucceſſoréſque ipſorum Apoſtolorum fuerunt. 4. Kal. Ianuarij. Natalis S. Trophimi de quo ſcribit Apoſtolus ad Timotheum: Trophimum autem reliqui infirmum Mileti. Hic ab Apoſtolis Romæ ordinatus Epiſcopus, primus ad Arelatenſem vrbem Galliæ, ob Chriſti Euangelium prædicandum directus eſt. Ex cuius fonte, vt beatus Papa Zozimus ſcribit, totæ Galliæ fidei riuulos acceperunt, qui apud eandem vrbem in pace quieuit.* Hic eſt ille Trophimus, *quem Gallia primum ſenſit Apoſtolum*, vt legitur in eius epitaphio apud Stunicam in itinerario Hiſpaniæ: de cuius ætate & miſſione Apoſtolica alia clara indicia reperire eſt *in epiſt. Petri Cluniacenſis contra Petrobruſianos; in Chronico Autiſsiodorenſi fol. 33. Mappa mundi, ſeu Topographia Martyrum Primi Cabilonenſis Epiſcopi nomine* ARELATVM; *Hiſtoria Eccleſiaſtica Orderici*

Vitalis lib. 1. Bibliotheca Floriacenſi in vita S. Genulphi ; Floribus hiſtoriarum Matthæi Vveſtmonaſterienſis anno Chriſti 57. Sed alia plura eadem de re & præclara teſtimonia atque argumenta legere eſt apud *Petrum Saxium in Commentario locupletiſſimo de Arelatenſibus Archiepiſcopis, in Trophimo.* Verùm omninò vnus ſufficit S. Cyprianus, ad errorem Gregorij Turonenſis, circa Eccleſiæ Arelatenſis primordia prodendum & repellendum. Scribebat enim glorioſus ille Martyr, Africæque Primas, eodem ferè tempore quo miſſum fuiſſe primùm Arelatem Gregorius Trophimum commemorat; ad Stephanum Papam, qui anno 257. hoc eſt tribus vix annis poſt Decij (qui anno vno imperauit & tribus menſibus) exitum, ſedere cœpit in Petri Cathedrâ, de Eccleſia Arelatenſi haud nuper erecta, ſed corrupta à Marciano eius Præſule in hæreſim Nouatiani prolapſo: obteſtabatúrque Apoſtolicum Pontificem, vt perditæ mentis Epiſcopum paſtorémque exitioſum, ſubiecto à grege depelleret. * *Marcianus Arelate conſiſtens Nouatiano ſeſe coniunxit, atque à corporis noſtri & ſacerdotij conſenſione diſceſſit, tenens hæreticæ præſumptionis duriſſimam prauitatem.* Et infrà, *Quapropter facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne vltra Marcianum peruicacem & ſuperbum, collegio noſtro inſultare patiantur.* & rurſum inferiùs, *Dirigantur in Prouinciam, & ad plebem Arelate conſiſtentem à te litteræ, quibus abſtento Marciano, & alius in locum eius ſubſtitua-*

* Lib. 3. epiſt. 13. quæ eſt 67. in edit. Pamelij.

tur, & grex Chriſti qui in hodiernum ab illo diſſipatus & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace. Vbi illud notandum maximè, ANNIS ISTIS SVPERIORIBVS, quibus iam Marcianus praua de Chriſtianâ doctrinâ ſentiens, ab vnitate Eccleſiæ diſceſſerat. Igitur ille ſub Decio ſedebat, & gregem ſanum ibi cùm factus eſt Epiſcopus repererat. Vnde falſum apparet ſub Decio, eò directum fuiſſe Trophimum primum Epiſcopum. Aliàs Eccleſiam extitiſſe ante Pontificem, & gregem ante Paſtorem, & domum ante conditorem, oporteret: vel binum ſimul habuiſſe Antiſtitem, quoniam quo tempore miſſum Arelatem Gregorius notat Trophimum primum Epiſcopum: Marcianus iam ſedebat, ante quem Saxius probat vndecim Paſtores Eccleſiæ Arelatenſi præfuiſſe. Et quæ ratio mittendi Româ Epiſcopos qui Arelatenſem, Narbonenſem, Toloſanam aliáſque fundarent: cùm ſanctus Cyprianus florentes tam in Prouincia quàm ceteris Galliæ partibus Eccleſias tum fuiſſe, planè teſtificetur, ſuppléxque moneat Stephanum vniuerſalem Pontificem, vt litteras præceptorias ad Epiſcopos Galliarum dirigat. *Facere te oportet*, inquit, *pleniſſimas litteras, ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos.* Non dicit in Gallia, ſed in Galliis, in quibus diffuſo radicatóque iampridem Euangelio, altas egerat iam radices myſticáſque propagines longè latéque emiſerat, diu ante De-

cium (ſub quo florebat hæc ſcribens ſanctus Cyprianus) & marceſſere antè cœperat infructuoſus palmes Marcianus Arelatenſis pſeudomyſta; cuius caſtigari dementiam poſtulabat ardenti zelo, Fauſtinianus quintus Lugdunenſis Epiſcopus, vt fit ipſo ex ſancti Cypriani teſtimonio, manifeſtum. Hæc porrò tanti Martyris, Doctoris, Antiſtitiſq. auctoritas, immensè dicto Gregorij præponderat, ſoláque apud emunctæ naris homines ſufficit ad ipſius Gregorij erraticam opinationem reuincendum.

Quod autem addit idem Gregorius de *Paulo Narbonenſi*, directo in Gallias Româ ſub Decij & Grati Conſulatu, qui incidit, vt Caſſiodorus in Faſtis Conſularibus ſignat in annum Chriſti 252. Eadem auctoritate beati Cypriani licèt refellatur: peruium eſt oſtendere illum minimè ad hæc tempora pertinere, quem conſtat extitiſſe ipſa ſub ætate Apoſtolorum, adeóque à Paulo Apoſtolo ordinatum. Hoc poſtremum iam ſuprà in beati ipſius Apoſtoli elogio indicauimus. Illud autem probatur primum aſſertum ex Martyrologij veteris Romani, cui aduerſarij multum momenti tribuunt, hac perſpicua expreſſione 11. Kalend. Aprilis. *Narbonæ ſancti Pauli Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum.* Cui ſuccinit Ado in libello aureo de feſtiuitatibus Apoſtolorum & diſcipulorum, vbi ſic habet eadem die. *Natalis ſancti Pauli quem beati Apoſtoli ordinatum vrbi Narbonæ Epiſcopum miſerunt. Quem tradunt eundem fuiſſe Sergium*

Paulum

Paulum Proconſulem virum prudentem, à quo ipſe Paulus ſortitus eſt nomen, quia eum fidei Chriſti ſubegerat. quique ab eodem ſancto Apoſtolo cùm ad Hiſpanias prædicandi cauſa pergeret, apud præfatam vrbem Narbonam relictus, prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis, coronatus ſepelitur. Eadem refert venerabilis Beda in ſuo Martyrologio eadem die. Notkerus autem, ipſamet die ita ſcribit. *Apud Narbonam ciuitatem, à qua* Gallia *Narbonenſis nomen aſſumpſit: Natiuitas ſancti Pauli, quem beati Apoſtoli ordinatum, eidem vrbi Epiſcopum direxerunt. Quem tradunt eundem ipſum fuiſſe Sergium Paulum Proconſulem virum prudentem, à quo ipſe Paulus Apoſtolus ſortitus eſt nomen, quia illum fidei Chriſti ſubegerat. Qui in eadem regione prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis, confeßione Chriſti coronatus ſepelitur.* Inſuper Dextri hoc firmantis *in Chronico*, ad annum Chriſti 64. 66. & 76. & Primi Cabilonenſis *in Mappa mundi, ſeu Topographia Martyrum*, verbo *Corſica*, & voce *Narbona*, teſtimonia clara, causâ breuitatis prætereo. Prudentij itidem, qui *in hymno de decem & octo Martyribus Cæſaraugustanis*, Narbonam inde indicat felicem, quòd tanto ſidere irradiata fuerit.

Surget & PAVLO ſpecioſa Narbo, — In libro de Coronis.

de quo rurſus Beda in metrica Ephemeride.

Vndecima Antiſtes tribuit pia lumina PAVLVS,
Quo iure exultat proprio Narbona magiſtro.

Chronicon Autiſſiodorenſe, à Roberto Monacho S. Mariani anno 1210. contextum ex antiquis

monimentis, ad annum 93. hunc Paulum, Apoſtolicum virum planè facit, Dionyſiíque noſtri ſymmyſtam. *Inter quos (Doctores Eccleſiæ, & Chriſti gregis procreatores,) &c. miſſus eſt Narbonam* PAVLVS, *Turonis Gatianus. Ex his &* MAGNVS DIONYSIVS AREOPAGITA *ipſius Pauli Apoſtoli coæuus & diſcipulus, Galliarum Prouincias, & vrbis egregiæ Pariſius, cum Ruſtico Presbytero & Eleutherio Diacono, fines aggreſſus eſt*, &c. Petrus venerabilis eundem Galliæ Apoſtolis adcenſet in epiſt. contra Petrobruſſ. (quæ ſecunda eſt, ad fin. 2. cap.) ídque vt aſſerit ex patentiſſima traditione, & hiſtoriis antiquis à ſanctis viris relictis. Vita ſancti Genulphi Epiſcopi Caturcenſis à Sixto II. Papa ſub Decio in Galliam directi: ſcripta ab Auctore vetuſto & erudito, ante annos ſeptingentos (vt liquet ex eo quòd liber ſecundus, qui ab alio etiam bono auctore *de tranſlatione eiuſdem ſancti Genulphi* lib. 1. de eius vita adiunctus eſt, ſcriptus fuit anno 909. qui notatur pro extrema epocha narrationis cap. 40. & penultimo) ſancti Pauli Narbonenſis Apoſtolicam ætatem, atque factam eiuſdem à beato Paulo Apoſtolo Narbone ordinationem expreſsè teſtatur cap. 10. hac ſerie. *Principes militiæ ſuæ Dominus noſter* IESVS CHRISTVS, *Petrum & Paulum Romanæ direxit ſublimitati, quorum virtute & induſtriâ tota ſibi ſubderetur Reſpublica. Hi ergo ſibi commiſſo ſtrenuè inſiſtentes negotio, per optimos quoſque ſuorum nihilominus & ipſi Galliam aggrediuntur, vt eam* (quam ſa-

nè tam vicinam, tam nominatam, clauſis oculis non poterant præterire) *cæli terræque ſubderent Imperatori. Ex quibus Auſtremonius & Martialis fuêre, qui à beato Petro directi ſunt. Quorum primus Aruernis poſtea Martyr glorioſus, ſequens verò ſignis & virtutibus Confeſſor clariſſimus Lemouicis datur. A beato quoque Apoſtolo Paulo Narbonenſibus Antiſtes ordinatur* PAVLVS, *& Arelatenſibus Trophimus, de cuius prædicationis fonte, tota fertur Gallia fidei riuulos ſuſcepiſſe.* Hæc ille vetuſtus & eruditus Scriptor, qui ſanè acta ſyncera Pauli Narbonenſis, meliùs quàm Boſquetus noſcere potuit: quæ ſi aduerſa vidiſſet, contra eorum auctoritatem, Paulum illum non ad conſeſſum Pauli Apoſtoli diſcipulorum retuliſſet, neque enim ab illo ſcripſiſſet Narbone ordinatum, quem ſub Decio duntaxat veniſſe in Galliam (vt mendosè ſcripſit Turonenſis) cognouiſſet, præſertim cùm de miſſione facta à Sixto II. Papa ſub ipſo Decio ageret: in qua tantum abeſt, vt Genulpho tunc miſſo illum adiunxerit comitem; quinimmò ſelecto in capite, *de Galliæ ſitu* prænotato, *miſſiſque ad eam ab Apoſtolis, Epiſcopis*, iſtum cum illis numerauit, primúmque à Paulo Apoſtolo Narbone commemorauit ordinatum, eodem tempore quo Trophimus, de quo ſuprà, Arelate. Mira igitur eſt Boſqueti ſolertia, qui vt Paulum iſtum Apoſtolicum, ad Deciana tempora deducat, acta profert mutila, nullum diem aut Conſulem ſignantia, quibus tamen non eum pudet aſſerere Gre-

gorij opinionem & ſuam perſuaſionem confirmari: cùm nec apicem poſſit ex iis ipſis elicere pertenuem, quo notam illam muniat. Quod enim ait *de Papæ nomine*, in his actis Paulo Narbonenſi attributo, *quod nouum*, inquit, *quarti aut quinti ſæculi denotat auctorem*, nihil eum iuuat. Quid enim hinc infert? numquid quod prænotat illorum actorum tranſcriptioni: eſſe illa *acta Pauli Narbonenſis* pura, imò vt ait, *puriora*? At non video ſequelam vllam huius argumenti, niſi iſtam, quam fingit part. 1. p. 115. inde colligi. In his actis Paulus dicitur tantùm Epiſcopus ſeu Papa. Ergo non fuit ſancti Pauli Apoſtoli, quod alia acta perhibent, diſcipulus. Hincque rurſus ſe inferre ſatis innuit. Acta Pauli quæ profero illum Epiſcopum, ſeu Papam æquiuocè faciunt. Ergo iis puriora ſunt, quæ eum perhibent diſcipulum Pauli Apoſtoli. vel ſic iterum. Acta quæ habeo, faciunt illum tantummodò Epiſcopum ſeu Papam. Ergo ſpuria ſunt illa acta, quæ ipſum etiam efficiunt Apoſtoli Pauli diſcipulum. Quæſo iam, quæ ludicra deliria? Alia, vel iocando, non minùs grata audiamus. Acta quæ in medium affero, vtuntur nomine Papæ. Ergo infert Boſquetus, eum qui hæc ſcripſit, denotant fuiſſe quarti aut quinti ſæculi auctorem. Quaſi verò antè nec poſteà Papæ nomen in vſu non fuerit: quod clarum cernitur, tam in propria quàm promiſcua acceptione apud Tertullianum, S. Cyprianum, Dionyſium Alexandrinum, Ambro-

ſium, Hieronymum, Auguſtinum, Sulpitium, Ruffinum, Prudentium: & hoc quidem ante ſæculi quarti excurſum, vel producta admodum quinti curricula. Deinde verò apud Auitum, Apollinarem Sidonium, Venantium Fortunatum, Ruricium Lemouicenſ. Deſiderium Caturcenſ. alióſque poſteriores. Quo de vſu & facta eius à Gregorio VII. anno Chriſti 1073. reſtrictione, conſulendus magnus Baronius, cùm in Annalibus, tum in Notis ad Romanum Martyrologium 10. Ianuarij, & eruditiſſimus Sauaro ad ep. 1. lib. 6. Sidonij. Qui tamen fruſtrà reprehendunt Nicephorum, quòd Papæ nomen tempore Cœleſtini I. fuiſſe Romano Pontifici adeò proprium, vt tunc primùm ab illo communicatum fuerit ſancto Cyrillo ſuo Vicario in * Oriente, inſinuârit lib. 14. c. 34. Verum eſt enim olim quidem Papæ nomen Epiſcopis etiam communi praxi attributum fuiſſe, vt conſtat ex Patribus ſuprà ſignatis. Sed Romano Pontifici abſolutè dabatur, & ſine vlla adiunctione: adeò vt cùm ſimpliciter nominaretur in Conciliis PAPA, Apoſtolicæ Sedis Romanæ ſummus Pontifex, ſolus eo vocabulo intelligeretur; ſicut patet ex act. 16. Concilij Chalcedonenſis, vbi legitur, *Beatiſſimus & Apoſtolicus vir Papa hoc nobis præcepit.* Nec valet exceptio Vedelij * Caluiniſtæ: hoc, ex teſtimonio domeſtico elici. A Legato enim Romani Pontificis Bonifacio, ſic illum fuiſſe appellatum, non autem à Concilio, aut Patribus. Nam præterquam Boni-

* Papæ ſibi delatum ſic titu um, abhinc nunc vſque Patriarchæ Alexandrini retinuerunt: vt videre licet in epiſtola Ioachini Alexandrini Patriarchæ lib. 3. Turco-Græciæ.

* Nicolaus Vedelius Geneuenſis miniſter, & Profeſſor Caluiniſtæ Academiæ, in exercitatione octaua in epiſt. S. Ignatij ad Mariam Caſſoboliten, c. 2. contra Bellarminum.

facium palam loquentem, oportuit vti vocabulo conſueto, aliàs à communi Patrum intelligentia excidiſſet, & admonitus illicò fuiſſet à Patribus perſpicua vſitatáque vti vocitatione. Profectò ipſi Patres ex quibus conſtabat Concilium, Romano Pontifici hoc epithetum peculiari iure moréque communi receptum, ſingulari honorificatione attribuêre. Siquidem eadem actione Euſebius Epiſcopus Dorylæi ex parte loquens Græcorum, hoc ipſum Papæ venerabile nomen Romano Pontifici cunctis audientibus & probantibus propriè tribuit, addita *Sanctiſſimi* etiam agnominatione. Sic in Concilio V. generali, Papa nominatur abſolutè, collatione 2. Item & in Concilio Conſtantinopolitano ſub Menna actione 1. ab ipſo Patriarcha CP. in interlocutione ſua, etiam à Zonara deſcripta in Conciliorum Græca collectione, ex Bibliotheca Regis Chriſtianiſſimi, Lutetiæ Pariſiorum edita anno 1618. Quod Boſqueto notandum, qui Apoſtolicæ ſedis Pontifices, ſimpliciter *Epiſcopos Romanos* paſſim appellat; quorum ſenſim excreuiſſe poteſtatem perſuaſum habere ſe non ſemel innuit: impenſioríque illius ſtudio, inuectas fuiſſe fabulas de primis Euangeliſtarum Galliæ emanatis à Petro, Clemente, aliíſque Epiſcopis Romanæ ſedis, miſſionibus, ſæpè conqueritur: præſertim *parte* 1. *pag*. 40. *&* *parte* 2. *pag*.90. Vnde ſuſpicionem mouet, ipſum ex gloriæ ſedis Apoſtolicæ, ſi non odio ſaltem inuidia, Miſſiones il-

las quibus Gallicana Eccleſia, matrici Romanæ ipſo natalium iure obſtringitur, tanto æſtu exagitâſſe: quas ideo acerrimè nos vendicare, pio affectu tam Eccleſiaſticæ vnitatis, quàm hiſtoricæ veritatis aſſerendæ aduerſus illum neceſſe fuit, vt non ſolùm Apoſtolis noſtris vera ætas dignitáſque, quam minuere ſatagit; ſed & Gallicanę ipſi Eccleſiæ natiua gloria reſtitueretur, ſedíque Apoſtolicæ debita honorificationis iura, ob traditæ & ſuſceptæ in Galliis, per Petri Apoſtolorum principis, ſucceſſorúmque eius proximorum paſtoralem ſollicitudinem, religionis primordia, intemeratè conſeruarentur, atque à poſteris ſemina illa infauſta, quæ ex aduerſa perſuaſione profluunt, auſpicato remouerentur.

Pergamus igitur religioſo hoc incenſi ſtudio, quo Patrum Eccleſiarum Galliæ digna decora, aduerſus Boſquetum ſtrenuè propugnemus. Opponit quædam acta Pauli Narbonenſis, aliis eiuſdem actis. At quæ puriora cenſet, profértque nihil ad rem dicunt, nihil aliis contrarij habent, nullámque notam continent, quâ Pauli Narbonenſis protomyſtæ ad tempora Decij ætas referenda ſit. Quæ tamen cùm puriora dicit Boſquetus, non probat. At nos longè meliori iure, illa quæ vulgaria nominat, pura & ſynera aſſeueramus, quæ tot authenticis teſtimoniis de ætate Apoſtolica Pauli Narbonenſis primi Epiſcopi, à S. Paulo ordinati, ſuprà relatis ad amuſſim conſonant, iiſque vndequaque confirmantur. An-

tiquæ enim traditioni Eccleſiaſticæ illa inniti non dubium eſſe poteſt, quæ Eccleſiæ antiquiſſimis tabulis, veterúmque tot auctorum teſtificationibus fulciuntur. Inſupérque illo titulo ſacroſancto obfirmantur, quem Stephanus Diaconus præfati B. Pauli Narbonenſis, qui eum ſepeliuit, ad caput eius appoſuit, lapidi porphyretico hac epigraphe inſculptum. *Hic requieſcit S. Paulus, diſcipulus Apoſtoli Pauli, Epiſcopus Narbonenſis Eccleſiæ.* Qui titulus in prima eiuſdem Apoſtolici diſcipuli inuentione ſeu tranſlatione, longa poſt tempora repertus eſt, vt Boſquetus non negat, quamuis ægrè referat. Quod ſubiungit de Hulardi preſbyteri conſcriptione, qui S. Pauli hiſtoriam anno 1364. ſuo ſtylo concinnauit, nihil nobis obeſſe debet, qui nuperi huius collectoris auctoritate non nitimur, vt Paulum Narbonenſem B. Pauli Apoſtoli diſcipulum aſſeramus: cùm præter auctorum fidem, tantus ſplendor inſigniorum teſtium, longéque anteriorum nobis affulgeat, ac ſacratiſſima antiquæ traditionis (quam vulgarem ſententiam, pro ſolita ſpernendi priſcum conſenſum Eccleſiarum libidine vocitat) præclariſſima monimenta, quorum indices ſuprà expoſuimus, nobis prorſus faueant atque opitulentur. Ipſúmque Sapricij Proconſulis nomen (in cuius ſatellitum manus incidiſſe Paulum Narbonenſem, acta eiuſdem à diſcipulis eius trino libello conſcripta narrant) illius ætatem Apoſtolicam ſatis apertè prodat. Fuit

enim

enim Sapricius Præfectus Hadriani Imperatoris, vt ex actis S. Martiani Epiſcopi Terdonenſis, qui ſub eodem Imperatore ac eius Præfecto paſſus eſt 6. Martij, conſtat; quæ Mombritius ex antiquioribus monimentis recitat tom. 2. Ex quibus contraxit illorum paſſionem Petrus in Catalogo lib. 3. c. 185. quod non audet inficiari Boſquetus, qui tamen malè dum characteres nominum ſignat, ponens Iobitam pro Iouita, præpoſteróque ordine anteponens Diaconum Epiſcopo, & illi ſocióque Fauſtino, acta quæ propria huius ſunt ſancti Epiſcopi Martiani, aſſignans; ſatis prodit ea quæ citat, alienis ſe legiſſe oculis, neque illa acta manibus vſquam ſuis euoluiſſe. Mero figmento contendit tamen, aciem huius teli, quo Sapricius aſtruitur ſub Hadriano Præfectus (à cuius militibus comprehenſus legitur Paulus Narbonenſis) retundere, excipiendo in illis actis dici illos Martyres, ad Eleutherium Romanum Pontificem acceſſiſſe: vnde infert nihil obſtare, quin Sapricius Proconſul vſque ad Commodi tempora perueniſſe potuerit. Quod tametſi verum eſſet, nihil omninò iuuaret Boſquetum, qui ad tempora Decij (qui nonniſi annis 71. poſt Commodum imperauit) Paulum Narbonenſem, à Sapricio Præfecto Hadriani cum duobus Diaconis verberatum, & in mare proiectum, at diuina ope emergentem, contendit deducere. Sed falſo nititur exceptio illa Boſqueti principio. Etenim in illis actis S. Martiani Epiſcopi Ter-

donenſis & ſociorum eius, quæ integra fuſáque ſerie refert Mombritius, ſex ferè magnis columnis deſcripta tom. 2. fol. 132. & 133. illos ad Eleutherium Papam acceſſiſſe, vt affirmat eadẽ habere acta Boſquetus, nuſquam hoc legitur: in quibus, nec Eleutherius quidem Papa nominatur. Ideóque hîc iure ambigimus, an Boſqueti fidem vel pudorem debeamus interpellare, cum vtroque caruiſſe in illa haud vera citatione, mihi non immeritò videatur. At ſatis vapulauit in hac quam infauſtè excitauit lite, de Pauli ætate Narbonenſis, quem accuratè probatum eſt virum planè Apoſtolicum, adeóque illum Apoſtoli Pauli percelebrem diſcipulum extitiſſe, exploſis longè Boſqueti tam futilibus, argumentis ne dicam, at potiùs, nugamentis. Quorum nec illud eſt tamen prætereundum, quo, Pauli Narbonenſis tempore paucos fuiſſe in Gallia Epiſcopos, ex eius actis, quæ ſyncera dicit, aſſeuerat: & tamen illum nonniſi ſub Imperio Decij, ex his elicit, fuiſſe ad Gallias deſtinatum. Quin potiùs inferre debuiſſet. Igitur non ſub Decio miſſum veniſſe, ſed eo tempore quo primùm orta eſt in Gallia religio. Nam Decij tempore & diu antea probauimus ex ſancti Cypriani, qui tum viuebat patentiſſimo teſtimonio, Epiſcopos in Galliis ampliſſimo numero conſediſſe: quin & Eccleſias diu antea per diuerſas Galliæ regiones fundatas demonſtrauimus, ex ſancti Irenæi & Tertulliani auctoritate. Vides igitur quàm ridiculè poſuerit,

in conſpectu lib.3.§.24. Boſquetus hoc indicium: *Actorum Pauli veritas aſſerta. Dionyſij Pariſiorum ætas, ex iis ſcilicet, confirmata.* Cùm illa nec Dionyſium nominent, nec Decij Gratíque titulo annotentur, magíſque ante Decium approbent, quàm eius tempore, Paulum Narbone prædicaſſe. Quod & euincit magnus Codex MSS. vitæ ſancti Pauli, quem legit Toloſæ Odo Motheus Benedictinus pereruditus aſceta, in Monaſterio ſanctæ Mariæ deauratæ: ex quo hæc verba quæ notauit ad me tranſcripſit, ſumpta de eiuſdem Codice fol. 7. *Sanctus Paulus Narbonenſis Epiſcopus*, SERGIVS *dictus** EX PAPHO *inſula, dæmoniorum curator & Eccleſiarum ſtructor, Stephano præcipuo Diacono viro ſanctiſſimo omnes Eccleſias committens, Rurſum Auenione præfixit, & Toloſam petiit, vbi verbum Domini prædicans plurimas Eccleſias benedixit titulo Chriſti, & Presbyteris ac Diaconis ibi ordinatis, Narbonam rediit, ac Hiſpanias prædicando peragrauit, tandémque Narbonam repedens, poſita in fundo nobilis Principis mulieris Eccleſia ſanctæ Mariæ Virginis, plenus dierum & meritis à Stephano Diacono ſepultus eſt.* Qui titulum eius tumulo affixit, ſuprà relatum, quo Pauli Apoſtoli diſcipulum, illum inſcripſit. Plenam igitur de aduerſario deuicto hic victoriam referimus. Qui tamen toties depulſus, nouam inſtaurat aciem.

*Act.13.6.7.

ADDITIVNCVLA

De Trophimo, & Sergio Paulo, Arelatenſis, ac Narbonenſis Eccleſiarum Protomyſtis, Apoſtolorum diſcipulis: contra Boſqueti ſuperfluas argutias.

BOSQVETVS enim admodum anxiè laborat æſtuátque vehementer, vt Trophimum Arelatenſem non fuiſſe Pauli Apoſtoli diſcipulum perſuadeat*. Dicit primò, epiſtolam Zozimi Papæ, & illam Synodicam Arelatenſis Eccleſiæ Epiſcoporum comprouincialium, dubias & fortè legitimas non eſſe. At Sirmondus illo longè peritior eas cenſuit legitimas, & vtraſque velut genuinas ex ſerie recenſuit *tom. 1. Concil. Galliæ: in Notiſque* obſeruat, Zozimi epiſtolam ſe non ex archiuis modò Arelatenſis Eccleſiæ (quæ Boſquetus ſuſpecta habet) ſed etiam ex ſcriniis Monaſterij Lerinenſis, & Pithœano Cod. MS. mutuâſſe. Dicit ſecundò, illam epiſtolam Zozimi non fauere miſſioni Trophimi, à Paulo Apoſtolo emanatæ, ſed potiùs aduerſari eidem; ſic enim arguit. *Ait Zozimus Trophimum à ſede Romana miſſum. Non ergo à Paulo. Non etiam à Petro.* Sed quis non videt quàm illa ſit ſequela abſurda, atque ex ipſo antecedente nullatenus conſectaria? Si diceret, fuit miſſus Trophimus ab Andrea ex Byſantio. ergo non à Petro, non à Paulo ex vrbe Roma: vires aliquas conſequentia hæc

* Part. 1. lib. 1. hiſtoriarũ ſuarum p. 17 18. 19. & 20.

haberet. Sed ſequius fert omninò antecedens, ſcribit ſiquidem ſic Zozimus Papa. *Trophimus ex hac ſede Apoſtolica primus Metropolitanus Arelatenſis directus eſt.* Quid verò, putas, hinc Boſquetus infert? Ergo Trophimus, non à Paulo, non etiam à Petro miſſus in Galliam fuit. ſed econtrà inferre debuerat. Ergo fauet illa epiſtola huic traditioni, quæ à Petro & Paulo directum illum aſſerit. Nam ab vrbe Roma (vnde, vt ait ſanctus Cyprianus, *vnitas ſacerdotalis exorta eſt.*) plerique ex diſcipulis, ab iis principibus Apoſtolis, varias in orbis partes, delecti ſunt. Ex quibus Trophimum directum fuiſſe in Galliam, vt fert antiquiſſima traditio, conſentaneum prorſus eſt arbitrari. Secus foret, ſi hæreticorum neotericorũ hæc valida eſſet quæ falſa eſt, propoſitio. Petrus Romæ nunquam fuit, nunquam ſedit. Ergo falſum, quòd ex Romana Sede, miſſus Arelatem ab eo fuerit Trophimus vir Apoſtolicus. Dicit tertiò Boſquetus. *Cur in ea igitur epiſtola Petri atque etiam Pauli nomen Zozimus tacuit?* &c. Reſpondeo, quia res pernota erat*, ex vrbe Roma non ab alio, quàm à beato Petro & collega eius Paulo, Trophimum ipſorum diſcipulum, in diuinis litteris nobiliter memoratum, deſtinatum in Galliam, & Arelatenſis fuiſſe Metropolis perantiquæ ordinatum Epiſcopum. Adde quod apertè ſatis innuit ibidem Pont. Max. Zozimus, prærogatiuam Arelatenſis Eccleſiæ, ex Apoſtolorum inſtitutione prodiiſſe, quos patres Romanæ Ec-

* Ita Synodica illa vetus Epiſcoporũ Prouinciæ Arelatenſis diſertè teſtatur.

cleſiæ fuiſſe conſtat. Nam tanti ideo facit Arelatenſis Eccleſiæ priuilegium, vt aduerſus illud *& ſancti Trophimi reuerentiam* (inquit) concedere, quicquam vel minuere, *nec huius quidem ſedis poſſit auctoritas*. Quod profectò ſatis innuit, à poſterioribus Pontificibus, Arelatenſis Eccleſiæ prærogatiuam minimè initiatam fuiſſe: (enimuero, ſatis vſu frequens eſſe ſolet, vt anteriorum indulta ſtatutáque Pontificum, cùm quandoque res ita expedit, ipſorum ſucceſſores demutent vel reuocent.) Simúlque indicat ſanctum Trophimum non *gregalem* fuiſſe S. R. E. Legatum, ſed virum planè Apoſtolicum, cuius ideo reuerentia Apoſtolicæ ſedi inuiolabilis & ſacroſancta iampridem fuerit. Dicit quartò, nullam aliam inuectæ illius traditionis ſe videre rationem, cur Apoſtolorum diſcipuli, parentes Gallicanæ Eccleſiæ crediti ſunt, quam homonymiam, quâ ob ſimilitudinem nominum, tales illi fuerunt exiſtimati. Reſpondeo. Valde igitur Boſquetus cæcus eſt. Nam innumeræ aliæ ſunt rationes, quæ homonymiam apertè tollunt, & hos quos credimus Apoſtolorum diſcipulos, non alios æquiuocos eſſe omnino patefaciunt, vt ex libri huius toto contextu, ſit vndequaque exploratum. Adde quod ſi binos vult (vt contendit perſuadere) admittendos eſſe Creſcentes, duos Trophimos, geminos Paulos, hoc probare debet, non ſomniare; demonſtrationibúſque & rationibus vrgentiſſimis dicta fulcire, quæ ſunt vetuſtiſſimæ Ec-

cleſiarum traditioni, auctorúmque inſignium teſtimoniis, ac perſpicuis locorum monimentis, & perenni tot ſæculorum fidei, conſtantíque populorum conſpirationi prorſus aduerſa. Adde iterum quòd etiamſi hæc vmbratilis homonymia eſſet probabilis, hæcq. duplicatio à Boſqueto conficta, non omninò eſſet à veriſimilitudine aliena: tamen ob patriæ amorem æquitati eſſet congruentiſſimum, vt Galliæ magis honorificam ſententiam (ita ex aduerſo ſaltem probabilem) amplecteretur, quàm minùs honorabilem. Indecorum eſt enim hominem Gallum Galliæ decora, datâ operâ minuere, & totis eniti viribus vt primigenæ in Chriſto originis, eidem laudem eripiat. Adde denique quòd auita traditio non ſolùm eſt ad minus probabilis, poſſibilis, pia, Franciæ glorioſa, ſed & Eccleſiæ vniuerſali, Orientali ſcilicet & Occidentali, grata & accepta. Porrò contra Eccleſiæ placita diſputare, ait ſanctus Auguſtinus, *inſolentiſſimæ inſaniæ eſt*. At dicit quintò Boſquetus, Trophimum & Paulum *diſcipulos Apoſtolorum in vetuſtiſſimo Martyrologio Romano nominari*. Cur igitur illos eſſe tales quales ibi legit, impugnat? Elabi hîc conatur ridiculis effugiis. Primum eſt, quòd per diſcipulos Apoſtolorum, non ipſos Apoſtolorum diſcipulos, ſed eos qui diſcipulos Apoſtolorum, magiſtros habuerunt, accipere debeamus. At gratis id ſupponit quod non probat, ſed fingit contra expreſſam vetuſtiſſimi quod agnoſcit

& laudat Martyrologij auctoritatem. Secundum, itaque vt ſe extricet ex hoc difficili anfractu, adhibet ſubterfugium. Dicit enim, eo modo Irenæum Gallicanæ Eccleſiæ maximum lumen, virum Apoſtolicorum temporum & Apoſtolorum ſucceſſorem dictum: eo quòd à Polycarpo Ioannis Apoſtoli diſcipulo, Chriſti religionem accepiſſet. Sed fruſtrà ac captioſè hoc ingerit exemplum. Nam Irenæum quidem agnoſcimus à ſancto Hieronymo appellatum *Apoſtolicorum temporum vicinum*, in Catalogo: à S. Epiphanio hær. 24. & 31. ferè ſub finem, *ſucceſſorem Apoſtolorum.* At aliud eſt penitus dicere, *Apoſtolorum diſcipulum*, & *Apoſtolorum ſucceſſorem.* Papa Apoſtolorũ ſucceſſor eſt, non diſcipulus: immò etiam verus quiſquis ſit Hieroſolymitanus Patriarcha, aut Antiochenus. At alio peculiari iure Irenęus, *Apoſtolorum ſucceſſor*, à S. Epiphanio dictus eſt: nempe eo quòd Apoſtolicis non tantùm temporibus proximus, ſed & Apoſtolicis chariſmatibus ornatus, & (vt ipſemet Epiphanius ait) Spiritu ſancto plenus, adeóque Apoſtolis ſuppar meritis, & primarius poſt eos fidei athleta fuerit. Non dicit Martyrologium illud, quod contra ſe Boſquetus producit, & vetuſtiſſimum nominat, Trophimum & Paulum fuiſſe Apoſtolicorum temporum vicinos, neque itidem ſucceſſores Apoſtolorum; ſed planè eos nuncupat *Apoſtolorum diſcipulos*, quos notum ſit ex Scripturis ſacris, ab eiſdem Apoſtolis edoctos fuiſſe: aliàs hac deſignatione prorſus abſtinendum

nendum erat, ſi diptychus ſacer index, alios ab iſtis hoc titulo & nomine tam notis inſinuâſſet. Adde quòd innumera alia ſacra monumenta, & Eccleſiaſtica generalis ac perpetua traditio (vt à nobis probatum eſt) Trophimum iſtum & Paulum, quos Martyrologium illud vocat *Apoſtolorum diſcipulos*, eos eſſe ipſos teſtantur, qui hoc nomine diuinis in paginis commemorantur. Igitur hæc deſignatio eſt propria, nec remotiorem ad ſignificatum, quem ſuo ex cerebro confinxit Boſquetus traducenda. Aliàs hoc epithetum ſemper ita traduci poſſet, & numquam in propria ſignificatione, niſi pro diſputantium libito acciperetur. Patres certè benè nouerant Apoſtolorum & Apoſtolicorum virorum diſcrimen: itémque Apoſtolorum diſcipulorum ab iſtorum diſcipulis differentiam, vt videre eſt apud prælaudatum ſanctum Irenæum lib.3. cap.3. vbi apertè diſtinguit inter Apoſtolos & eorum diſcipulos, quos iidem Epiſcopos primitus ordinârunt, & illos qui iſtis viciſſim ſucceſſerunt. Item apud Tertullianum in Præſcr. cap.32. & Euſebium hiſtor. Eccleſ. lib.3. cap.37. Proinde quando in vetuſtiſſimis Codicibus, vt ſignatum agnoſcit Boſquetus, in eo quem ipſe profert, legitur eos qui deſignantur eſſe *Apoſtolorum diſcipulos*: hic vtique non ad diſcipulorum Apoſtolorum alumnos & ſequaces, ſed ad ipſorum Apoſtolorum aſſeclas, ac auditores pleno ſenſu eſt referendum. Maximè vbi conſtat Apoſtolos habuiſſe

Eeeeee

diſcipulos huius nominis, qui in ſacra Scriptura commemorantur: nec in aliis libris vbi ſub titulo Apoſtolici diſcipulatus expreſsè denominantur, ab aliis æquiuocis, qui aliis characteribus noti eſſe poſſent, non diſtinguuntur. Tertium diuerticulum à Boſqueto quæſitum illud eſt, quod tametſi Eccleſia Gallicana ab Apoſtolorum diſcipulis fundata fuerit, *non ideo tamen ad ipſam Apoſtolorum ætatem, aut proximè ſuccedentia tempora illius primordia neceſſariò referenda eſſe. Etenim per longa curricula* (ait) *vitam tranſigentes Apoſtolorum diſcipuli, in ſuprema ætate ad Gallias mittere potuerunt. Polycarpus Smyrnæ Epiſcopus Apoſtolorum diſcipulus, in ipſo ictu Martyrij annos octoginta ſe Chriſtianam vitam profeſſum gloriatur Pothinus Lugdunenſis Epiſcopus ſub perſecutoris Aurelij gladio, nonagenario maior, ſerò & diu poſt Apoſtolos in Galliis fidem Chriſti annunciarunt.* Sed hoc gratis ac ridiculè effutit Boſquetus, mera percitus obſcurandi Gallicanæ Eccleſiæ cunabula prurigine. Nam parum refert quo tempore Polycarpus Ioannis Apoſtoli diſcipulus, aut Pothinus in Gallia prædicârint, cum ipſum beatum Paulum Apoſtolum, ſuo in Gallias acceſſu ac prædicatione, Gallicanam Eccleſiam conſecrâſſe ſuprà oſtenderimus. Itidémque ſanctum Lucam Euangeliſtam, Creſcentem, Linum, alióſque eiuſdem ſancti Pauli ac beati Petri diſcipulos, ſalutis ibidem myſterium promouiſſe. Ceterùm ſibi malè conſtat Boſquetus, qui dum impugnat Apoſtolica Gallica-

næ Eccleſiæ primordia, non Apoſtolorum ipſos diſcipulos, ſed ipſorum duntaxat auditores & ſucceſſores, iam iam decrepitos ſenióque ferè enectos Galliis intuliſſe facem Euangelij, ſerò admodum tardéque, puta ſub Decio, vel etiam Diocletiano contendit: & ideo quoties Galliæ protomyſtæ dicti leguntur Apoſtolorum diſcipuli, infrà hanc claſſem longè illos detrudit aſſerendo, pro Apoſtolorum diſcipulis, diſcipulorum diſcipulos intelligendum eſſe. Hîc verò obuiis veritatis retibus implicitus, immò propriis funiculis intricatus, Polycarpum ipſum fatetur in Galliis Chriſti fidem annunciâſſe, quem ipſe Ioannis Apoſtoli diſcipulum ibidem confitetur. Porrò Polycarpus eo tempore prædicauit in Gallia (vt ex antiquis monimentis refert Vincentius lib. 11. Spec. hiſtor. & Petrus Cabilonenſis decanus, *in antiquitatibus Cabilonenſibus*, vbi notant virum illum Apoſtolicum appulſum Maſſiliam, hinc Lugdunum petiiſſe, ibidémque Pothinum Epiſcopum inſtituiſſe, alióſque aliò delegaſſe) quo Romam, teſte Euſebio & Hieronymo, ad Anicetum venit. Hoc autem contigit ſub Antonino Pio Imperatore, Hadriani, ſub quo, teſte Ariſtide, necatus eſt ſanctus Dionyſius Areopagita, ſucceſſore, vt idem Euſebius in Chronico, & ſanctus Hieronymus ſuo in Catalogo *in Polycarpo*, teſtificantur. Ergo non ſerò, quod perperam ſuadere nititur Boſquetus, & diu poſt Apoſtolos Polycarpus in Galliis fidem Chriſti prædicauit:

neque tardè, ſcilicet vſque ad poſteriora alia tempora, vti perpetuo æſtu contendit Boſquetus, Gallia ipſa Chriſti fidem ſuſcepit. Igitur idem Boſquetus ipſo agente, causâ ſuâ cadit ſuóque ipſemet redarguitur teſtimonio. At ſatis de Trophimo & Paulo Arelatenſis & Narbonenſis Eccleſiarum Patribus.

Iam de Gatiani tempore, quem cùm aberrante tá euidenter Gregorio, Boſquetus ad annos refert Decij: etſi parum hoc illi prodeſſet ſi concederemus, ſalté in illa nota Gregorium rectè ſcripſiſſe, ſuæque ipſius ſedis bene nouiſſe Præantiſtitem, & eius ætaté: enimuero Gatiani epocha qualiſcumq. foret, Dionyſium, Paulum, Trophimum, Martialem, ceteróſque, quos Apoſtolorum fuiſſe inſignes diſcipulos perlucidè oſtendimus, ad ſuum punctum non traheret, quo cum ex ſingulorum propriis actibus apparet, haud coniunctam neceſſitudinem habuiſſe. Tamen Gatianum quoque minimè ad tempora Decij pertinere, ſed ad Apoſtolicum eſſe quoque ſæculum reuocandum, omnino certum fit ex actis authenticis ſancti Vrſini Biturigum Apoſtoli, quem *ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatum* Gregorius ipſe *in lib. de gloria Confeſſ. c.* 80. diſertè fatetur. In eius enim vita, quam in Codice Manuſcripto ſe legiſſe grauis ſcriptor teſtatur, *ſua in Gallia Chriſtiana Robertus, in Catalogo Præſulum Pariſienſium numero* 1. & Turonenſium num. itidem 1. In hac enim non ſolùm Dionyſius, qui Pariſienſem Eccleſiam à ſe fundatam

bino fretus achate inclyto martyrio conſecrauit, apertè AREOPAGITA nominatur, ſed Gatianus à Clemente Turones miſſus perhibetur, quem ſub Domitiano Imperatore Epiſcopatum auſpicantem ſignat ex vetuſtis chartulis Genebrardus in ſuo *Romano Kalendario 18. Decembris.* Fulcit denique hanc epocham miſſionis Gatiani factæ à ſancto Clemente Autiſſiodorenſe Chronicon, ſub ipſius Domitiani principatu, quo furente, Apoſtolus Ioannes in Pathmos relegatus, virique Apoſtolici plurimi leguntur vbique coronati martyrio.

Porrò quod ſpectat ad Auſtremonium Apoſtolum Aruernorum, quem Stremonium decurtato nomine Gregorius appellat: ipſemet tam in re quàm circunſtantia rei palam aberrauit. Notanter enim ſcribit illum diuinum virum, ſicca morte obiiſſe, confeſſionéque, non martyrio è terris migraſſe ad cæleſtia. Quod minimè verum demum me docuit, auctor ille grauis, qui ante annos ſeptingentos deſcripſit ex antiquis Codicibus, acta ſancti Genulphi Caturcenſis. Hic enim, capite ſuperiùs in Paulo Narbonenſi citato & producto, diſertè teſtatur Auſtremonium, cum Martiale à ſancto Petro directum, diuerſo fine perrexiſſe ad præmium. *Ex quibus*, inquit, *Auſtremonius atque Martialis fuêre, qui à beato Petro directi ſunt. Quorum primus Aruernis poſtea Martyr glorioſus, ſequens verò ſignis & virtutibus Confeſſor clariſſimus Lemonicis datur.* Vnde doctiſ-

ſimus Sauaro meritò reprehendit Gregorium, qui in album Confeſſorum Auſtremonium recenſuit, cùm eius acta, ac Martyrologia quæ inſpexit, breuiariáque perantiqua, illum inter Martyres referant, hócque honore venerentur. *In Originibus Claromontanis pag.* 119. Hinc liquet autem inſuper non minùs in temporis nota Gregorium fuiſſe deceptum. Qui enim miſſus à ſancto Petro reperitur, vt expreſsè ferunt ſyncera acta ſancti Genulphi præcitata: quomodo ſub Decio, vt autumat Gregorius, potuit ad Gallias primùm accedere? Confirmatur autem egregiè auctoris illius antiqui, qui ſancti Genulphi vitam deſcripſit teſtificatio, ex antiquiſſimi Monaſterij ſancti Theofredi, in Velaunis, Codice ſacro qui ſic habet. *Petri Apoſtoli iudicio cum Auſtremonio Epiſcopo, ad Gentilium conuerſionem in Aruerniam deſtinatur Necterius.* Cui concordat tam benè obſignatæ traditioni officium Sanctorum Aruerniæ, ex antiquis probatíſque monimentis conſertum. Ceterùm iam ordo poſtulat, vt de nota temporis quo ſanctus Saturninus Galliæ illuxit, gerulus diuini luminis, diſſeramus. Igitur

Dico quartò, Actis corruptis ſancti Saturnini Gregorium Turonenſem fuiſſe deceptum, & ideo non tam ſuo quàm alieno errore, à recta linea hiſtoriæ Chronologiæque deflexiſſe. Etenim verò non conſonat quòd de actis, quibus Gregorius Saturninum cum Dionyſio & eorum Collegis ſignans ſub Decij & Grati Conſulatu, vſus

eſt: Boſquetus ſcribit lib. 3. pag. 129. hanc notam in omnibus Codicibus Manuſcriptis, vt apud Gregorium legitur reperiri. *Vna eadémque Decij perſecutione* (inquit) *Saturninum, Papulum, Dionyſium,* * *& alios Martyres eorum ſocios paſſos fuiſſe crediderim ex actis Saturnini, quæ cùm in omnibus manuſcriptis Codicibus, tum apud Gregorium Turonenſem Decio & Grato Conſulibus conſignata ſunt. Qui Conſules in annum Chriſti ducenteſimum quinquageſimum ſecundum incidunt.* Quàm enim hoc ſit à veritate alienum, quod Manuſcripti Codices omnes in actis ſancti Saturnini hanc habeant temporis epocham conſignatam, doctiſſimus Sauaro, aduerſus Boſquetum teſtis erit, & quidem omni exceptione maior. Hic enim Præſes integerrimus & Scriptor tam accuratus quàm pereruditus & nobilis, in ſuis ad Sidonium notis aureis *lib. 9. epiſt. 16.* in qua Sidonius Saturnini martyrium Sapphico carmine canit; indicat ex Gregorij quidem Turonenſis relatione *lib. 1. cap. 3.* Saturninum ipſum Toloſatium Apoſtolum, ſub Decio in ſeptima perſecutione paſſum eſſe. At mox adiungit, ſubeſſe huic calculo erratum: *quia,* inquit, *aliter habetur in Manuſcriptis quos mihi Iciodoro* (antiqua Abbatia eſt in Aruernia vulgo dicta *Iſſoire*) *& Briuati* (ſcilicet in inſigni Collegiata Eccleſia, cuius Canonici ſunt itidem loci huius Comites, dicuntur enim *les Chanoines & Comtes de Brioude*) *vidiſſe contigit.* Sed teſte aduerſus Boſquetum non alio quàm ipſomet opus

* Atqui iſtos, in actis S. Saturnini, quibus Gregorius vtebatur, ac quæ ipſemet profert Boſquetus, nec nominatos fuiſſe idē fatetur par. 1. lib. 1. cap. 26. p. 62. Quomodo igitur ex his actis colligit, illos cum Saturnino eadem ſub perſecutione paſſos?

eſt, *qui lib.* 1. *hiſtoriarum ſuarum p.* 33. expreſsè ſcribit, Saturnini triplicia acta & omnino diuerſa legiſſe in Manuſcriptis Codicibus. Sed non nobis, at certè Boſqueto ipſi omnino contraria, & diuerſa quidem ab illis mendoſis, quæ Gregorius ſecutus eſt (vnde agnito errore poſtea pedem reflexit) at non inuicem pugnantia, quandoquidem, ipſo teſte referente Boſqueto, tria illa acta Petri aſſeclam Apoſtolorum principis Saturninum conformiter perhibent. Prima enim quæ expreſſa ait ex antiquis Saturnini geſtis ab Honeſto Saturnini diſcipulo ſcriptis, Saturninum ipſum tradunt ex antiquis Chriſti diſcipulis (Ioannis ſcilicet Baptiſtæ antea auditoribus) Romam cum ipſo veniſſe, inde in Gallias ab eo miſſum, Nemauſi, Honeſtum baptizâſſe, preſbyterum ordinâſſe, & ſecum Toloſam duxiſſe narrant. Toloſæ Quiriacen vxorem Agathonis Senatoris leprâ per baptiſmum mundâſſe, Oraculis ſilentium impoſuiſſe, in Aquitaniam perrexiſſe, Eluſæ Eccleſiam condidiſſe, Honeſtum Pompeiopolim præmiſiſſe, & ſequutum; Senatores Firmum, Firminum, Fortunatum cum aliis quadraginta millibus baptizâſſe. Inde luſtrâſſe Hiſpaniam. Toloſam reuerſum, vltimo ſupplicio pro Chriſti nomine affectum, anno ætatis ſeptuageſimo, à Chriſti paſſione 39. Secunda acta prioribus, inquit Boſquetus, aliquantum ſimilia, eum ex Collegio Apoſtolico cum Petro ad gentes miſſum ſub Claudio Principe. Excipit verò hîc

Boſ-

Boſquetus, vt iaculi cuſpidem qua pungi ſe ſentit retundat, *ſcriptum prius fuiſſe ſub Maximiano & Diocletiano Principibus, ſed expunctum fuiſſe, vt ſub Claudio poneretur.* Quod quidem tantum dicit, at non probat; nec aduertit quemadmodum hæc effutiens ſeſe implicat, & ſeriem ipſorum actorum hac ex nota totam euertit. Subdit enim in illis actis continua linea hæc haberi, *Saturninum cum Apoſtolo Petro Romam veniſſe ſub Claudio, qui curis potiebatur imperialibus, Decióque & Grato qui Conſulatu fungebantur.* At ſi verum eſt quod ſupponit contendítque Boſquetus, *pro Claudio legendum eſſe, ſub Maximiano, & Diocletiano*, quæſo iam ab eo quæ ſit notarum illarum conſonantia? immò quæ maior poſſit ea eſſe repugnantia, quæ has inter occurrit? Etenim Saturninum quem cum Petro Apoſtolo Romam veniſſe, acta illa cum prioribus perhibent, ſi deducat vt deducere nititur ex ipſo quem ſe reſtituere, ait Boſquetus contextu, ad Maximiani & Diocletiani tempora: neceſſe fuerit ex coniunctorum regula, etiam Petrum Apoſtolum ad Diocletiani Maximianíque vſque tempeſtatem deducere. Inſuper quis non videat, quàm fœdum anachroniſmum Boſquetus ipſe admittat, dum æſtu pruriens, Saturninum ad tertium abſolutum ſæculum detrudendi, ſic legendum eſſe in illis actis aſſerit. *Saturninum ex Collegio Apoſtolico cum Petro ad Gentes miſſum, ſub Maximiano & Diocletiano curis imperialibus potientibus, Decióque & Grato qui Conſula-*

tu fungebantur. Quæ enim Diocletiani & Maximiani Imperatorum cum Decio Gratóque Conſulibus connexio? cùm ipſo fatente Boſqueto *part. 1. pag. 129.* Conſulatus Decij & Grati in annum Domini ducenteſimum quinquageſimum ſecundum inciderit: Maximianus autem cum Diocletiano imperare incœperit anno Chriſti ducenteſimo octuageſimo ſeptimo, vt eadam *parte pag.* 148. Boſquetus ipſe inſinuat? Quo calculo neceſſe ſit, vt Decius Imperator qui in Moëſia, anno Chriſti ducenteſimo quinquageſimo tertio vlciſcente numine, eius aduerſus pios ſæuitiam, merſus in paludem præfocatus eſt; rediuiuus annis inde triginta quatuor apparuerit, depoſitáque imperiali purpura, Conſul ſub Diocletiano factus fuerit, & iterum cum Grato quidem etiam ab inferis reuocato. Sed pudet has nænias perſequi. Tertia acta quæ legiſſe ſe dicit Boſquetus, illa ſunt quæ retulit Surius, tom. 6. quæ ab illo deprauata fuiſſe, palam & non ſemel Boſquetus ipſe conqueritur *part. 1. pag. 62.* vbi ſic ait. *Acta Saturnini à Gregorio citata, quæ ſenſim & per gradus tardóque progreſſu (non vt Surius contra Manuſcriptorum fidem ſuo more corrupit,* PARIQVE PROCESSV) *Chriſtianam religionem in Galliis promulgatam fuiſſe narrant.* Et parte 2. pag. 89. ad caput vltimum. *Verba actorum Saturnini quæ tardum hunc religionis in Galliis progreſſum demonſtrant; hæc ſunt ex Manuſcriptis Codicibus quos minimè ſequutus eſt Surius. Tempore illo quo poſt cor-*

poreum Domini & Saluatoris noſtri aduentum, exortus in tenebris Sol ipſe Iuſtitiæ ſplendore fidei illuminare Occidentalem plagam cœperat. Quia ſenſim & gradatim in omnem terram Euangeliſtarum ſonus exiuerat, tardóque proceſſu in regionibus noſtris Apoſtolorum prædicatio coruſcauit: cùm raræ aliquibus ciuitatibus Eccleſiæ, paucorum Chriſtianorum deuotione, conſurgerent, & crebra miſerabili errore gentilium nidoribus fœtidis in omnibus locis templa fumarent. Ante annos ſatis plurimos, id eſt ſub Decio Germanico, & Grato Conſulibus, ſicut felici recordatione tenetur, primum & ſummum Chriſti Toloſana ciuitas, ſanctum Saturninum habere cœperat Sacerdotem. Ita tranſcribit illa acta ex Manuſcriptis, vt affirmat, Codicibus, Boſquetus. Cuius quoad piaculum quo onerat Surium, falſitatis, non aliunde refellam calumniam, quàm ex ſyncerorum actorum ſancti Saturnini fideli repreſentatione. Surius certè hiſtoriam ſancti Saturnini ab anonymo ſcriptam antiquis ex Manuſcriptis Codicibus, vt prænotat & antiquiſſimis Martyrologiis conſonam, tomo de Sanctis vltimo intexuit: in qua poſt prologum auctoris, quem Boſquetus adimit, hæc ſequentia leguntur. *Tempore illo quo poſt corporeum Domini & Saluatoris aduentum, exortus in tenebris Sol ipſe Iuſtitiæ, ſplendore fidei illuminare occidentalem plagam cœperat, quia ſenſim & gradatim in omnem terram ſonus Euangeliſtarum exiuit.* PARIQVE PROCESSV *in regionibus noſtris Apoſtolorum Prædicatio coruſcauit.* Quibus verbis impletum illud Euange-

licum auctor ille inſinuat, quod Chriſtus dixerat Apoſtolis, oportere illos, *incipientes à Hieroſolyma prædicare in nomine ſuo pœnitentiam, & remiſsionem peccatorum in omnes gentes*. Hoc enim non tardè, at gradatim fuit ab illis effectum. Nam primùm, vt Paulus & Barnabas Iudæis Iconij improperabant, *oportebat Hebræis prædicari verbum Dei, ſed quia repulerunt illud, & indignos ſe iudicarunt æternæ vitæ, Apoſtoli & diſcipuli conuerſi ſunt demum ad gentes*. ſícque ſenſim de regione in regionem, de Oriente in Occidentem *profecti, prædicauerunt vbique (vt teſtatur ſanctus Marcus) Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis*. Cùm autem vbique prædicauerint, etiam in Gallia verbum Dei Apoſtolos eorúmque diſcipulos Euangelium enunciâſſe, conſentaneum eſt aſſerere. Suprà id probauimus de Paulo Apoſtolo, Luca Euangeliſta, Creſcente, Trophimo, Sergio Paulo, aliíſque Apoſtolicis præconibus, ex authentica Græcorum & Latinorum Patrum Hiſtoricorúmque conſenſione, perpetíque Eccleſiæ tam Orientalis quàm Occidentalis traditione. Quibus addendus eſt Philippus Apoſtolus, quem Iſidorus, Galliæ Euangelium prædicaſſe aſſeuerat *libro de vita & obitu Sanctorum cap. 75.* Petrum autem Romæ Eccleſiam inſtituentem Galliæ curam exhibuiſſe, atque nonnullos ex ſuis diſcipulos miſiſſe, qui opus ſalutis ibidem inchoarent, Innocentius Papa I. docet *in epiſtola ad Decentium*: & idipſum inſigni monimento te-

Matth. vltim. 44.

Act. 13. 46.

Marc. vltimo.

ſtati ſunt Epiſcopi Galliæ in epiſtola Synodica ad Leonem Magnum, qua notum eſſe ipſimet Romanæ Eccleſiæ aſſerunt, *Eccleſiam Arelatenſem, à Petro miſſum beatum Trophimum accipere meruiſſe Sacerdotem.* Idipſum Zozimus Papa luculento documento teſtatus eſt. Ceterùm ſanctus Irenæus, Tertullianus, ſanctus Cyprianus clariſſimis teſtificationibus hanc illorum falſam eſſe ſententiam demonſtrant, qui tardè volunt & vſque ad tempora Decij myſtica fidei ſidera Galliæ illuxiſſe. Excandeſcit ideo in Sulpitij (æquè ac Gregorij) ſectatores, plurimùm eruditiſſimus Pithœus, ſic ſcribens in Saluianum, aduerſus eos qui ſanctum Saturninum alióſque primos Galliæ in ſalutis ſcientia inſtitutores contendunt, tardè diúque poſt Chriſtianæ Eccleſiæ exordia, extitiſſe. *Scripſerit Sulpitius* (inquit) *trans Alpes Dei religionem ſerius viſam. Eccleſiarum tamen in Celtis apud Irenæum fit mentio: atque noſter factus Irenæus, Lugdunenſiſque Martyres ſatis oſtendunt progreſſus, quos fecerat ſacroſancta fides. Teſtis Photinus, cui ſucceſſor Irenæus Polycarpi diſcipulus, Antonini Principatu Epiſcopante Romæ Eleutherio. Teſtis Toloſanus Saturninus*, quem ſanè ex ipſa Apoſtolorum Schola, ad Aquitanorum magiſterium ſalutare delectum, facile eſt oſtédere. Ideóq. vt legit & exſcribit ex antiquis monimentis Surius, *pari proceſſu in regionibus noſtris Apoſtolorum prædicatio coruſcauit.* Syncerè autem quod quæ refert expreſſerit, nec locum iſtum corruperit, vt Boſquetus

criminatur, patet tam ex ipſius rei quam deſcribit perſpicua veritate, hoc eſt cum ſuperiùs probata Apoſtolica Eccleſiarum Galliæ origine, ac religionis in Galliis æquali cum Euangelij ortu principio: quam ex fide antiquorum Codicum qui, vt Surius tranſcribit, prorſus habent. Capetius habuit quatuor exemplaria vitæ ſancti Saturnini, à quibus diſcrepare relatam à Surio eiuſdem hiſtoriam non inuenit, at iiſdem conſonare, haud dubiè inſinuat *lib. 2. hiſtoria de Comitibus Toloſæ pag. 171.* Recitat Robertus, cui maior debetur quàm Boſqueto fides, ex ſacro codice Bituricenſi, eiuſdem vitæ ſancti Saturnini abbreuiatum exordium, hoc contextum tenore. *Tempore quo poſt aduentum Domini, Apoſtolorum prædicatione Eccleſiæ Chriſtianorum ſurgere incipiebant, & adhuc miſerabili errore, Gentilium nidoribus fœtidis, multa vbique templa fumarent,* TVNC PRIMVM *ciuitas Toloſana beatum Saturninum habere cœpit Antiſtitem.* Ecce igitur, vt hoc ipſo religionis exordio, eodémque quo Apoſtolorum prædicatio primas Eccleſias in orbe excitabat tempore, ſanctus Saturninus Toloſanæ vrbis curare ſalutem exorſus eſt. Teſtatur Biuarius in ſcholiis ad ſuum Dextrum anno Chriſti 76. germana ſeruari acta S. Saturnini, in regali cœnobio ſanctæ Mariæ de Horta, Seguntinæ diœceſis, ordinis Ciſtercienſis, ex litteria ſuppellectile *Roderici Ximenij* Hiſpaniarum hiſtoriographi, qui eidem monaſterio moriens ſuam totam bibliothecam, cum corde ſuo

ibidem condito legauit: in Manuſcripto Codice membraneo, cui *de vitis Sanctorum* titulus eſt. Quorum actorum genuinorum ſancti Saturnini eiuſmodi eſt initium. *Illo igitur in temporis curriculo*, &c. In iis verò manifeſtè Saturninus ipſe B. Petri diſcipulus aſſeritur, ſic enim ibi legitur. *Bonus eſt Honeſtus Saturnini diſcipulus, melior eſt Saturninus* PETRI ALVMNVS, *quia optimus omnium Chriſtus eſt, Petri didaſcalus. Sed qui elegit Petrum in Apoſtolica fide: is etiam beatificauit Saturninum in Paſtorali regimine, & Honeſtum perluſtrauit presbyterali honeſtate.* Fulcit hanc Saturnini ætatem atque dignitatem, lapis marmoreus antiquiſſimus, quem extare Toloſæ Stephanus Duranti Senatus eiuſdem vrbis Princeps, doctiſſimúſque rituum ſacrorum interpres, ex viſu refert, ſcriptóque teſtatur *lib. 2. de ritibus Eccleſiaſticis c. 9. num. 38.* In quo lapide ſculptæ ſunt S. Petri beatíq. Saturnini eius diſcipuli imagines. Saturnini autem cum baculo incuruo, cuius ſub effigie, hæc epigraphe cernitur inſculpta:

Curua trahit, quos recta regit, pars vltima pungit.

Fuit autem vbique ſemper ab ortu fidei ſancti Saturnini ingens nomen & celebris memoria: quod cecinit ante mille annos in Carmine de baſilica ſancti ipſius Toloſatium Apoſtoli, Fortunatus lib. 2. num. 9.

Saturninus enim Martyr venerabilis orbi:
Nec latet egregij palma beata viri.

Cuius Martyrium perilluſtre idem Fortunatus celebrauit ſuperiori carmine. Immò Sidonius

Sapphico verſu lib. 9. epiſt. 16. qua tantum Chriſti teſtem annumerat inter eos tutelares, quorum in aduerſis rebus opem ſibi præſentem expertus fuerat.

Ex quibus primum mihi pſallat hymnus
Qui Toloſanam tenuit Cathedram
De ſummo gradu Capitoliorum
Præcipitatum.
Quem negatorem Iouis & Mineruæ,
Et crucis Chriſti bona confitentem
Iunxit ad Tauri latus iniugati
Plebs furibunda.
Vt per abruptum boue concitato,
Spargeret curſu lacerum cadauer,
Cautibus tinctis calida ſoluti
Pulte cerebri.

Ad quem glorioſiſſimum Chriſti præconem (quem Primus Cabilonenſis in Topographia Martyrum, iure appellat *Vaſconum Apoſtolum,* Hiſpania autem hoc honore etiam habet, maximè Toleti, vbi prima ſparſit fidei ſemina, Pampilonæque (cuius ciuitatis Eccleſiam ipſe fundauit) Carolus Magnus tantam habuit deuotionem, vt eius fulgentem continuis prodigiis baſilicam, quam ſanctus Hilarius mediatus ipſius beati Saturnini ſucceſſor primitus condiderat, ſanctus Saluius auxerat, à fundamentis inſtaurauerit, illuſtriori fabrica decorârit, Monaſterio ampliârit, & precioſiſſimis pignoribus cælitum ditauerit toto ex orbe conquiſitis. Quod Ludouicus XI.

Rex

Rex Chriſtianiſſimus, edito diplomate anno ſalutis 1463. hac inſigni teſtatus eſt inſinuatione. *Notum facimus quòd nos feruentiorem noſtræ deuotionis aciem conuertentes ad egregium monaſterium ſancti Saturnini Toloſæ ordinis ſancti Auguſtini, quod glorioſæ recordationis Karolus Magnus prædeceſſor noſter fundauit, & in quo precioſa corpora ſex Apoſtolorum ac plurium aliorum Sanctorum collocauit. Concupientes ipſius Caroli Magni ſaluberrimis veſtigiis ſalubriter inhærere, & Deo ipsíſque Apoſtolis & ſanctis eius condignè complacere*, &c. Corpora autem iſtorum Apoſtolorum ſunt ſacræ exuuiæ Sanctorum Iacobi & Philippi, Simonis & Iudæ, Iacobíque maioris dicti, necnon beatæ Barnabæ & caput ſancti Bartholomæi. Cum quibus ſanctiſſimis pignoribus idem Karolus Magnus Martyrum plurimorum illuſtrium ſacra corpora ibidem collocauit, ſpectabilioríque apparatu repoſuit corpus ipſum cum capite ſancti Saturnini Toloſatium Apoſtoli ac Protomartyris, proprij Patroni ſacroſanctæ illius Baſilicæ. De qua ſegreges *in ſua hiſtoria* quam dicunt *Eccleſiaſtica*, vt de arce orthodoxæ fidei ſibi infeſtiſſima, meritò conqueruntur. dicunt enim ſe initio ſuæ graſſationis, modis omnibus intercipere Toloſam tentauiſſe: at nihil potuiſſe proficere quibuſuis artibus aut viribus, quoniam illa ciuitas, in cuius ſinu eſt Saturnini ſacrarium, *reliquiis Sanctorum referta eſt, ideóque Sanctorum cultui* (quem idolomaniam impiè vocant) *plus nimium eſſet addicta.*

Melius dixiſſent, quoniam illorum Sanctorum eſt patrociniis defenſa, quorum ſacratiſſima pignora tot ſæculis aſſeruat atque colit. Maximè autem prænominatorum Apoſtolorúm præſidiis, beatíque Saturnini Apoſtolorum Principis diſcipuli, continua protectione: qui cùm Catholicæ huic vrbi, fidem Chriſti orthodoxam ſanguine ſuo obſignatam in hæreditatem tradiderit, eandem ne ab hæreticis & ſchiſmaticis Apoſtolicæ doctrinæ auitæque religionis deſertoribus temeraretur, ſartam tectam ab illorum inſidiis atque conatibus cuſtodiuit. Miſerunt ad me cùm Martyrologium Gallicanum texerem, venerabiles illuſtris illius baſilicæ ſancti Saturnini Toloſanæ Canonici pleraque ſubſidia, quibus commentaria mea ditarem. In recenſione autem eorumdem capituli iuſſu iiſdem annexa ſignatè notatur *fuiſſe ſanctum Saturninum vnum ex Chriſti diſcipulis.** Quapropter ab omni hominum memoria, in eius feſti liturgia Euangelium illud legitur, quod *de ſeptuaginta diſcipulorum miſſione* S. Lucas perſcripſit cap. 10. Extare ibidem antiquiſſimum ſancti Saturnini officium, in quo ipſe Apoſtolis coætaneus, ſanctíque Petri legatus, diſertè commemoratur. Ceterùm in eius actis vetuſtiſſimæ notæ, quæ aſſeruantur in hierogazophylacio prædictæ eius Eccleſiæ, clarè idipſum habetur. Nec obſtat tam antiquæ traditioni, tam exploratæ demonſtrationi priſcorum illorum Scriptorum ſententia, qui ſanctum Sa-

* De iis plenū ſcripſimus tractatum, ſeu Commentarium in Catalogum Hippolyti & ſynopſim Dorothei.

turninum miſſum in Gallias à ſancto Clemente cum beato Dionyſio Areopagita aliiſque Euangelicis nuntiis prodidêre, in quibus eſt ſanctus Methodius in beati ipſius Areopagitæ martyrio, vbi ait, *Socij ſancti Dionyſij erant, Saturninus, Marcellus & Lucianus.* & infrà, *Miſſo autem Saturnino in partibus Aquitaniæ, ipſe cum ſancto Luciano & ſancto Ruſtico, & ſancto Eleutherio ad vrbem Pariſios venit.* Cui inhærens teſtimonio Exquilinus, lib. 9. Catalogi cap. 41. *Dionyſius à Clemente Petri ſucceſſore in Franciam deſtinatur, & ipſi Ruſticus Presbyter, & Eleutherius Diaconus ſociantur. Sancti quoque Saturninus & Marcellus Epiſcopi. Marcellum in Hiſpaniam, Saturninum in Aquitaniam direxit.* Facilè enim hoc conciliari poteſt, ſi obſeruetur quod in actis legitur ſancti Saturnini etiam à Boſqueto productis, &, vt ait, ab auctore non nupero conſcriptis, eundem ſancti Petri diſcipulum, poſt multas peregrinationes Toloſam rediiſſe: bis igitur veniſſe Toloſam oportet concedere. Quod & Dexter innuit dum ſcribit miſſum illum à ſancto Petro inuiſiſſe Hiſpaniam (vbi ex Toloſa profectum acta expreſsè commemorant) & Toletum anno Chriſti 76. prædicatione & miraculis illuſtrâſſe. Inde verò poſt multos varióſque excurſus, quos Seguntinus codex eius vitæ ſuprà citatus recenſet, Romam reuerſum, anno Chriſti 99. iterum regreſſum in Galliam: cui ſuppetias fortè mitti ob grauitatem laboris, quem expertus fuerat & amplitudinem

meſſis, poſtulauerat à S. Clemente. Qui cùm Dionyſium Areopagitam nouæ illius expeditionis deſtinauiſſet ducem; illum ei adiunxit comitem ac primarium ſuffragatorem, ſicut Biuarius oſtendit ex dictis præfati Dextri ad annos Domini 76. 110. & 112. atque ex Chronico Iuliani Toletani Archiepiſcopi. Sic igitur iam omnia benè cohærent, clarúmque euadit quomodo Saturninus diſcipulus Domini, ſectator beati Petri Apoſtoli, ab illo Toloſam primùm è Roma miſſus, hinc perluſtratâ Aquitaniâ & Hiſpaniâ, vt explorator Apoſtolicus, Romam ad copias ampliores expoſcendum reuerſus, atque inde cum ſancto Dionyſio à beato Clemente remiſſus in Galliam, ab eodem Dionyſio rurſus in Aquitaniam ad perficiendum opus ſalutis, quod Toloſæ ac Eleuſæ (quæ Galliæ Narbonenſis Vaſconiæque illuſtria capita erant) primo ſuo feliciſſimo inchoauerat aggreſſu. Ibidem demum plantata altis radicibus Chriſti fide, eam vt ad perpetuum incrementum irrigaret, ſanguinem totus dilaceratus (nam per vias agróſque raptatus) profuderit, coronam benedictionis de ipſorum futura vbertate, quam cruore ſuo vt imbre ſalutifero excitauit, immarceſſibilem reportauerit, trophæúmque ibi ſempiternum, ad Domini ſui gloriam, & perpetuũ decus ſacræ ſuæ memoriæ, ibidem (quod etiamnum eminet) ſuo periluſtri agone erexerit, ſicut elegantiſſimè cecinit lib. 2. Iconum *Philippus Bertherius* infulatus Præſes Toloſani Sena-

tus auguſtiſſimi. Sic enim vbi deſcripſit graphicè prorſus, Toloſæ Protomartyris extremum certamen: victoriam eius inclytam celebrauit, victoriæque ſalutiferæ perpetuam enunciauit gloriam.

Hic meliora noui poſuit ſacraria cultus,
Et Chriſtum æternæ deuicta morte ſalutis
Auctorem docuit, cuius qui iuſſa capeſſunt.
Per miſeros poſtquam hoc æui quodcumque labores
Tranſactum eſt, totóque abeunt è corpore ſenſus
Ardua perpetibus tendunt ad ſydera pennis.
At TV *fida tuæ ſpes & tutela Toloſæ*
Aſtra petis, vulgique minas contemnis inanes.
Mox tibi Tectoſages, ſtudiis præſtantibus acti
Vota ferent, templúmque tuo de nomine ponent.

At ſatis pro inſtituto de tam Apoſtolici viri celebritate & inclyta memoria. Quam fruſtra conatur Boſquetus, ex leuiori dicto Gregorij Turonenſis qui palinodiam cecinit, imminuere. Melioribus auibus rem geſſit ſuam Hilduinus, qui erratum adeo patens, dictúmque ſibi aduerſum ipſius Gregorij Turonenſis ſic eliſit, vt non lapſum eius in iniuriam verteret: quin potiùs beneuola excuſatione, hanc eius labem abſterſit. *Parcendum eſt*, inquit, *ſimplicitati, viri religioſi Gregorij Turonenſis Epiſcopi, qui multa aliter quàm ſe veritas habeat. æſtimans, non calliditatis aſtu, ſed benignitatis ac ſimplicitatis voto litteris commendauit. Patenter equidem noſcere poſſumus, non adeò quædam ſolerter inueſtigâſſe*, &c. Idque luculenter quidem

probari poteſt duobus tantummodo aut tribus exemplis.

Primum eſt, quod elicitur *ex lib. primo de gloria Martyrum*, vbi Petrum (quem Apoſtolorum coryphæum & ſublimem Theologiæ verticem Dionyſius noſter nominabat;) *à ceteris*, ait, *Apoſtolis ordinatum fuiſſe Epiſcopum. Petrus*, inquit, *Apoſtolus, qui ab Apoſtolis ceteris, Epiſcopus ordinatus, Romæ Cathedram locauit.* Quod ita durum eſt, vt niſi percommoda & benigna expoſitione temperetur, ferri nequeat. Petrum enim à Chriſto ipſo ordinatum nemo dubitat*, qui Euangelium recipit. Quin Ioannes de Turrecremata *lib. 2. Summæ Eccleſiaſticæ*, & Bellarminus *lib. 1. de Pont. Rom.** oſtendunt, Petrum quidem à Chriſto, ceteros Apoſtolos à Petro, ordinatos Epiſcopos fuiſſe.

* Ioan. 21. 15. &c.

* & l. 1. *de Clericis* cap. 3. §. poſtremo.

Secundum exemplum *ex eodem libro de gloria Martyrum* deſumitur. Hîc enim *cap. 29.* Gregorius ſcribit, Paulum Apoſtolum poſt reuoluti anni circulum, ipſa die qua crucifixus fuit Petrus Apoſtolus, paſſum eſſe. Quod minimè (ſalua eius pace) verum eſt: eodem ſiquidem & anno & die paſſos egregiè ambos indicat Baronius *tom. 1. Annal. ad annum Chriſti 69.* Ex antiquiſſimorum Scriptorum Patrúmque præcipuorum conſono teſtimonio potiſſimum Caij, Dionyſij, Euſebij, Epiphanij, Hieronymi, Maximi, nec modò tam veteri quàm nouo Martyrologio, ſed etiam ex Menologio Græcorum, quin ex actis ipſorum Martyrij Apoſtolorum, adeóque ex Concilio

Romano ſub Damaſo, quod opinionem de diuerſo illorum Martyrij tempore ab hæreticis quibuſdam inuectam & memorat & reprobat. Quemadmodum etiam repetitur decretum in alio Concilio Romano ſeptuaginta Epiſcoporum, vt videre eſt *in can. S. Romana*, &c.

Tertium Gregorij paradoxum illud eſt quod habet *lib. 1. hiſtoriæ cap.* 30. eodem ſcilicet de quo agitur. *Sub Decio*, &c. *Sixtus*, inquit, *Romanæ Eccleſiæ Epiſcopus, & Laurentius Archidiaconus*, &c. *per Martyrium conſummati ſunt.* Quod prorſus à vero abſonum, vt liquet ex teſtimonio ſancti Cypriani, qui in Epiſtola ad Succeſſum ſerie 82. certum ſe accepiſſe nuntium de martyrio Sixti, quod deſcribit, vnà cum edicti ſummâ Valeriani Imperatoris, ita expreſsè ſignificat. *Reſcripſit Valerianus ad Senatum, vt Epiſcopi & Presbyteri & Diacones in continenti animaduertantur*, &c. *Xiſtus autem in Cœmeterio animaduerſum ſciatis* 8. *Iduum Auguſtarum die*. Pontius quoque in actis ipſius ſancti Cypriani, apertè docet eodem anno quo ille martyrium ſubiit, Xiſtum Romanum Pontificem eumdem ad palmam præceſſiſſe, anno autem 5. Valeriani Cyprianum fuiſſe enſe laureatum, cuius acta ſic orditur teſtis ille oculatus. *Tempore Valeriani & Galieni*, &c. Alia acta citata à S. Auguſtino incipiunt, *Imperatore Valeriano quartùm & Galieno tertiùm Conſulibus*. Ex Prudentio autem Ambroſióque, citato Auguſtino, Maximo, Leone & aliis conſtat ſanctum Lauren-

Lib. 2. ſeu pôtiùs 1. contra Epiſtolam Gaudentij c. 13. tom. 7.

tium, iuxta Sixti vaticinium, poſt triduum ab eius morte inclyto triumphâſſe agone. His igitur vel ex tribus exemplis probatur, quàm verè dixerit Hilduinus, Gregorium eximia ſimplicitate ſcribentem quædam non adeò ſolerter inueſtigâſſe. Quem deceptum itidem iure ſignauit ex Saturnini malè notatis actis, eumdem cum ſancto Dionyſio, Trophimo, aliiſque ſub Decij & Grati Conſulatu, ſicut ſuprà per ſingulorum diſcuſſionem, & vindicatam Saturnini hiſtoriam perſpicuè demonſtrauimus. Excuſat autem illum ea in re etiam Hilduinus, eo quòd ipſa acta ſancti Saturnini idem Gregorius non inſpexerit, ſed ſub autumatione citauerit. Ego verò illa vidiſſe reor, at exemplar eorum deprauatum in ſubnotatione illum fuiſſe arbitror intuitum, qualia ſuo tempore inter vulgi manus ſparſa, Hilduinus ipſe, aliáque pleraque Sanctorum geſta, conqueritur. Qui excuſat rurſus Gregorium, eo quòd paſſiones Sanctorum quas ſancto Saturnino adiungit non legerat, quæ quidem in ratione temporũ nequaquam eius notationi de S. Saturnini illorúmq. cõmuni ſub Decio miſſione, cõſonabant. Id quod fatetur Boſquetus, atq. liquidum fit ex illarũ accurata, quæ à nobis ſuperiùs præſtita eſt, indagatione & confirmatione. Certè in antiquis Martyrologiis nihil de Saturnino miſſo vel paſſo Toloſæ ſub Decio legitur. Vſuardus ipſe, cui aduerſarij multùm tribuunt in controuerſia de S. Dionyſio, ſimpliciter Saturninum ponit Toloſæ,

Boſquetus part. 1. l. 1. p. 62. & l. 3. p. 123.

ſæ, præcipitio & raptatione purpuratum vetus Martyrologium nihil de eo ſignatum habet. Rabanus diſertè ſcribit Saturninum ipſum ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatum, atque ad vrbem Toloſatium directum, hócque ſub elogio martyrium eius deſcribit. Quam ſententiam ſyncerum tandem exemplar actorum eius adeptus Gregorius Turonenſis complectens, erratum ſuum lubens ipſe corexit, *lib. 1. de gloria Martyrum cap.* 48. vbi eius inuentionem & tranſlationem ediſſerens, hac exorſus eſt eiuſdem glorioſi cœlitis deſignatione. *Saturninus Martyr, vt fertur, ab Apoſtolorum diſcipulis ordinatus, in vrbem Toloſatium directus eſt.* Vbi, *fertur*, ſumit pro, *refertur*, ſicut ex totius libri huius aliorúmque contextu, fit legenti conſpicuum. Ita enim acta ipſa ſancti Saturnini habebant, quæ Rabanus, vt notatum eſt, poſt Gregorium vidit & ſecutus eſt. Quamobrem diu poſt vtrumque, ſanctus Antoninus parte 1. tit. 6. de Chriſti & Apoſtolorum diſcipulis, cap. 25. num. 5, illum iis adcenſuit: immò primam eius miſſionem attendens, à Chriſti diſcipulis directum Toloſam commemorat. Petrus in Catalogo (licet non ita ſit accuratus) ex fide antiquorum monimentorum illum ipſum aſſerit miſſum ab Apoſtolorum ſymmyſtis. Quæ ſententia cum ſit tandem expreſſo ſatis ſuffragio Gregorij Turonenſis obſignata, iam non eſt quo aduerſarij de erronea eius priori opinione ab ipſo retractata, atque adeo tam potenter ſuperiùs euicta à no-

bis, glorientur: quin potiùs ſancti Saturnini iam inſignia trophæa de ipſorum pertinacia reuecta ſuſpicere ac venerari diſcant; veritatíſque exploratæ de ipſius glorioſiſſimi Chriſti præconis ac athletæ ætate Apoſtolica armis victricibus ac triumphalibus ſignis colla ſummittant, ac ſeſe errâſſe cum Gregorio palam fateantur, cum eóque agnito demum tam manifeſto errori repudium dicant, & melioris ſententiæ placita conſectentur.

Ceterùm hâc fixâ, vt eſt, permanente, cum Saturnino quem deprimere ſatagebant, Dionyſius noſter ſuam palmam attollit: aliíque etiam amborum ſacri Collegæ glorioſas laureas erigunt, quos ex ipſius Gregorij ſententia ad Decij tempora deuoluere conabantur. Scitum enim illud Philoſophi ratum eſt apud omnes ſapientes, *quæ conueniunt vni tertio conueniunt inter ſe*. Iam verò tandem iudice ipſo, cui dum aberraret inhærebant Gregorio; Saturninus Apoſtolicis temporibus Euangelicæ prædicationis ſplendore in Gallia emicuit: cúmque Apoſtolorum diſcipulis (Clemente ſcilicet & Dionyſio) aliíſque primariis vixit viris Apoſtolicis, à quibus miſſus in Galliam, directus Toloſam, poſt plurimas peregrinationes ſemel atque iterum comprobatur, ibíque in ipſo ortu Euangelici luminis, feliciſſimo occubuiſſe perhibetur occaſu. Eodem igitur tempore oportet vt fateantur, ex ſuprema Gregorij ſententia, tam Dionyſium quàm ceteros Satur-

nini collegas à Gregorio cenſitos, vt benigna æternæ pacis & ſalutis ſidera illuxiſſe. Neceſſe eſt enim aut id vt concedant: aut vt penitus Gregorium deſerant: cuius ſi poſtremo decreto acquieſcere nolint, neq. priori inniti poterunt ab eodem reciſo, & per inductionem noſtram accuratiſſimam penitus confutato. quâ ſingulos quos ſub Decio veniſſe in Galliam deceptus primùm cenſuit demonſtrauimus, ipſa Apoſtolorum ætate claruiſſe, adeóque eorum primores aſſeclas & ſymmyſtas extitiſſe; atque ab iis ad Gallias Chriſti luce illuſtrandas delegatos, illuceſcente Euangelio primos ſolis gratiæ radios *diuerſis* (vt loquitur Tertullianus) *Galliarum nationibus aperuiſſe*, & ſuo ſalutari influxu diuinæ benignitatis primitias iiſdem fuiſſe impertitos. Idque probauimus tam ſolidis argumentis, tam perſpicuis inſinuationibus, tantis auctoritatibus, vt etiamſi de genuina Saturnini ætatis epocha nihil fuiſſet à nobis actum neque dictum: tamen ſtantibus demonſtrationibus noſtris, quibus ceteros quos his adiungebat Gregorius cæli nuntios, ducentos fermè annos ante Decium Chriſti ſigna per orbem Gallicum circumtuliſſe, & prima ibi eiuſdem erexiſſe trophæa, manifeſtè oſtendimus; nihil hic locus quem ex Gregorio eliciunt iam valeret, ad Dionyſium aliòſque ibidem nominatos Galliæ primos Doctores, extra Apoſtolici æui categoriam collocandum, & ad tempora Decij (quò eorum minuatur auctoritas & dignitas) deducen-

dum. Sed locū illum Gregorij (quem idem poſtea, vt inſinuatum eſt, correxit) in eodem articulo quo de agitur, ſcatere mendis pleriſq. grauiſſimis quæ aduerſarij inficiari nequeunt, inſuper cōuicimus. At ſi duntaxat vnum ex ſeptem diuini gerulis luminis, quos miſſos ſub Decio dixit, floruiſſe ſub Domitiano vel Traiano, &c. indicaſſem: hoc ſolum ſufficeret ad omne pondus fixæ ſententiæ, tam vitioſo loco detrahendum. Nunc autem ſingula quæ numerat radioſa capita recenſuimus: & hæc tantùm oſtendimus vnaquæque diſſita ab annis Decij; quantùm ab Domitiani, Traiani, Hadrianíque temporibus, quibus Apoſtoli Apoſtolicíq. viri fulſerunt, ipſe Decius diſtat. Ergo tantum abeſt, vt argumētum ductum ex tam fragili Gregorij auctoritate noſtræ aſſertioni tantulum obicem ponat, quin potiùs eam firmat admodum, ex ipſa diſcuſſione, qua in omnibus ſingulíſque capitibus quæ ſignat locus ille, Gregorium ipſum patenter errâſſe peruicimus. Inde igitur tot contra aduerſarios tela retorquequemus, quot hinc putauerant ſe cōtra nos iacula emittere. Fracta inſuper vndequaque eſt illorum pharetra, ſagittæ retuſæ, quin & comminutæ; diſruptus arcus, clypeus perfoſſus, anchoráque illa, ad quam ceu ad vnicum præſidium confugiebant, iiſdem erepta atque inutilis prorſus effecta. Pudor enim iis eſſet ampliùs hac abuti Gregorij ſcriptione, cuius ipſum puduit, & quam ſine graui eius famæ labe, nemo poſt exaratum hunc elenchum, potuerit in lucem iterum proferre.

ARGVMENTVM VIII.

Depromptum ex Martyrologio Romano veteri dicto, quod eo ſub titulo Heribertus Roſuueydus edidit Antuerpiæ anno 1623. in quo ſancti Dionyſij natalis geminus, Octobri menſe conſignatur. Vnde eliciunt nouæ ſententiæ defenſores, duos diſtinctos Dionyſios olim in Eccleſia eodem menſe ſeorſim cultos fuiſſe: nempe Dionyſium Areopagitam Athenis 3. Octobris; & Dionyſium Pariſienſem die nono eiuſdem menſis. Proinde illos eſſe reipsâ diuerſos. Sic enim habet prænotatum Martyrologium.

QVINTO *Nonas (Octobris) Athenis, Dionyſij Areopagitæ ſub Adriano diuerſis tormentis paſſi, vt Ariſtides teſtis eſt in opere quod de Chriſtiana religione compoſuit. Hoc opus apud Athenienſes inter antiquorum memorias clariſsimum tenetur.*

Et infrà eodem menſe, ita legitur. VII. ID. *Pariſiis, Dionyſij Epiſcopi cum ſociis ſuis, à Feſcennino gladio animaduerſi.*

RESPONSIO I.

Plerique graues ac eruditi viri ductum eiuſmodi argumentum ab auctoritate Martyrologij, quod Heribertus Roſuueydus typis primus vulgauit ſub programmate *veteris Martyrologij Ro-*

mani , hactenus à Cardinale Baronio deſiderati longè repellunt : ex eo quòd vetus eſſe genuinum Martyrologium Romanum , quod Baronius deſiderauit, planè inficientur , quin & abſolutè negent eſſe vetus ipſum Romanum, quod ſanctus Gregorius laudauit, quod Ado commendauit, quod Romana Eccleſia pridem habuit & ſeruauit. Idque tam ex veterum auctorum teſtimoniis à Roſuueydo ipſimet codici præfixis , quàm ex intimis libelli ipſius characteriſmis , adeóque ex ipſa , quâ vſus eſt , vt illud ſub hoc titulo Roſuueydus proderet, inſinuatione. Rem autem ita accuratè diſcutiunt ac dirimunt. Siquidem negatiuam ſuam eliciunt. Primò ex ipſa auctoritate ſancti Gregorij , à Roſuueydo producta , ſub hac maiuſculis litteris exarata epigraphe. DE HOC VETERI ROMANO MARTYROLOGIO, ELOGIA. Gregorius Papa ad Eulogium Epiſcopum Alexandrinum epiſt. 29. lib. 7. ind. 1. *Nos penè omnium Martyrum diſtinctis per dies ſingulos paßionibus , collecta in vno Codice nomima habemus , atque quotidianis diebus , in eorum veneratione Miſſarum ſolennia agimus. Non tamen in eodem volumine , quis qualiter ſit paſſus indicatur , ſed tantummodò locus & dies paßionis ponitur. Vnde fit vt multi ex diuerſis terris atque prouinciis , per dies , vt prædixi , ſingulos cognoſcantur martyrio coronati , ſed hæc habere vos beatißimos credimus .* Hæc ſanctus Gregorius à Roſuueydo inductus. Ex cuius ſanctiſſimi Pontificis verbis , tantum abeſt vt erui

poſſe velint, quod Roſuueydus aſſumit; hoc ſcilicet quod è prælo dabat Martyrologium, eſſe germanum illud antiquum, de quo ſic ſcribebat ad Eulogium ſanctus Gregorius: quinimò contrarium inferunt prorſus colligi ac oſtendi. Ego verò etſi erga Heriberti Roſuueydi, de litteris ſanè benemeriti, piam, clarámque memoriam, eximiam propenſionem habeam; diſquirere tamen volui, propter inſignem refragantium eruditionem, num id quod edidit Martyrologium, aſſertum *vetus*, re vera *vetus illud ſit*, quod ſanctus Gregorius loco citato indicauit, ac tam graphica quàm breui deſignatione expreſſit. Iudicium autem huius meæ indagationis Lectori prudenti lubenter ſubiicio. Verumtamen ſi aliter alibi, S. Gregorius, de Martyrologio quod Roſuueydus excuſſit primùm, locutus non eſt: ex ſignatis ſancti Gregorij dictis, non videtur Martyrologium ipſum Roſuueydi genuinum vetus poſſe demonſtrari. Immò ex lineamentis ſuprà expreſſis à ſancto Gregorio, vt ſpurium & diuerſum à vero, exiſtimo repudiandum fore. Primò, quia S. Gregorius in veteri illo Martyrologio, quod Eulogio Alexandrino Patriarchæ notum ac tritum fuiſſe ſignificat, *nomina Martyrum ſignata fuiſſe aſſerit per ſingulos dies.* Ex quo indice *quotidianis diebus Miſſarum ſolennia in eorum veneratione celebrabantur.* Sed in Martyrologio quod ſub veteris nuncupatione ſolus Roſuueydus prodidit, dies plerique vacui Martyrum natalibus,

nulliſque eorum nominibus notati deprehenduntur. v. g. 24. *Aprilis*, 23. *Maij* 8. *Iunij*, 15 & 20. *Octobris*, 16. *Nouembris*, &c. Secundò, quia ſanctus Gregorius dicit, illo in Martyrologio Romano veteri quo vtebatur, non fuiſſe indicatum, *quis qualiter fuerat paſſus* Martyrium: ſed *tantummodò locum & diem paſſionis annotatum*, in eo volumine fuiſſe. Verùm in codice à Roſuueydo edito frequenter qualitas paſſionis Martyrum exprimitur, vt videre eſt in natali ſancti Almachij, 1. Ianuarij, vbi & genus necis & Præfecti nomen ſignatur. Item 20. Februarij, in natali plurimorum Martyrum. Item 14. Martij, in natali 47. Martyrum. & 3. Aprilis, in natali Mariani & ſociorum: & 2. Octobris in natali ſancti Eleutherij, & 9. eiuſdem menſis in natali ſancti Dionyſij. Item die 25. in natali 46. militum, quos à Dionyſio Papa baptizatos; iubente Claudio, Romæ viâ Salariâ decollatos ibidem legimus. Hîc igitur & aliis ſimilibus locis, quis qualitérque Martyres paſſi ſint exponitur. At teſtis eſt ſanctus Gregorius, in veteri quod laudat Martyrologio, hæc expreſſa non fuiſſe. Hoc itaque minimè illud eſt quod idem beatiſſimus Pontifex Eulogio indigitabat. Id verò mihi perſuadetur. Tertiò, ex eo quòd in veteri quod commendat ſanctus Gregorius, ſola Martyrum nomenclatura legebatur. Nimirum ſingulorum natales conſignabantur, quibus ipſorum nomina breuiter attexta erant. At in Roſuueydi codice etiam tranſ-

lationes

lationes annotantur v. g. 19. Ianuarij, tranſlatio ſancti Pontiani, 11. Iunij inuentio Sanctorum Nazarij & Celſi, 3. Iulij, tranſlatio ſancti Thomæ, 8. Auguſti tranſlatio ſancti Cyriaci, 9. Octobris, S. Gorgonis. Inſuper etiam dedicationes ſignantur in hoc Martyrologio, 13. Maij dedicatio ſanctæ Mariæ ad Martyres, 1. Iunij dedidicatio ſancti Nicomedis, 29. Septembris dedicatio ſancti Michaëlis. *Quartò*, in veteri Martyrologio de quo ſanctus Gregorius ad Eulogium ſcribit, cenſebantur duntaxat Martyres, vnde *Codicem Martyrum* ſanctus Gregorius appellabat. At in exemplari à Roſuueydo excuſo, etiam Confeſſores non antiquo ſignificatu, quo Martyrij candidati, vel in exilio incruenta morte defuncti deſignabantur, ſed recenti vſu, quo viri ſanctitate præſtantes, religioſa vita & placido fine inſignes, eidem matriculæ inſcribuntur, v.g. Macarius Abbas 15. Ianuarij, Sinerius Monachus 23. Februarij, S. Ioannes Abbas 19. Martij, ſanctus Benedictus 21. eiuſdem menſis. S. Goar 6. Iulij, quo ſic habetur, *natalis S. Goaris Confeſſoris*. Vbi præterquam Auctor huius Codicis vocabuli Natalis proprietatem non ſeruauit, quæ Martyribus ſingularis eſt, vt Confeſſoribus depoſitio eſt propria: ſe longè poſteriorem ſancto Gregorio prodidit. Superuixit enim S. Goar beato Gregorio. Clarere namq. cœpit, vt notat Sigebertus in Chronico, anno 600. & diu poſt aduentum ex Aquitania in Galliam Belgicam, in Alſatia vixit, vbi

etiam obiit ſenex, ſicut liquet ex eius actis apud Surium 6. Iulij. Sed ſanctusGregorius vitam cum Pontificatu terminauit, anno 605. ineunte, nempe 12. Martij. Igitur ſi Martyrologium editum à Roſuueydo eſt vetus Romanum à ſancto Gregorio contrectatum & deſignatum : neceſſe fuit vt viuentem adhuc, immò ætate florentem S. Goarem coli Confeſſorem nomenclator ille Sanctorum indicaret. quod quàm abſonum ſit, nemo non aduertit. *Quintò*, clarè patet Martyrologium iſtud non poſſe illud eſſe vetus, quod in vſu erat Romæ tempore ſancti Gregorij, & ab eo fuit Eulogio commendatum. Ex eo quòd ſucceſſores ſancti Gregorij in huius contextu nominantur, eorumdémque facta & inſtituta ibidem conſignantur. v. g. Bonifacius IV. qui tertio ſucceſſit poſt Sabinianum ſucceſſorem Gregorij. Sic enim cernimus notatum *3. Idus Maij, ſanctæ Mariæ ad Martyres, dedicationis dies agitur à Bonifacio Papa ſtatutus. quartò* ſcilicet, vt omnes fatentur, & conſtat ex eius actis in Pontificali libro: notatúrq. à Sigeberto in Chronico ſub anno ſexcenteſimo nono vbi de eo ſignat. *Hic Pantheon Romæ à Phoca impetratum vertit in Eccleſiam ſanctæ Mariæ & Sanctorum Martyrum*, &c. Nec reſponderi poteſt, Feſtum hoc quod Bonifacius IV. inſtituit, fuiſſe iſto in Martyrologio diu poſtquam ſcriptum fuit à quoquam adiectum. Patet enim eſſe de primitiua ſerie ipſius, ex iudicio Roſuueydi, qui pleno contextu illam

dedicationem expreſſit, nec in margine, nec in notis monuit, quod aliàs ſolet, recentiori manu additam fuiſſe. vti neque 29. Septembris vbi iterum idem Papa nominatur. Immò alius poſterior in feſto, quod ſic ſignatur 14. Septembris. *Exaltio S. Crucis ab Heraclio Imperatore à Perſis Ieroſolymam reportatæ. Quando & Romæ lignum ſalutiferum Crucis à Sergio Papa inuentum ab omni populo veneratur.* Porrò relatam fuiſſe Crucem Dominicam in ſanctam ciuitatem ab Heraclio qui illam extorſit Perſis, anno 627. Baronius eodem anno demonſtrat. Sergium verò Papam ſalutiferæ Crucis Domini ſacrum pignus reperiſſe Romæ, ſub finem Pontificatus & vitæ, teſtis eſt Anaſtaſius Pontificali lib. cap. 85. & inde ortam exaltatæ Crucis Romæ annuam celebritatem, idem ibidem commemorat. Ceterùm Sergius I. Papa creatus eſt anno 687. obiit autem anno 702. Vnde patet Martyrologiũ quod Roſuueydus ſub veteris Romani titulo edidit, diu admodum poſt tempora S. Gregorij conſcriptum fuiſſe: proinde illud non eſſe poſſe quod ab illo ſancto Pontifice, ſuperiùs citata ad Eulogium epiſtolâ deſignatur. Sed & beatus ipſe Gregorius eo in Kalendario iam glorioſus notatur cum Innocentio die 12. Martij.

Verùm neque illud eſſe Martyrologium quod reperiſſe Rauennæ ſe Ado teſtatur, perſpicuum fit ex ipſis quæ ſuo exemplari inſita prodit lineamentis, in præfatione Martyrologij ſui à Roſuueydo in præſidium ſui codicis allegata, hoc te-

nore. ADO VIENNENSIS ARCHIEPISCOPVS IN PRÆFATIONE MARTYROLOGII SVI. *Huic operi, vt dies Martyrum veriſſimè notarentur, qui confuſi in Kalendis ſuis inueniri ſolent, adiuuit venerabile & peranitiquum Martyrologium ab vrbe Roma Aquileiam, cuidam ſancto Epiſcopo, à Pontifice Romano directum, & mihi poſtmodum à quodam religioſo fratre aliquot diebus præſtitum: quod ego diligenti cura tranſcriptum, poſitus apud Rauennam in capite huius operis ponendum putaui.* Nec enim ſufficit, vt genuinum illud eſſe vetus Romanum Martyrologium perſuadeatur, quod Ado tranſcripſit & ſuo Martyrologio præfixit: id quod Roſuueydus pro omni probatione inſinuat, *ſe in limine Martyrologij Adonis Manuſcripti* (quod à Colonienſibus Carthuſianis mutuauit) hoc vetus quod dicit Romanum prætextum inueniſſe. Ipſe enim teſtis eſt, hoc præambulum, minimè in aliis duobus antiquis Codicibus Manuſcriptis Martyrologij Adonis, quibus vſus eſt in eius recenſione extitiſſe: at in ſolo tertio, qui hic Colonienſis eſt, comparuiſſe. Potuit autem huic attexi, non vt Martyrologium (cuius ſpecimen haud congruum habet) ſed vt ſimplex Kalendarium (qualia ea ſunt diuerſa Syrorum, Græcorum & Latinorum, quæ Genebrardus typis excuſa vulgauit) per illum Monachum S. Penthaleonis, quem auxiſſe ipſum Apographum idem Roſuueydus candidè fatetur, *in notis ad 4. Idus Iunij.* Nam ceteroqui ſatis apparet hoc quod vult Roſuueydus eſſe ip-

ſum vetus Martyrologium ab Adone exſcriptum; idipſum eſſe non poſſe. PRIMÒ, quia ipſemet Roſuueydus aſſerit in præmonitorio ad Lectorem, veſtigiis veteris Martyrologij Adonem ſemper inſiſtere. Atqui conformitas illa deficit in tabulis à Roſuueydo editis. In quibus Martyrologium quod vetus dicit pleriſque in locis cum Adonis Martyrologio non conuenit, quin ſæpè exuberat, natalitiis, quæ deſunt (vt ipſe Roſuueydus obſeruat) in Adone. Verbi gratiâ, viceſimo Aprilis, notatur in veteri præſumpto Martyrologio, *Inuentio ſanctarum Reliquiarum in Stabe.* quod cenſet ſignare, Roſuueydus, *in Stabuleto.* At in margine notat. *Deeſt Adoni.* Sic die viceſimaquinta *depoſitio Erminionis Confeſſoris.* Et triceſimo *Quirini Martyris.* Et decimonono Iunij, *Commemoratio Nazarij & Celſi*: & decimoſeptimo Decembris *ſancti Petri ad Mal. mun. dar.* quod explicat Roſuueydus in margine, *Malmundarium.* Vnde manifeſtum fit hunc indicem non viſum fuiſſe ab Adone: qui cùm, vt aſſerit Roſuueydus, vbique veſtigiis Romani priſci inſiſtat: hoc profectò ſi vidiſſet & pro regula tenuiſſet exemplar, neutiquam prætermiſiſſet ea quæ in eo ſunt, (vbi ipſe ſterilem ſe ſenſit) ſuum in ſubſidium tranſcribere. SECVNDÒ, quia plurima ſunt in hoc apographo quæ prorſus aliter in Adonis Hagiologio exprimuntur, v. g. vetus inſcriptum habet die 9. Ianuarij *in Mauritania Cæſarienſi Macræ virginis & Martyris.* Mendosè ſci-

licet. Sed Ado habet rectè, *Martianæ.* Impulit in errorem exaratorem huius tabulæ, proximum affinéque nomen *Macræ Virginis*, quam eandem cum Martiana putauit. Sed Martiana occubuit Martyr in Africa. Macra in Gallia, vt notum eſt, Remis. Martiana quidem die 9. Ianuarij, at verò Macra 6. die. Item die 12. Ianuarij, prætentum vetus notat natalem *Sancti Satyri Martyris Antiochiæ*: Ado autem ſignat apud Achaiam. Die 22. vetus fucatum habet inſigne nomen *S. Anaſtaſij Monachi ad aquas Siluias.* Sed Ado ſignat *ad aquas Saluias natale ſancti Anaſtaſij Martyris & Monachi de Perſide*, &c. Porrò 23. Februarij priſcum aſſertum natalem notat *quadraginta duorum Martyrum*, Adonis diptychum indigitat, *ſexaginta duorum Martyrum.* Die 9. Martij illud ponit, *cum Euſebio aliorum octo Martyrum*. Iſtud nouem exprimit. Sic die 19. Martiam illud notat *cum aliis octo.* Verum, hoc, Marcum cum nouem ſociis conſcribit. Inſuper præſumptum vetus 8. Iulij ponit *Maralana ciuitate Brictij Epiſcopi*. Qua die de eo Ado tacet. At die ſequenti ſcribit *in ciuitate Martulana ſancti Brictij Epiſcopi & Confeſſoris*, &c. Item 20. Octobris ſcriptum erat in antiquo præſumpto quod Roſuueydus expunxit, vt ipſe indicat in margine. *Nicomediæ Daſij, Zotici, Caij cum 12. militibus.* Sed Martyrologium Adonis triplicibus Codicibus conſonum, illa die notat: *in Galliis ciuitate Agenno ſancti Capraſij Martyris*, &c. Prænotatos

verò collocat die ſequenti, quo in veteri ſuppoſititio Marcus & Salomæ ſignabantur, qui poſtera die apud Adonem clareſcunt. Vacabat in illo dies viceſimus ſecundus, præter alios pleroſque enumeratos in deſcriptionis ſancti Gregorij diſcuſſione. At apud Adonem haud vlli vacui ſunt dies. Nec dici poteſt Adonem exemplar vetus ſuppleuiſſe: cùm ipſe Ado in præfatione ad Lectorem clarè profiteatur, ſe antiquo Martyrologio Romano quod tranſcripſit Rauennæ, fuiſſe adiutum, vt dies Martyrum vberiùs conſignaret, & vt ait, *veriſſimè notaret*. Tertiò, inde patet editum à Roſuueydo Codicem, non eſſe poſſe vetus illud authenticum Romanum Martyrologium, quod ab Adone viſum, laudatum atque obſeruatum fuiſſe ipſe teſtatur. Nimirum quia pleraque in eo Codice annotantur, quæ vtpote poſteriora ſucceſſu: Adoni minimè potuerunt eſſe perſpecta. Id verò probatur his exemplis: Kalendis Octobris ponit Remis feſtiuitatem ſancti Remigij. Sed ea dies non eſſe cœpit præcipua veneratione huius cælitis celebris, niſi ex Leonis Papæ IX. inſtitutione: qui anno 1049. Remis Concilium agens, corpus ſancti Remigij iteratò tranſtulit, decreuítque ſanctione ſpeciali, vt deinceps illa dies ſolennis potiſſimùm S. Remigij haberetur; cùm antea inſignis eius feſtiuitas, die decima tertia Ianuarij (qua migrauit ad ſuperos) ageretur, vt ex eiuſdem Leonis Papæ litteris Apoſtolicis conſtat datis Remis ſi-

gnato anno die 2. Octobris. II. hoc in indice Hagiologico, quem Roſuueydus inſcripſit *Martyrologium Romanum vetus*, vúltque non modò Adoni fuiſſe notum, at ſancto Gregorio antea celebre; indicatur 20. Aprilis, *Inuentio ſanctarum Reliquiarum multarum in Stabe*. Quod explicat Roſuueydus in Stabeleto, quod Monaſterium eſt diœceſis Leodienſis, à Normannis anno 882. vaſtatum, vt Sigebertus commemorat in Chronico eodem anno. *Atqui hæc Normanica vaſtatio* (ſcribit in notis Roſuueydus) *aliquot annos tenuit. Vnde fieri potuit vt reliquiæ ante annos aliquot occultatæ, pòſt inuentæ fuerint & inuentionis memoria in ſacros faſtos relata*. Quo ex diſcurſu liquet, in veteri Romano Martyrologio quod vidit Rauennæ Ado antequam paſtorali Viennenſi ſpeculæ præficeretur; hanc inuentionem iam celebrem notari non potuiſſe. Ante incurſionem enim illam Nortmanicam, iam Epiſcopus factus erat, nempe anno 875. Adde quòd rem nondum factam præſcire non poterat. Minus verò hanc, vetus Romanum Martyrologium, ſancto Gregorio cognitum, eóque longè antiquius, complecti ac indicare, quæ trecentis fere poſt beatum Gregorium annis contigit.

Ceterùm illud ipſũ exẽplar quod *vetus Martyrologiũ Romanũ* prænotauit Roſuueydus *à Baronio deſideratũ*, hoc ipſum non eſt quod Baronius cõcupiuit. patet ex eo quòd longè aliud eſt ab eo antiquo cuius ſpecimen idẽ Baronius expreſſit, cuius teſtimonium

monium, ſeu indicium abſque conuenientia ſuo Codici Roſuueydus adaptauit. Sic enim eminentiſſimus Baronius delineabat antiquum, quod optabat, Martyrologium, in Prolegomenis ad Martyrologium Romanum cap. 8. *Hoc ipſum ſimplex, abſque alio additamento Romanum Martyrologium idémque perbreue, in quo tantùm nomina Martyrum, locus ac dies paſſionis poſiti habentur: eſt illud ipſum cuius meminit Ado.* Qua ex deſcriptione neceſſe eſt colligere, id quod prænotauit vetus Martyrologium à Baronio deſideratum Roſuueydus, neutiquam hoc ipſum eſſe: cùm purum non ſit, ſed corruptum; idémque ſimplex non ſit & abſque additamento, ſed pleriſque augmentationibus conſarcinatum. Et non Martyrum tantùm nomina, locum & diem paſſionis cuiuſque contineat, ſed Confeſſorum quoque (vt oſtenſum eſt per accuratam inductionem) & quidem recentiorum. v.g. S Goaris feſtum conſignat, tranſlationéſque, inuentiones, & dedicationes factas ſæculo nono complectitur. Impuritatem eius Roſuueydus agnouit, ſuteliſque ac accrementis refertum, & deprauatum haud obſcurè fatetur. Siquidem in ipſo proloquio ad Lectorem, aliqua videri annuit *ab exſcriptore inſerta, quæ ideo deſunt Adoni.* At hæc paucula non ſunt, ſed plurima, vt ex ſuperiori diſcuſſione conſtat. Et ſignatè 4. Idus Iunij Maurinum Martyrum ſe innuit expunxiſſe, ex hoc ſuo Autographo: quia adſcriptus erat recentiori manu, haud dubiè in-

quit, *à Religioſo S. Pantaleonis libri huius* exſcriptore.* & 15. Kalend. Decembris expendens illud indicium. Dedicatio ſancti Petri ad *Mal m̃ dar. Nulla huius memoria apud Adonem, nec dubium mihi quin & hoc addititium ſit. Voluit Colonienſis exſcriptor, duo antiquiſsima & celeberrima in Arduennæ ſaltu ad agrum Eburonum hic intexere monaſteria: ſuprà 20. Aprilis habuimus Stabuletum, vulgo Stanelo: Malmundarium, Malmedy.* Ceterùm ipſum exemplar Adonis (cui hæret præfixum illud fucatum vetus Romanum Martyrologium) Roſuueydus ſatis ſupérque prodit, minimè genuinum & ſyncerum eſſe. Subnectit enim ad eius calcem indiculum, prænotatum, *Appendicem, ad Martyrologium Adonis*: 280. & ſuprà tam natales quàm feſtiuitates continentem, quas Roſuueydus imitatus Moſandrum, ſeſe expunxiſſe ex albo Adonis, & priuatam illam in ſeriem ablegâſſe, in præfatiuncula huic intexta confitetur: quæ Adonis Martyrologio fuerant *inſerta per prædictum Monachum*, vt Moſander ipſe præaduerterat. Verùm ſubiungit Roſuueydus. *Ego verò collatione trium Codicum Manuſcriptorum, Moſandrianis Codicibus vetuſtiorum (de quibus initio Adonis, ad Lectorem dixi) multo plura deprehendi, Adonis non eſſe.* Igitur nec Adonem continebat purum, ſed auctionibus innumeris ferè infarcitum, ille Codex Colonienſis à Monacho S. Pantaleonis exaratus & compaginatus, cui Apographum prætenti veteris Martyrologij præfixum erat, *& in quo ſolo*

* At ſi totum libellũ is aſcceta exſcripſit: igitur eadem exſcriptoris manu, totus hic codicellus conſcriptus eſt.

comparebat. Quem ſi in integrum reſtituiſſe, quoad Adonis opificium, ſua recenſione facta ad duo alia Adonis exemplaria Roſuueydo concedamus: impurum tamen & incertum manere neceſſe eſt, ex eiuſdem confeſſione, vetus quod inſcripſit Romanum. Tum quod plurimis mendis quæ oſtendimus ſcateat. Tum quod vno duntaxat in codice, eóque corruptiſſimo inuentum fuerit, nec ad alia exemplaria potuerit expendi & emendari. Quod non potuit diſſimulare ipſe Roſuueydus, cuius hæc ſunt verba in prima præfatione ad Lectorem, ſubiuncta epiſtolæ eiuſdem liminari ad Paulum V. Pont. Max. *Etſi alios duos Manuſcriptos Martyrologij Adonis habuerim, (de quibus dicam ad ipſum Adonem) in ſolo tamen hoc tertio S. Pantaleonis, vetus hoc Romanum* (quod ſic ipſe nominat) *Martyrologium comparuit. Quare ſicubi error aliquis irrepſerit* (plurimi autem reipſa vt indicauimus irrepſerunt) *memineris quàm dificile ſit ex vnius Codicis fide, quæ* SVBINDE VACILLAT, *fideliſſimè omnia exprimere.* Nulla igitur certitudine hunc Codicellum eſſe Martyrologium vetus Romanum, à ſancto Gregorio & Adone laudatum, potuit Roſuueydus aſſerere, cùm ipſo fatente, vacillet huius apographi fides. Vnde miror qua ſecuritate potuit illud *Martyrologium vetus Romanum* prænotare, cùm nullibi hic titulus huic appoſitus appareat, immò neque ipſum Apographum alibi vſpiam compareat, & ne quidem in binis antiquis exemplaribus Adonis, quæ

Roſuueydus habuit,& plurimi facit. Vnde pace eius dixerim ſagaciùs egiſſe Moſandrum, qui ex ipſo Codice Monaſterij S. Pantaleonis Adonem eliciens, de induſtria edere indiculum (quem inſcripſit Roſuueydus Martyrologium vetus Romanum) prætermiſit. Benè enim aduertit ex charactèriſmis propriis huius matriculæ, ſuprà accuratè deſignatis & expreſſis, vetus Martyrologium Romanum quod Ado ad amuſſim ſecutus ſuo Martyrologio prætexuit, hanc eſſe non poſſe: cùm pleriſque in locis ab Adone diſcordet, multáque habeat, quæ tempore Adonis non poterant antiquo Martyrologio Romano inſcripta eſſe: aliqua etiam quæ ſunt Adone ipſo poſteriora; ridicula etiam quædam contineat. v. g. VI. Idus Nouembris, vbi legitur. *Eo ipſo die* QVATVOR *Coronatorum Seueri, Seueriani, Carpophori, Victorini: quorum feſtiuitatum ſtatuit Melciades Papa ſub nominibus* QVINQVE *Martyrum celebrari, quia nomina eorum non reperiebantur; ſed intercurrentibus annis, cuidam ſancto viro reuelata ſunt.* Quomodo enim Melchiades Papa ſtatuit celebrari feſtiuitatem ſub nominibus qoinque Martyrum, ſi erant tantùm quatuor? Sed pleraque alia craſſa errata occurrunt in hac collectione, quæ breuitas non patitur excurrere per ſingula. Ea verò quæ ſuprà annotauimus pleraque, ſatis ſupérque faciunt ad conuincendum, haud eſſe hoc Martyrologium Romanum vetus, ab Adone tranſumptum & obſeruatum, ſuóque Martyrologio vt regulam

regulato præaptatum : poſt quem Adonem compilatum & exaratum fuiſſe hunc Codicem, poſteriora Adone quæ huic Codici inſerta ſunt, clarè oſtendunt indicia. Sed eſſe merum Kalendarium eiuſdem prodit conſpecta effigies. Porrò totum ipſum Codicem , nec Adonem referre, nec Martyrologium vetus Romanum complecti, ſed locale tantum Kalendarium , & Martyrologium ad vſum Monaſterij * S. Pantaleonis accommodatum continere, probant non ſolùm plurimæ illæ additiones factæ à Monacho S. Pantaleonis, vt Roſuueydus fatetur : ſed & quod ipſe notat ex eo Codice, 5. Kal. Aug. Nicomediæ S. Pantaleonis Martyris. *Scripta*, inquit, *hæc erant capitalibus, iiſque miniatis litteris, quòd ſcilicet hic Patronus ſit templi & Monaſterij ſancti Pantaleonis Coloniæ, vbi Martyrologium hoc exſcriptum eſt.* Cuius cùm *fides* etiam *vacillet*, vti diſertè ait ipſemet Roſuueydus, ex hoc auctoritatem ſolidam elici non poſſe, palam eſt , ex qua firmum argumentum confici queat. Proinde iam ruere funditus neceſſe eſt, Roſuueydi inſtructam tam labili fundamento, obſeruationem. Quem miror admodum , in notatione ad 5. Nonas Octobris hæc ſcripſiſſe. *Vides auctoritate huius Martyrologij, duos diſtingui Dionyſios loco & die. Nec aliter vetuſti Martyrologi, Beda, Vſuardus, Ado & Notkerus, vt ſuſpicio eſſe non poßit, apud hos aliquid poſt additum, cùm ipſi quod in veteri hoc Romano inuenerint, ex fide dederint.* Quomodo enim hoc inue-

* Habeo ſimile Martyrologiũ breue Aremarẽſe in quo (lõgè antiquiori ac puriori) vnus tantùm Dionyſius 9. Octobris cũ ſociis ſignatus eſt : Ex tranſcriptione S. Prudentij Epiſcopi Trecenſis ante annos fere 800. ſedentis, vt conſtat ex poëmatis eius huic præfixi inſinuatione.

nerunt tot auctores in hoc ſolo codicello, qui poſt eorum pia funera, à Monacho Colonienſi conſcriptus fuit? & quæ poſſit ineſſe huic prætento Martyrologio auctoritas, cui nulla probatio ſuffragatur, quòd à ſolo Roſuueydo cognoſcitur, nam à Lippomano & Moſandro, qui Adonem ante illum ediderunt expunctum eſt? Quę inquam auctoritas huic libello, cuius vnum tantum extat exemplar, mendoſum paſſim & vitiatum? cuius (vt conuictus ipſa rei euidentiâ Roſuueydus præfatur) *fides ipſa vacillat?* Certè ex dubiis principiis, non educitur ſolida concluſio. Neque Beda, Vſuardus, Ado, & Notkerus ſibi ſumere auctoritatem potuerunt, ex Codice cuius fidei titubans, auctoritatem euertit. Adde quòd autographum Bedæ quod Romæ ſeruatur, vnum tantum Dionyſium habet 9. Octobris, quem idem auctor in Ephemeride Athenienſem & Pauli diſcipulum & Galliæ Apoſtolum eadem die prædicat. Porrò Vſuardus, cuius Martyrologium in ſequenti proximè argumento expendetur, nihil noſtræ officit ſententiæ, immò fauet nobis & aduerſus Nouantes, antiquæ traditioni quam propugnamus paſſim patrocinatur. Verùm Roſuueydus in proœmio notationum ſuarum exiſtimat, quæ circumferuntur Martyrologia Vſuardi (Bedæ quoque & aliorum priſcorum Martyrologorum) illorum germana, incorruptáque opificia non eſſe. Quorum ſyncera autographa ideo deſiderat, *deſcripta vetuſta & incorrupta ma-*

nu. Illa igitur vſquequo fuerit nactus, nihil certi poterit ex vulgaribus apographis Vſuardi, Adoníſque depromere. Sed iis ex nutantibus principiis, nonniſi nutantem quoque concluſionem ipſi licet exprimere. Immò ſi Martyrologij, quod vetus dicit Romanum, ſemel euertitur fides: nihil ſupereſt Roſuueydo quod ab Vſuardo vel Adone, aliíſque huius claſſis auctoribus queat in eo negotio ſubſidij expectare. Vult enim eos ex ſua ſententia non eſſe locutos, ſed auctoritatem huius Martyrologij amplexos eſſe. Atqui auctoritatem nullam habet hic Codex, vt oſtendimus, cuius *fidem vacillare* Roſuueydus agnoſcit. Proinde ſi quid ex hoc ſolo apocrypho libello, illi Hagiologi ſcriptores deſumpſerunt, caducum eſt atque inſtabile, nutantem enim qui habet fidem, firmam nequit auctoritatem præſtare: maximè contra repugnantem orbis Chriſtiani teſtificationem, & perennem Patrum traditionem, atque conſtantem Eccleſiæ tam Orientalis quàm Occidentalis perſuaſionem, & Apoſtolicæ ſedis millies teſtatam ſententiam, quæ vnum eundémque Dionyſium Pariſienſem eſſe ac Athenienſem, ſicut probatum eſt, aſſerit, iudicat & determinat. Ceterùm etſi meridiano ſole clariùs euadat, ex inductis ſuprà inſinuationibus, Martyrologium quod edidit Roſuueydus minimè re vera eſſe, quod prænotatur, vetus Romanum: proinde & ductum ab hac auctoritote argumentum ſubuerſum, à fundamento concidat; éaque

ſola ſufficiat exceptio ad iaculum aduerſariorum præcipuum retundendum. Huic tamen reſponſioni lubens nuntium remitto: vtque Roſuueydi piis manibus, gratum præſtem obſequium: ratum habere volo editum ab illo Martyrologium vetúſque etiam eſſe Romanum, tam ſyncerum quàm fucatum, conſtat; iam vltro concedo. Quid hinc aduerſarij ſuæ cauſæ concilient præſidij, amabo dicant? Nihil minùs certè quàm quòd inde colligunt, vt liquidò fiet ex ſequenti reſponſione.

Responsio II.

Poſito enim quod vetus Romanum Martyrologium incorruptè ferat, quod ex eo incutiunt, nempe. *V. Non. Octobris Athenis Dionyſij Areopagitæ ſub Adriano diuerſis tormentis paßi*, &c. &, *VII. Idus eiuſdem menſis Pariſiis Dionyſij Epiſcopi cum ſociis à Fecennino gladio animaduerſi.* Hinc tamen non rectè illos inferre dico, quod aſſumunt. *Ergo Pariſienſis Dionyſius alius omnino eſt ab Athenienſi: quia hic ab illo, & ab hoc ille, vicißim diſtinguuntur loco & die.* Nec enim ſequitur ex quo quis ponitur in Martyrologio diuerſis diebus, & ſub diuerſis verbis eſſe duos eiuſdem nominis diſtinctos. Sæpè etenim accidit, vt quis in Martyrologio bis ſignetur, variis modis & variis de cauſis, qui tamen vnus idémque eſt. Exempla autem hîc peruium eſt indicare diuerſæ eiuſmodi commemorationis, quæ tamen

tamen de vno eodémque eſt numero cælite. Primùm igitur hoc fit, cùm vna die notatur ipſe obitus ſeu natalis: altera autem tranſlatio corporis ſeu reliquiarum recolitur. Ita Græci, feſtum ſancti Iacobi, Zebedæi filij, agunt pridie Kalendas Maij, quo paſſionem eius celebrant. Latini 8. Kalendas Augusti, quo eiuſdem commemorant tranſlationem, quin & Eccleſiæ eius Compoſtellanæ dedicationem, qua de re legendus Galeſinius, *in notis 25. Iulij*. Iidem verò Latini, S. Andreæ Apoſtoli, Sanctorúmque Lucæ Euangeliſtæ & Timothei bis ſuo in Martyrologio faciunt. Horum enim ſingulorum natalem proprium agunt, ſcilicet Andreæ *pridie Kalendas Decembris*. Lucæ 18. *Kalendas Nouembris*, Timothei 9. *Kalendas Februarij*. Sed S. Andreæ rurſus cum Luca & Timotheo ſignatur *feſtiuitas* 7. *Idus Maij*, qua die tranſlatio eorúdem contigit, quando ex Achaia illorum corpora* Conſtantini iuſſu Byzantium delata ſunt. Idem fit in ſancto Nicolao, aliíſque plurimis, quos tædioſum foret hoc loco recenſere. Secundùm, cùm in vna die fit feſtum ordinationis, altera depoſitionis, ſicut actum liquet in ſancto Ambroſio: cuius natalis quidem ſeu felix ad Chriſtum migratio ſolennis eſt in Martyrologio 4. *Aprilis*, ordinatio autem ſeu ſuſceptio Epiſcopatus 7. *Decembris*. Bis ita fit de ſancto Gregorio: cuius tranſitus glorioſus celebris notatur in ſacris diptychis *IV. Idus Martij*. conſecratio autem 3. *Septembris* recolitur. Sic

* aliàs *Conſtantij*.

de ſancto Baſilio, cuius ordinatio ſignatur memoranda 18. *Kalendas Iulij*, exceſſus autem beatus notatur ſolennis *ipſis Kalendis Ianuarij*, & hoc quidem die apud Græcos. Sed ipſum natalem agunt Latini 14. *Iunij*. Sic ſancti Martini ordinatio, tranſlatióque, & eius Eccleſiæ dedicatio ſignatur ab Vſuardo aliiſque 4. *Nonas Iulij*: at verò felix migratio 3. *Idus Nouembris*. Tertiùm, quando exceſſus ab vno loco, vel aduentus ad alium eiuſdem ſancti commemoratur. Ita ſancti Petri fit feſtum Cathedræ Antiochenæ 8. *Kalendas Martij*, Romanæ 15. *Kalendas Februarij*: fitque ſancti Pauli memoria primi ingreſſus Romæ 6. *Iulij*, exceſſus autem è mortis palæſtra, ſeu coronatio & triumphus 29. *Iunij*, & rurſus eiuſdem commemoratio die vltima eiuſdem menſis. Sic Pauli Narbonenſis eius diſcipuli aduentus fuit ſemper Narbonæ celebris 11. *Kalendas Aprilis*, quâ ſola die in Martyrologio Roſuueydi dicto veteri, Paulus ipſe ſignatur colendus. At beatus eius egreſſus à ſæculo, notatur in ſacris tabulis ab Vſuardo, *pridie Idus Decembris*: ab Adone verò 11. *Kalendas Februarij*. Quartùm inde contingit, cùm vnus idémque ſanctus, diuerſis in locis fuit Epiſcopus. Sic apud Græcos in Menologio, bis ſignatum vides beatum Alexandrum Epiſcopum priùs in Cappadocia 16. *Maij*: poſtea Ieroſolymis 12. *Decembris*. Ita & beatum Euſtathium, qui primo Berrhœæ, poſtmodum Antiochiæ fuit Præſul; legere eſt bis celebrem indicatum, nempe 21

Boſquetus ita refert p. 124. 3. part.

Februarij, & die *5. Iunij*. Sic apud Latinos, ſanctus Aprunculus decimus Epiſcopus Lingonenſis, poſtea decimus ſecundus Aruernenſis, ſeu Claromontanus, bino colitur natali. ſcilicet in memoriam primi Epiſcopatus *die 14. Maij* : & ſequentis intuitu, *die 9. Martij*. Verùm fortè aduerſarij reſpondebunt eoſdem Sanctos diuerſis rationibus, variis in locis, immò eodem in loco, honorari poſſe diuerſis feſtiuiratibus, ſe non abnuere: quia fortè vnus idémque vtrobique Is eſſe indicatur. Sed ſe petere exempla eorum qui bis ſimiliter in Martyrologio ponantur, quaſi diuerſi ſint, & tamen ſint vnus idémque. Hæc igitur non grauabor illis quæ petunt exempla ſacris ex diptychis ſuggerere. Sanè in Martyrologio ipſo, quod ſub veteris Romani programmate Roſueydus edidit, B. Philippi Epiſcopi qui in Creta ſub Antonino Vero miris chariſmatibus emicuit, bis notatur natalis, ſemel 11. *Aprilis*, & rurſus 8. *Octobris*. Sic beatus Quintianus bis quaſi diuerſis loco, die, & perſonalitate notatur in Martyrologio Romano. Ita enim ibi legitur 14. *Iunij*, *apud Ruthenos ſancti Quinctiani Epiſcopi*. At verò *die 13. Nouembris, Aruernis ſancti Quintiani Epiſcopi*. Quis non diceret prorſus ſic diuerſos ſignari? Et tamen Quinctianus Epiſcopus Aruernenſis, idem eſt cum * Ruthenenſi, ſicut Dionyſius Pariſienſis vnus idémque cum Athenienſi. Ratio eſt quia ſicut Dionyſius Areopagita ex Athenienſi Eccleſia migrauit ad Pariſienſem: ita

* Hunc vt ab illo quaſi diuerſo diſtingueret Vſuardus, Ruthenis Presbyterum, Aruernis Epiſcopum eûdem adſcripſit.

quoque Quinctianus ex Ruthenenſi ad Aruernenſem, ſicut patet ex eius geſtis deſcriptis à Gregorio Turonenſi *in vita Patrum cap.14. & lib. 2. Hiſtoriæ Francorum cap. 36.* At illuſtrius longè exemplum habemus, in Creſcente viro Apoſtolico, Pauli diſcipulo, cuius duos diptycha ſacra ſignant natales: verbis quidem, locis, diebus ita diſtinctos, vt diuerſus prorſus indigitari Creſcens, cuique textum inſpicienti videatur. Sic enim apud Bedam legitur. 27. *Iunij. Apud Galatiam ſancti Creſcentis Epiſcopi diſcipuli ſancti Pauli.* vbi nihil prorſus de Gallia, nec de Vienna. Sed vice verſa 29. ita de Creſcente rurſus agitur, vt nihil de Galatia vbi mortuus eſt indicetur, ſed abſolutè ſcribitur. *Eodem die ſancti Creſcentis, Apoſtoli Pauli diſcipuli, Viennenſis Eccleſiæ primi Doctoris.* Sic apud Adonem tam hac quàm illa die. Ita fere iiſdem verbis in Martyrologio Romano vtrobique. Qua perculſus natalium differentia Boſquetus, non dubitauit ex geminatione natalis, etiam perſonæ diſtinctionem inducere, & pro viribus admittendam ſuggerere. Sic enim in additiuncula ad calcem ſuæ Hiſtoriæ ſcribit. *Quare cùm Ado in Gallia Creſcentis memoriam die 29. Decembris, & in Galatia alterius Pauli diſcipuli, antiquiſſimum Romanum Martyrologium die 27. Iunij celebrent: duos Creſcentes diſtinguendo fortè non aberrabimus.* At puerili hallucinatione & figmento prorſus inani. Eundem enim eſſe Creſcentem qui in Galatia primùm prædicauit, hinc in Gal-

lia: primúſque Viennæ Epiſcopus ſedit à ſancto Paulo conſtitutus, & poſtea in Galatiam rediit, ibidémque demum mortuus eſt; ex ipſo, quem Boſquetus laudat auctorem huius diſcriminis indiuidualis, Adone, penitus eſt manifeſtum: qui notat in Chronico ſub anno quinquageſimo nono, *cùm Paulus tranſiret in Hiſpaniam, Arelate Trophimum & Viennæ Creſcentem diſcipulos ſuos ad prædicandum reliquiſſe.* Hinc ad annum centeſimum primum, ſub Traiano inquit Imperatore. *Glorioſiſſimus ſenex Zacharias Viennenſis Eccleſiæ Epiſcopus Martyrio coronatur. Nam primus Creſcens diſcipulus Apoſtolorum Viennæ aliquot annos reſedit: quo ad Galatiam reuerſo, tertius Martinus Epiſcopus & diſcipulus Apoſtolorum Viennæ reſedit.* Idem teſtatur in Hagiologio. Ante quem Vſuardus idipſum ſagaciter aduerterat & admonuerat, ſic cõſignans. 5. *Kalendas Iulij apud Galatiam B. Creſcentis diſcipuli ſancti Pauli Apoſtoli, qui in Gallias tranſitum faciens verbo prædicationis multos ad fidem Chriſti conuertit, rediens verò ad gentem cui ſpecialiter Epiſcopus fuerat datus, Galatas vſque ad beatum finem vitæ ſuæ, in opere Domini confortauit.* Vnus igitur idémque Creſcens, bino natali ſignatur: qui quidem Apoſtolicus vir, etſi vtrobique ita commemoretur, vt maximè apud Bedam videatur diuerſus, vtpote loco & die diſtinctus: alius à ſeipſo non fit ex hoc diſcrimine. Quod enim ſit vnus idémque ex eiuſdem tranſmigratione de Galatia in Galliam, & regreſſu de Gallia in Ga-

latiam, licèt non ſatis expreſſa apud Bedam: at ab Adone aliiſque perſpicuè teſtata ac declarata, certò certiùs euadit. Ita igitur prorſus dicimus fuiſſe in beato Dionyſio admiſſum: etenim quoniam conſtabat illum Athenis primum Epiſcopum præfuiſſe, vbi Euſebius Cæſarienſis refert illum à ſancto Paulo fuiſſe ordinatum, ideo colendus Athenis conſignatus eſt in ſacris tabulis vna die, ſcilicet 3. *Octobris*. Porrò quia & Pariſiis ſucceſſiuè poſt tranſitum de Græcia in Galliam, compertum etiam prorſus erat illum ſediſſe, ibidémque demum etiam in ſummo fidei conflictu fuiſſe coronatum; etiam & Pariſiis viſum eſt illum celebrem inſcribere, ſed alia die ſcilicet 9. *Octobris*. Et certè quidem ita fieri potuit, vt intra octo dies fieret & memoria eius conuerſionis, ac primæ ordinationis Athenis, ibidem factæ à beato Paulo Apoſtolo: & paſſionis eiuſdem Pariſiis peractæ, obſeruanda triumphalis celebritas aſſignaretur. Verùm aduerſarij inſtabunt. *In contextu Martyrologij minimè hanc perſonæ identitatem & feſtorum diuerſitatem ſignari. Sed vtrobique notari Dionyſij paßionem, quam cùm perhibeatur Dionyſius Areopagita Athenis perpeſſus: reliquum eſt illum eſſe prorſus alium, ab eo qui Pariſiis Martyrio affectus deſignatur, alio ſcilicet loco, & alia die.* Sed inſtantia illa nihil aduerſarios iuuat, nec nos premit. Non enim in Martyrologio à Roſuueydo edito, ſcriptum eſt paſſum eſſe Dionyſium Areopagitam Athenis. Sed illic ſolum eius natalis

celebris indicatur. Sic eodem in Codice ſignatur, *Antiochiæ, Ignatij Epiſcopi & Martyris.* Quem tamen notiſſimum eſt non Antiochiæ, ſed Romæ fuiſſe Martyrio conſummatum. Et tamen Beda non dubitauit ſcribere, *Apud Antiochiam paſſio ſancti Ignatij Epiſcopi & Martyris*; non quòd ibi acta ſit, ſed quòd illic ob Epiſcopatus eius recordationem videatur ſpecialiter celebranda. Sic eodem in hoc dicto veteri Martyrologio Roſueydi curâ vulgato, indicatur 27. *Ianuarij. Conſtantinopoli Ioannis Chryſoſtomi.* Vbi non intelligere eſt, *Obiit.* Conſtat enim illum exulem *in Armenia* defunctum: ſed duntaxat ſupplendum eſt; *feſtiuitas agitur*, &c. Sic itaque quando eodem in catalogo legitur, *Athenis, Dionyſij Areopagitæ ſub Adriano*, &c. hinc non neceſſariò colligitur, Athenis illum agonem peregiſſe, ſed duntaxat ſubaudiendum eſt, natalem eius ea in vrbe cuius fuit primus Epiſcopus, illa die eſſe ſolennem. Quæ cauſa eſt cur Ado congeminans natalem Dionyſij, vt ex primo indicio paſſum Athenis non ſubaudiretur, exemplum fortè ſecutus Vſuardi nomen, *Athenis*, non adhibuit: ſed loci ſuppreſſa hîc deſignatione poſuit duntaxat. *Natalis S. Dionyſij Areopagitæ, qui ab Apoſtolo Paulo inſtructus*, &c. Ita & in libello *de feſtiuitatibus Apoſtolorum & diſcipulorum*, &c. vbi cautè etiam ſupprimit locum Martyrij, quod non ibi nec illa die eum paſſum eſſe bene ſciebat. At die 9. Octobris, abſolutè incipit, non à generali voce

natalis, ſed à loci Martyrij deſignatione. *Apud Pariſium*, inquit, *natalis Sanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi*, &c. ſubdítque, *à Feſcennino Siſinnino ipſum fuiſſe cum ſociis gladio animaduerſum*. Subindicans eundem eſſe, quem ſuppreſſo loco Martyrij die 3. commemorauit paſſum ſub Hadriano. Huius enim Imperatoris (ſub quo paſſus eſt Dionyſius Areopagita) fuiſſe Præfectum Feſcenninum, qui Pariſiis Dionyſium Martyrio affecit, ſuprà oſtendimus ex Chronico Alexandrino Faſtíſque Siculis; probatis Sanctorum actis, atque ex vetuſtis Annalibus, in quibus ſe legiſſe teſtatur Cuſpinianus ſcribens *in Coſſ. Caßiodori*, anno Domini 121. *apud Pariſios Dionyſium Epiſcopum fuiſſe martyrizatum*. quo tempore regnabat Hadrianus, vt omnes confitentur.

RESPONSIO III.

Sed alia ratio eſt, cur Martyrologiis aliquot, vt in iſto dicto (quia ſic Roſuueydo placuit) veteri Romano, natalis ſancti Dionyſij, vt dictum eſt, combinetur. Certè hunc, ab initio, in Romano Martyrologio ſemel duntaxat ſignatum fuiſſe, inde liquet, quòd Romæ vbi natiuum genuinúmque Martyrologium ſeruari debuit, in peruetuſto autographo, quod Baronius vidit & habuit, vnus duntaxat Dionyſius, noſter ſcilicet paſſus Pariſiis die 9. Octobris, colendus inſcribebatur. Idémque ſolus itidem in perantiquo Martyrologio

tyrologio Bedæ, quod idem Cardinalis aſſumptum ſe legiſſe teſtatur ex ſacra ſupellectili veteris Monaſterij ſancti Cyriaci. Idem etiamnum cernitur in MSS. Martyrologio exarato in perueteri Codice antiqui Monaſterij Corbeienſis, necnon in Martyrologio Ratbanni. Et apud Græcos ſemper hactenus adſcriptus fuit ſacris diptychis vnus Dionyſius, Atticus & Gallicus, vnico natali, menſe Octobri, nempe *die 3.* qua idem ſignificatur illum Epiſcopatum initiâſſe Athenis, & Pariſiis Martyrium compleuiſſe.

De Adonis Martyrologio digreſſiuncula.

Vnde igitur factum eſt (inquies) *vt duplex natalis, ſacris faſtis Latinæ Eccleſiæ adſcriberetur?* Reſpondeo non in pleriſque, ſed aliquot duntaxat Occidentalis Eccleſiæ diptychis geminatum eiuſmodi natalem ſenſim ſuccreuiſſe. Ná in Romanæ Eccleſiæ Martyrologio, titulo diſtincto à Martyrologiis Vſuardi & Adonis (quod Gregorius XIII. ad antiquiſſima exemplaria recenſeri fecit) vnicus natalis vnius eiuſdémque Dionyſij ſcilicet Areopagitæ, Pariſienſis Epiſcopi, ibidem Martyrio laureati, ſignabatur & ſignatur. Sed hæc natalis eiuſdem duplicatio, in aliquot tantum exemplaria aucti Vſuardi, & fortè non adaùcti Adonis irrepſit, ex Græcis tabulis. Hoc autem quomodo contigerit paucis indicabo. Galeſinius in notationibus ſuis ad Martyrologium Mediolani à ſe editum; *ad Kalendas Ianuarij*, vbi expendit natalem ſancti Baſilij hac die notatum, qui in diptychis Romanis notatur 18.

Mmmmmmm

Kalendas Iulij hanc inſignem obſeruationem ſubnectit. *Cuius dies natalis in Græcia Kalendis Ianuarij colitur, vt Mediolani item; quod apparet ex vetuſtis Eccleſiæ Mediolanenſis monimentis. Quæ Eccleſia habet ſanè multa, quæ ex ſancti Ambroſij inſtitutis ſumpta ſunt ab antiquorum Patrum Græcorum vſu. De Baſilio enim 18. Kalendas Iulij, more Romano, eius celebritas agitur.* Hæc ille vir doctiſſimus, & Græcarum litterarum ac praxeon peritiſſimus, Mediolanenſiſque Eccleſiæ nobilis alumnus. Qui id indicat perſimili exemplo *ad quintum Nonas Octobris*, vbi ſancti Dionyſij de quo ſermo eſt natalem primum expendit ad illa verba. *S. Dionyſij Areopagitæ. De quo* (ait) *in Græcia hoc die fit: at more Romano ſeptimo Idus Octobris. quo die de eo ſcribimus.* Quæ ſanè animaduerſio, magnam lucem affert qua perſpiciamus, vnde hauſerit Ado combinationem illam natalis ſancti Dionyſij, quæ in eius Martyrologio legitur: ſua enim in præfatione ipſe Ado teſtatur Martyrologium vetus quod Rauennæ conſpexit & tranſcripſit, fuiſſe eò allatum ex Aquileia: vbi fuerat, à neſcio quo *Romano Pontifice cuidam ſancto Epiſcopo directum.* Res enim comperta prorſus eſt, Aquileiam antiquam ſedem Primatialem, quin etiam Patriarchalem fundatam à ſancto Marco Euangeliſta (ſub qua conſtitit dudum Eccleſia Metropolica Mediolanenſis) à Romanæ Eccleſiæ obedientia ob tria capitula, cum ſibi ſubiacentibus Epiſcopis Venetiarum, Iſtriæ atque Ligu-

riæ diu deſciuiſſe: Græcíſque interim affecti-bus deditam, ſuos in mores illorum praxes acci-uiſſe. Habuiſſe etiam (quod ſchiſmaticum eſt in-genium) priuatas ſibi leges, praxes proprias, & Eccleſiaſticas tabulas à Romanæ Eccleſiæ inſti-tutis & diptychis differentes. Hac igitur conta-gione factum eſt, vt Martyrologium Romanum, quo puro ante ſchiſma, Aquileienſis Eccleſia v-tebatur, iam conflato ſchiſmate, ex Græcorum tabulis deprauaretur: ſícque natalis ſancti Dio-nyſij Areopagitæ, quem Græci 3. Octobris cele-brant, in tabulas Eccleſiæ ipſius Aquileienſis tranſcriberetur, quod illa Græco potiùs more quàm Romano (ob ſedis Apoſtolicæ odium) tunc viuere conſueuiſſet. Nactus eſt igitur Ado Ra-uennæ eiuſmodi vetus Martyrologium ex Aqui-leia allatum, temporéque ſchiſmatis (vt dictum eſt) vitiatum, & additamentis ex Græcorum ta-bulis depromptis ampliatum: ex quibus natalis ſancti Dionyſij 3. *Octobris* in eo ſignatus eſt, qui more Romano *eodem menſe die 9.* notabatur. At alio genio Eccleſia Mediolanenſis, Dionyſium Areopagitam *die 3. Octobris*: itémque *nono*, ſuis in diptychis notauit, vt Galeſinius Mediolanen-ſis inſignis ſcriptor, loco ſuprà laudato obſeruat. Nam auctore ſancto Ambroſio, hauſit illa Ec-cleſia, ex Eccleſia Græca pleroſque ritus: non ani-mo aduerſandi Romanæ matri Eccleſiæ, ſed ſtu-dio ſibi decora potiora ad Dei gloriam vnde-quaque conciliandi. Vnde cùm pedum lotionis

ceremoniam, ſua in Eccleſia obſeruaret, quæ in Romana Eccleſia vſu non inoleuerat; ita ſeſe piè excuſat. *Non ignoramus quòd Eccleſia Romana hanc conſuetudinem non habeat, cuius typum in omnibus ſequimur & formam, &c. In omnibus enim cupio ſequi Romanam Eccleſiam. Sed tamen & nos homines ſenſum habemus, ideo & quod alibi rectiùs ſeruatur, & nos rectè custodimus, lib.* 3. *de Sacram. cap.* 1. Quamuis igitur Romanæ Eccleſiæ, in iis quæ fidei ſunt, inuiolabili nexu adhæreret, & ne minimùm quidem ab illa, in ſanctiſſima hac conteſſeratione, ſeſe diuelli, neque alios quoſque pateretur (vt patet ex eius ad Theophilum Alexandrinum epiſtola) tamen in adiaphoris, quæ ad ritus non autem dogmata ſpectabant, libertatem honeſtam coluiſſe illum inde conſtat, quod aliundè quæſitas ſacras theorias & praxes, quæ quicquam maioris decoramenti vel ædificationis ſpirabant, ſuæ Eccleſiæ ipſe obſeruandas commendârit, quæ etiamnum permanent in viridi (vt aiunt) obſeruantia. Quid enim magis inſigne in partibus Occidentis poſt Romanæ Eccleſiæ morem, quàm Ambroſianus ritus? qui peculiaris eſt in ceremoniis, collectis, præfationibus, liturgiis, diptychis, & ſacris aliis obſeruationibus ab illo diuino Doctore ſuæ Eccleſiæ traditis, conſpicuæ quæ ſunt in Liturgicis Iacobi Pamelij. Intumuit tamen ſenſim ex his priuatis ritibus, quos in iura vertit, Eccleſia Mediolanenſis. Qua de re legendum etiam Petri Damiani

quintum opuſculum inſcriptum. *Actus Mediolani de priuilegio Romanæ Eccleſiæ*, & ſancti Bernardi *ad Mediolanenſes epiſtola*, Baroniíque tom. XI. annalium, vbi oſtendit Mediolanenſem Eccleſiam aliquando præſumpſiſſe ob memoriam S. Ambroſij, ne Romanæ Eccleſiæ ſubiaceret. *anno* 1059. Quod longè fuit à mente ipſius ſancti Ambroſij, qui *Romanæ Eccleſiæ typum & formam*, ſicut teſtis ipſe eſt, *ſeruabat, & in omnib. ſequi cupiebat*: priuatóſq. quos inducebat Liturgiarum & diptychorum ritus, citra fidei & communionis Catholicæ minuſculum detrimentum, ſeruari geſtiebat. Quod & Romanæ Eccleſiæ aſſenſu licitum fuit, vt liquet *ex canone Scilicet ſancta*, &c. *& can. Nos conſuetudinem diſt. 12.* Epiſtolâ quoque ſancti Auguſtini 119. *cap.* 18. & ex ſancti Gregorij *reſponſionibus ad Auguſtinum Anglorum Metropolitam* interrog. 3. Carolíque Magni *lib.* 1. *contra Synodum Græcorum*. Quibus monumentis palam eſt, peculiares ritus Eccleſiarum citra fidei diſpendium toleratos fuiſſe in Occidentalibus Eccleſiis, ab ipſa Eccleſia Romana, cuius *formam*, *licèt* (vt præmiſſum eſt) *& typum in omnibus* ſanctus Ambroſius amauerit & coluerit: tamen Græcæ Eccleſiæ nonnullas præclaras obſeruationes (ſicut ea de re exemplum inſigne refert ſanctus Auguſtinus *lib.* 9. *Confeſſ cap.* 7.) in Eccleſiæ mores traduxit. Æmulator pius erat ſancti Baſilij, cuius Exameron imitatus eſt. Hócque genio ex eius theoriis & praxibus ac aliorum Græcorum Pa-

trum, nonnullas myſticas obſeruationes deſumpſit, quæ vſu etiamnum vigent in Mediolanenſi Eccleſia, quemadmodum Galeſinius teſtis oculatus ſuprà citatus, aduertit ac admonuit. In quibus more inualuit, ſicut obſeruat (nam Mediolani ſcribebat, & loquitur paſſim ex eius Eccleſiæ documentis ac exemplis) vt natalis ſancti ipſius Baſilij more Græco 1. *Ianuarij* celebraretur: Romano, 14. *Iunij*. Ita & Dionyſij quoque *die 3. Octobris* Græco eodem ritu; qui Latino, eiuſdem menſis *die 9.* agebatur: vnde vtroque vſu notatum prodit in recenſitis à ſe diptychis. Defluxit igitur ex praxi Græcæ Eccleſiæ in vſum Mediolanenſis, atque Aquileienſis, (ex cuius priſcis tabulis, Ado Rauennæ exiſtens, vt refert, ſuum Martyrologium adornauit) geminatus vtroque more natalis S. Dionyſij, at vnius eiuſdémque, quamuis duobus diſtinctis diebus hac & illa praxi celebris. Accedit quòd cùm augere Hagiologium Latinum modis omnibus Ado contenderet (nam impulſum ſe ad hoc à pleriſque fatetur) à Græcis etiam tabulis ſubſidium petierit, vt suppleret dies qui abſque nominibus Martyrum in Martyrologio, etiam aucto à Venerabili Beda, & Floro, relicti erant. Quamobrem cùm *die 9. Octobris* ab iis nihil notatum videret: vt repleret hunc diem, quem in Aquileienſi Martyrologio, ex Græcorum faſtis ſancti Dionyſij memoriâ videbat inſignitum, natalem eius (ſicut geminatum ab Vſuardo ſancti Baſilij natalem, nempe 1. Ia-

nuarij & 14. aduerterat) duplicauit, & ſic anſam præbuit poſteris exſcriptoribus, immò amplificatoribus Martyrologij, duos dies ſancto Dionyſio tribuendi. Quamuis prudenter ipſemet Ado, ne errore Lectores hallucinarentur, primo diei, *natalis* voculam non præfixit, neque locum agonis indicauit, ſed poſteriori (qui dies proprius Dionyſij paſſionis erat) & natalis & loci, cum temporis nota, ex ſubiuncto Præfecti indicio, deſignationem applicauit. Hinc igitur manifeſtè patet vnde vnius eiuſdémque Dionyſij Areopagitæ memoria congeminata in Adonis & poſterioribus aliquot diptychis apparuerit, quæ ſimplex indiuiduáque in antiquioribus Eccleſiaſticis tabulis conſignata erat. Quemadmodum in vetuſtiſſimis tabulis diſertè ſcriptum erat, S. Dionyſium miſſum fuiſſe Lutetiam Pariſiorum à ſancto Clemente. At recentiores quidam decepti duplicatione natalis, & non attendentes identitatem perſonæ, eraſo nomine *Clementis* (ſicut videre eſt in ſolutione ſequentis argumenti) repoſuerunt, *à Romano Pontifice.* Infelici auſu ac temerario, qui poſteriores in illam impulit erroneam perſuaſionem, immò pertinaciam deuoluit, qua de vno eodémq. Dionyſio duos conflare & aſtruere, nouámque ſuam opinionem antiquæ traditioni anteferre, veterémque, nouam ſententiam appellare, non dubitauerunt. Quorum hallucinationi remouendæ, præter allegatas rationes præualidas, nonnihil confert, viri longè

doctiſſimi Petri Halloix Theologi Societatis IESV, egregij operum ſancti Dionyſij vindicis obſeruatio, *in opere de vita & operibus ſancti Dionyſij quaſt.* 1. §. 8. vbi ait. *Confirmatur ex antiquiſsimis Martyrologiis, Breuiariis, Miſſalibus, vbi Dionyſius ille Pariſiorum Epiſcopus dicitur à Clemente Romano Pontifice miſſus. Vidi Pariſiis, (eò enim me harum rerum explorandarum gratiâ contuleram) vidi inquam in Bibliotheca Clariſsimi viri Thuani, & vidit mecum Andreas* * *à Quercu inſignis noſtri æui Scriptor, duo perantiqua Martyrologia Manuſcripta, in quorum altero S. Dionyſium à Pontifice Romano in Gallias miſſum: in altero autem* QVOD E DVOBVS ERAT ANTIQVIVS, *expreſsè habebatur à* CLEMENTE *Pōtifice Romano miſſum.* Qua ex fide grauíque relatione patet à poſteris Sanctorum Nomenclatoribus, primitiuum textum Martyrologij ita fuiſſe alteratum, ne dicā, adulteratum, vt eraſo nomine ſancti Clementis, à quo directum S. Dionyſium ſacer ille priſcus contextus perhibebat (qua deſignatione, ipſum Dionyſium illum eſſe ipſum Apoſtolicum nitidè indicabat) ponerent tantùm *à Romano Pontifice.* Vago ſcilicet & incerto indiuiduo: videlicet ne epocha Clementis Pontificatus, Dionyſium quem colendum ſignabant 9. *Octobris*, ad eandem ætatem cum illo qui notatur 3. *eiuſdemmenſis* referre, illos obſtringeret, & proinde etiam vnum eundémque eſſe ſubindicaret. Decepti enim erant diuerſitate natalis, quem geminum videntes eſſe ſignatum, duplicationem inſinuare perſonarum

* DV CHESNE Regius Geographus, auctórque percelebris, generalis collectionis Hiſtoriæ Francorum.

rum

rum imperitè cenſuerunt: vt exemplis & rationibus ſuprà inductis factum eſt manifeſtum. Qui ſic error illos inuoluit, tum quòd demonſtrationes ipſas perſpectas non haberent, tum quòd diſcrimen non callerent ritus Græci & Romani: ex quorum diuerſitate manauit, ſicut oſtenſum eſt, vt vnus idémque Dionyſius Areopagita Athenienſis primùm Epiſcopus deinde Pariſienſis die 3. Octobris, ex Græcis diptychis ſignaretur; ex Latinis autem tabulis die 9. eiuſdem menſis idem adſcriberetur Sanctorum indiculo. Verùm ſi legiſſent ipſa Græcorum diptycha, haudquaquam ita aberrâſſent: nam in iis diſertè expreſſum vidiſſent Dionyſium Areopagitam quem Græci colunt die 3. Octobris, illum ipſum eſſe qui factus deinde Pariſiorum Antiſtes, glorioſo Martyrio cum ſociis Ruſtico & Eleutherio, Lutetiæ occubuit.

Dices verò, *ſi ita eſt, vt Græci eundem eſſe Dionyſium Athenienſem cum Pariſienſi agnoſcant ac etiam profiteantur; cur igitur diuerſo illum die colunt? quare quem iis conſtabat ad Gallias migrâſſe, & Pariſiis agonem conſummâſſe beatum, die 9. Octobris, hac die qua re vera paſſus eſt, & non die tertia, illius celebrem non conſignârunt, nec obſeruârunt natalem?* Reſponſio eſt in promptu: nempe quia die 9. maiori celebritate præpediuntur. Illa ſiquidem die, natalem agũt ſolennem ſancti Iacobi Apoſtoli fratris Domini, cognomine Alphæi, quem Romana Eccleſia colit etiam cum Philippo Apoſtolo, ipſis Maij Ka-

lendis. Vnde ſic notatum legitur in Menologio. Τῷ αὐτῷ μηνὶ θ' τοῦ ἁγίου Ἀποστόλου Ἰακώβου τοῦ Ἀλφαίου. Porrò in ipſorum Græcorum Kalendario, quod ex eorum monimentis Genebrardus typis excudi curauit cum Kalendario Hebræorum, Syrorum & Latinorum, ita miniatis apicibus ſignatur. *Iacobus Alphæi Apoſtolus.* Item in Kalendario Syrorum ea die notatur: támque eſt dies illa nona, ſancti Iacobi cultui ſacra, apud Græcos celebris, vt Laurentius Bochelius in Senatu Aduocatus ſuo *in Enchiridione Chriſtiani Iuriſconſulti*, quo Kalendarium ſeu faſtorum ciuilium libellum complectitur, ita obſeruet. ID. 7. *Nonus Octobris, in honorem Iacobi Alphæi Apoſtoli feriatus eſt. Nouell. Emmanuelis Comneni cap.* 2. Ea igtur cauſa eſt, cur Græci ſancti Dionyſij Areopagitæ paſſionem illa die actam non recolunt: ſed eius natalem anticipant, reuocántque ad proximiorem eiuſdem menſis diem non impeditam. Hæc verò à die prima ad nonam ſola tertia erat. Nam dies prima ſacra eſt Ananiæ, è ſeptuaginta diſcipulis, qui Paulum Apoſtolum baptizauit: Secunda Cypriano & Iuſtinæ. Quarta Hierotheo Epiſcopo Athenarum. Quinta Carithenæ Virgini & Martyri. Sexta Thomæ Apoſtolo. Septima Sergio & Baccho Martyribus. Octaua Pelagiæ. Tertiam igitur quam ſolam nulli obnoxiam reperêre illuſtri cæliti, B. Dionyſio Areopagitæ Martyri attribuerunt: ſubmonendo tamen illum non Athenis, ſed Pariſiis fuiſſe cum

ſociis laureatũ. Igitur diuerſitas illa natalitiorum orta ex anticipatione neceſſaria, quæ Græcos coëgit ob celebriorem ſancti Iacobi Apoſtoli memoriam, feſtum ſancti Dionyſij Areopagitæ ad diem tertium reuocare; minimè arguit ipſum ab eo alium eſſe qui Pariſiis paſſus die 9. eadem die maiori lumine nõ præoccupata, in vniuerſa Latina Eccleſia eſt celebris. Cùm illum Græci cum iſto vnum eumdémque fateantur: ex quorum tabulis cùm, ſicut indicatum eſt, in Martyrologium Latinum quod Roſuueydus edidit, aliáque ſimilia irrepſerit illa natalis ſancti Dionyſij, non tam duplicatio, quàm anticipatio; nihil ea nobis obeſſe poteſt, quinimmò plurimùm fauet atque ſuffragatur: cùm identitatem vnius eiuſdem Dionyſij, tam die 3. apud Græcos ſolennis, quàm 9. Octobris apud Latinos celebrati, à Græcis ipſis agnitam, palámque teſtatam etiam in ſuis Menæis, vbi narrant compendioſa ſerie, actam illius & ſociorum Pariſiis obtruncationem, patefaciat manifeſtiſſimè: excludat verò expreſsè prætentam ab aduerſariis, ex geminato natali ſancti Dionyſiij, perſonalem dualitatem. Quam inſuper nequaquam ſequi ex natalis alicuius combinatione, pleriſque aliis exemplis in ſecunda reſponſione euicimus. Porrò in prima euidenter oſtendimus, Martyrologium, quod veteris ſub Romani titulo Roſuueydus primus edidit, nihil minùs quàm idipſum quod inſcribitur eſſe; quod qui non aduertit ex inductis à me obſeruatio-

ARGVMENTVM IX.

Petitum ex Vſuardi dicto Martyrologio.

INCIDIT in manus meas docti certè & celebris Scriptoris aculeata quædam aduerſus Hilduinum animaduerſio: quâ poſtquam illum Areopagitica ſcripſiſſe commeminit, hæc mox ipſum perſtringendo verba ſubnectit. *Primúſque omnium Dionyſium Epiſcopum Pariſienſem eundem cũ Dionyſio Areopagita Epiſcopo Athenienſiũ eſſe docuit, cùm antea ab omnibus diſtinguerentur.* At nos ſuprà, ante Hilduinum, ſemper ita traditum & creditum fuiſſe, clariſſimis Sanctorum oraculis, Scriptorúmque Græcorum & Latinorum teſtimoniis, Pontificum ſummorum ſacris reſcriptis & exemplis, Chriſtianiſſimorum Regum ac Imperatorum authenticis diplomatibus, conſpicuíſque aſſertionis noſtræ omnibus ſæculis, ab ætate Apoſtolorum ad Hilduini vſque tempora vrgentis pullulantíſque monimentis; adeo luculenter probauimus, vt mirum fore admodum, demonſtrationem noſtram inſpicientibus arbitremur; quomodo vir iſte, verè pius & egregiè doctus, hæc tanta lumina non viderit: aut ſi conſpexerit, quomodo Hilduinum, primum omnium docuiſſe Dionyſium Areopagitam vnum eundémque cum Dionyſio Areopagita eſſe ſcribere potuerit. Pergit tamen vt perſuadeat ante Hilduini conſcriptionem, Pariſiẽſem Dionyſium ab Areo-

pagita fuiſſe ab omnibus diſtinctũ. *In antiquis nunc etiam Eccleſiarum Martyrologiis, alium diem natali ſancti Dionyſij Athenienſis adſignari 5. Non. Octobris: alium natalem Dionyſij Pariſienſis ſeptimo Idus eiuſdem menſis.* Sed ſuperiori quoque reſponſione *ad octauum argumentum* oſtendimus, diſtinctionem natalitiorum non inducere vlla neceſſaria conſecutione dualitatem perſonarum. Cauſam inſuper manifeſtam indicauimus cur Græci alia die quàm Latini, natalem Dionyſij Areopagitæ agant, cùm nihilominus in ipſo natali Dionyſij Areopagitæ, ipſum eſſe eundem cum illo qui Pariſiis cum Ruſtico & Eleutherio obtruncatus fuit, die ſcilicet 9. Octobris, quo Latini eius celebrant paſſionem, profiteantur. Ex qua diuerſitate dierum non perſonarum, orta eſt duplex vnius eiuſdémque natalis notatio in Martyrologiis, non antiquiſſimis, ſed quibuſdam quæ poſt Adonis hagiologium edita ſunt. Quod enim haud in omnibus & quidem vetuſtioribus non geminum Dionyſij Martyris menſe Octobri natalitium aſſignaretur; nempe Athenis 3. die, & Pariſiis 9. eiuſdem menſis: patet tum ex pleriſque antiquis Martyrologiis Manuſcriptis, quorum notationes eundem Dionyſium Areopagitam eſſe cum Pariſienſi perhibent, tum ex Ephemeride Bedæ, eiuſdémque Martyrologio germaniſſimo, *quod Romæ vnà cum antiquo Romano illi ea in re præſertim cohærenti, deſumptum ex Gazophylacio veteris Monaſterij ſancti Cyriaci,

* At in corrupto etiam vulgari Dionyſius, qui Pariſiis die 9. Octob. eſt celebris, miſſus à S. Clemente traditur.

ſe legiſſe & habuiſſe Baronius tom. 1. Annalium graui aſſeueratione teſtatur. In vtroque enim hoc perantiquo exemplari, vnius duntaxat Dionyſij ſignatum eſſe natalem 7. Idus Octobris quo Pariſienſis colitur, & ideo vnus idémque cum Areopagita (qui præteriri non potuit) inſinuatur: idem magnus Eccleſiæ Annaliſta Baronius feriò affirmat. Cui vnicæ notationi congruit Martyrologium Rabani Bedæ diſcipuli, Antiphonarium S. Gregorij, Kalendarium S. Prudentij Epiſcopi Trecenſis antiquiſſimo in Codice exarati, & apud me repoſiti, præter Martyrologium peruetuſtum, deſcriptum in Codice tam priſco quàm inſigni Monaſterij Corbeienſis. Item Leodienſe & Lingonenſe: necnon Martyrologia illa antiqua aſſeruata in ſcriniis Apoſtolicæ ſedis, ad quorum autographa ſyncerè recenſitum fuiſſe Romanum, vnum eundémque perhibens eſſe Pariſienſem Dionyſium cum Athenienſi (ſicut & ſignatur in Martyrologio Wandalberti) Gregorius XIII. ſanctiſſimus Pontifex, Apoſtolico diplomate, quod edito eius auctoritate ipſi Martyrologio Romæ præfigitur, declarauit. *Per viros*, inquit, *eruditos illud curauimus ad fidem hiſtoriæ, quæ rerum geſtarum, perſonarum, locorum, temporum veritate continetur, adhibitis etiam* CODICIBVS VETVSTIORIBVS ATQVE EMENDATIORIBVS *corrigi*, &c. Igitur in vetuſtioribus illis ac emendatioribus Martyrologiis, viri illi docti, à Pontifice ſummo adhibiti, vnum duntaxat natalem ſancti Dionyſij menſe

Octobri comppererunt, eundémque ipſum eſſe Areopagitam, in iis legerunt, quem & Epiſcopum Pariſienſem poſuerunt. Aliàs contra fidem fecerunt veterum meliorum Codicum, propriámque conſcientiam temerarunt. Pontifexque ipſe non verè teſtificatus eſt, quod aſſerit, nimirum Martyrologium illud quod recognitum accuratè cudi Romæ iuſſit, fuerit ad antiqua & emendatiora exemplaria expenſum & reſtitutum. Durum, immò irreligioſum foret hoc dicere, de ſanctiſſimo & ſapientiſſimo illo (qualis certè fuit Gregorius ipſemet XIII.) Pontifice. Abſurdum verò prorſus exiſtimare, Romæ, in ſacra ſcilicet Apoſtolorum metropoli, matrice Eccleſiæ Catholicæ, ſedis vtique Apoſtólicæ ſacrario; ſcriniis, archiuíſque communibus, & publicis fontibus Chriſtianæ religionis, nulla vetera, ſyncera, authentica exemplaria Martyrologij extitiſſe: aut ibidem quæ extabant, cùm ipſum Martyrologium (eo ſolerti ſtudio, quo Kalendarium inſtauratum fuerat) ipſius Gregorij Papæ iuſſu recenſeretur, à piis eruditíſque illis tam ſanctitatis quàm veritatis vindicibus neglecta, & nouis adulteratíſque Codicibus poſthabita fuiſſe. Addit inſtátque præfatus Hilduini correctōr. *Hoc ipſum vtriuſque natalis* (quod früſtra diſtinctione perſonæ includere ipſemet gratis ſuppoſuit) *diſcrimen obſeruari etiam ab Vſuardo, in ſuo Martyrologio: qui quidem paulo ante Hilduinum Carolo Magno regnante, in ipſa Pariſiorum vrbe ſcribebat in Mona-*

Monaſterio ſancti Germani, vbi & vetuſta eius operis quæ rei fidem faciant exemplaria ſeruantur. Gallorum autem de Dionyſio ſuo ſententiam ignorâſſe, vel diſſimulâſſe Vſuardum, quis credat?

Responsio.

Non inficiamur Vſuardum vixiſſe tempore Caroli Magni, cuius ſacra iuſſione, ſuum concinnauit Martyrologium, vt indicat ipſa liminaris eius ad illum epiſtola, ipſimet Martyrologio Vſuardi paſſim etiamnum præfixa. Sed quoniam vir ille doctus, præcipuam vim facit ex eo quod, *Vſuardus Monachus*, vt ait, *Pariſienſis, ſenſus Gallorum de ſuo Dionyſio* (quem tunc eos vult non crediďiſſe Areopagitam) *ignorare non potuit:* Eſt quod ab eo ſine acerbitate poſtulemus, vnde probet quod pro indubitato aſſumit, *Vſuardum ſcilicet, fuiſſe Pariſiis Monachum Pratenſem?* Fateor me aliquando in ea fuiſſe ſententia, vt hoc ipſum crederem, inductus in hanc perſuaſionem, Alberti Miræi Bruxellenſis Canonici, ſic ſcribentis in dedicatoria ſua ſuper faſtos Belgicos & Burgundos Epiſtola ad Franciſcum de Rie Maiorem Biſuntinum Decanum, hac obſeruatione. *Carolus Magnus Vſuardum Monachum Benedictinum, qui Pariſiis in Pratenſi S. Germani Cœnobio ſuburbano doctrina tunc florebat, ad faſtos Martyrum & Confeſſorum &c. impulit.* Sed re poſteà magis penſiculatè libratâ, relationem eius fluxam eſſe ani-

maduerti, tum quòd ſine aſtipulatore vllo hoc ſcripſerit, tum quòd apud nullum auctorem ne dixerim antiquum, at neque recentis ætatis, hoc quod prodit de Vſuardi Pratenſi monachatu & Pariſienſi ortu ſeu incolatu, traditum potuerim reperire. Adij igitur rem inueſtigādi à proprio fonte gratiâ, Pratenſe S. Germani ad muros Pariſienſes regale Cœnobium: ſedulóque percontatus ſum à primoribus aſcetis, potiſſimùm à Reuerendo Patre Hugone Menardo celebri Martyrologij Monaſtici recenſore, num apud eos aliqua certa ſuperſtarent monimenta, quæ Vſuardum indigitarent, cœnobitam eo loco conſtitiſſe. Reſpondit mihi ſola autumatione hoc ferri, nihil verò certitudinis ſibi ſuppetere. Pithœum virum litterarum celebritate præſtantem, ſibi dudum renuntiâſſe, fortuitò habuiſſe penes ſe aliquando folium, antiquo ex Codice neſcio quo decerptum, in quo Vſuardus inſcribebatur Monachus ſancti Germani. At cuius vrbis, Pariſienſis, Autiſſiodorenſis, Ruthenenſis, ſeu alterius cœnobij eiuſdem inuocationis, ſed diuerſi loci, ipſo in folio neutiquam fuiſſe expreſſum. Quod verò fuerit Monachus Pariſienſis, ſe non audere aſſerere, tam leui ex indicio, ſubintulit Menardus, vir tam candidus, quàm pius & pereruditus. At verò Sigebertus *in libro de viris illuſtribus c.* 85. quo poſuit Vſuardi Elogium, illum nequaquam Pariſienſem indigetem, & Pratenſem aſcetam, nedum Gallum hominem deſignauit. Ioannes Trithemius

Gallum quidem illum indicat, profuſiore Galliæ quæ Belgium etiam hoc eſt Germaniam inferiorem continet acceptione, at Monachum Fuldenſem inſcribit. *Yſuardus* (ſic nominat) *Monachus natione Gallus Cœnobij, vt dicunt, Fuldenſis in finibus Francorum* &c. lib. 2. c. 29. de Doctoribus & Scriptoribus ordinis ſancti Benedicti. Ita & Arnoldus lib. 5. ligni vitæ c. 102. *Domnus Vſuardus, ſeu vt alij legunt Iſuardus, natione Gallus, profeßione Monachus, in cœnobio Fuldenſi ordinis ſancti Benedicti, Congregationis Luxouienſis*, &c. Ex quibus teſtimoniis facilè colligitur illud quod aſſumit pro præcipuo fundamento ſuæ obiectionis, præfatus cenſor anonymus quaſi certiſſimum, eſſe non modò prorſus inſtabile, at contrarium videri longe certiùs; nempe quòd Vſuardus Pariſiēſis Monachus in aſceterio Pratenſi haudquaquā fuerit, ſed alumnus extiterit Fuldenſis: quod quidem Cœnobium illuſtre poſitum eſſe in Thuringia, vltra Rhenum, in Moguntina diœceſi, nemo neſcit: cuius loci Abbas dicitur *Imperij Princeps, Imperatriciſque Archicancellarius*. Fundatum fuit autem inſigne hoc Monaſterium à ſancto Bonifacio Archiepiſcopo Moguntienſi, extitítque pridem doctorum virorum ſeminarium, cuius Abbas quintus Rabanus fuit: Strabus autem, Monachus, quemadmodum & ipſe de quo agimus Vſuardus, ex Trithemij Arnoldíque teſtificatione: quibuſcum de veritate certare habet vir ille doctus cuius argumentum diſcutimus; antequam principium quod aſ-

ſumit, fixum queat prætendere, ex hócque elíce-re quod colligit, de Vſuardi monachatu Pariſienſi, inſitáque ipſi (quam fruſtrà interim ſupponit) ex locali eius ortu vel commoratione, perfecta rerum S. Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi notitiâ. At verò de hac re nolim plurimum contendere: parum enim refert, quòd Vſuardus Monachus Pariſienſis in Cœnobio ſuburbano S. Germani exiſtimetur; modò Vſuardum ipſum non poſſint aduerſarij demonſtrare quicquam ſcripſiſſe contra identitatem Dionyſij Athenienſis cum Pariſienſi; quódque intendit auctor argumenti huius, diſcrimen ab illo poſitum inter Dionyſium Areopagitam & Pariſienſem Antiſtitem (quos vult ex ſententia Vſuardi prorſus diuerſos eſſe ab inuicem) ex autographo eiuſdem Martyrologij, quod obtéditur in hac obiectione, nequeat probari. Id verò ab eo nec præſtitum eſſe, nec præſtari poſſe fidenter aſſero. Dato enim quòd Vſuardus Monachus ſancti Germani Pratenſis fuerit, & in eo cœnobio Martyrologium ſuum ſcripſerit, atque ſuum Manuſcriptum exemplar ibidem vnum vel plura reliquerit; dico non conſtare poſſe quod autographum Vſuardi fuerit ibidem huc vſque conſeruatum: at conſtare prorſus, quæ vir ille doctus cuius obiectionem excutimus, vult eſſe natiua genuináque Vſuardi exemplaria, minimè fuiſſe ab eo exarata: immò trecentis poſt Vſuardi obitum annis, præcipuum magíſque vetus quod ob-

iicitur ex duobus, Martyrologium ſub nomine Vſuardi, in Bibliotheca Pratenſi aſſeruatum, mihi inquirenti exhibitum à præfato Patre Menardo Carthophylace doctiſſimo, núncque cùm hæc ſcribo meas in manus depoſitum, iuniore admodum manu delineatum fuiſſe, atque patentia complecti ac prodere nouitatis alterationiſque indicia. Alterum autem longè recentius & ex illo præmemorato deſumptum, nec tantillam antiquitatis ſpeciem præ ſe ferre, ideóque nequaquam afferri poſſe,ad inducendam ex iis validam auctoritatem. Singula hæc vt oſtendam,

Dico primò, poſt mortem Vſuardi S. Germani Pratenſe Monaſterium haud ſemel vaſtatum à Danis Galliam inuadentibus, quin & demùm incenſum, flammíſque deſtructum ab iiſdem fuiſſe. In geſtis enim Normanorum à Quercetano in limine eorum hiſtoriæ, ex antiqui auctoris collectione editis, qui anno 896. florebat; ſic notatur. *Anno Domini 857. 5. Kal. Ianuarij Northmani Lutetiam Pariſiorum inuadunt, atque incendio tradunt baſilicam S. Petri & S. Genouefæ :* * *incendunt & Eccleſiam S. Vincentij & S. Germani,* * *præterque Eccleſiam S. Dionyſij : pro quibus tantummodò ne incenderentur, multa ſolidorum ſumma ſoluta eſt.* Ex quib. verbis elicitur, Pratenſe Monaſterium tunc fuiſſe miſerè deuaſtatum. Solam tantummodo ne incenderetur, pretio ingenti fuiſſe ab incendio ſeruatam Eccleſiam. At deinde ab iiſdem impiis graſſatoribus ipſa ignibus tradita fuit. quod

* inuadunt.

* prætereáque

ita eodem in Chronico annotatur. *Anno Domini 861. Northmani* (redeunt) *Luthecіam Pariſiorum, & Eccleſiam S. Vincentij Martyris & S. Germani incendio tradunt.* At qui incenderunt Eccleſiam, nunquid ſeruarunt bibliothecam illæſam, barbari ſcilicet litterarum oſores, & Monaſteriorum euerſores, exuſtores, fideíque Chriſtianæ tunc hoſtes immaniſſimi? Iam verò quæſo à prudentiſſimo pereruditóque noſtro obiectore, quis originale Martyrologium Vſuardi, ſi moriens ibi in pignus hæreditatis reliquerat, tunc de flammis voracibus eripuerit, quóve miraculo in tanta fuerit conflagratione ſeruatum immune ac intactum, vt ſanum & incolume (ſicut eſt illud apographum quod pro autographo indigitat) ad hæc vſque noſtra tempora fuerit conſeruatum? aut ſi tunc combuſtum fuit, quænam iam ſuppetat certitudo qua conſtet, exemplar hoc vel illud quod pro originali nunc obtruditur, ſincerè & accuratè ex ipſo codice autographo tranſcriptum fuiſſe. Credo id pro candore ſuo nollet aſſerere: minúſque tametſi vellet, ab ipſo hoc poſſet probari. Sed etſi fieret,

Dico ſecundò, magis antiquum exemplar Martyrologij, quod fingitur eſſe Vſuardi originale Manuſcriptũ, eius opificium neutiquam eſſe, neque quoad ſcripturam, neque quoad ſeriem, ſeu rerum eo in codice expreſſarum contextum. Id verò aſſertum meum multiplici demonſtratione confirmatur. *Primò*, quia ipſum titulum præfi-

xum non habet Vſuardi. Codex eſt in quarto, vt aiunt, volumine efformatus, alutâ viride colorata ſuffectus, Necrologium habens attextum; & ſuper vitulinam pellem, haud priſca papyrea inſcriptione notatus eſt, ex mero arbitrio compaginatoris, qui titulum ſuo ex genio concinnauit, & extrinſecus appoſuit. *Secundò*, quia præfationem, quæ incipit, *Feſtiuitates ſanctorum Apoſtolorum ſeu Martyrum*, non eſſe Vſuardi, ſed Bedæ, multorum eſſe iudicium Molanus aſſeuerat, *in prolegomenis ad Martyrologium Vſuardi*, ſubmonendo, ſi non Vſuardi ſit, eſſe (vt re vera eſt) S. Auguſtini, ex cuius dictis *tota conſtat. Deinde habet iſte codex verum proloquium Vſuardi, quod non aliud eſt, quàm epiſtola eiuſdem ad Carolum Magnum ſuper opere Martyrologij. Poſtremò prologum apponit Adonis (Vſuardo duobus ferè ſæculis poſterioris) ſuper eiuſdem Adonis Martyrologium. *Tertiò*, quoniam ab initio quod prætexit ſuæ collectioni Vſuardus non *incipit*. Nam omnia Martyrologia Vſuardi *exemplaria*, annum ab octaua Natiuitatis Domini, * *in quam* coincidit feſtum eiuſdem Circumciſionis, [illegible] diuntur. At illud Pratenſe initium ducit à [illegible] lia ipſius Domini Natalis: eiuſmodi enim *illius* [illegible] exordium eſt, ſine vllo titulo auctoris [illegible] *Martyrologium per anni circulum IX. K[illegible]* *Vigilia Natalis Domini. Quartò*, quia Martyrolo[illegible] gium Vſuardi omnibus co[illegible] perſyncerè edi[illegible]

* Lib. 10. contr. Fauſtum c. 21.

[illegible]

ticis codicibus tam editis quàm manuſcriptis ſollicitè perquiſitis & collectis tranſumptum, vt ex libello eius inſcripto *de Martyrologiis c.* 4 apertum eſt, & liquet ex Baronij teſtimonio, *in apparatu ad Martyrologium c.* 7. At verò Codex ille Pratenſis ab edito Vſuardi Martyrologio à Molano, admodum differt, vt ex huius cum illo ſit collatione perſpicuum. Hoc autem in aſſignando multiplici diſcrimine, nonnihil, vt Lectorem iuuaremus, deſudauimus: ſiquidem vt daremus ſpecimen non deſidioſæ indaginis, nonnullas ſpectabiles differentias quæ interſunt ipſum inter Pratenſem Codicem, & Vſuardi exemplar genuinum, ſemel iterúmque à Molano vindicatum, imò à nobis, cum aliis, quæ non vidit at habemus, exemplaribus comparatum, hîc ſignare operæpretium fore cenſuimus. In ipſo exordio vbi legitur in Pratenſi codice IX. Kalendas Ianuarij. *Ieſus Chriſtus filius Dei in Bethlehem Iudæ naſcitur, anno Cæſaris Auguſti quadrageſimo ſecundo hebdomada iuxta Danielis prophetiam ſexageſima ſexta, Olympiadis autem centeſimæ nonageſimæ tertiæ.* In impreſſo ex vetuſtiſſimis certiſſimiſque monimentis Martyrologio Vſuardi, ex ſedulâ Molani operâ, ſic legitur, prætermiſſâ penitus Danielis prophetiâ. *Anno Cæſaris Auguſti quadrageſimo ſecundo. Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ.* Porrò hac in ſcriptura Molano ſuffragatur (vt ipſe indicat in prædicto libello c. 4.) Vſuardi Martyrologium Coloniæ in octauo excuſum anno 1521. Lubecæ impreſſum anno 1475.
atque

atque pleraque Eccleſiarum quæ vidit apographa vetera. Inſuper & alia quæ penes me ſunt eidem fauent ſic referenti, tria ſcilicet Manuſcripta antiqua, & duo alia typis expreſſa Pariſiis, alterum ſcilicet anno 1536. alterúmque anno 1573. Item Kalendis Ianuarij incipit Pratenſis matricula abſolutè. *Circumciſio Domini noſtri* IESV CHRISTI. At vindicatum à Molano habet *Octaua, & Circumciſio Domini noſtri* IESV CHRISTI *ſecundum carnem.* Et nos in commentario noſtro ad Martyrologium Gallicanum, ipſis Kalendis Ianuarij, oſtendimus, illum diem, *ab Octaua Natiuitatis Domini* fuiſſe prænotatum in omnibus antiquiſſimis Martyrologiis. Acceſſiſſe demum *Circumciſionis* additamẽtum, quod ſolis in poſterioribus ſignatum, imò præpoſitum titulo Octauæ primario, immò pridem vnico, apparet. Nam pleriſque Eccleſiæ ſæculis, ab ipſo ortu fidei, officium ſacrum de ſola Natalis Domini octaua illa die fiebat: ſicut etiamnum Mediolani ex vſu antiquiſſimo retinetur. Item XI. Kalendas Februarij, in Pratenſi Codice ſic ſcribitur. *Apud Valentiam ciuitatem Hiſpaniæ ſancti Vincentij Leuitæ & Martyris. Cuius certaminis triumphum, temporibus Diocletiani & Maximiani poſt nimiam cædem ac grauia tormenta, ita textus ipſius paßionis, ſub Daciano Præſide completum eſſe declarat.* At Vſuardi contextus tam recognitus à Molano, quàm penes nos in Manuſcriptis Codicibus & editis expreſſus ſic habet. *Apud ciuitatem*

Valentiam, ſub Daciano Hiſpaniarum Præſide, ſancti Vincentij Leuitæ & Martyris, cuius paſsionis nobilem triumphum conſpicuus verſificator Prudentius luculenter verſibus exequitur. Sanctus quoque Auguſtinus eiuſdem Martyris præconium, quanto ſit laudis honore excipiendum, quodam ſermone commendat. Vbi benè monet Molanus. *Prudentius ab Vſuardo eſt indicatus.* At in Pratenſi vt cernitur codicello, de eo prorſus nihil apparet notatum. Item 3. Nonas Februarij Vſuardus apud Molanum habet natalem, & fuſum ſancti Blaſij Epiſcopi & Martyris elogium. At in textu Codicis Pratenſis nihil prorſus de eo agitur, ſed in margine per additionem, alia manu, breuiter tantùm, eiuſdem beati Blaſij ſignatur *feſtum duodecim lectionum*, quæ nuſquam eſt phraſis Vſuardi. Item 7. Idus Martij ponit ex autographis Vſuardi Molanus, natalem quadraginta Martyrum Sebaſtenorum, cum encomio præ ceteris copioſo. At in Pratenſi Codice de iiſdem nihil penitus ſignatur. Item die ſequenti, in exemplaribus Vſuardi à Molano viſis & editis notatur. *Depoſitio ſancti Droctouei Abbatis, diſcipuli beati Germani Epiſcopi.* Porrò in Pratenſi Codice nihil de illo prorſus extabat. Quod quia manifeſtè conuincebat Martyrologium non eſſe Vſuardi, qui ſanè ſi fuiſſet aſceta Pratenſis cœnobij, haud potuiſſet primum ſanctum loci illius Abbatem ſua in Sanctorum nomenclatura prætermittere. Ideo deletis quæ ibi erant natiuis ver-

bis, adiectitia ſyngrapha appoſitum eſt, diuerſo prorſus charactere, vt inſpicienti, ipſo ex aſpectu euidenter apparet atque conſtat: *Pariſius depoſitio ſancti Droctonei Abbatis, diſcipuli ſancti Germani Epiſcopi*. Item eodem menſe 3. Idus habet ex ſyncero Vſuardo Molanus, cui conſentiunt Manuſcripta quæ habeo exemplaria. *Romæ B. Pontificis Gregorij, Doctoris, & Apoſtoli Anglorum.* At in Codice Pratenſi omnino corruptè legitur. *Romæ beatorum Pontificum Gregorij Doctoris & Apoſtoli Anglorum, & Innocentis.* Porrò ſanctus Innocentius Papa ſenior admodum fuit S. Gregorio: nec eodem quo ille die obiit, ſed 28. Iulij, vt liquet ex omnibus Martyrologiis & Pontificalibus libris. Item 3. Kalendas Iulij habet ſimpliciter textus Vſuardi apud Molanum. *Romæ natalis beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli qui paſſi ſunt ſub Nerone Cæſare.* Sed Manuſcriptum Pratenſe addit ex genio non Vſuardi, ſed ſcioli amplificatoris. *Baſſo & Tuſco Conſulibus.* Quod falſum eſt, vt ex Chronico Caſſiodori patet, vbi nullus notatur Tuſcus Conſul ſub Nerone, Baſſus autem quinquenniò ante Apoſtolorum necem Conſulatum geſſiſſe, non cum Tuſco qui nuſpiam apparet, at cum Craſſo indigitatur. Baronius autem benè oſtendit, Apoſtolorum Martyrium L. Fonteio Capitone & C. Iulio Ruffo Conſulibus 13. Neronis anno, Chriſti ſcilicet 69. contigiſſe. Ceterùm alia exempla pleraque, haud minus conſpicua, promptum eſſet hîc ſubindicare,

quibus manifeſtum diſcrimen, inter verum Vſuardi Martyrologium à Molano publica adſtipulatione vindicatum ac approbatum; hócque Pratenſe corruptum ferè vbique, & ab illo, immò plerisque in locis à ſeipſo diuerſum, liquidò appareret: ſed hæc ſuccidere breuitatis gratiâ voluimus. Enimuerò alia nonnulla habemus demonſtrationis, quod Vſuardi verum non ſit Martyrologium hic Codex Pratenſis, inſigniora indicia. Hoc namque inſuper probatur, ex eo quòd in illo volumine permulta habeantur, & quidem non adiectitia, ſed intrinſeca, natiuóque contextu eadémque manu qua præcipuè exemplar illud conſcriptus eſt exarata, quæ ſanè Vſuardus ſuo in Martyrologio non poſuit, immò nec conſignare potuit. v. g. 9. Kalendas Septembris ſic ſcribitur, In natali ſancti Bartholomæi Apoſtoli. *Sacratiſsimum* (eius) *corpus primùm ad Inſulam Liparis, deinde Beneuentum tranſlatum pia fidelium veneratione honoratur.* Hanc verò vltimam tranſlationem, Vſuardus ſuo in Martyrologio notare non potuit. Nam vt manifeſtum ſit ex eius epiſtola liminari ſuo Martyrologio præfixa: illud ipſum Carolo Magno dedicauit, cuius & iuſſione ſacra, vt eâdem epiſtolâ ipſe inſinuat, hoc opus aggreſſus fuerat. Sed verò Carolus Magnus anno Chriſti octingenteſimo quartodecimo mortalis eſſe deſiit, vt omnes Hiſtorici & Chronologi teſtantur. Porrò tranſlatio corporis ſancti Bartholomæi ex Lipari Inſula ad vr-

bem Beneuentanam facta eſt anno 840. vt teſtis eſt Leo Oſtienſis in Chronico Caſſinenſi lib. 1. c.16. Igitur tranſlatio illa diu poſt Martyrologium Vſuardi confectum contigit, nec ſtatim cùm recens eſſet, factam fuiſſe veriſimile eſt ita celebrem, vt ab Vſuardo vel rediuiuo, vel propè centenario (nam iam inſignis florebat ſub prædicto Carolo anno 780. vt Trithemius libro 2. de viris illuſtribus c. 19. annotat) per additamentum, quod non apparet in textu, certè eo loco vniformi; potuerit ſuo Martyrologio inſcribi. Qui præterea nunquam ſibi arrogâſſet, nouiſſimè actam tranſlationem ſacros in faſtos inducere, & authenticam facere, quæ nondum benè comperta erat. Aliud exemplum extat recentioris Vſuardo notæ. v. Kalend. Nouembris notat Pariſius *tranſlatio ſanctæ Genouefæ Virginis*, plano ac perſpicuo contextu. Verùm prima ſanctæ Genouefæ tranſlatio, vt notat Petrus Iudex Canonicus ſanctæ Genouefæ in eiuſdem beatæ virginis edita haud ſemel hiſtoria, lib. 2. cap. 4. facta eſt ad vicum Atheſiacum, occaſione incurſionis primæ Normanorum, quæ contigit, vt Aymonius notat lib. 5. cap. 20. anno Domini 846. ſeu (vt legitur in geſtis Normanorum ante Rollonem Ducem, à Quercetano cum gentis huius hiſtoria editis) anno 857. 5. *Kalendas Ianuarij*. At hoc tempore Vſuardus ſupereſſe in viuis non poterat, vt illam tranſlationem potuerit videre, & ſacras in tabulas per augmentum referre. Adde quod pri-

ma illa tranſuectio ſanctæ Genouefæ, ea non eſt quæ in Pratenſi Codice celebranda Pariſiis indicatur 5. *Kalendas Nouembris.* Non enim hæc illa contigit die, *ſed 5. Kalendas Ianuarij*, id eſt, *die viceſima octaua Decembris.* Quæ verò ſolennis ſignatur 5. *Kalendas Nouembris*, tempore ſancti Ludouici facta eſt, à Roberto Abbate, ſicut in noſtro Martyrologio Galliæ inſinuauimus, & in commentariis eiuſdem, Deo fauente, demonſtrabimus. Non potuit igitur hæc tranſlatio ab Vſuardo ſuis tabulis adſcribi, niſi ſ annis vixerit ſuprà quingentis. at hoc dicere perabſurdum. Cernitur & exemplum aliud in eodem Pratenſi Codice Kalend. Nouembris, vbi ſic legitur. *Feſtiuitas beatæ Dei genitricis & omnium Martyrum, quam Bonifacius Papa, celebrem & generalem inſtituit agi omnibus annis in vrbe Roma. Tertius verò Gregorius Pontifex, poſtmodum decreuit eandem in honorem omnium Sanctorum ſolenniter celebrari perpetuò, ab omni Eccleſia.* At textura illa minimè ſyncera eſt, vel ex eo quòd rem falſam enarrat, quandoquidem exploratum ſit Gregorium, non tertium qui anno 731. ſedere cœpit, rem Francorum moderante Carolo Martello Principe: ſed quartum qui imperante Ludouico Pio anno Chriſti 828. Pontificatum ſuſcepit ineundum: ipſo Auguſto inſtante, feſtum omnium Sanctorum vbique celebrari præcepiſſe, anno ſcilicet 835. quod ſic notat Sigebertus. *Tunc monente Gregorio Papa, & omnibus Epiſcopis aſſentientibus, Ludo-*

ricus Imperator ſtatuit, vt in Gallia & Germania feſtiuitas omnium Sanctorum in Kalendis Nouembris celebraretur. Quæ cùm tempore Karoli Magni non adhuc obſeruaretur, vt patet ex indicibus feſtorum generalium ſub eo conſcriptis *in Concilio Moguntino cap. 36. & Capitul. lib. 1. cap. 164. & lib. 2. cap. 36. & lib. 6. cap. 186.* ab Vſuardo qui eius iuſſu Martyrologium concinnauit, non potuit inter ſacras ſolennitates generales connumerari. Peto enim ab aduerſariis vtrùm huius feſti Inſtitutorem ſectatus ſit, an anteuerterit? Numque, cum inſcripſerit Gregorium *tertium* (vt fert Manuſcriptum Pratenſe, de quo agitur) vel, *quartum*, ſicut habet vindicatum à Molano Vſuardi Martyrologium, deſignauerit? ſi *tertium*, falſum cenſuit. Nam omnes Scriptores conueniunt, tēpore huius Pontificis, feſtiuitatis iſtius celebritatem nondum inoleuiſſe. ſed à Gregorio IV. qui annis ferè cētum poſt tertium ſedit, emanâſſe: quod ipſum notat Martyrologium Romanum. Si verò Vſuardus poſuit Gregorium quartum, ergo feſtum generale notauit, antequam fuiſſet ortum & ſuſceptum*. Quin & ille fuit patenter falſarius, qui eraſo Gregorij quarti nomine, tertij in eius locum vocabulum, temeratæ vt cernitur membranæ ſuperinduxit. Verùm ſexto pronunciato euincimus Codicem illum Pratenſem minimè pro eius certo & genuino exemplari adferri poſſe ex ipſa eius inſpectione. Nam innumeris eſt locis alteratum, vitiatum deprauatum; eraſionibus per-

* Scripſit enim Martyrologium ſuū Vſuardus ſub Carolo Magno, cui illud dicauit. Obiit autem Carolus anno 814. ac Gregorius IV. qui feſtū omnium Sanctorum ſolēne toto orbe fecit, nonniſi anno Chriſti 828 Pontifex creatus eſt,

multis, liturísque paſſim aſperſis inquinatum, & foliorum nonnullis detractionibus, adiectionibus, ſcriptioníſque diuerſis charactériſmis, & ſententiarum grauiſſimis apertiſſimíſque immutationibus, cortuptelíſque natiui contextus conſpicuis, maculatum & refertum.

Dico prætereа tertiò, apertiſſimè probari hoc Martyrologium haud eſſe Vſuardi, non modò ex ſupraſignatis indicibus perſpicuis, at inſuper magíſque multum ex ipſius Codicis intima notatione. Codex iſte non ſolùm Martyrologium complectitur, at prætereа, *regulam ſancti Benedicti*, *Necrologiúmque*, ſeu *Calendarium defunctorum* continet, à tempore Lantfredi Abbatis, vſque ad regimen Hugonis tertij, quo inſtante Eccleſia dedicata fuit Cœnobij Pratenſis ab Alexandro tertio anno 1162. 21. Aprilis, vt Continuator Aymonij commemorat *lib. 5. cap.* 55. Cuius Abbatis ætate exaratum liquet fuiſſe hoc apographum; ex Abbatum ipſius Cœnobij ſancti Germani Pariſienſis Catalogo, ſeu nomenclatura inſcripta huic ipſimet Codici, in margine gemini folij immediatè cohærentis, eidem Martyrologio, & ſubiunctæ regulæ ſancti Benedicti; quæ quidem regula eadem manu expreſſa eſt, quâ Martyrologium ipſum cernitur exaratum. Patet id tum ex eo quòd ſeries Abbatum in eodem Hugone III. qui Theobaldo ſucceſſit deſinit, quia ſcilicet illo tempore monaſterium gubernabat: tum ex epiſtola Wilelmi Epiſcopi Pictauienſis (conſeſſu quoque

quoque ſacro tertij) ad ipſum Hugonem directa & attexta ipſimet folio Martyrologium proximè ſequenti, quæ ſic habet. *W. gratia Dei Pictauorum Epiſcopus. Domno Hu. venerabili ſancti Germani Abbati, æternam ſalutem. Notum vobis fieri volumus quia Domini Ludouici Regis Francorũ litteras accepimus, &c.* Is autem erat Rex Ludouicus VII. cognomento Iunior. Cuius ex coætanea notatione, codex ille Pratenſis propriam epocham depromit, illámque ſponte deponit quam eidem indere volunt æmuli noſtri, contra ius omne natalis originis & formalis expreſſionis antiquitatem.

Dico quartò, tametſi (quod impoſſibile eſt ſtantibus præmiſſis rationibus) aduerſarij probarent hoc volumen eſſe genuinum Martyrologium Vſuardi, tum illud nihil nobis poſſe obeſſe, ſed aduerſariis ipſis officere plurimum. Nocere etenim nobis quòd nequeat, inde patet, quia ex eo tantùm vim faciunt aduerſarij quòd Pariſienſem Dionyſium ab Areopagita videatur diſtinguere; nempe quia huius natalem proprium aſſignat, vt aiunt, *Athenis die 3. Octobris*: illius verò *Pariſiis die 9. eiuſdem menſis.* Sed in prima nota nihil habent quo glorientur, nam ibi Dionyſius qui ſignatur, nec Areopagita cognominatur, nec adſcribitur paſſus Athenis. Et ſutela de Ariſtide incongrua inſolitáque, manifeſtè ex recentioribus hagiologis, qui Ariſtidis nec opus viderunt, nec verba referunt, eſt deſumpta. Verùm

eſt enim quod *die* 3. in antiquis aliquot Martyrologiis notatur *natalis Dionyſij Martyris & ſociorum octo.* At non *Athenienſis, ſed Libyci*; qui primùm ſub Decio multa paſſus, demum, vt habent ſacra diptycha (*die* 3. *Octobris*) *ſub Valeriano ab Æmiliano Præſide diu tormentis vexatus cum Fauſto, Caio, Petro, Paulo & aliis quatuor martyrij palmam promeruit.* Cuius cùm poſteri Martyrologij deſcriptores acta neſcirent, hæſitatione perculſi, paſſionem Dionyſio neſcio cui, ſine nota loci & cognominis additione, tribuerunt. Ad cuius natalem, alij ſubinde Ariſtidis mentionem, ſuperflua & inſolita in ſacris diptychis citatione, addiderunt. Non tamen ſine veriſimilitudinis colore, quia Græci eodem die, & Athenienſis, & Libyci Dionyſij natalem faciunt in ſuo Menologio: ſed cum ſufficienti præcautione, qua Libycum ab Areopagita palam diſcernunt: Areopagitam autem cum Pariſienſi vnum eundémque eſſe manifeſtè fatentur. Textum igitur Menologij ſi quidam recentiores Hagiologi conſpectum habuiſſent, nuſquam graue hoc admiſiſſent erratum quo Athenienſem Dionyſium cum Libyco confuderunt, & Pariſienſem ab Athenienſi, hoc eſt Areopagita (qui vnus cum illo idem eſt) imperitè omnino ſecreuerunt. At quod Vſuardus ita miſerè impegerit, fidenter dico, ex ipſo Martyrologio quod illius eſſe volunt aduerſarij, oſtendi non poſſe. Nam prior, vt indicauimus, illa Dionyſij notatio *die* 3. *Octo-*

bris poſita, nihil nobis officit: in qua dum ponit Dionyſium, vnum ab alio quouis non diſtinguit; nec enim Areopagitam nominat, nec alium à Pariſienſi deſignat, nec hic aut illic paſſum innuit. Porrò ſatis indicatum eſt, quod tametſi ex Ariſtidis ſuperaddita relatione Areopagitam intelligeret: Pariſienſem hic titulus Epiſcopum non excluderet, ſed includeret, ipſa ex Græcorum teſtificatione, qui eo die quo Areopagitam colunt: illum vnum eundémque cum Pariſienſi primo Epiſcopo & Martyre, ſuo in Menologio, ipſomet loco prædicant & teſtantur. Ceterùm poſterior notatio Dionyſij Pariſienſis quam factam ab Vſuardo volunt aduerſarij, *die 9. Octobris*, etſi verè ab illo fuiſſet adhibita, iiſque terminis quos proferunt concepta, nihil nobis prorſus obniteretur: neque enim illum noſtrum Dionyſium non eſſe Areopagitam prodit, neque ad tempora Decij vel Diocletiani, vt contendunt ipſi aduerſarij, illum deducit: ſed ſimpliciter indicat, à Romano Pontifice (quem Clementem fuiſſe toto hoc opere luculenter probauimus, adeóque ex innumeris exemplarib. vetuſtiorũ Martyrologiorũ conuicimus) in Gallias prædicandi gratiâ directũ, Pariſienſem ad vrbem deueniſſe, ibique per aliquot annos commiſſum ſibi opus ardenter proſequentem, tandem à Præfecto Feſcennino (quem Conſulem fuiſſe ſub Hadriano ſuprà inſinuauimus) vnà cum ſociis gladio animaduerſum, martyrium compleuiſſe. Quo in elogio nihil cerne-

re eſt ſententiæ noſtræ, de identitate Athenienſis Dionyſij cum Pariſienſi prorſus aduerſum. Immò cùm ex Ariſtide conſtet, atque ex vetuſtis annalibus à Cuſpianiano cōſpectis & laudatis, Areopagitam Dionyſium paſſum ſub Hadriano; Pariſienſem verò ſub Feſcennino Hadriani Præfecto, qui ſub eo Conſul fuit, vt probatum eſt ex faſtis Siculis: ſicque etiam liquidum euadat Pariſiis Dionyſium Epiſcopum, ſub Hadriano fuiſſe martyrio laureatum: dubio procul fauet hoc ipſo nobis Martyrologium illud (quod volunt aduerſarij eſſe germanum opus Vſuardi) quòd à Feſcennino Dionyſium noſtrum cum ſociis gladio animaduerſum, teſtificetur. Identitas enim Martyris fulcitur, hac identitate & nominis & temporis; rerúmque geſtarum (quam iſta noſtra lucubratio probat ex omnium ſæculorum ſuffragiis) indiuidua cohærentia.

Ceterùm quamuis apographum illud Pratenſe, quid expreſsè aduerſus noſtram quæ Chriſtianorum communis ſemper fuit perſuaſionem pronunciaret, non eſt inſtrumentum aptum (eo potiſſimum loco ob quem profertur) per quod vllum nobis poſſit hac in lite præiudicium inferri. Eſt enim natalis ille Dionyſij Pariſiis paſſi, totus ſuſpectus. Præterquam enim pagina illa cui inſeritur, eadem ſcripturæ textura non conſtat, ſed diuerſis tribus ſignatur characterum figuris: perſpicuum eſt inſuper ex natalis quo de agitur primo conſpectu, codicem fuiſſe temera-

tum, nataliſque ipſius ſeriem eraſis verbis auctoris ſynceris, quæ non dubito miſſum* à Clemente Dionyſium noſtrum & Apoſtolorum ſymmyſtam fuiſſe vnà perhibebant, omnino fuiſſe alteratam imò adulteratam & corruptam. Quod videre eſt præſertim in nomine *Pariſium*; euidentique compreſſione litterarum quæ efformant *verba natalis ſanctorum Martyrum Dionyſij Epiſcopi*; ſed maximè in illis voculis ſequentibus, *Ruſtici presbyteri & Eleutherij Diaconi*; quæ verba lituræ palam ſuperaddita, furtiuáque manu turpiter exarata, neque membranæ tam calamo impreſſa, qua violenta manu efformata, & per vim intruſa in contextum datâ operâ vitiatum & peruerſum, manifeſtè locum illum deprauatum oſtendunt; atque ideo omnem ei adimunt, quæ ſynceritas tribuit ſuo ex iure ſanæ fidei inſtrumentis, auctoritatem, ductámque ex hoc ab aduerſariis obiectionem, funditus euertunt atque deiiciunt. Fixæ etenim hæ ſunt apud omnes ſacri iuris regulæ. 1. *Oportet vt inſtrumentum ſit ſine ſuſpicione vt ei credatur, gloſ. propter, in cap. venerabilis de religioſis domibus.* 2. Redditur autem ſuſpectum *à raſura ſeu ſuperlineari ſcriptura in loco ſuſpecto facta. Ibidem.* 3. maxime *quando raſura facta eſt alia manu, gloſ. fin. ibidem.* 4. Raſura enim *vertit animum ſapientis in dubitationem, inducitque ſuſpicionem falſitatis, cap. fin. de fide inſtrumentorum.* Quibus ex canonicis theorematibus fides omnis illi Pratenſi Martyrologio abrogatur, vt ex harum regularum cum præmiſſis

*Ita enim habet Martyrologium antiquiſſimum à P. Hallois præſente Domino du Cheſne conſpectum, in Thuana Bibliotheca: vt ſuperiùs notatum eſt ad finem ſolutionis argumenti octaui.

corruptelarum demonſtrationibus applicatione, euadit cuique manifeſtum.

Sed quáuis tantū integrū eſſet hoc exéplar, quantū eſt mutilum, tantum ſanū ac ſyncerū quantum vitiatū & corruptū, ſua quidem tota collectione, ſed loco illo potiſſimùm de quo controuerſia eſt; nihil certè habent hinc aduerſarij (vt oſtenſum eſt) aduerſus nos quo præualeant: ſed ipſomet ex libro argumentum aptum iam inductū elicimus, quo nobis optimum comparemus ſubſidium, & illis diſpendium multiplex inferamus. Siquidem toto fere in Codicis huius contextu, notari pleraque loca poſſunt, quibus grauia aduerſus eos præiudicia colligantur. Axioma hoc ſiquidem eſt ſacri Iuris. *Inſtrumentum producens, omnia contenta in ipſo inſtrumento videtur confiteri. cap. cùm olim 19. de Cenſibus. Inſtrumentum etenim quod quis approbat, pro ſe & contra ſe recipere tenetur, gloſ. conſequi, ibidem.* At verò in Pratenſi Martyrologio, quod aduerſarij volunt eſſe Vſuardi, pleraque ſunt quæ contra hos faciunt, at nobis tam in hac S. Dionyſij, quàm ceterorum Galliæ Apoſtolorum causâ, opitulátur, v.g. 4. Kalendas Ianuarij ſic illo in Martyrologio legitur. *Apud Arelatē natalis S. Trophimi, cuius ſæpè meminit ſanctus Paulus ſcribens ad Timotheum: qui ab eodem Apoſtolo Epiſcopus ordinatus, præfatæ vrbi, primum ob Chriſti Euangelium prædicandum directus eſt. Ex cuius fonte, vt Papa Zozimus ſcribit, tota Gallia fidei riuulos accepit.* Quo teſtimonio reuincitur narratio Gregorij Turonen-

ſis, Trophimum ipſum Arelatenſem (cuius Dionyſium Collegam facit) ad tempora Decij referentis: vnáque oſtenditur ipſummet Dionyſium, qui illius ſymmyſta fuit, cum ipſo ad Apoſtolicam ætatem ſcholámque reuocandum eſſe. Item 4. *Kalendas Februarij, Treuiris depoſitio B. Valerij Epiſcopi diſcipuli ſancti Petri Apoſtoli.* Et 2. *Kalend. Maij. Ciuitate Santonas Eubrobi* (ſeu Eutropij) *Martyris, quem S. Clemens Pontificatus ordinis gratia conſecratum direxit in Gallias, peractámque* (ſupple, *poſt*) *prædicationem, ob Chriſti teſtimonium inliſo capite victor occubuit.* Item 2. *Idus Decembris. Apud Narbonam natalis ſancti Pauli Confeſſoris quem beatus Paulus Apoſtolus ordinatum eidem vrbi ordinauit Antiſtitem. Qui cum eodem Apoſtolo ad Hiſpanias prædicandi gratia pergens, ibidem relictus eſt, vbi prædicationis officio non ſegniter impleto, clarus miraculis coronatus quieuit.* At verò ex Gregorio Turonenſi, Dionyſius Pariſienſis huius Pauli collega fuit, proinde & ſancti Pauli ætate vixit, ſi fidem habere volunt aduerſarij huic ipſi quod proferunt, vt authenticum inſtrumentum, Pratenſi, Vſuardi quod eſſe dicunt, Martyrologio. Eſt enim axioma Eccleſiaſtici Iuris, *Inſtrumentum non debet quis producere, per quod aduerſarius probet intentionem ſuam, cap. cùm olim 19. de Cenſibus.* Cuius placiti ratio redditur. *gloſ. ſi quis in cap. præſentium 31. de teſtibus*, vbi dicitur. *Inſtrumentum producens, non poteſt aliquid dicere contra illud, quoniam debuit diligenter præuidere inſtrumentum, an faceret*

contra vel pro ſe, antequam illud produceret. Quo poſito canonico axiomate, iam ab aduerſariis quæro, vtrum rata habere velint, ea quæ Pratenſe Martyrologium, ſub nomine Vſuardi ab his ipſis productũ, promit de Sanctis Trophimo, Valerio, Eutropio, Paulóque & aliis (nam cetera quæ iis officiunt amice gratiæ breuitatis, non recenſuimus per ſeriem, ex eodem deprompta Codice argumenta): vel illa reſpuant falſaque eſſe arbitrentur? Reſpondebunt fortè vt ſe extricent hoc ex anfractu: productũ à ſeipſis Pratenſe volumen quod eſſe volunt Vſuardi, ſe in quantũ ſibi fauet admittere, nimirum quoad binũ natalem S. Dionyſij: verùm in iis quibus ſibi aduerſatur hic Codex in natalitiis ſanctorum Trophimi, Pauli, Eutropij, Valerij, Aphrodiſij, quos diſcipulos Principum Apoſtolorum facit, ſeſe huic minimè aſſentiri. At verò minimè legitima illa eſt reſponſio, quæ & legi iuſtitiæ ex diametro refragatur. qua ab ipſo Domino in Euangelio admonemur *proximo eamdem menſuram, quam nobis fieri volumus, reddere.* Et diſpoſitioni manifeſtæ Eccleſiaſtici Iuris contradicit, qua decernitur, *vt qui inſtrumentum producit omnia in eo contenta fateri exiſtimetur.* Inſtrumentum verò *quod quis approbat pro ſe, & contra ſe recipere teneri.* Ceterum ſi Iuri tam Euangelico quàm canonico aduerſarij nolunt obſequi, non eſt quòd debeam cum his ampliùs diſceptare. Porrò ſi huic morem gerant, ex Martyrologio quod prætendunt Vſuardi, fateantur neceſſe eſt,

Luc. 6, 38.

plura

plura nobis ſuffragari, quàm ipſis fauere. Vno enim loco eodémque raſuris vitiato, & tamen nihil expreſsè contra nos aſtruenti, at magis ſi benè expendatur pro nobis teſtimonium ferenti nituntur. Sed nos ex aduerſo pleraque contra illos ex eodem Codice depromimus inſignia arguméta, quæ cũ procedant ad hominem, ab iis ipſis qui illa fundarunt, nequeunt ſubuerti. His verò ſtantibus oppoſita aduerſariorum principia ruunt, Boſquetíque præſertim ædificium omne, quod contra antiquas Eccleſiarum Galliæ de primorum Euangeliſtarum noſtrorum miſſione Apoſtolicâ traditiones ſtruxit ex apocryphis commentis, vndique quatitur, concutitur & decidit.

Verùm vt tam ipſi Boſqueto, quàm ceteris gloriæ S. Dionyſij Apoſtoli Galliarum imminutoribus iamiam labantibus opem ipſe feram: gratis illis duo concedere volo, ceſſantibus omnibus quas adduximus rationibus & demonſtrationibus, quibus irrefragabiliter oſtendimus, Martyrologium quod prætendunt Vſuardi, illius non eſſe: tametſi verò eſſet eius, nihil contra ſententiam noſtram, eo ipſo loco quem allegant (patenter etſi vitiato) id complecti. Primum, quòd exemplar illud quod proferunt, vel ſanum vel vitiatum dicamus, quoad molem ſaltem codicis, verum ſit autographum Vſuardi. Alterum, quòd Vſuardus ipſe in ea ſententia de Dionyſio fuerit, in qua aduerſarij exiſtunt. Attamen vtroque, hoc illis officioſo munere condonato prin-

cipio, nihil tamen hinc poſſe reor illos aduerſum nos validè concludere. Ad primum enim prompta eſt reſponſio. Vſuardo ipſimet, quod ſibi Galenus queritur contigiſſe *lib. de propriis libris*. Hi enim *libros meos* (inquit Galenus) *multifariam læſerunt, quædam tum demendo, tum addendo, tum immutando*. Id verò ſexcentis locis ſæpedicti Martyrologij Pratenſis; & potiſſimùm eo loco vbi de Dionyſio agitur, factum conſtat ex ſimplici eius inſpectu. Nec mirum cùm ſcripta Patrum pleriſque in locis, vel malitia vel ignorantia hominum, vel tempus vel alia accidentia deprauârint. Qua de re publicæ querelæ leguntur in VI. Synodo *Act*. 12. *&* 13. & in VII. Synodo *Act*. 4. 5. 6. Facilè autem eiuſmodi corruptelæ in Martyrologium potuerunt irrepere, quod liber eſt additionibus, detractionibus, atque immutationibus ſi quis alius obnoxius. Benè hoc Molanus monuit, propter iſtas additiones ad Vſuardum, *non tam facile eſſe ipſum Vſuardum ſolum* (hoc eſt purum & ſyncerum) *& abſque additionibus ei indiſtinctè permixtis prælo dare*. Quæ additiones faciunt vt vix duo antiqua Vſuardi exemplaria reperire ſit, quæ ad amuſſim concordent, ſed illa pleriſque in locis diſſonant ab inuicem. Ratio eſt quia vt proprios Sanctos ſingulæ habent diœceſes, ita habere voluerunt propria Martyrologia ſuis vſibus accommodata: ſicut Pariſienſe, Lingonenſe, Leodiēſe, aliáq. quæ poſſideo. Et Molanus vidiſſe aſſerit propria Martyrologia Cathedralium Eccleſia-

Cap. 4. libelli de Martyrologiis.

Idem ibid. cap. 7.

rum Cameracenſis, Vltraiectenſis & Leodienſis; quæ Bedæ, Vſuardi aut Adonis minimè ſunt, ſed ex iis conflata, Eccleſiis illis propria. Ita codex iſte Pratenſis eſt proprium ipſius Monaſterij Hagialogium. Id verò ex eius contextu patet, in quo feſtiuitates quæcunque loci huius propriæ, etiam minores accuratè conſignantur. Igitur hoc Martyrologium perperam profertur, quaſi natiuum exemplar Vſuardi, vel tranſumptum inde apographum, cuius auctoris à principio ſi eſſet, tamen tot additionibus, detractionibus, ac alterationibus mutatum eſt, vt vix iam diſcerni poſſit, quid Vſuardo proprium ſit, vel huic fuerit aſſutum. Sed quicquid ſit, ex loco quem aduerſarij proferunt nihil ipſius ex Vſuardi nomine ab iis effici poteſt; quia locus ipſe palam vitiatus, & raſuris ac deprauationibus in ipſis quibus vis aliqua ineſt voculis, corruptus perſpicuè apparet. Nec obſtat quòd recentiora aliqua exemplaria hîc cum illo Codice concordant. Nam eo ipſo quòd poſteriora ſunt, atque ex hoc vitiato & adulterato expreſſa, eodem defectu laborant, proindéque nullam vim habent ad illud antiquius, tam inſigni temeratum loco, fulciendum. Hoc præmiſſo reſponſo, dico ad alterum merâ gratiâ datum præſuppoſitum: quòd tametſi Vſuardus in ea ſententia fuiſſet, vt alium eſſe ab Areopagita exiſtimâſſet Dionyſium Pariſienſem protomartyrem, haud tamen hinc aduerſarij quicquam aſſumerent ſufficientis aucto-

ritatis, vt ex eius priuato placito conficerent inuiolabile oraculum. Quid enim tum eſſent illaturi? *Vſuardus ita cenſuit*: Eſto. *Ergo*, dicerent, *ita eſt prorſus verum.* minimè ſequitur. Etenim priuata ſuppetunt apud veteres longè maioris auctoritatis Scriptores, axiomata, quæ futilia ac inania iudicantur. Vt quid vero? num eo quòd Patres illi hoc quicquid ſit re vera non ſcripſerint? Immò verò ita ſcripſerunt & cenſuerunt: ſed priuato ſenſu. Igitur in his rebus illorum dicta non admittuntur, quia iis communis Patrum repugnat conſenſus. Benè etenim docet Vincentius Lerinenſis *in lib. contra profanas nouitates*, in Eccleſia non præualet auctoritate, quod vno loco tantùm, aliquo tempore, atque ab vno traditum eſt, vel creditum: *Sed quod vbique, quod ab omnibus, quod ſemper.* Quamuis autem controuerſia illa de identitate Dionyſij Areopagitæ cum Pariſienſi non ſit de fide; tamen iiſdem ferè prædicamentis diſquiritur atque dirimitur. Oſtendimus fuſa admodum perſpicuáque inductione affirmatiuam quam tuemur, roborari vniuerſali Chriſtianorum conſenſione: ſcilicet non modò *intima Gallicanæ Eccleſiæ conteſtatione*; at *Græcæ quoque*, hoc eſt Orientalis *Eccleſiæ aſtipulatione*: & *Latinæ* quæ Occidentalis eſt, *Romanæ ſcilicet Catholicæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ auctoritate* confirmari. Traditionem enim illam quam à Patribus acceptam inpræſentiarum vindicamus, *vbique ſemper* viguiſſe, atque non ab vno inuectam auctore, ſed *ab om-*

nium gentium Doctoribus orthodoxis ac Scriptoribus queiſque illuſtribus ſuſceptam, probatam, propagatam; Regum ac Imperatorum inſinuatam reſcriptis, ſummorúmque Pontificum ſacris firmatam decretis: Eccleſiaſticis tabulis proditam, Synodicis conſeſſibus aſſertam, diuinis inſuper teſtimoniis, hoc eſt patentibus miraculis obſignatam patefecimus. Contra hæc aſſertionis noſtræ publica, perpetua conſpicuáque munimenta, videant aduerſarij quid vnius Vſuardi, ſi ex aduerſo ſtaret, poſſet ſuffragium priuatum efficere? Cuius tametſi meritis nihil demere auſim neque velim: tamen nemo eſt qui non videat, ex ſimplici indice Patronorum noſtræ ſententiæ, illorum auctoritatem tanto huic præponderare, quanto vnius hominis quamtumlibet docti atque pij opinationi, orbis vniuerſi Chriſtiani ſingulis ſæculis in eandem traditionem aſſertionémque conſpirantis, præualet tam certa quàm explorata ſententia. Quamuis haud opus ſit Vſuardum cum vniuerſa Chriſtiana Republica componere, vt inæqualitas iudicij appareat. Quæſtio eius ſæculo mota eſt, num Dionyſius Pariſienſis Eccleſiæ protomyſta, idem vnúſque extiterit cum eo Areopagità æquiuoco, qui in Athenienſi foro, Paulo Apoſtolo Chriſtum prædicante fidem ſuſcepit, hánceque deinde ad extremos vſque vitæ, mortíſque propugnauit agones? vel alius ab iſto cenſendus ſit Pariſienſis, qui ſub tertij ſæculi finem, hoc eſt ſub Decio vel

Diocletiano in Galliam Româ directus fuerit? Non potuit certè nec debuit Vſuardus rem ex 1.Reg.7.12. ſuo arbitrio definire. At recurrere debuit *ad lapidem adiutorij*; ad Pariſienſis Eccleſiæ, quæ extrema parentis ſui acta piè ſeruabat, intemeratos indices; vel matricis omnium Eccleſiæ Romanæ ſacroſancta monimenta atque iudicia. Sic enim ſemper in Eccleſia vſu receptum fuit: vt paternarum traditionum ſucceſſionúmq. Epiſcopaliũ, ac rerum in ſingulis plebibus per Dei homines geſtarum, ab Eccleſiis quas fundauerãt teſtimonia quærerentur, monimentáque repeterentur. Sicut apud S. Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Epiphanium, &c. alióſque conſtat priſcos Doctores, imò in fidei definitionibus, Pontifices & Concilia vulgaria exemplaria Patrum, non curabant, ſed quæ in Bibliothecis Patriarchalibus & Pontificiis aderant, aſſumebant pro regula: quemadmodum liquet ex actis Synodi VI. *act.* 7.8.12.13. 14. & ſeptimæ Synodi œcumenicæ, *act.* 4. *&* 6. Oportuit igitur dubium de Dionyſio noſtro non ex priuatis chartulis, neq. ex vnius hominis quantumuis religioſi placito definire, ſed ex publico teſtimonio quod Vſuardus ipſe quęrere atq. complecti debuit. Erant autem in archiuo Eccleſiæ Pariſienſis authentica acta S. Dionyſij vetuſtiſſimis Codicibus inſcripta, quæ ſibi repræſentata fuiſſe Ludouicus Pius Imperator (cuius prima ſaltem tempora regni attigit Vſuardus) ſacra reſcriptione teſtatus eſt: quibus Areopagitam Diony-

ſium, Pariſienſem fuiſſe quoque præantiſtitem, & Martyrem aſſeuerabatur. Quæſo igitur, cur Vſuardus (præſertim, ſi vt volunt aduerſarij, Pariſiis degebat) ſacra monimenta pro more Eccleſiaſtico ex ſanctuario Pariſienſi non perquiſierit? Cur ſi viderit, complexus ac ſectatus non fuerit? Cur ſententiam priuatam, tam illuſtris Eccleſiæ teſtimonio, tabulis ſacris, iudicio ac perantiquæ traditioni & fidei huius non tantùm Eccleſiæ, ſed vniuerſæ Galliæ: imò Eccleſiæ tam Orientalis quàm Occidentalis Græcæ ſcilicet & Latinæ patenti conſenſioni, ſediſq. ſupremæ Apoſtolicæ perpeti documento atque iudicio tot titulis authentico, prætulerit? Et poſito quòd ſic ſuo in ſenſu abundârit, ſuóque particulari iudicio publicum poſtpoſuerit: quæſo iam vtrum ſingularis eius auctoritas tanti habenda ſit, vt generali placito decretóque Chriſtiani orbis præualere debeat, Legémque Eccleſiæ vniuerſali, quæ contra ſe ſentire tot argumentis prodidit, poſſit præfiere? ſeriò Baronius Molanum reprehendit, quòd ille de Martyrologiis differens ex profeſſo, de Romano agere tamen prætermiſerit, nimirùm quia exiſtimâſſe videtur Romanam Eccleſiam non alio, quàm Vſuardi Martyrologio conſuetam vti. Præterierunt eum ſiquidem quamplurima antiqua Manuſcripta Romani Martyrologij exemplaria, ad quorum perpendiculum Romanum Hagiologium, quod excuſum eſt auctoritate Gregorij XIII. & iuſſu Clementis VI. recognitum, accuratè expenſum, atq.

In app. ad Roman. Martyrologium c. 9.

reſtitutum fuit. * Porrò in hoc ſacrorum diptychorũ Codice Apoſtolica auctoritate vindicato, ex antiquorum exemplarium fide, Dionyſij Areopagitæ identitas cum Pariſienſi inſinuatur & aſſeritur vnius eiuſdémque natalis aſſignatione, atque perſonæ ſingularis indiuidua commendatione. Vſuardi igitur ſi contra cenſuit, concidit hac conuulſa ſacroſancta ſũmę Sedis auctoritate opinatio; nulláq; ratio aduerſariis ſuppetit, quâ priuatũ eiuſdẽ Vſuardi ſenſũ publico Romanæ Eccleſiæ iudicio ſacris in diptychis ac diuinis præconiis exarato, totiéſq; ſignificato, vindicato, inculcato opponere queant, nedum anteferre. Sed benè eſt quòd Vſuardum quoque ita, vt volunt, ſcripſiſſe approbare nequeant, euictum eſt enim omninò ſuprà per ineluctabiles rationes & argumenta patentiſſima, Martyrologium illud quod Vſuardi eſſe iactitant, illius neque autographum, neque apographum eſſe: ſed tantummodò Pratenſis Cœnobij eſſe Martyrologium, ſenſim auctum atque immutatum per temporum vices atque euentus, ſuccedaneâ Monachorum loci huius induſtriâ. Quamobrem peculiari vſui aſceterij huius accommodatum, deprehenditur atque conſpicitur. In quo tamen, reuerà, nihil continetur, quod ſit aſſertæ à nobis antiquæ traditioni aduerſum.

* Quo comperto Molanus errorem agnouit ſuum traditúmque ab Apoſtolica ſede propriũ ac ſyncerum Romanæ Eccleſiæ Martyrologium, reuerenter exoſculatus ac amplexus notis exquiſitiorib. ac profuſiorib. iis quas ad Vſuardum poſuerat, illud continuò illuſtrauit. has mirificè commendat Baronius, in apparatu ſuo ad Martyrologium Romanum: nec dubium quin iis fretus copioſis ſuppetiis, ſuas notationes inſtruxerit atque cumulârit.

ARGV-

ARGVMENTVM X.

Deſumptum ex ſententia Ioannis Erygenæ, Monachi Scoti, Hilduini aſſertionem, de nouitate, vt aduerſarij volunt, ſugillantis.

IOANNES *denique Erygena Scotus* (idem inquit auctor præcedentis argumenti) *in epiſtola ad Carolum Caluum, quam Latinæ Græcorum Dionyſij operum verſioni ſuæ præfixit, ad hanc Hilduini de vnico Dionyſio nouam tum ſententiam alludens, non veterum, ſed moderni hoc eſt ſui temporis hominum aſſertionem fuiſſe ait.* Hæc ille more ſuo quàm modeſtiſſimè. Sed Boſquetus omnes modeſtiæ limites tranſgreſſus, longè acerbiſſimè cum Hilduino eiúſque ſuffragatoribus agit, abuſus turpiter teſtimonio Scoti, & nimium ſibi pollicitus de lectorum tarditate, ſeu ſegnitia, qui ipſi referenti incautiùs crederent, nec ad teſtis quem inducit libellum, recurrerent inſpiciendum. Sic igitur poſtquam ſententiam illam quam Hilduinus tutatus eſt, nouam ex eo exiſtimandam cenſuit, quòd octingentis, vt ait abhinc tantùm annis nata ſit: prorſúſque contra exploratam hac ex lucubratione veritatem, ſuppoſuit, anterioribus ſæculis Eccleſiam Gallicanam contrarium ſenſiſſe, & vix tandem nec omnino in illam de Areopagita ſententiam, fuiſſe illapſam; continuò ſubiungit. *Nam perditis Græcorum rebus qui à Francorum Regibus ſuppetias poſtulabant, ingenio Græco*

factum eſt, vt ſancti Dionyſij Monachis penes quos maxima Galliæ pars rerum erat, ſuo Dionyſio dignitatem Areopagiticam & Pauli Apoſtoli, tum primum affingentibus, vltro applauderetur, & veris fictiſque monimentis tota res confirmaretur. Cui virulentæ calumniæ ſuprà cap. 2. luculenter atque accuratè reſpondimus, oſtendimus ſiquidem eo tẽpore quo Hilduinus Areopagitica ordiebatur potiùs Occidentis quàm Orientis res afflictas fuiſſe: incurſu enim formidabili Saracenorum in Hiſpaniam, Siciliámq. illabentium, territum Gregorium IV. Pontificem Maximum, cum Ludouico Pio Lotharióque eius filio, per legatos Conſtantinopolim tranſmiſſos, fœdus cum Michaële Imperatore Orientis inire poſtulâſſe, effeciſſéque vt cum ipſis, coniunctis viribus bellum in Saracenos ſuſciperet. Fraude autem Græcos, cum S. Dionyſij libros geſtáque ad Ludouicum Pium eius rogatu tranſcripſerunt, nequaquam cum illo fuiſſe vſos. Rem enim hinc inde actam, DEVM quoque O. M. nouemdecim miraculis confirmaſſe, quæ, vt Sigebertus notat in Chronico ad annum octingenteſimum viceſimum quartum, in ipſo S. Dionyſij Areopagitæ feſto, cùm allata fuiſſent ſacra illius apographa, in eiuſdem Monaſterio, in ipſa eius natalis nocte edita, virtutem ſancti Martyris & gloriam affatim oſtenderunt, ipſiúſque & nominis & perſonæ identitatem, operúmque eiuſdem germanitatem, atque Ludouici Pij, & Galliæ vniuerſæ, non Hilduini ſolius, neque

Græcorum tantùm veram de ipſomet Dionyſio ſuo Areopagita ſententiam, inuiolabili auctoritate (vtpote diuina) comprobauêre. Quod autem dicit Boſquetus, Græcos fuiſſe adulatos Monachis ſancti Dionyſij, vt ſuppetias (quas tum non quærebant ſed afferebant) impetrarent à Francorum Regibus, quoniam maxima pars Galliæ rerum penes ipſos Monachos ſancti Dionyſij tunc erat, eſt ſanè Regibus Chriſtianiſſimis Auguſtíſque Imperatoribus Ludouico Pio & Lothario admodum iniurioſum: qui certè multum degeneres fuiſſent à Maioribus ſuis fortiſſimis & Chriſtianiſſimis, ſi ſe per Monachos ſancti Dionyſij duci, atque ſummam rerum ab illis teneri permiſiſſent. Tantum certè abeſt, cùm Ludouicus Pius Hilduinum ipſum Cœnobiarcham S. Dionyſij, Areopagiticarum poſtea vindiciarum textorem, ob neſcio quas ſuſpiciones, Abbatiâ illâ, aliíſque titulis ſacris exutum, in Germaniam relegauerit, quemadmodum ſuprà quoque cap. 6. commemorauimus. Quod addit autem Boſquetus ſententiam Hilduini de identitate Pariſienſis Dionyſij & Areopagitæ fuiſſe veris fictíſque monimentis confirmatam. Veris quidem quæ ſuprà etiam per ſeriem expoſita ſunt, probatam fuiſſe monimentis admittimus. Falſis omnino negamus: niſi Boſquetus falſa ſeu ficta, vt ait, monimenta cenſenda velit, publica perſpicuáque orbis Chriſtiani hac de re teſtimonia, quæ fulta patefecimus non modò intima Galliæ con-

ſenſione; ſed Græcæ quoque Eccleſiæ aſtipulatione, inſuper verò ſanctæ Romanæ Eccleſiæ auctoritate. Pergit nihilominus vlteriùs Boſquetus, tam falſas præmiſſas, pro ratis & certis concluſionibus præſupponens. *Non facilè tamen Francorum prudentiores, Græca adulationi crediderunt. Non ipſe Ioannes Scotus qui eo tempore primus Dionyſij Areopagitæ opera in Latinum Sermonem vertit. Ille in epiſtola ad Carolum Magnum ſcribit: Non antiquos Patres, qui Areopagitæ Dionyſij meminerunt, ſed nouos quoſdam, neque nominis famâ, neque doctrinæ auctoritate celebres, hunc Areopagitam eundem cum Pariſienſi temerè affirmare: hunc * Clemente Petri ſucceſſore ſedente Romam veniſſe, in Gallias ab eo legatum cum Ruſtico & Eleutherio, Martyrium ſubiiſſe.* Hæc Boſquetus.

* Temerarij igitur illi erāt Epiſcopi Gallicani, & nullius nominis, nullius doctrinæ, neque auctoritatis, qui anno 825. (ante vel cogitata ſolùm ab Hilduino Areopagitica) ſcribebant ad Eugenium II. Papā pro veritate explorata, S. Dionyſium à S. Clemente cum auxiliariis directū, primitias fidei Galliæ attuliſſe. *In Collatione ab ipſis habita Pariſiis, ſuáque ad ipſum PP. Eugenium Synodica.*

Responsio.

Quâ peritiâ, qua fide, qua fronte hæc Boſquetus effutiat, Lector quæſo conſpice. Certè enim ſuam ipſe haud obſcurè prodit oſcitantiam, cùm Ioannem Scotum memorat, ſancti Areopagitæ opera de Græco Latinum in ſtylum ab ipſo conuerſa, Carolo Magno inſcripſiſſe: quod indicat ex eius ad illum ſcripta (ſi diis placet) epiſtola, quam prodit ſe nedū legiſſe. Siquidem eam ſi inſpexiſſet eiuſdem ex titulo didiciſſet, non ad Carolum Magnum Ludouicij Pij (cuius iuſſu ſcripſit Areopagitica Hilduinus) ſed ad Carolum ipſius Ludo-

uici filium cognomento Caluum, ſcriptam eſſe, ad quem Carolum, Nicolaus Papa de illa Scoti verſione ſibi ſuſpecta mox litteras paræneticas dedit. Vide igitur quænam ſit in dictis Boſqueti, Chronologi vtique & Hiſtorici peruigilis atque attenti admodum circa ea quæ ſcribit, de tanti momenti rebus conſonantia? Hilduinus primus omnium ſub Ludouico Pio Areopagitam eſſe Dionyſium Pariſiorum Antiſtitem aſſeruit. Cuius (inquit) ſententiam Ioannes Erygena Scotus in epiſtola ſcripta ad Carolum Magnum redarguit: bella nimirùm Chronologia, & cohęrentia rerùm ac temporum valdè ſpectabilis: quæ aduerſa ſibimet inuoluit, & dum pugnantia interſerit, ſemetipſam euertit. Verùm fortaſſe vt ſe eximat tãto dedecore replicabit, nonnullorũ quòd ſit ſententia, Ioannẽ Scotum ſub Carolo Magno floruiſſe & ſcripſiſſe. Reſpondeo, etiam poſito quòd ita ſit, Boſquetus ſe non extricat patenti hoc ex anfractu, in quem ſe ipſe præceps coniecit. Demus enim eidem gratis, quod ipſe fruſtra contendit: Scotum ſub Carolo Magno Scriptorum gloria claruiſſe, eíque verſionem operum ſancti Dionyſij Areopagitæ dedicâſſe. Hoc poſito, quo pacto quæſo Boſquetus pronunciatum illud conciliabit, cum eo quod ſubnectit, Scotum in illa epiſtola ſententiam Hilduini reprehendiſſe, in eius Areopagiticis aſſertam, de Dionyſij tam Areopagitæ quàm Pariſienſis vnitate. Cùm Hilduinus nonniſi ſub Ludouico Pio, adeóque eiuſdem iuſſu eiúſque

ſub Imperij exitu, ſcilicet anno circiter octingenteſimo triceſimo octauo, Areopagitica ſua delineauerit, Carolus autem Magnus anno, vt omnibus notum eſt, octingenteſimo decimo quarto, de terreno regno ad ſupernum, felici tranſitu commigrârit. Nec Boſqueto errantium ſecum dicta patrocinantur: quorum præſes eſt Philippus Mornæus, in exitiali ſuo libro *de Euchariſtia.* quo vt Ioannis ipſius Scoti nutantem fidem fulciret, libellúmque eiuſdem reprobum de Euchariſtia ipſa, damnatum & exuſtum in Concilio Vercellenſi ſub Leone IX. ſibi in præſidium impune aſſumeret, Scoti illius erroneam de myſterio pietatis doctrinam (qua Berengario deinde ſemina impiæ dedit ſententiæ prouehendæ) auctoritate Venerabilis Bedæ obfirmare voluit, ideóque illum fuiſſe Bedæ diſcipulum, proindéque hanc ex ipſius ſcitis doctrinam, eum mutuatum, propudioſo mendacio ſcribere non erubuit. Quem egregiè eminentiſſimus Cardinalis Peronius caſtigauit aureo ſuo in opere *de Euchariſtia.* Ibi enim *lib. 2. auctore 38. cap. 1.* nitidè illam detegit fraudem, atque ſtropham tam verſutam rigidè omnino depellit, oſtendens nimirum ex Baſlæi etſi hæretici iudicio, Ioannem Erygenam Scotum, Bedæ diſcipulum eſſe non potuiſſe. Cùm enim mortuus ſit ex conſtanti calculo anno 884. (poſtquam ſcilicet anno 876. Areopagitæ opera tranſtuliſſet) Beda autem circa annum 730. migrârit ad Chriſtum: ſi huius ille fuit

diſcipulus, annos ſaltem in 170. ipſum prorogâſſe vitam neceſſe foret: quod nimis abſurdum. Rectè igitur Cardinalis Peronius aduerſus Mornæũ aſſumit, Ioannem ipſum Erygenam minimè fuiſſe alumnum Venerabilis Bedæ, neque tẽpore Caroli Magni (cui dicâſſe verſionem ſuam operum Areopagitæ perperam Boſquetus ſcribit) quemadmodum idem Mornęus, ſuppoſito putido hoc anachronyſmo affirmabat; ipſum potuiſſe ſcientia, & ſcriptis eſſe clarum, qui nondum in humanis agebat. Qua de re conſulere licet etiam Pitſeum, qui in libro *de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus*, Ioannem Erygenam vltimum ætatis nonæ ponit auctorem: fulgentem vtique ſub Carolo Caluo & Ludouico Balbo, minimè autem ſub Carolo Magno, patris ſcilicet Caroli Calui parente. Sed deluſum fortè (inquies) Boſquentum à Mornæo hæretico. At debuit à Cardinale Peronio, qui patefecit Mornæi errorem & malitiam, Boſquetus à lapſu cohiberi. Ceterum nimis me illum angere etiam quiſpiam exiſtimabit, cuius fortè non culpa ſed calcographi oſcitantia, Carolus Magnus pro Carolo Caluo in ſeriem editionis irrepſerit. Et re vera poſt editum hunc elenchum, in indiculo animaduerti correctionis, *Magnum*, Caroli cognomentũ delendũ ab inſpiciente rem penitiùs, obiter eſſe notatum. Sed verò Boſquetus tardè nimis & frigide hoc admonuit: neque enim tam craſſum erratum debuit in textu relinquere, & cùm demum & vix quidem eradendum eſſe ſignauit,

Caluum pro *Magno*, ſaltem reponendum, monere debuerat: neque illud erratum grauius intactum relinquere. *Qui eo tempore, &c.* ſic enim falsò indicatur, Scotum, verſionem Areopagitæ ſub Ludouico Pio, (cuius iuſſu ſua Areopagitica Hilduinus edidit) concinnâſſe.

Præterea quis hanc inſinuationem Boſqueti ſine riſu excipiat? *Franci prudentiores, Græcis adulantibus*, Monachis S. Dionyſij, in ſententia Areopagitæ *non crediderunt.* quod non aliunde probat quàm ex eo quòd Ioannes ipſe Scotus, qui eo tempore primus Dionyſij Areopagitæ opera in Latinũ ſermonem vertit, temerariã (vt ait) illam fuiſſe & nouam Hilduini ſententiam ſcripſerit. Scilicet inter tot *Francorum prudentes*, imo *prudentiores*, vnus & quidem ſolus Ioannes Scotus numerandus erat? qui certè Anglo-Britannus fuit, patria Demeta, vrbe Meneua, quæ eſt S. Dauidis ciuitas in Vallia ſeu Cambria, patricio genitore ortus, (vt Suffredus Petrus notatum reliquit, ex duobus Manuſcriptis Codicibus Gemblacenſi & Affligemenſi, ex eóq; Pitſeus in anteſignato opere *de illuſtribus Angliæ ſcriptoribus* ætate nona. Mirum, cùm tot Gallia prudentes tum haberet (vt ſemper habuit) nullum tamen indigitare potuerit Boſquetus, qui Hilduino Græciſque aduerſa fronte non obſtiterit, fabulam tam patentem, imò impoſturam tam putidam quam illi ingerebant, propatulo exhibendo; niſi vnus iſte magiſter Ioannes, & quidem non Gallus, ſed Anglus, qui ſummus iudex,

iudex, non modò teſtis vnicus, à Boſqueto huius controuerſiæ conſtituitur: quaſi res Gallicas exterus ille homo meliùs quàm indigetes calluerit, atque maximè Eccleſiarum origines, primitiuóſque cenſus meliùs quàm ipſi illarum Antiſtites nouerit, Scriptoréſque Gallicos in rerum Galliæ notitia antecelluerit: iíſque eo iure præferendus veniat. Quod perinde eſt, ac ſi in rebus Anglicis contempto Bedæ iudicio, anteferrem Aymonium: vel in Hiſpanicis Matthæum Weſtmonaſterienſem Roderico Ximeneo præponendum contenderem.

Sed omiſſis his næniis ad rei demum cardinem me totum conuerto. Vt eleuet Boſquetus auctoritatem Hilduini, Hincmaríque & aliorum innumerorum Galliæ inſignium Scriptorum, quorum conſona de Dionyſio noſtro teſtimonia per ætatum ſeriem expreſſimus; obiicit vnum Ioannem Scotum, quem ſententiam illorum tum naſcentem ait, è veſtigio deprehendiſſe, damnaſſéque perſpicuæ nouitatis, atque etiam temeritatis. Verùm hîc precor enixè Lectorem, vt Boſqueti fidem mecum interpellet, quam tum non dubito plurimùm deſiderabit, cùm Ioannis Scoti dicta contulerit cum obiectione ipſius Boſqueti, tot conuitiis commentitiíſque verbis, conflata, qua ſub Scoti nomine dirè Hilduini & Hincmari (illuſtrium ſanè Galliæ Myſtarum ac Scriptorum) piam memoriam lacerat & turpiter inficit. Non indicauit data ex opera vbi

epiſtolam illam, quam, vt ait, ſcripſit Scotus ad Carolum Magnum (rectiùs ad Carolum Caluum) de Areopagitæ operibus & geſtis conſpexerit, contractârit: quam ſanè nunquam illum legiſſe reor; cuius verba nulla ſyncerè retulit. Raro quidem illa reperitur, quin & non prorſus integra, ſed dimidia tantùm, ſub fragmenti inſcriptione conſerta, in antiquo volumine, cuius hoc programma eſt. SANCTI DIONYSII MAGNI, AREOPAGITÆ, D. PAVLI APOSTOLI DISCIPVLI, MARTYRIS INCLYTI, ATHENARVM EPISCOPI, GALLIARVM APOSTOLI, PRIMÍQVE PARISIORVM PONTIFICIS, OPERA QVÆ EXTANT OMNIA: *Ioanne Scoto interprete, & Abbate Vercellenſi paraphraſte. Operâ & induſtriâ Bartholomæi Laurentis repurgata. D. Dionyſij Carthuſiani commentariis illuſtrata per Godefridum Tilmannum & Brunonem Loer Carthuſianus: edita Coloniæ anno 1556. dicatáque Danieli Archiepiſcopo Moguntino.* In cuius collectionis prolegomenis pag. 6. hic extat titulus & ſuperſcriptio.

FRAGMENTVM EPISTOLÆ IOANNIS SCOTI (QVI PRIMVS DIONYSIVM AREOPAGITAM, è Græco tranſtulit) ſcriptæ ad Carolum Caluum.

CHRISTO *duce qui eſt lux mentium & illuminat abſcondita tenebrarum, libros ſancti Patris Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi Athenarum, quos ſcri-*

pſit ad Timotheum Epiſcopum Epheſiorum, & epiſtolas eiuſdem de Græco in Latinum tranſtulimus. Opus valde vt opinamur anfractuoſum, longéque à modernis ſenſibus remotum, multis inuium, pauciſque apertum, non ſolùm propter eius antiquitatem, verùm etiam cæleſtium altitudinem myſteriorum. Fertur namque præfatus Dionyſius fuiſſe diſcipulus, atque adiutor Pauli Apoſtoli, à quo Athenienſium conſtitutus eſt Epiſcopus. Cuius & Lucas commeminit in Actibus Apoſtolorum, & Dionyſius Epiſcopus Corinthi, vir antiquus, beatus quoque Polycarpus in epiſtola ad Eccleſiam Athenarum, Euſebius quoque Pamphili in Eccleſiaſtica Hiſtoria, & ſanctus Papa Gregorius in homilia ſua vbi breuiter Angelorum ordines expoſuit. Hunc eundem quoque, non præfati viri, ſed alij moderni temporis aſſerunt (QVANTVM VITA EIVS A FIDELIBVS VIRIS TRADITA TESTATVR) *temporibus Papæ Clementis, ſucceſſoris videlicet Petri Apoſtoli, Romam veniſſe, & ab eo prædicandi gratiâ in partes Galliarum directum, & Martyrum gloria coronatum fuiſſe cum beatiſſimis ſuis conſortibus, Ruſtico ſcilicet atque Eleutherio. Hæc igitur noſtra qualiſcunque tranſlatio*, &c. quæ nihil ampliùs de geſtis, at aliqua de ſcriptis ſancti Areopagitæ, à Scoto ipſo traductis, breui ſerie complectuntur.

Iam verò perſpecta hac inſigni epigraphe Scoti, peto à Boſqueto vtrùm ipſum non admodum pudeat, quòd ex illius auctoris præſignata inſinuatione mala fide retulerit in obiectione ſua: *Eundem Scotum* in eo contextu *ſcribere. Non*

antiquos Patres qui Areopagitæ Dionyſij meminerunt, ſed NOVOS QVOSDAM SCRIPTORES NEQVE NOMINIS FAMA, NEQVE DOCTRINÆ AVCTORITATE CELEBRES, *hunc eundem Areopagitam eundem cum Pariſienſi* TEMERE AFFIRMARE, *hunc Clemente Petri ſucceſſore ſedente Romam veniſſe in Gallias, ab eo legatum cum Ruſtico & Eleutherio martyrium ſubiiſſe.* Obſecro ſiquidem quantum ad poſterioris ſententiæ auctores vel aſſertores ſpectat, vbi in præfato Scoti diſcurſu illa parent conuitia, quibus eoſdem reprehendendo perſtrinxiſſe & impetiiſſe, ipſum refert Scotum Boſquetus in criminatione præſignata? Quæſo vbi ſunt illa famæ probra Hilduini ac Hincmari, Methodiíque & Anaſtaſij, aliorúmque inſignium Areopagiticæ vindicationis aſſertorum nominis dedecora, quibus eos vult Scotum Boſquetus aſperſiſſe, dum refert illos nuncupaſſe, *nouos quoſdam Scriptores, neque nominis fama, neque doctrinæ auctoritate celebres*: cenſuiſſéq. eoſdem *temerè* Areopagitam eundem cum Pariſienſi *affirmare*? Certè tantum abeſt, vt eos Scotus ipſe ſic criminetur, probríſque his afficiat, quin ipſemet de iis reuerenter admodum loquitur: quos etſi non antiquiſſimis coætaneos indicat, aliis tamen prædicamentis cohoneſtat, dum quæ ſcripſerunt de Areopagitæ in Gallias miſſione & aduentu, ſyncerè innuit retuliſſe, *quantum*, inquit, *vita ſancti Dionyſij à fidelibus viris tradita teſtatur.* Quæ igitur ex actis beati

Dionyſij tam authenticis expreſſerunt,atq. prodiderunt ſecundarii illi ſcriptores,Scoto iam iudice *non temerè affirmârunt* (quod non veritus eſt Scoto ipſimet ſcribenti, Boſquetus imponere) at è contra ſyncerè ab illis relata ſunt, *quantum vita ſancti Dionyſij à fidelibus viris* (vt aſſerit idem Scotus) *tradita teſtabatur*. Quibus ex verbis palam eſt, genuinam eſſe hanc ſancti Areopagitæ hiſtoriæ coronidem, eiuſdémque Hierophantæ ſynceram certámque tranſmigrationis, Apoſtolatus, & agonis Pariſiis peracti cataſtrophen, perſpicuè Scotus arbitratur. Vnde argumentum Boſqueti funditus euertitur. Scotus enim quem ita nobis aſſeuerabat aduerſum, ad nos totus ea in re ſpectat, ſuóque teſtimonio identitatem quam propugnamus Dionyſianam obſignat, & Boſqueti tam erraticam damnat opinionem, quàm manifeſtam eiuſdem calumniam in ipſum regerit; qui quæ nunquam ſomniauit idem Scotus eidem inuerecundè affixit: præſtantiſſimóſque Galliæ Scriptores alióſque auctores eximios, ſæpedictæ identitatis ſtrenuos vindices, ementitio eiuſdem Scoti nomine impotenter aggreſſus, illius confictis verbis, eiuſdem prorſus ſenſibus ac vocibus contrariis, immortalem illorum memoriam obſcurare non modò niſus eſt, ſed turpiter etiam dedecorare.

Sed prætermiſſa tam infauſta Boſqueti molitione: ad Ioannem ipſum Scotum lubens regredior. Cenſuit quidem ſententiam Hil-

duini, Hincmari, Methodij, Anaſtaſij, aliorúmque de Dionyſio noſtro veram eſſe, vtpote ex actis, ſeu *vita eiuſdem beati Dionyſij à fidelibus viris tradita* deriuatam: ſed hanc à priſcis quos enumerauit ſcriptorib. non expreſsè teſtatam idem exiſtimauit. In quo tamen nihil nobis officit, ſiquidem non eſt opus vt omnes omnia dicant: & ſcitum eſt illud Iuriſprudentium, plus valere teſtem vnum qui aſtruat, quàm centum qui neque negant, neque affirmant. Quamquam oſtendimus Euſebium nobis fauere, ſanctum Gregorium, Dionyſium Pariſienſem non alium ab Areopagita, ſed eundem cum eo exiſtimaſſe atque prodidiſſe. Quantum ad ſanctum Polycarpum pertinet, Suidas illum pleraſque ad Eccleſias epiſtolas ſcripſiſſe commeminit, quin & vnam ad ipſum Dionyſium Areopagitam ſcripſiſſe. Hanc neque alias Suidas retexuit. Ex qua fortè ſufficiens notitia de Dionyſij in Gallias tranſitu, & ſuſcepto illarum ab eo Apoſtolatu, hauriretur. Oſtendit enim Baronius, ſub anno centeſimo ſexageſimo nono, inter Dionyſium Galliarum Apoſtolum, & ipſum Polycarpum intimam amicitiæ coniunctionem interceſſiſſe, ex qua ortam cenſet mutuam illam amoris & conſuetudinis connexionem, quæ prima in ipſa Eccleſiæ ætate (vt perſpicere eſt apud Euſebium) inter Galliæ & Aſiæ Chriſtianos viguit. Ceterùm neque de ſcriptis ſancti Dionyſij Areopagitæ, peruetuſtos illos auctores qui eiuſdem commeminerunt

mentionem feciſſe, Scotus ibidem innuit: quæ tamen ipſe pro germanis habet & ſumma effert commendatione: aliunde etenim illorum ingenuitas atque excellentia clareſcebat, *quæ remota non ſolùm propter antiquitatem, verùm etiam ob cæleſtium myſteriorum altitudinem eſſe dicit à modernis ſenſibus*: id eſt poſteræ ætatis vſibus, & captu illorum, qui iiſdem opuſculis legendis aſſueti non erant, quoniam aliquot delituerant hi libri ſæculis, neque adhuc à quoquam ex natiuo idiomate Græco, Latinum fuerant in ſtylum penitus traducti. Attamen illa quam præſtitit ſcriptorum S. Dionyſij verſio, minimè ſtatim in precio fuit. Suſpectam enim illam habuit Nicolaus primus Papa, qui ſic de illa eiúſque auctore mox ac fama illius tranſlationis innotuit Romæ, ad Carolum Imperatorem expoſtulauit. *Relatum eſt Apoſtolatui noſtro, quod opus beati Dionyſij Areopagitæ quod de diuinis nominibus, vel cæleſtibus ordinibus, de Græco deſcripſit eloquio, quidam vir Scotus genere, nuper in Latinum tranſtulerit: quod iuxta morem nobis mitti & noſtro iudicio debuit approbari; præſertim cùm idem Ioannes licèt multæ ſcientiæ eſſe prædicetur, olim non ſanè ſapere in quibuſdam frequenti rumore dicatur.* Exagitatus enim fuerat in Galliis ob quoſdam aſſertos eius errores, in libro quem inſcripſerat *de naturæ diuiſione*: quem Florus vehementer inſectatus eſt. Diu poſt eius mortem nempe anno 1050. alius eiuſdem Scoti exitioſus liber *de Eucharistia*, ex quo hæreſis ſuæ ſemina college-

rat Berengarius, in Concilio Vercellenſi à Leone IX. Pontifice damnatus fuit Synodali iudicio: ſicut refert oculatus teſtis Lantfrancus, ita ſcribens ad Berengarium. *In audientia omnium qui de diuerſis mundi partibus illic conuenerant, Ioannis Scoti liber de Euchariſtia lectus eſt ac damnatus, qui ab eodem Berengario, fatente ſe inde hæreſim mutuatum, in Concilio Remenſi ſub Nicolao II. flammis iniectus fuit.* Refert Willelmus Malmeſburyenſis, Scotum ipſum in dicto Monaſterio Malmeſburyenſi, à pueris quos ibidem docebat ſcalpellis præacutis interemptum. Quamobrem pro Martyre cultus fuit à nonnullis, qui perſpectos eius aduerſus fidem Catholicam errores non habebant. Tamen Kemnitius *in examine* fatetur, illum à pueris fuiſſe graphiis necatum, eo quòd eos ab auita fide de Chriſti in Sacramento reali exiſtentia, deducere, nouo inuecto dogmate, niteretur. Audiit igitur malè deinceps eius memoria, poſtquam illa impietas detecta eſt, & damnatus exitialis ille de Euchariſtia liber. Maximè in Gallia in qua ob eius odium, tranſlatio ab eo facta operum ſancti Dionyſij, ſuppreſſa, aut ita altè ſepulta erat tempore Alexandri III. & Ludouici ſeptimi, vt Ioannes Sariſberienſis Epiſcopus Carnotenſis, Ioannem cognomine Saracenum aſſiduis flagitationibus impulerit, tranſlationem vt aliā ederet, Hierarchiæ & diuinorum nominum ſancti Dionyſij, ſicut liquidum fit, ex eius ad illum epiſtola numero 183. & alia ſerie 225.

Ray-

Raymundo Pictauienſis Eccleſiæ Cancellario inſcripta. Quæ verſio Saraceni adhuc extat, conſertáque fuit cum Dionyſij Carthuſiani commentariis ſuperiùs indicatis. Hæc verò omnia non commeminiſſemus niſi occaſionem Boſquetus diſcutiendi nomen Ioannis Erygenæ dicti Scoti nobis vel inuitis præbuiſſet: qui ignominiæ labem nunquam quæſiuimus memoriæ cuiuſuis inurere. Sed plurimum dolemus, cùm gloriam Apoſtoli Franciæ Boſquetus ipſe Franciæ alumnus imminuere ſatagit, illum ad huius farinæ homines recurrere, qui infauſta hæreticis errorum principia tradiderunt, & hoc nomine publico notati Eccleſiæ iudicio, vt auctores impietatis ſententiam damnationis promeruêre. Parum igitur nobis Ioannis huius opinatio de B. Dionyſio obeſſet, ſi nobis aduerſaretur: nam nullam auctoritatem apud pios habet. Nec dubium quin potuerit in re leuiori errare, qui in grauiſſima omnium (fide ſcilicet ipſa) lapſus eſt tam infeliciter. Abeat igitur quocumque illum Boſquetus impellere volet, iſte Scotus, quem Galli viuentem vti peſtem ſuos extra fines profligârunt, póſtque eius mortem, exitioſum vt ſatorem impiorum dogmatum exhorruerunt: quémque hoc nomine ſacra Eccleſiæ Catholicæ Tribunalia, hæreſeos condemnarunt.

ARGVMENTVM XI.

Quod ex interpontificio aduerſarij deſumunt, nimiùm, vt aiunt, producto in Eccleſia Pariſienſi, à Dionyſij Areopagitæ ſub Hadriano Martyrio laureati paſſione, ad ea vſque tempora quibus Eccleſiæ Chriſtianæ pax affulſit, cœpítque Pariſienſis Sedes, continuo Epiſcoporum conſeſſu in Gallia ſplendeſcere.

PATRES antiquitatem Eccleſiarum magnifacere ſolent, ex qua originem Apoſtolicam doctrinæ oſtendunt, & propagatæ per continuam Epiſcoporum ſucceſſionem ſacræ traditionis confirmant ſynceritatem: ſicut liquet ex ſancto Irenæo lib. 3. cap. 3. Tertulliano in præſcript. ſancto Cypriano epiſt. ad Florentium & in epiſt. ad Magnum: Hilario libro de Synodis contra Arianos, Epiphanio hæreſ. 27. Optato lib. 2. contra Parmenianum; ſancto Auguſtino in epiſt. ad Generoſum, & ceteris paſſim. Pulchrè inter priores Tertullianus lib. 4. contra Marcionem inquit, *Ordo Epiſcoporum ad originem recenſus oſtendit Eccleſiarum generoſitatem.* Etenim inter ceteras, quæ nobiliſſimæ ſunt, *per cenſus ſuos* (vt idem ait ibidem) *inueniuntur.* Non autem vt Eccleſia aliqua titulo Apoſtolicæ originis illuſtretur neceſſe eſt, vt ab aliquo Apoſtolo fundata fuerit, ſed ſufficit, ſicut idem ait in præſcriptionibus: *vt per ſucceſſionem ab initio decurrentem, aliquem ex Apoſtolicis viris habuerit auctorem vel anteceſſorem.* Pa-

riſienſis Eccleſia hoc iure, Apoſtolici cenſus honore, & emanationis Apoſtolicæ merito gloriatur: quæ à Dionyſio Areopagita Pauli Apoſtoli nobili diſcipulo, in Actis Apoſtolorum magnificè nominato, diuinis ſcriptis quæ edidit percelebri, Martyrióque glorioſo præfulgenti progenita; dignitate decorata parentis, ea generoſitate præſtat, qua inter orbis illuſtres (poſt Romanam omnium principalem, & alias quas Apoſtoli ipſi per ſe immediatè fundauerunt) inſito à ſtirpe honore annumerari mereatur. At tam inſigne natalium decus, quo Metropolica Eccleſia Pariſienſis nobilitatur, neſcio quo liuore affecti nonnulli, qui Galliæ caput, ſedémque Regum Chriſtianiſſimorum, ob communem patriæ amorem debuiſſent impenſiùs, ſi potuiſſent, honeſtare; eius minuere gloriam ardenter enituntur, dum prærogatiuam ſacram Apoſtolicæ originis, qua eminet ipſa Auguſtæ Pariſiorum Lutetiæ Pontificalis ſedes, non modò labefactare contendunt, ſed ſtirpitus ſatagunt potiùs conuellere. Inficiantur ſiquidem Pariſienſi Eccleſiæ hanc à cunabulis contigiſſe gloriam, qua inter orbis antiquiſſimas Eccleſias, Apoſtolici cenſus iure conſideat. Dionyſium enim quem habet ſuæ originis auctorem, minimè ex Apoſtolicis extitiſſe viris, Areopagitámque illum haud eſſe qui in actis Apoſtolicis ſpectabili narratione commemoratur: ſed ex poſtremi agminis bellatorum fidei pugilibus illum eſſe vnum, qui Chriſtianæ

religionis ſalutifera ſigna iam toto terrarum orbe inſignia, Lutetiano demum oppidulo inuexerit, quod vnum ex poſtremis terræ angulis fuerit, vbi trophæa Chriſti cœperint eſſe (trecentis ſcilicet ab ortu ſolis iuſtitiæ ferè annis) conſpicua. Argumenta iam pleraque diſcuſſimus, quibus hoc aduerſarij perſuadere nitebantur, eáque omnia futilia eſſe, inclyto de iis renecto patentis veritatis triumpho hactenus demonſtrauimus. Sed vnum præterea afferunt, quod non infimum ipſi reputant, cuius vigore fractas iam ſuas vires reparare arbitrari ſe poſſe videntur.

Dicunt igitur Pariſienſem Eccleſiam nouellam eſſe, antiquiorum reſpectu, quæ ab Apoſtolis vel Apoſtolicis viris erectæ ſunt. Eiúſq. auctorem ad ætatis Apoſtolicæ non poſſe referri, cùm *per ſucceßionem ab initio*, vt Tertullianus ſuprà loquebatur, *decurrentem, oſtendere nequeat ſe aliquem ex Apoſtolis vel Apoſtolicis viris habuiſſe auctorem vel anteceſſorem*. Etenim ſi Areopagita ille Dionyſius, Athenienſis (quem Apoſtolicum eſſe virum non negant) auctor fuiſſet huius Pariſiacæ ſedis; Epiſcopalis ſucceſſio inde perenni curſu fluens compareret, qua, vt ait Tertullianus, *eius origo ab initio decurreret*. Sed ſucceſſionis ſeries quam prodit Pariſienſis Eccleſia, longè eſt ab illo principio remota, eóque abhinc perpetuo fluxu aliena. Siquidem à Dionyſij Areopagitæ Martyrio, quod Ariſtides (referente Adone) teſtatur, ſub

Hadriano Principe (qui anno Chriſti centeſimo viceſimo Imperium capeſſiuit) illum perpeſſum fuiſſe: ad Conſtantini meliora tempora, quibus pax Eccleſiæ demum illuxit, ducenti fermè anni interfluxerunt, in quibus à Dionyſio noſtro quatuor tantùm Epiſcopi, nempe Mallo, Maſſus, Marcus, Aduentus (vmbratilia vt volunt aduerſarij nomina, quoniam nullis geſtorum indiciis inſigniuntur *) vt in vulgatis Antiſtitum Catalogis patet, enumerantur. Vnde abſurdum ſequitur ſatis euidens, quoniam ſi res ita ſe habet, illorum vnumquemque Pariſienſium Epiſcoporum, quinquaginta annis præfuiſſe huic ſedi dicere oporteret. Veriſimilius eſt igitur Eccleſiam Pariſienſem tardiùs inſurrexiſſe, erectámque fuiſſe, non quidem à Dionyſio Areopagita (quod admittere prohibet longius interſtitium temporis:) ſed à iuniore eius æquiuoco, qui Decio iam regnante, cum aliis ſex Epiſcopis Romæ ordinatus, ad Galliæ fidei primum lumen inferendum, has in auras directus fuit. Qua ab epocha, quæ in annum ducenteſimum quinquageſimum tertium cadit, ſi cenſeatur origo Eccleſiæ Pariſienſis, eiuſdem ſucceſſio aptè conſiſtit, pluſquam quinquaginta enim ſuperſunt anni, qui quatuor Epiſcopis interpoſitis à Dionyſio ad Victorinum vſque, æquè diſtributi, cumulatè ſufficiunt.

* At ita ipſis in Euangelicis ſcripturis, (Matth. 10. Marc. 3. Luc. 6) aliquorum Apoſtolorum nomina in catalogo cēſentur: quorũ nulla in ipſo ſacro codice geſta vel dicta referuntur. Et apud S. Irenæum l. 3. cont. hær. c. 3. Pontificum Romanorum ſeries texitur, ſolis ferè conſtans nominibus, ſine propriorum cuiuſque Pontificis factorum conſignatione. Sic apud Euſebiũ paſſim, quando Eccleſiaſticam ſucceſſionem deſcribit, &c.

Responsio I.

Non ex ſola interruptione ſucceſſionis poteſt Eccleſiæ cuiuſpiam nouitas oſtendi. Benè obſeruat Bellarminus *lib. 4. de notis Eccleſiæ contra Nouatores cap. 8* ex ipſorum confeſſione antiquas eſſe Eccleſias Aſiæ & Ægypti: porrò Hieroſolymitanam, Antiochenam & Alexandrinam eſſe antiquiſſimas. Harum tamen ſucceſſionem, manifeſtè interruptam fuiſſe. E contra Conſtantinopolitanam Eccleſiam ſuam indicare continuam ſine interruptione ſucceſſionem. Hæc ſola eſt enim ex Patriarchalibus ſedibus Orientis, quæ videatur proprio nunquam Patriarcha caruiſſe: & tamen non poſſe illam demonſtrare, Apoſtolicam ſe habere originem; quandoquidem nec ab Apoſtolo, nec ab Apoſtolico viro iura natalium repetit. Succreuit etenim ſenſim, atque ex ſeris & obſcuris cunabulis, repentè ſub Conſtantino clareſcere cœpit. Vnde infert Cardinalis doctiſſimus, ſucceſſionem perennem ab Apoſtolis vel viris Apoſtolicis continuò fluentem, in nulla orbis Eccleſia requiri, ſoláque in ſuprema Eccleſia Romana, quæ omnium mater & caput eſt, certò reperiri. Hócque ſufficere ad fulcrum Chriſtianæ religionis. Licèt enim ſucceſſio nota ſit veræ Eccleſiæ: malè argutabat Caluinus, ita putans Catholicos deducere ad abſurdum; *Periiſſe igitur Eccleſiam iamdudum in Africa, Ægy-*

pto & Aſia, quia ibi ſucceſsio euanuit. Reſpondet enim huic argutiæ, optimè Bellarminus. Eos fideles qui in Africa, Ægypto & Aſia ad veram Eccleſiam pertinent, non poſſe quidem oſtendere ſucceſſionem Epiſcoporum ſuorum particularium: ſed poſſe oſtendere continuam ſucceſſionem Epiſcoporum vniuerſalium, qui ſunt Romani Epiſcopi, quibus ſe ſubiectos eſſe fatentur*. Háncque eſſe cauſam cur veteres Epiſcopi, magis ſolliciti fuerint de ſucceſſione Romani Pontificis, quàm de ſua. Euſebius Epiſcopus erat Cæſareæ in Palæſtina; Epiphanius Salaminæ in Cypro; Auguſtinus & Optatus erant Epiſcopi in Africa; Irenæus Epiſcopus Lugdunenſis in Gallia: & tamen nullus eorum texere voluit ſuæ Eccleſiæ ſucceſſionem, ſed Romanæ tantùm Eccleſiæ: ſatis enim illis videbatur, oſtendere continuam ſucceſſionem in Eccleſia principali, *vnde* (vt aiebat ſanctus Cyprianus) *vnitas orta eſt Sacerdotalis*, & cuius ipſi ſeſe membra eſſe gaudebant. Quibus ex præclaris dictis aptè elicitur ſolum defectum oſtenſionis ſucceſſionis continuæ, non inducere notam nouitatis. Quale enim illud argumentum eſt. Alexandrina Eccleſia non poteſt indicare ſeriem ſuæ ſucceſſionis perennem à temporibus Apoſtolicis. Ergo à ſancto Marco non fuit erecta. Tale certè iſtud foret aduerſariorum. Eccleſia Pariſienſis ſuam nõ oſtendit fluentem à temporibus Apoſtolicis ſucceſſionem. Igitur Dionyſium non habet ſuæ

* Sic profitebatur S. Hieronymus ſcribens ad Damaſum PP. *Paulinum non noui Meletiũ reſpuo*, &c. *Cathedra Petri communione conſocior, ſuper hanc Petram, Eccleſiam ædificatã eſſe ſcio*, &c.

emanationis auctorem. Clarum eſt enim quàm infirma ſit illa conſecutio, ex inſinuationibus præmiſsis.

RESPONSIO II.

Gregorius Turonenſis aliam ſubindicat reſponſionem lib.2.cap.vltimo. *Quòd ſi quis requiret* (ait) *cur poſt tranſitum Gatiani Epiſcopi vnus tantùm, id eſt Litorius, vſque ad ſanctum Martinum fuerit Epiſcopus: nouerit quia obſiſtentibus paganis, ciuitas Turonica ſine benedictione Sacerdotali fuit. Namqui Chriſtiani eo tempore vid.bantur, occultè & per latebras, diuinum officium celebrabant. Nam ſi qui à Paganis reperti fuiſſent Chriſtiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur.* Hæc ille. Ex cuius dictis à ſimili ductis, promptum eſſet reſpondere, tametſi vnus tantùm Epiſcopus reperiretur inter ſancti Dionyſij purpuratum exceſſum, & felicem principatum Conſtantini Magni (qui pacem Eccleſiæ dedit) in Cathedra Pariſienſi ſediſſe; ſic factum, quoniam perſecutionis detonante procellâ & in Chriſtianos fulminante, diſſipatæ Chriſti oues, paſtores non habuerint continua vice ſuccedentes. Atrocitas enim perſecutionis efficiebat, vt non facilè quiſquam in interemptorum tanta feritate paſtorum locum, ſe ſubſtitui pateretur. Quapropter ingentem animi fortitudinem, & imperterritam conſtantiam beati Cornelij Papæ admodum miratur & celebrat

ſanctus

ſanctus Cyprianus, quòd in locum ſancti Fabiani ſuffectus, ſummam ſpeculam quamuis fremente truculenti tyranni efferata rabie, non dubitauerit occupare paſtoralem*. *Quanta in ipſo ſuſcepto Epiſcopatu virtus? quantum robur animi qualis firmitas fidei? quod nos ſimplici corde, & perſpicere penitus & laudare debemus: ſediſſe intrepidum Romæ in Sacerdotali Cathedra, eo tempore cùm tyrannus infeſtus Sacerdotibus Dei, fanda atque nefanda comminaretur. Cùm multò patientius & tolerabilius audiret leuari aduerſus ſe æmulum Principem,* quàm Romæ conſtitui* DEO *Sacerdotem.* Non Romæ autem Principum ethnicorum dira aduerſus Christi Sacerdotes ferocia ita ſæuiebat. Sed vbique, maximéque in Gallia, tam vicina Romæ, tam ampla, tam ſpectabili Imperij prouincia, in qua vt ex ſacris liquet profaníſque hiſtoriis, Imperatores maiora poſt Romanas cædes, crudelitatis ſuæ ſpectacula prodiderunt. Verè aptéque Eſpenceus ponderans illa Apoſtoli verba. *Qui Epiſcopatum deſiderat bonum opus deſiderat*, ex Patrum ſententia interpretatur, *arduum opus, hoc eſt martyrium deſiderat.* Suſceptio enim tunc Epiſcopatus, erat prima ad extremum agonem diſpoſitio, martyrij præparatio, & certa expectatio cruentæ mortis. Tum igitur haud mirum ſi pauci reperirentur, qui tam arduum opus, tam periculoſum nomen, vel delatum auderent aſſumere. Sed tamen Deo prouidente ſemper aliqui excitabantur, qui, vt legitur de Barnaba & Paulo *in Apoſtolorum Syno-*

* Lib. 4. epiſt. 2, quæ eſt ad Antonianum ſerie 52. apud Pammelium.

* Nota quanti facerēt ipſi Imperatores, perſecutores Eccleſiæ, Romani Pontificis auctoritatem.

dica, *Act.* 15. 26. parati eſſent *pro nomine Domini noſtri* IESV CHRISTI *animas tradere*, próque eiuſdem lege & grege extrema quæque perpeti non formidarent. Sed qui eâ virtute erant, mox ac proruperant in aciem (vt anteſignani fidelium) impetu facto aduerſum ſe; in certamine fidei quod auidè iniebant, proſternabantur; glorioſíſque mortibus, cæli quidem triumphos adaugebant, at ſuis mœſtis funeribus, Eccleſiarum gemitus incitabant, quibus per has victorias ſtrenuis ſuis ducibus priuari frequenter contingebat. Nec ſtatim occurrebat alius idoneus, qui nuper laureati cruento in conflictu ducis ſacræ militiæ, locum ſuppleret. Fuerunt hac de cauſa initio naſcentis religionis frequentia interpontificia, ſeu quædam interregna ſpiritualia in pleriſque ciuitatibus, vt patet ex illarum Epiſcopalibus Catalogis*, priſcíſque diptychis ſacris multarum inſigniúmque Eccleſiarum, quemadmodum benè etiam notauit Robertus in Gallia ſua Chriſtiana pag. 163. Hæc igitur ſi contigiſſet Pariſienſi Eccleſiæ Pontificalis conſeſſus abruptio, ſub his procelloſis temporibus, mirum non eſſet. Nec haberent æmuli noſtri hinc firmum argumentum quo id quod contendunt efficerent, videlicet, ſanctum Dionyſium Areopagitam Pariſienſem ipſam Eccleſiam haud inſtituiſſe, eo quòd ab eius agone triumphali, ad pacifica vſque Conſtantini tempora, pauciores reperirentur ſuccedentes in hac ſede Epiſcopi, quàm an-

* Apud Democharem, Chanutium, Robertum, Seuertium, alióſque.

norum qui interfluxerunt certa exigit dimenſio. Fieri enim potuit vt ſequens Epiſcopus præcedenti continuò non ſubrogaretur : ſed moræ aliquot intercederent ob perſecutionis acerbitatem, quæ tametſi ſacræ ſucceſſionis continuum fluxum retardarent; haud tamen eius euellerent initium, neque prorſus abrumperent, ſed longiùs tantum producerent Epiſcopatus interſtitium.

Responsio III.

Accedit alia ratio deprompta ex direptione iacturáque Eccleſiaſticorum monimentorum : quæ ſæpiùs eueniſſe legitur, tam ex Diocletiani ferali edicto, quo Scripturas Chriſtianorum quáſcumq. iuſſit incendi (quod vidiſſe deflet Euſebius *lib.8.cap.2.3.* factúmque dolent mœſtiſſimè Optatus Mileuitanus *in lib. contra Parmenianum*, & S. Auguſtinus *in opuſculis contra Donatiſtas* :) quàm per incurſiones Barbarorum, qui Gallias haud ſemel ferro flammíſque deuaſtârunt. Quam cauſam affert pro excuſatione non præſtitæ à ſe integræ Metropolitarum Remenſium Nomenclaturæ Flodoardus *in Remenſis Eccleſiæ hiſtoria lib. 1. cap.5.* vbi ſic proloquitur. *Frequentibus igitur perſecutionum procellis intonantibus, Eccleſiæ puppis noſtræ iactata diuerſiſque oppreſſa fluctibus, quoniam caput vix attollere poterat; quanto ſedes ipſa tempore, rectore vacua digno reſederit, haud facilè panditur. Adeovt poſt præmiſſos fidei noſtræ Patres, beatum Sextum at-*

que Siniciam, vnum duntaxat Præſulem inueniamus Amanſium, ad Imperium vſque Conſtantini, ſub quo Betauſius reperitur, qui cum Primogenito Diacono ſuo, primus ex hac Belgica Prouincia legitur, * *Arelatenſi primæ Synodo, relatæ per Marinum Epiſcopum beatiſsimo Patri Silueſtro, Voluſiano & Amano Conſulibus.* Hæc ille. Acceſſit autem poſt incendia ſacrorum Chriſtianæ religionis monimentorum, facta ſecundùm Diocletiani exitioſum edictum, iterata myſticorum Codicum iactura, ex Vandalorum & Hunnorum funeſta vniuerſis Galliis incurſione: cui Harigerus Lobienſis, *in actis Epiſcoporum Tungrenſium, deinde Leodicenſium:* luctuoſam quoque aliam Eccleſiaſticorum monimentorum diſſipationem adſcribit, commentationis ſuæ cap. 17. *Poſt Materni deceſſum*, inquit, *in Pontificio ſibi per ordinem ſucceſſerunt Nauitus, Marcellus, Metropolus, Seuerinus, Florentius, Maximinus, Valentinus. Et quorum Imperatorum vel Conſulum claruerunt tempore, vel quos vitæ eorum habuerint exitus, vel quis illorum ſepulturæ ſit locus, nullius à nobis requirat exactio. Cùm Eccleſiarum totius Galliæ memoriam aboleuerit, facta per Hunnos ſubuerſio.* Hæc ille Scriptor, qui ante annos ferè ſeptingentos florebat. Quibus ex inſinuationibus id elicimus, quod etſi poſt ſanctum Dionyſium, Pariſienſis Eccleſia ſeriem Epiſcoporum, qui ab illius glorioſo exceſſu vſque ad Victorinum (qui florente iam vinea Eccleſiæ, ſerena ſub aura Chriſtianæ pacis reſedit) continuam non promeret: vel

* Interfuiſſe.

pauca tantùm illorum qui interſederunt Antiſtitum, nomina, eáque nuda prorſus, & propriorum geſtorum omnibus characteriſmis deſtituta indicaret: haud tamen inferre aduerſarij poſſent, Pariſiis Epiſcopatum hac ſub ſæua tempeſtate furentium aduerſus pios infidelium Principum, non extitiſſe; ſed acta illorum duntaxat interiiſſe, quæ vel ardor perſecutionum decoxerit, vel furor incurſionum cum ceteris Eccleſiarum Galliæ ſacris monimentis, diripuerit.

RESPONSIO IV.

Sed iis rationibus (quæ tamen admodum viriles ſunt) ſepoſitis, immò etiam penitus ſecluſis dico argumentum aduerſariorum, omnino nullum atque inefficax eſſe. Falſo ſiquidem principio nititur, ſcilicet, quod à ſancti Dionyſij Areopagitæ Martyrio, congruentem non poſſit Pariſienſis Eccleſia ſucceſſionis ſuorum Epiſcoporum ſeriem oſtendere: quod ab illo ſuo fundatore (ſi Areopagita ipſe Dionyſius, ſedis illius auctor præſumitur) quatuor tantùm Epiſcopi ad tranquillum vſque Conſtantini principatum, ab ea numerentur: quos ſi res ita ſe habet, illam regendo neceſſe ſit, annis fermè ducentis, hoc eſt quinquaginta annis eorumdem ſingulos præfuiſſe. Nòn enim benè callent iſti argutores Lutetiæ Pariſiorum Regiæ vrbis, Epiſcopalis ſucceſſionis per hęc tempora rationem. Quandoqui-

dem vulgatæ etiam per Democharem Pontificales tabulæ, ex quibus ſuas ſeries Chanutius & Robertus mutuârunt, nec ſunt integræ, nec aptè ordinatæ. Sic enim delineant Pariſienſium Antiſtitum, incipientem à ſancto Dionyſio Areopagita venerandum conſeſſum.

1. *S. Dionyſius Areopagita.*
2. *Mallo.*
3. *Maſſus.*
4. *Marcus.*
5. *Aduentus, ſeu Aduentinus.*
6. *Victurinus, ſeu Victorinus, qui Agrippinenſi Synodo interfuit.*

Sed verò haud ſic ſe habet ſyncera primitiuorum vrbis regiæ Pariſienſis Epiſcoporum recenſio: at eâ quæ ſequitur ſerie.

1.

S. DIONYSIVS AREOPAGITA, *de quo Cuſpinianus* p. 444. in Conſules Caſsiodori, *affirmat ſe legiſſe in vetuſtis annalibus*, anno Domini 121. apud Pariſios Dionyſius Epiſcopus martyrizatur. *Quod quadrat cum teſtimonio Ariſtidis viri Apoſtolici, aſſerentis* in lib. pro Chriſtiana religione, *quem Euſebius & S. Hieronymus laudant; ſub Hadriano Imperatore, qui principatum exorſus eſt anno Chriſti 120. Dionyſium Areopagitam paſſum eſſe.*

2.

S. REGVLVS, *primùm Arelatenſis, deinde Pariſienſis, atq. demum Siluanectenſis. Hic (vt in eius actis*

Manuſcriptis, quæ integra fuiſſe apud Guillelmum Brugenſem Pammelius aſſeuerat tom. 1. Liturgicon pag. 129. iam verò illibata quoque penes me extant ; contracta autem apud ſanctum Antonium parte 1. tit. 6. cap. 28. §. 2. & apud Petrum lib. 4. cap. 15. Catalogi leguntur) diuino ſigno admonitus, de glorioſa ſancti Dionyſij & ſociorum Martyrum coronatione; ſuperno quoque afflatu diſcedens ex Arelatenſi ciuitate, cui pro ſe Feliciſſimum Epiſcopum dedit: Lutetiam Pariſiorum, nece ipſorum Martyrum, ſtragéque aucta plurimorum fidelium admodum perturbatam, ſpiritu incenſus fortitudinis, conſilij, & ſapientiæ atque pietatis aduolauit, gregem diſsipatum recollegit, Catullam ſancti Dionyſij & beatorum eius Symmyſtarum piam funeratricem, adhuc catechumenam, cum tota familia baptizauit: tumulum prædict. hieromartyris Dionyſij & ſociorum beatorum, lapide ſuperpoſito, titulóque Martyrij inſigniuit. Poſtquam autem Pariſienſem nouellam Eccleſiam ſolicitè reparâſſet, Apoſtolico æſtu feruens, deſideriόque Chriſti gloriam dilatandi cupidus, Siluanectum progredi conſtituit: Mallonem, quem ſanctus Dionyſius ordinauerat Preſbyterum, virum egregia pietate & ſanctimonia præſtantem, proprium Pariſiorum Paſtorem ordinauit: deinde vicum Luperam, demum Siluanectum oppidum proximè ſitum impetu felici aggreſſus, Chriſto Regi gloriæ ſubiugauit: ac onuſtus meritis gratiæ doniſque iuſtitiæ, ad laborum*

* Incipiunt: *Poſt ſacratiſſimum Dominica Aſcenſionis venerandúmque triumphum, &c.*

palmam & gloriæ coronam, ouans ex incruenta victoria, feliciter euolauit.

3.

MALLO *ſupradictus, Presbyter à ſancto Dionyſio creatus, atque à beato Regulo ordinatus Pariſiorum ſummus Sacerdos, tertia vice ſedens Christi hæreditatem ſtrenuè cuſtodiuit, ſolicitéque curans admodum ampliauit.*

4.

MASSVS, *qui præcedentis ſymmyſtá præcipuus, quin & alter Pariſienſis Eccleſiæ Clemens, ordine ſedis quartus, at ſecundo & tertio meritis conferendus; Sanctorum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij martyria deſcripſit, ſicut commemorabatur in actis eorum paßionis antiquißimis, in codice Pariſiacæ ſedis aſſeruatis, à Ludouico Pio Imperatore conſpectis, ab Hilduino citatis, ab Eccleſia inter Sanctorum authentica monimenta ſuſceptis, hactenúſque conſeruatis, atque à Moſandro Vveſtcapellio, aliiſque deſcriptis & editis.*

5.

MARCVS, *quem in omnibus Catalogis, præcedentis ſucceſſorem indigitatum cernimus, éxque perantiquo Pariſienſium faſtorum libro Stephanus Luſignanus hoc gradu æuóque inſignem notauit*, in Catalogo virorum illuſtrium veteris & noui Teſtamenti pag. 67. *Sub hoc titulo.* Succeſſores D. Dionyſij Areopagitæ, diſcipuli D. Pauli Apoſtoli: *necnon Demochares aliique nomenclatores Eccleſiaſtici: Inter quos Seuertius illum*

illum ante Imperium Decij ſedentem antiquis ex indicibus ſignat. Ceterùm eſt in Pariſienſi agro Eccleſia antiqua parœcialis ſub titulo Marci, quam ſancti Marci Euangeliſtæ reliquiæ neſcio an hîc repoſitæ illuſtrârunt: vel huius Sancti, antiqui diœceſis Paſtoris, illi æquiuoci, memoria procreârit. Fuit quoque tempore Conſtantini Magni, Aurelis Marci baſilica conſpicua, in qua ſanctus Euurtius ordinatus eſt, diu antequam ſancti Marci Euangeliſtæ pignora ab Ægypto Venetias, tranſuecta fuiſſent: & inde pars illorum in Galliã delata.

6.

ADVENTVS, *ſeu Aduentinus, Marci ſucceſſor in priſcis queiſque tabulis, & omnibus Epiſcopalibus Catalogis.*

7.

PAVLVS, *quem omnes Prudẽtio immediatè præponunt.*

8.

PRVDENTIVS, *quem ex actis ſancti Marcelli probatiſſimis conſtat eiuſdem fuiſſe deceſſorem, ab illóque adhuc ſubdiacono, loquelæ priſtino vſui, (cuius facultate priuatus fuerat) diuino beneficio reſtitutum. In cuius manus idem Marcellus tremenda in actione aquam fundens, ipſa in balſamum merum conuerſa eſt, ex qua confectum fuit Chriſma. Poſt pia funera hic religioſiſſimus Antiſtes, in antiqua fidelium crypta, ſeu latebra ſepultus fuit, vbi Clodoueus Rex Francorum protochriſtianus ſuaſu ſanctæ Genouefæ virginis, templum Apoſtolorum Petri & Pauli ſuperſtruxit, in*

quo deinde ipſa beata virgo tumulata, collateralem hunc pium Epiſcopum habere dignata eſt. Ad cuius leuam deinde ſanctus Cerannius Pariſiorum quoque Pontifex, ibidem conditus acceſsit.

9.

S. MARCELLVS, *quem & ſuperiorem, inordinatè nuperi nomenclatores, poſt Victorinum, qui Conciliis Agrippinenſi & Sardicenſi habitis anno 346. & 347. interfuit collocârunt, vt probabitur infrà. Cùm ſanctus Marcellus Epiſcopatu diu ante fuerit perfunctus, ſicut patet ex actis ſancti Euurtij Epiſcopi Aurelianenſis, cuius conſecrationi S. ipſe Marcellus interfuiſſe nominatim commemoratur. Fuit autem ſanctus Euurtius S. R. E. Subdiaconus temporibus ſummorum Pontificum Meltiadis & Silueſtri: ordinatúſque perhibetur ex indicio columbæ, cælitus eius in verticem delapſæ, Conſtantino imperante, vt ipſa acta disertè teſtantur. Quæ ætas ſancti Marcelli, etiam à Fortunato indicatur, in fine eiuſdem vitæ beato Germano ab ipſo dicatæ, vbi alludens ad feliciſsimum eiuſdem Epiſcopatus cum beati Silueſtri Pontificatu concurſum, venerabundus exclamat.* MIRETVR MARCELLVM GALLIA DVM ROMA SYLVESTRVM. *Quæ inſignia verba abhinc Pariſienſis Eccleſia in officio celebri S. Marcelli vſque nunc vſurpauit: & facultas Theologica Pariſienſis, in ſuo conſilio, admodum vt celebria refert apud Dominum Seruinum,* Actione forenſi 1. p. 31.

10.

VICTORINVS, *cuius meminit ſanctus Athanaſius, vt doctiſſimus Nicolaus Faber admonuit in eruditiſſima ſua præfatione ſuper Fragmenta ſancti Hilarij* *; *ad Auguſtum Thuanum, circa medium: vbi poſt adductum locum Ruffini, ſubnectit.* His etiam & Victurinum Pariſienſem Epiſcopum quem Synodo Sardicenſi interfuiſſe teſtis eſt Athanaſius * & ad Agrippinenſem contra Euphratem delegâſſe, ipſius Agrippinenſis Concilij acta probant, ſi ad hæc tempora Hilarij reducis ab exilio peruenit, ſymbolam ſuam contuliſſe (*Conciliis in Gallia ab ipſo Hilario habitis, quorum vnum fuit Lutetiæ actum*) veriſimile eſt.

* Apud S. Hilarium p. 110. col. 1.

* Immò ſubſcriptus ipſe legitur in Cōcilio eodem Sardicenſi inter Epiſcopos Galliarū ordine 30.

11.

VIVIANVS.

12.

FELIX. *Hos duos ordine ſequentes & immediatè ante Flauianum ſedentes, agnoſcunt deſcriptores Epiſcopalium Pariſienſis Eccleſiæ cenſuum.*

13.

FLAVIANVS. *Qui coætaneus ſancto Germano Autiſſiodorenſi ſedebat, ex ſententia Roberti, anno 429. cùm paulò antè nempe anno 420. Pharamundus declaratus Rex Francorum, Gallias primùm fuiſſet ingreſſus: vbi regni potentiſſimi fundamenta collocauit. Quamobrem Francorum Chronica, Reges ab eo numerare incipiunt. Nos autem primitiuos Pariſienſis Eccleſiæ faſtos, à martyrio*

ſancti Dionyſij recta ſerie deductos (vt res exigebat) inſigni hac periodo ſubſiſtendo, obſignamus.

Hac autem ex ſerie liquidum fit, Cathedræ Pariſienſis ſacros inſeſſores, longè plures extitiſſe à ſancti Dionyſij Areopagitæ purpurato agone ac triumpho, ad quieta vſque Chriſti Eccleſiæ tempora, quàm ſupra ab aduerſariis cenſeantur. Tot enim in hoc catalogo abhinc numerantur inſignes huius ſedis Epiſcopi, vt nemo ſit aliqua ęquitate præditus, qui ſpatium quod interceſſit ab illa ſecundariæ claſſis Apoſtolica origine, ad Francorum vſque Imperij in Galliis fauſta primordia, tot radiatorum capitum ſplendoribus ſatis illuſtrari, non fateatur. Tum quòd ſi à ſancti Dionyſij qui anno excurrente gratiæ 120. paſſus eſt, martyrio inclyto annos numeremus, ad Pharamundi vſque primum in Gallias ingreſſum qui anno Chriſti 420. contigit, duodecim Epiſcopi commemorentur, quibus ſi anni qui inter fluxerunt 300. æqua dimenſione coaptentur, vnuſquiſque eorum viginti duntaxat ac quinque annos ſibi ea ratione vendicabit.* Qui certè annorum circulus, vt non tranſgreditur Epiſcopatus etiamnum ſatis frequentis periodum: ſic ipſum interſtitium quod ab origine quam ſignamus Pariſienſis Eccleſiæ, ad regni vſque Francorum ortum effluxit, non vacuum fuiſſe fulgidis Antiſtitum coronis, ſatis euidenter oſtendit: cùm tametſi rigidè prorſus nobiſcum agant æmuli, nequeant impoſſibile caſu aſtruere, vnum

* Romæ ſeptem primi Reges, annis 244. regnârunt. Qui anni ſi æqua lãce diuidãtur: contingent vnicuiq. Regi, anni circiter 35.

quemuis Epiſcopum, annis circiter 25. ſolio Pontificali inſidere potuiſſe. Cùm ſanctus Auguſtinus annis 40. Eccleſiæ Hypponenſi præfuerit. Sanctus Gatianus annis 50. (vt Gregorius Turonenſis diſertè teſtatur lib. 10. cap. 30.) nouale Turonenſis Eccleſiæ percoluerit. Porrò ſanctus Remigius annos 74. in Epiſcopatu tranſegerit: hodiéq. etiam nonnulli inueniantur in Gallia, qui annos 30. quin 40. & ampliùs in Præſulatu feliciter compleuerunt. Verumtamen quemadmodum candidè fatemur vix de more fieri, vt Epiſcopi plerique continua vice ſuccedant, qui æquales temporis ſinguli impleant excurſus: ſæpéque contingere annuimus, vt anguſtioribus terminis huius quàm illius Pontificium concludatur. Ita haud neceſſe eſſe arbitramur ad Pariſienſis Eccleſiæ ſacros cenſus vſquequaque cumulandum, duodecim duntaxat Epiſcopis, quos recenſuimus annos 300. qui à paſſione ſancti Dionyſij Areopagitæ ad exordium vſque regni Francorum effluxerunt, æqua lance diſpertiri: tum quòd vnus alio diutiùs Epiſcopali ſedi præfuerit. Tum quòd non ſtatim à diſceſſu vnius, alter eidem fuerit ſurrogatus. Nam & Gregorius Turonenſis lib. 2. cap. vlt. & lib. 10. cap. 30. memorat, poſt ſancti Gatiani obitum diu admodum Epiſcopalem ſedem Turonenſem, ob perſecutionis feruentiſſimos æſtus, Sacerdotali benedictione orbatam iacuiſſe. Tum denique quòd plures etiam Epiſcopi Eccleſiam Pariſienſem illuſtrâſſe videan-

tur, illis duodecim quos intra temporum iſtorum ſignata curricula, ſedentes viciſſim, connumerauimus. Et verò haud ſemel exoptaui, vt accuratior contexeretur vrbis regiæ Præſulum catalogus. Hactenus enim vulgatos indices minimè integros, nec ad amuſſim germanæ ſucceſſionis coaptatos inueſtigando reperi. Certè plerique poſteri, (vt ſuprà indicatum eſt) anteceſſoribus ſuis præferuntur, in tritis catalogis. Quo & errore Libanius poſtponitur Sapphorato, quem antegreſſus eſt: cuique gradu deiecto, proximè non remotè ſucceſſit ſanctus Germanus. Aliqui verò Præſules prætermittuntur. Sic Ioannes nomine primus qui in conuentu Clypiacenſi ſub Childerico II. Clothariij III. filio poſt Regem in edito ibi diplomate ſubſcripſit ante Metropolitam proprium Senonenſem, necnon Remenſem & Rotomagenſem Præantiſtites, vt liquet ex ipſomet diplomate edito, anno præfati Regis Childerici 10. inchoato, qui eius fuit poſtremus, Chriſti porrò 678. Hic autem adeo inſignis Epiſcopus in vulgatis queiſque indicibus non ſignatur, ſed ex defectu notitiæ paſſim omittitur. Sic Villicus eo longè antiquior, minimè adſcribitur Epiſcopalibus regiæ vrbis tabulis. De hoc refertur in ſelectioribus hiſtoriæ ſanctæ Genouefæ monimentis, quòd ipſam (quam Chriſto deſponderat adhuc ſexennem beatus Germanus Autiſſiodorenſis, cum ſancto Lupo Trecenſi Maiorem in Britanniam aduerſus Pelagianos

proficiſcens) iam puberem ſolenni ritu virginem Chriſto conſecrauerit, cum pleriſque puellis, quibus eam, magis DEO gratam in ſpiritu cognitam prætulit, ſacróq. flammeo primam omnium inſigniuit. Qua de re geſta in liturgico officio præfatæ B. Virginis Rythmus peruetuſtus qui proſequentia canitur, ſic habet.

Te ſanctus Pontifex
Antiſsiodori
Lapſorum opifex
SanctamNamtdori
Vidit per ſpiritum.
Te Præſul Villicus
Electam meminit.
&c.

Villicum iſtum quidam parum veriſimiliter Epiſcopum Carnotenſem nominârunt: quem ipſa Carnotenſis Eccleſia ſuum Præſulem non agnoſcit, vt ex eius diptychis Rouillardus indicat Partheniæ ſuæ part.2. fol.15. Nec mirum cùm Pariſienſis fuerit, vt patet ex præmemorata conſecratione, ab eo facta, ſanctæ Genoueſæ virginis. Quid enim Virginum Pariſienſium myſtica initiatio ad Carnotenſem Antiſtitem pertinebat? cùm id muneris ex ſacris ſanctionibus liqueat proprio cuiuſque parœciæ, ſeu diœceſis Epiſcopo peculiari iure attributum, ceteríſque omnibus diſtrictè inhibitum? videlicet in Concilio I.Carthag.can.3.& II.c.36. Regienſi c.8.III. Pariſienſi lib.1. cap.40. Villicus igitur ſuo eiuſmodi officio functus, eo tempore quo maximè Eccleſiaſtica politia vigebat, & canonũ regnabat ſacroſancta auctoritas ac obſeruantia; non alius quàm proprius S. Genoueſæ Epiſcopus fuit, pro-

indéq. Pariſienſis idem erat Antiſtes, & tanti quidem nominis vt apud ſuæ ætatis celebriores Epiſcopos, in cultu ac veneratione non modica haberetur. Extat *in corpore hiſtoriæ Francorum veteris & ſynceræ* Dynamij ſanctæ memoriæ Antiſtitis Engoliſmenſis ad Villicum Epiſcopum ſanctiſſimum, quem Papam appellat, nobilitatéque ac virtute præcellenti nitentem prædicat, epiſtola ordine inter ceteras 16. Qua etſi cuius ſedis Epiſcopus Villicus ipſe fuerit non inſinuetur, hunc tamen cùm alium in hiſtoriæ Gallicæ monimentis huius temporis memoratum non legamus; Pariſienſem eſſe noſtrum Præſulem ſanctæ Genouefæ conſecratorem, omninò conſentaneum fuerit exiſtimare. Concurrit enim eius ætas cum illa memorabili actione. Nemo ſiquidem ambigere poteſt, Villicum ad quem ſcribit ſanctus Dynamius fuiſſe eidem coætaneum. Sed verò Dynamius, ipſe cuius meminit cum laude Gregorius Turonenſis lib. 2. hiſtor. cap. 13. poſt Adtonium (omiſſum in ſacris tabulis Engoliſmenſis Eccleſiæ) eidem ſedi præfuit ſub ſummo Pontificatu S. Leonis cognomento Magni: nam in Synodica Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad ipſum Leonem Papam, memoratus & ſubſcriptus ad calcem legitur. Quam epiſtolam doctiſſimus Sirmondus datam collocat ſub annum 451. Hoc autem tempore S. Genouefa (quam ſexennem puellulam ſignaculo crucis inſculpto numiſmate collo eius appenſo, in Britanniam maiorem

progre-

progrediens anno, vt S. Proſper notauit in Chronico 433. ſanctus Germanus Chriſto ſubarrhauit, primo ſuæ ætatis flore vernabat. Obiit etenim, vt notat Benedictus ex priſcis huius beatiſſimæ monimentis anno Chriſti 506. ineunte, cùm ſupra octogenaria eſſet. Vnde patet, exactè & ad perpendiculum, vt aiunt, præſulatum Villici Epiſcopi, à ſancto Dynamio Engoliſmenſi Pontifice grauiſſima epiſtola honorati: cùm ſanctæ Genouefæ, ab illo proprio eius Epiſcopo ſacro velamine redimitæ, ætate tum florida concurrere. Proinde in tabulas Pontificias Eccleſiæ Pariſienſis Villicum ipſum, qui perperam omiſſus eſt, tanto fulgore conſpicuum iure ſuo reponendum eſſe. Ideóque tabulas ipſas Epiſcopales, vt in vulgus proditæ ſunt, non eſſe plenas & integras, ſed mutilas ac imperfectas, atq. tam hoc & illo (quem prætermiſſum oſtendimus) Præſule, quam aliis pleriſq. Epiſcopis, ſeu anterioribus, ſeu poſterioribus carentes; accuratiorem delineationem deſiderare. Quæquidem ſi extaret haud dubium quin vberiores longè forent Pontificales indiculi. Vnde cenſuum Epiſcopalium ab ipſis Cathedræ cunabulis adeo plena euaderet ſeries, vt poſt ſedis Apoſtolicæ matriculam, vix vlla eſſet Eccleſia in Occidente, quæ magis copioſam & accuratam depromeret Antiſtitum ſuorum nomenclaturam, quàm ipſa Eccleſia Pariſienſis. Quæ nihilominus, vt etiamnum ſuos cenſus refert, adeo amplam ab initio profert ſuæ ſucceſſionis

ſeriem, vt interpontificio quo volunt eius gloriæ æmuli, in primis religionis ſæculis illam obſcurari, nullus admittendus neceſſariò pateat hiatus. Quandoquidem poſt ſancti Dionyſij glorioſa funera, ad Francorum in Galliis auſpicatum imperium, duodecim, vt minimùm ſanctiſſimi Epiſcopi in pontificali eius catalogo numerantur: qui ſine ope adhibendi miraculi, ſpatium illud quod ab hinc vſque interfluxit, ſiue irradiationibus ſatis congruè illuminare poſſunt. Ceterùm ſi æquè ac benignè (velut deceret) hæc diſcuſſio cum hac nobili Eccleſia ab aduerſariis eiuſdem iniretur, omiſſum darent vnum vel alterum Epiſcopum, cuius ex rerum perturbatione exciderit nomen (ſicut factum euicimus in quinto tranquiliori ſæculò, per præteritionem Villici: & in 7. per Ioannis I. neglectam conſignationem:) óbque acerbitatem perſecutionum, ſub quibus ſecundo, tertio & quarto ſæculo Epiſcopi Pariſienſes conſederunt; aliquid moræ, quæ vt plurimum contingit in repentinis Eccleſiarum orbationibus, neceſſariáque erat ad reparandam feris extinctam turbinibus ſanctuarij lucernam, Pariſienſi ipſimet Eccleſiæ concederent. Sic enim diutinum deliquium, triginta videlicet ſeptem annorum Turonenſi Eccleſiæ Antiſtes ipſe Gregorius Turonenſis * teſtatur accidiſſe à primi eius myſtici ſideris occaſu. In ipſáque matre omnium Romana Eccleſia, interpõtificium eiuſmodi haud ſemel eueniſſe litteris proditum eſt. In qua ſum-

* Lib. 10. hiſt. cap. 30.

ma ſede diu etiam poſtquam perſecutionum procellæ ceſſârunt, vacationes, non aliquot diebus duntaxat aut menſibus, ſed plenis etiam aliquot annis perdurârunt. Siquidem v. c. poſt obitum Cæleſtini IV. vacauit ſedes Apoſtolica duobus annis. defuncto autem Clemente IV. eodem ſæculo, vacauit iterum Petri Cathedra annis duobus & menſibus nouem, vt Chronographi omnes conſentiunt & teſtantur. Demus igitur Eccleſiæ Pariſienſi à cruento parentis ſui Dionyſij Areopagitæ trophæo, ſub continuis perſecutionum prorſus immanium agitationibus, perpetuíſque tam Paſtorum quàm ouium preſſuris, nubila aliqua interſtitia: in quibus ſiderum quibus regebatur ſplendore (tot turbinibus caliginoſis offuſa) per quaſdam illorum deliquij moras, fuerit deſtituta. Quibûs depulſis aliquando atris nebulis: ipſa nouo rurſus lumine irradiata, iterúmque procellis redeuntibus obſcurata; orbitates ita quaſdam perpeſſa fuerit, vt tamen numquam penitus tenebris immerſa, at ex iis ſemper caput, ad nouum exorientem ſplendorem ſupernè ſibi excitatum erexerit. quouſque tandem Chriſtus procellam mutauit in auram, plenámque regno ſuo pacem è gloriæ ſuæ throno influxit: cum fide demum vbique ſtabilita, & quietè ſuſcepta, Eccleſiæ toto orbe diffuſæ, perenni die optatæ tranquillitatis, potiri cœperunt. Tum enim cum antiquis ceteris Pariſienſis ipſa Eccleſia plenum ſplendo-

ris ſui meridiem aſpexit, ortúmque pontificium ſibi decus à ſancti Dionyſij Areopagitæ glorioſa morte, huc vſque per nubila etſi tempora ſtrenuè propagatum, ſuccedentibus ordine Epiſcopis, maiori ſacri conſeſſus fulgore continuatum ad hos vſque dies feliciter perennauit. Quæquidem ſi poſt beatum Areopagitam nullum Præſulem, vſque ad ſerena tempora Conſtantini Magni, ſub quo in Gallia generale Concilium Arelatenſe toto ex orbe coaluit, indigitaret; qui ſua gubernacula tot in feris fluctibus fuiſſet moderatus: attamen hinc quòd inferunt aduerſarij eius nequaquam ſequeretur. Ergo non à ſancto Dionyſio Areopagita illam progenitam, ſed ſub Decio, adeóque, vt demum voluit Boſquetus, ſub Diocletiano natam eſſe. Enimuero inſignes pleraſque Eccleſias Apoſtoli fundauerunt: quarum ſucceſſionis ordo, ab iis ad tempora vſque pacifica Conſtantini continua ſerie deductus oſtendi * non poteſt. Et tamen haud inde poteſt colligi, non ab Apoſtolis illas ſuam originem contraxiſſe. Perierunt enim per atrocitatem perſecutionum Epiſcopales Eccleſiarum illarum tabulæ: edáxque rerum tempus nomina geſtáque nonnullorum priſcorum Antiſtitum, qui his ſub procellis & barbarorum incurſibus (quos Epiſcopalium faſtorum codicibus iacturam ingenté intuliſſe Harigeius Lobienſis & Flodoardus Remenſis ſuprà citati plurimùm lamentantur) Galliæ Eccleſias gubernarunt; magna ex parte

* Deſignent æmuli noſtri, ſucceſſores Timothei Epheſi, Soſthenis Corinthi, Archippi Coloſſis, ſeriémq primorum Epiſcoporũ poſt Ioannem Apoſtolum in Eccleſiis Aſiæ, quas fundauit (vt ſcribit S. Hieronymus in Catalogo) deſcribant: ſcilicet in Eccleſiis Pergami, Laodiceæ Thyatiræ,

contriuit, conſumpſit, atque obliterauit. Verumtamen iis adeo luctuoſis caſibus non ſuccubuit Eccleſia Pariſienſis: quæ inter turbulenta illa dirarum calamitatum tempora, ordinem ſucceſſionis ſuæ, vix patenter interruptum, retinuit: Rectoréſque ſuos viciſſim ſua in puppe ſedentes eo numero etiamnum recenſet ac indicat, qui tam fúneſtis temporibus excurrendis & amfractuoſis turbatarum rerum vorticibus ſuperandis, par eſſe poſſit. Qualibus myſticæ nauis Proretis ita fulta illuſtratáque promicat ipſa inclyta Eccleſia Pariſiorum, vt vix alia in Occidente (ſi primam ſummámque Apoſtolicam ſepoſueris) Eccleſia ſit, quæ publica inter diſcrimina orientis Chriſtianæ religionis, plures Epiſcopos ordine ſuccedentes habuerit; pluribúſque eiuſmodi ſideribus, meritò valeat gloriari: quin & exiliora interſtitia ſacræ ſucceſſionis tantis ſub procellis ſuſtinuiſſe, poſſit ab æmulis demonſtrari.

Sardis, Philadelphiæ, &c. De quarũ Apoſtolica origine conſtat ex Apoc. cap. 2. & 3. Item ſucceſſionem demonſtrent, vt loquitur Tertullianus, *ab initio fluentem* in Eccleſiis Põti, Galatiæ, Cappadociæ, Bithyniæ, &c. quas Petrus Archiapoſtolus erexit, & ad quas ſcribit epiſt. 1. & 2. Inſuper cenſus Epiſcopales referant Eccleſiæ Theſſalonicenſis, Philippẽſis &c. quas Paulus, primus conſtituit, docuitq. propriis Epiſtolis. Quod ſi nõ præſtare queant (vt non poſſunt) neceſſe eſt vt fateantur; ex quo aliqua Eccleſia ſucceſſionem Epiſcoporum ſuorum integram non oſtendit: haud ideo ſequi ipſam non habere originẽ Apoſtolicam.

His autem rationibus tametſi ſatis ſupérque iura Apoſtolicæ ſecundariæ originis Pariſienſis Eccleſiæ, à ſancto Dionyſio Areopagita progenitæ, cruento quidem at auſpicatiſſimo enixu, comprobauimus (in quantum ſucceſſionis eius Epiſcopalis propalauimus, nec vmbratilem, nec incongruam delineatam eſſe ſeriem:) attamen ipſius ſententiæ noſtræ ſynceritatem, ex aduerſæ abſurditate opinionis, ampliùs patefacere, en vltro aggredimur.

S. Dionyſij parentis noſtrę Eccleſię illuſtriſſimi,

quo Boſquetus potiorẽ conuellat dignitatẽ (Apoſtolicę ſcilicet ius ac titulum gloriæ) ætati eiuſdem maius quod poteſt detrahit antiquitatis decus. Toto ſanè ſuo contentioſo ac inuidioſo opere, id vnum enixè contendit, vt honorẽ Apoſtolici diſcipulatus illi adimat, Areopagitæ inſigne cognomentum eidem eripiat, ipſúmque deducat ad infimam omnium Galliæ Euangeliſtarum claſſem. Et nihil quidem magis à ſui libri exordio conatur, quam vt Decij duntaxat tempore, qui ſub annum 252. principatum arripuit, Dionyſium ipſum Pariſienſis Eccleſiæ Protomyſtam, miſſum fuiſſe Româ in Galliam perſuadeat. Hoc autem vbi ſibi vtcumque viſus eſt ſtatuiſſe: nequaquam ſe tamen intra tam arctos cancellos continet; vlterius longè progreditur & erumpit. Ad Diocletiani vſque tempora ac Maximiani eundem Dionyſium noſtrum demum deducendum eſſe aſſeuerat part. 2. hiſtoriæ ſuæ pag. 156. At dum nimio digladiatur feruore (furore ne dicam) ipſemet proprio ſe enſe infauſtè petit, támque grauiter quàm turpiter lædit. Enimuero ex ea quam certam fingit, fixámque manere vult poſtrema miſſionis ſancti Dionyſij Chronologia: omnes ſuas ipſe ſubuertit arietum machinas; & vndecumq. impetit cathedræ Pariſienſis cardines, vires ſuas ipſo inſultu acriori elidit. Si enim res ita ſe habet, vt ipſe perſuadere nititur: labente duntaxat tertio ſæculo & quarto ineunte, quo præſertim tempore aduerſus Chriſti cultores

Diocletianus ac Maximianus ſæuierunt: Dionyſium Româ Legatum Lutetiæ Pariſiorum primitus fidei verbum annunciâſſe. Quî fieri poſſit, vt intra tam exiguum annorum curriculum, qui ab Imperio defluente Diocletiani, circa annum ſcilicet 300. vſque ad annum 346. quo Victorinus Pariſienſis hierarcha ſancto Athanaſio pernotus, ipſiúſque ſcriptis celebratus, Sardicenſis cui interfuit Conçilij actis inſignis, Agrippinenſi Concilio per legatum iam ſenio fractus ſubſcripſit: tot Epiſcopi in Pariſienſi Cathedra conſederint, cùm vel vnus aut alter huic complendo interuallo par eſſe potuerit? Sanè Victorinus, ipſe cum ætate confectus eſſet tempore Concilij Agrippinienſis, diu ſedem cùm ad illum conuentum miſit tenuerat. Porrò S. Marcellus qui tempore Siluestri Papæ (vt Fortunatus in eius geſtis indicat) præſidens, Aureliæ Epiſcopali conſecrationi ſancti Euurtij Meltiadis Papæ, Silueſtri eiuſdem deceſſoris, Subdiaconi, interfuit: in Epiſcopatu (quem ob non ſopitas adhuc perſecutionis ignes extra ſepta Lutetiæ, in ſuburbiis, ſub titulo S. Clementis, vbi & ſepultus eſt demum, agebat) diu vixit, vt piæ memoriæ D. Andreas Du Val Sorbonæ clariſſimum lumen, in eius vita inſinuauit. Suffectus eſt verò S. Marcellus beato Prudentio admodum ſeni, ſub quo adoleſcens in Subdiaconatu miniſtrauerat: à quo demum, cum diuinis virtutibus atque ſignis coruſcaret, ſacerdotali honore ſublimari prome-

ruit. Igitur iam Epiſcopatum agere cœperat ipſum ante ſæuum Diocletiani principatum ſanctus Prudentius: qui tamen ſub eo furente moriens, in crypta montis Pariſienſiis, quo tum aliud fidelium latibulum erat, vbi etiamnum quieſci,t ſepultus fuit. Quo tempore ſi primùm miſſus fuit Lutetiam ſanctus Dionyſius (vt Boſquetus tandem ſuadere nititur:) certè optet vt nuperus ille Euangeliſta tardè & ſerò adueniens, antiquam ibi Eccleſiam repererit, iámque pridem ante acceſſum ſuum viderit erectam Lutetię Epiſcopalem cathedram; in qua Prudentius tam ſenex Epiſcopus, laboribus haud minùs quàm annis enectus nuper obierat. Cui Marcellus eiuſdem præcipuus alumnus & ſymmyſta, diuinis iamiam operationibus inſignis proximè ſucceſſerat, virgámque iam paſtoralem tenens, oues Chriſti in intellectibus manunm ſuarum dirigebat. Verùm Prudentius non fuerat Pariſiorum Antiſtes primus, ſicut nec Marcellus ſecundus. Sed ille octauus, iſte nonus, vt ſit ex deſcripta ſuperiùs ſerie manifeſtum: quæquidem ſeries Epiſcopalis iis conſtat nominibus, quæ in ſacroſanctis ſuis diptychis, ipſa Pariſienſis Eccleſia ab initio fidei Euangelicæ ſibi traditæ in hunc vſque diem conſignata ſeruauit, maiorúmque per manus accepta, etiamnum pia poſteritas obſeruat atque reueretur. Itaque ſi hîc adhibeatur Boſqueti ipſius Eccleſiæ depreſſoris doctrina inſigniter notabilis, quâ ait lib.1.pag.61. & 63. *Primis religionis Chriſtia-*

næ

næ ſæculis longiorem fuiſſe Epiſcoporum vitam, eámque diuino conſilio iiſdem fuiſſe datam, vt liberiùs & diutiùs religioni adeſſe poſſent: quod exemplis illorum demonſtrat, qui centenarij longéque maiorem etiam ad ætatem prouecti Epiſcopatum cum vita ſuum ſanctiſſimè conſumârunt: iam habebit idem, quo ipſe ſibimet propriis ex theorematis ſatisfaciat: plura enim capita ſacra in Catalogo Epiſcopali Pariſienſis Eccleſiæ numerabit, quam neceſſe ſit adſignare tranſigendo illorum annorum ſpatio, qui à martyrio ſancti Dionyſij Areopagitæ anno 120. ſub Hadriano laureati, ad Epiſcopatum vſque ſancti Marcelli, qui ſub auſpicante aureum Eccleſiæ ſæculum Conſtantino, iam ſedebat, effluxerunt. Cùm enim tum diuino, vt monet Boſquetus, beneficio producta adeo ætas Eccleſiarum protomyſtis concederetur, quâ religioni vndique exagitatæ viriliùs, atque diutiùs ſuccurrerent, ſanè idem inficiari nequit, octo Præſules explendæ centuriæ vni necnon dimidiæ, quæ circiter, à nece S. Dionyſij vſque ad B. Marcelli ineuntem, præſulatũ interceſſit, annorum numero impares eſſe. Quorum Præſulum ſi vnus ac alter centenarius vixit, dimidiámque ætatem (ſicut Gatianus Turonis) in Epiſcopatu exegit, magnam immò potiorem huius ſpatij partem potuit excurrere. Ceteri verò (ſi æqua inter ſe parte reliquum temporis dimenſi ſunt) totum adæquatè circulum facili opera peregêre. Quibus ſanè periodis, ſi vacationum quæ inter-

eſſe ſolent morulæ adiiciantur: atque etiam aliqua obliterata nomina priſcorum aliquot Epiſcoporum, quorum memoria (vt ſignatis exemplis patefactum eſt) temporum lapſu excidit, Epiſcopali catalogo reſtituantur: Pontificiæ ſedis Pariſienſis ſacri cenſus multo vberius excreſcent, primæuorúmque temporum eius copioſa non modò, ſed etiam ſuperfluens menſura rigidiſſimo cuique exactori ſuppeditabitur. At interim habet Boſquetus ex reſponſionibus noſtris, quò enixiùs laboret, vel oportuniùs quieſcat.

ARGVMENTVM XII.

Ductum ex iactata conuenientia fabulæ de Ioanna Papiſſa, cum Dionyſij Pariſienſis (quem perſonatum aduerſarij volunt eſſe Areopagitam) conficta, vt aiunt, hiſtoria.

NON omne quod probabile videtur (inquit Philoſophus Topic. 1.) probabile eſt. Tametſi igitur (aiunt aduerſarij) illa traditio, quæ antiqua fertur de Pariſienſis Dionyſij cum Athenienſi vnitate ac identitate probabilis appareat, ob teſtium qui hanc firmant ſuis ſuffragiis plurimorum, ipſorúmque inſignium multitudinem: tamen non ideo habenda venit indubia, certa & irrefragabilis. Alioquin putida illa cõmentatio quâ inter Leonem IV. & Benedictum III. Ioannes fœmina ſummũ Pontificatum obtinuiſſe fingitur, pro hi-

ſtoria ſyncera recipienda foret; quæ tamen omnium eruditorum calculo, iam vbique repudiatur vt ſpuria & ſuppoſititia, falſa & ridicula; quamquam multorum quoque illuſtrium Scriptorum auctoritate fulciatur, quorum minor non eſt fides, celebritas ac numerus, quàm eorum qui ſupra inducti ſunt teſtium, Dionyſij Pariſienſis cùm Areopagita aſſeuerantes identitatem.

RESPONSIO.

Ludunt æmuli noſtri vt arte quauis eludant, quæ hactenus nullis arietibus elidere potuerunt, aduerſæ ſibi veritatis tam cõſpicuæ (quæ iis inuitis Areopagiticum decus Gallico Dionyſio aſtruit vendicátque) fulchra firmiſſima. Quod fabulam dicunt, Ioannis Papæ fœminæ commentitiam narratiunculam & ratum cum iis tenemus, & gratum haud minus habemus. Sed id arbitramur nulla ratione ferendum, quod confictum, adeò turpe horrendúmque monſtrum, cum glorioſiſſimo Chriſti Martyre, inclyto Galliæ Apoſtolo, Dionyſio vero Areopagita, ſupra ab illorum calumniis vndequaque vindicato, tam propudioſa æquiparatione componere, quaſi conſimile violatæ veritatis portentum, neque horreant, neque vereantur. Non ideò in monſtrum euadet Chriſti athleta beatiſſimus, apud quem non dubito, quin de illata ſibi tanta iniuria aliquando conqueratur, iámque id propheticum expoſtulando apud Do-

minum gloriæ aduerſus tantam qua illum affi-
Pſal.70.7. ciunt contumeliam, ingeminet. *Tamquam prodigium factus ſum eis: ſed tu adiutor fortis.* Veritas enim quam Apoſtolorũ ſuorum liberatricem fo-
Ioan.7.32. re promiſit Chriſtus, illorum diſcipulum, Apoſtolicum noſtrum Dionyſium, ab æmulorum ſuorum impetitionibus iam perſæpe vindicatum: nunc etiam ab eo dedecore quo illius gloriam rurſus obſcurare nituntur, *potenter* liberabit: &
Pſal.4.4. quem *mirificauit Dominus*, verum vt *ſanctum ſuum*, ipſe non permittet, apud mortalium exiſtimationem, per aduerſantium eiuſdem glorioſæ memoriꝫ liuidos conatus, in meram fabulam, monſtrum, ac chimæram traduci.

Dicunt, inter fabulam Ioannis Papiſſæ & commentum (ſic nominant) Dionyſij Pariſienſis dicti Areopagitæ conſimilem eſſe proſus rationem. At vt à reatu tam iniquæ comparationis ſe eximant, emolliunt tantiſper dictorum eiuſmodi duritiem. Excipiunt ſiquidem ſe non innuere Dionyſium ipſum Areopagitam chimæram, aut figmentum eſſe. Sed duntaxat anilem illam autumationem, qua auctore vt ipſis placet Hilduino, Pariſienſis demum Epiſcopus, ipſe Athenienſis, creditus eſt: perſimilem illi eſſe fabellã, qua proditum eſt, diúque pro comperto habitum, fœminam quamdam extitiſſe Ioannis nomine celebrem, quæ Papali ſolio aliquando inſederit: cùm paribus omnino teſtium auctoritatibus hoc ac illud commentum ſuffultum reperiatur. Proindéque ſi alterum re-

cipi debeat propter adſtipulantium Scriptorum teſtificationem; alterum eodem iure admitti quæque oportere, ob ſimilem teſtium nequaquam inferiorum conſenſum. E contra verò, quoniam haud obſtante adeò patenti ſcriptorum conſenſione; conficta Ioannis Papiſſę hiſtoria, ob maiora & grauiora illorum auctoritate rationum momenta, iam communi orbis Chriſtiani iudicio exploditur: eodem prorſus modo atque iure, commentum de Dionyſio Areopagita primo Pariſienſi aſſerto Epiſcopo procul repellendum eſſe: quoniam etſi multorum ſcriptorum teſtimoniis, illa conficta identitas muniatur; maiora in aduerſum argumenta ſuppetunt, quibus & obruatur teſtium illorum auctoritas, & deuicta illa fictitia identitas, demum reiiciatur. At peccant multiplici implexi errori, atque non vnico obnoxij piaculo, detractores gloriæ Apoſtoli noſtri, Dionyſij veri Areopagitæ. Præterquam enim admodum mirum eſt, quomodo viri Catholici & eruditi fabulam hanc propudioſiſſimam de Ioanne Papa fœmina, ab hoſtibus Apoſtolicæ ſedis confictam, immò à patre mendacij diabolo inuentam atque inuectam, adferre audeant in medium: cuius ob patentiſſimam falſitatem, eos qui inter ſegreges emunctioris naris ſunt, ita tandem puduit, vt illã ampliùs refricare non præſumant. Certè nulla eſt prorſus inter tàm nefandum cõmentum, & comprobatiſſimam Areopagitæ noſtri hiſtoriam conſimilatio, nulla omnino affi-

nitas, nulla paritas neque proportio. Quod enim ipſi aduerſarij aiunt, ſola teſtium auctoritate ſæpedictam, Apoſtolatus Gallici eiuſdem glorioſi Areopagitæ priſcam traditionem niti ac fulciri, (quæ ratio adiiciunt, ſi valeret, conſequeretur commentitiam quoque narrationem de Ioanne Papiſſa pro vera re geſta admittendam eſſe, vtpote quæ æqualibus teſtium ſuffragiis communiatur:) pace eorum dixerim, à vero longè aberrat. Quandoquidem præter teſtium omni ætate ac dignitate inſignium, dicta habemus inſuper pleraque alia præſidia ſententiæ noſtræ: cuius, vt probatum eſt ſuperioribus capitibus, compertiſſima veritas præclariſſimis etiamnum rei actæ veſtigiis, oſtenditur: neque enim priuatorum duntaxat auctorum teſtimoniis, at publicis etiam orbis Chriſtiani monimentis, Catholicæ nimirum Eccleſiæ conſtantiſſima traditione, ſedis Apoſtolicæ teſtatiſſima ſententia, omniúmque Chriſtianarum gentium vnanimi conſenſu, quin & diuina inſuper auctoritate multis ſignorum ſupernæ virtutis demonſtrationibus prodita atque declarata, confirmatur & corroboratur. Certè quod dicebat dudum Euſebius lib. 2. hiſtor. Eccleſ. cap. 25. de Petri Apoſtolorum primatis, Paulíque Doctoris gentium, exploratiſſimo Romæ peracto Martyrio ac triumpho: hic congruè aptari poteſt. *Horum teſtimonium quærere extrinſecus ſuperfluum puto: cùm rem geſtam inſignia vſque in hodiernum diem, & ſplen-*

didiſsima eorum monumenta teſtentur. Ita ille, apud quem ideo Caius * vetuſtiſſimus ille Theologus à ſancto Hieronymo in catalogo ſcriptorum illuſtrium copioſè laudatus : ita piè de Romanæ Eccleſiæ ceterarum matricis ſacratiſſima origine gloriabundus, eius fidem per tam inſignia cunabula & Apoſtolorum eiuſdem progenitorum trophæa, efferebat. * *Ego habeo trophæa Apoſtolorum quæ oſtendam. Si enim procedas via regali quæ ad Vaticanum ducit, aut via Oſtienſi, inuenies trophæa defixa, quibus ex vtraque parte conſtitutis Romana communitur Eccleſia.* Ita prorſus de Eccleſiæ Pariſienſis nobilitate gloriamur, ita eius parentis Areopagitæ, clara fidei, prædicationis, martyrij veſtigia aduerſariis indigitamus: tanti Parentis ſepulchrum cum ſacratiſſimis exuuiis poſſidemus; locúmque vbi abhinc cum ingenti nominis gloria quieſcit & colitur, regali rectà patenti ad hunc viâ auguſtis pyramidis illuſtrata, velut *aceruum* omnibus conſpicuum eius *teſtimonij*, Gallicæ felicitatis æmulis oſtendimus. Petentibus enim, vbi tantus Chriſti pugil & athleta occubuerit, reſpondemus.

* alijs Gaius.

*Eodem loco in textu præcitato.

Per freta deuenit Romam poſt funera Petri,
Poſt obitum Pauli. Qua tempeſtate tenebat
Nauiculam Petri Clemens Romanus; & ipſe
Perſuadente, viam ſecuit Dionyſius vltra
Attulit ad Celtas Chriſtum, tentoria figens
Parrhiſios bifido quà Sequana circuit amne.
Aëreas Alpes, Rhodanum tranſiuit, & omnes:

Mantuanus in Faſtis.

Vt memini ceciniſſe olim maioribus orſis.
Cum ſocius pœna capitali affectus, in vlnas,
Ipſe caput ſuum aſſumpſit, truncúſque propinquum
Attulit in collem, quo nunc ſublimia Regum
Buſta loco reſident, magni ſub culmine templi.

Nullus certè alius eſt in orbe locus, quo agone expleto triumphâſſe, paſſionéque peracta glorioſum emeruiſſe ſepulchrum, Dionyſium magnum Areopagitam aduerſarij noſtri poſſint indicare, quàm Lutetiæ Pariſiorum: eo ſcilicet ſitu quo magnificus eius victoriæ trophæíque titulus in conſpectu orbis, quindecim abhinc ſæculis, nemine refragante, inſignis glorioſúſque refulget. Si enim requiratur à Græcis, quantumuis liuidis Latinorum æmulis. *Vbinam, fortiter decertans occubuit victor pro Chriſti fide Dionyſius veſter Atticus?* Vno reſpondebunt ore, quemadmodum iam inde ſemper reſponderunt. *In Gallia* pugnauit, vicit, ibidémque triumphauit. Si ab ipſis Athenienſibus poſtuletur. *Vbinam quæſo veſter inclytus Areopagita poſt coronam ſanguine comparatam quieſcit?* dicent ſanè vna voce omnes, vt ante pridem ad nunc vſque dixêre. *Hîc non iacet.* Quò igitur? *Lutetiæ* replicabunt: vbi etiamnum eius gloriæ inſignia eminent, obuiáque patent mortalium omnium aſpectibus. Nullibi etenim reperiri hactenus potuit ſupremę tanti Martyris gloriæ immortalis titulus, nullibi ſacrorum eius oſſium aut cinerum tumulus, quàm Pariſiis, vbi laureatus ſupremo in agone coruſcat inſi-

gniis

gniis Apoſtolatus Galliæ & Martyrij inclyti glorioſus; orbis vniuerſi adoratione celebris: ex qua percrebuit iam olim ad eius ſepulchrum, quaſi ad Apoſtolica limina ex omni Chriſtiani orbis parte cõcurſus fidelium: qui ſummis etiam præeuntib. Pontificibus, Regibus ac Imperatoribus aſſeclis, Magni illius Areopagitæ pretioſa oſſa, ſummo ſemper honore venerati ſunt, nec alio vſquam loco tam exquiſitam cæli margaritam, in terra reconditam, quæſierunt aut inuenerunt. Profectò proximè elapſo ſæculo Velenus nouator ſeſe ridiculum præſtitit: dum contra patentiſſimam orbis traditionem ac fidem quindecim ſæculorum ſyngraphis obſignatam atque ſtabilitam, cœlíque etiam conſtanti adſtipulatione firmatam, non Romæ Petrum crucifixum iuſſu Neronis, ſed Hieroſolymis, Ananiæ Pontificis ſententiâ affixum ſtipiti occubuiſſe cum Paulo gladio ſuccumbenti, non erubuit aſſerere. Fabulam enim eſſe (ferè vt perſuadere aduerſarij de Dionyſij Areopagitæ Gallica concertatione, trophæóque Pariſienſi iam conantur) quicquid hactenus à Patribus & Hiſtoriographis de eius, Romæ prædicatione, ſeſſione, & Martyrio proditum fuit, & à Chriſtianis ſummo conſenſu creditum, nuperus ille fabulator pronunciare non exhorruit. Cuius apertam ipſe Caluinus dementiam aptè neruoſéque caſtigauit. Etenim is conuictus facti euidentia, qua conſtat de Petri morte Romæ crucifixi & ſepulti: non im-

pugnandam eſſe rem tam claram, tam teſtatam, quamuis ægrè, ſeriò tamen confeſſus eſt. Compellebat enim eum Euſebij & Caij ſuprà inducta argumentatio, quæ conſpicua Romæ Apoſtolorum ſepulchra & inſignia, ex vniuerſi orbis ſpectantis & comprobantis conſtanti ſignificatione, conuincebat, nuſpiam eoſdem alibi ſupremo certamine perfunctos fuiſſe, atque laureatos. Qua ratione etiam ipſe ſummus Apoſtolorum Petrus præclarè edocebat, non alibi quàm in Iudæâ Dauid fuiſſe funeratum: nempe quia eius ſepulchrum ibi obuium, nec alio vſpiam loco conſpicuum erat. *Viri fratres* (ait ad Iudæos) *liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus eſt, & ſepulchrum eius apud vos eſt, vſque in hodiernum diem.* Act. 2. 29. Petri igitur Apoſtolorum Primatis iudicio, iam delirâſſet manifeſtè, quiſquis perſuadere contendiſſet, Dauid alio in ſolo perfunctum fuiſſe extremo ſpiritu, iuráque ſepulchri conſecutum. Hac itaque eadem ſententia, aduerſarij noſtri mihi percelli videntur, qui Dionyſium Areopagitam quem Athenis paſſum comminiſcuntur, nec ſepultum ibi, nec alibi vſpiam quàm Lutetiæ comperiunt, nec indicare poſſunt: ſed fatentibus ipſis Athenienſibus, omníque Græcia annuente, quin & aſſerente; adeóque vniuerſo adſtipulante orbe, ac rem ipſam Deo O. M. ſequentibus ſignis confirmante; in Gallia ipſum Dionyſium, cum ſociis Chriſti purpuratum teſtem, in eius adorandi nominis

Vide Ioſephũ Antiqq. li. 7. cap. vlt. & lib. 16. cap. 11. & S. Hieron. in epiſt. ad Marcellã ſerie 17.

præconio occubuiſſe, audiunt, legunt; vidéntque collocatum ibidem vnicum & ſingulare, ſubliméque ac toto mundo ſpectabile à tótque ſæculis, omnium gentium veneratione, cultum mauſoleum:& nihilominus quod ipſe in Galliam vnquam tranſmigrârit, ibi Chriſti gloriam prædicauerit, Eccleſiam pepererit, palmam pertulerit, titulum Martyrij, ius ac decus ſepulchri adeptus, promeritúſque fuerit, perfractè inficiantur. Apoſtolatum autem eius Gallicanum, & Pariſienſe certamen ac trophæum, pro fabula compertiſſima habent, haud minus abſurda atque ridicula, futilis, anilis ac propudioſa, vt ipſum eſt Ioannis conficti Papæ mulieris nefandum prorſus commentum, ac horrendum portentum. Cuius tamen prodigioſæ fœminæ (chimæræ dicam veriùs) proprium neque nomen (vti videbitur infrà) ante vmbratile Pontificium, certo enuntiare queunt: neque in Papali conſeſſu ordinem aut numerum, patriam ipſam, educationem, progreſſum, promotionem, ætatem, acta, finem eiuſdem congruè aſſignare, *ſolidéque aſſerere poſſunt. Vtque breuiori periodo rem ingentem concludam, nec locum vbi nata fuerit denominare ſciunt; multominus vbi condita ſit poſt funeſtos qui finguntur occaſus nequeunt, tanti figmenti artifices deſignare. Ex quo multiplici diſcrimine (quo nullum maius aut grauius eſſe poteſt) omnino perſpicuum euadit, quàm non modò ineptè, ſed iniquè etiam fabu-

* Præter auctorũ tamen aliquot obſcuriorum dicta argutores noſtri dicunt de Ioanne Papiſſa, realia aliquot monimenta extare: ſed hos eleganter & doctè refellit P. Cottonus in Catholica ſua Inſtitutione lib. 2. de Eccleſ. Militante cap. 14. pag. 281. poſt Florimundũ Raymundum in lib. quem de fabula huius Papiſſæ conſcripſit, vbique noto & celebri.

la Ioannis confictæ Papiſſæ, cum ſancti Dionyſij Areopagitæ Galliarum Apoſtoli hiſtoria certiſſima, ac iamdiu in Eccleſia Catholica receptiſſima ac probatiſſima conferatur: Quacum à parte rei nihil magis affinitatis habet, quàm lux commercij cum tenebris, chimæra cum homine, veritáſque ſplendidiſsima cum comperto mendacio, falſitatéque & impoſtura manifeſta. Vnáque etiam hinc elicitur procul à vero eſſe, quod aduerſarij præſupponunt, traditionem noſtram de beato Areopagita in ei perſimilem eſſe commentitio rumuſculo de Ioannis Papæ mulieris præſulatu; quòd vtrumque ſolis plurimorum Scriptorum dictis innitatur. Traditio ſiquidem auita, ſeu potiùs Eccleſiaſtica, de Gallico ſancti Dionyſij Apoſtolatu, præter innumera illuſtriſſimorum auctorum teſtimonia; plurima alia habet ineluctabilia fundamenta atque munimenta; quibus fulta ſubſiſtit, nixáque ſe ſupra omnem inuidiam dum attollit, itidem de calumnia quacumque magnificè triumphat.

Ceterùm ſi illa ſententiæ noſtræ præſidia non extarent, & ſolis tantùm auctorum teſtimoniis ea niteretur: nulla tamen eſſet paritas inter ipſam aſſertionem noſtram de ſancti Dionyſij Areopagitæ Apoſtolatu Gallico; & æquiparatam illam perperam ab aduerſariis, confictam de Ioannis Papæ mulierculæ autumationem. Sanè etſi Philoſophus Topic. 1. doceat argumentum ab auctoritate, teſtium nempe adſtipulationem;

rem facere probabilem: ea tamen addit longè admodum probabiliora eſſe, quæ videntur omnibus, aut pluribus: præſertim ſapientibus, & iis quidem vel vniuerſis, vel plurimis, vel maximè notis, vel præcipuis. Quo ex theoremate facile eſt diſcrimen aduertere, quod occurrit inter traditionem quam tuemur Eccleſiaſticam de ſancto Dionyſio Areopagita, primo Pariſiorum Epiſcopo, & illam de Ioanne fœmina vmbratico Pontifice, fabulam. Platina enim qui eam *ex errore vulgi*, vt ait recitat, mox admonendo ſubnectit: *Hæc quæ dixi vulgò feruntur, incertis tamen & obſcuris auctoribus.* At teſtes de ſancti Dionyſij Areopagitæ Pariſienſi Epiſcopatu & Martyrio, nec incerti eſſe poſſunt, * nec obſcuri, vt ex eorum indice ſupra delineato (poſt productum illorum, non omnium quidem, ſed præcipuorum examen) fit liquido exploratum. Nam in Catalogo noſtro ſignatos vides (quorum ante, in libri huius ipſo contextu, expoſita leguntur, per continuam ſæculorum quibus vixère ſeriem, expreſſa admodum teſtimonia) ſexdecim ſummos Pontifices. Totidem cùm Reges Chriſtianiſſimos, tum Auguſtos Imperatores. Sex Reges Angliæ. Duos Hiſpaniæ. Quatuor Eminentiſsimos S. R. E. Cardinales. Tres Patriarchas Conſtantinopolitanos. Septem Archiepiſcopos ac Primates. Quinque Concilia: inter quæ vnum eſt generale Græcorum & Latinorum, Papa præſide, Imperatore Orientis cum CP. Patriarcha præſentibus, con-

* In teſtibus fides, dignitas, mores grauitas examinanda eſt, can. *ſi teſtes omnes.* §. *in teſtibus.* fides autem in iis maximè requiritur. *ibidem.* deinde dignitas, qua aliis (ſi in cæteris pares ſunt) iure ipſo præponderāt. 4. q. 7.

ſidentibúſque 141. Epiſcopis. Inducti ſunt præterea pro ipſa aſſertiua ſententia teſtificantes, Doctores Eccleſiæ, Theologíque ex omni natione præſtantiſsimi, vt minimùm viginti. Hiſtorici ſacri & Chronologi præcipui nominis, tam Græci quàm Latini, ferè quadraginta. Præter ſacros Poëtas & Iuriſperitos ciuiles. In quo illuſtriſsimorum teſtium conſeſſu, Sancti à Chriſto glorificati, numerantur viginti ſeptem: in quibus cernuntur ſeptem Martyres: reliqui verò ſanctiſsimi Confeſſores conſpiciuntur. Igitur neque ignoti ij noſtri ſuffragatores, propria per nomina & ætates ſuis quique locis deſignati: neque ibidem obſcuri, ab aduerſariis dici poſſunt (vt commenti de Ioanne Papiſſa à Platina teſtatores appellantur:) niſi ipſi hominum ſummi apices, vniuerſi orbis conſpectui ignoti: mundique præclariſsima quæque lumina, obſcura ab iiſdem æmulis noſtris iniuriâ exiſtimentur.

Sed verò dicent. *Neque qui narratiuncula de Ioanne Papiſſa ſuis obſignant ſuffragiis incerti ſunt, neque itidem obſcuri.* Extat certè eorum * index à Franciſco Gauduuino Landauenſi, in Anglicano ſchiſmate hæreſíque dicto Epiſcopo, exaratus, ſubiunctúſque *Commentario ſuo, de Præſulibus Angliæ*, Londini edito anno 1616. In appendice quam inſcripſit, *Catalogum Cardinalium*, qui Angli fuiſſe feruntur: quorum anteſignanum, Ioannam (vt ait, non tamen ſine patenti ſcrupulo) Pontificem conſtituit. Hoc autem in indice tam deploratæ

* Teſtiũ nomina debent publicari in cauſis, *cap. ſtatuta. § inbemus. de hæreticis, lib 6.* atque tradi debent partibus vt poſſint admitti vel reprobari, *gloſa iudiciis*, ibid. necnon *eod. cap. §. Et vlt.*

fabulæ adſtipulatorum, adeo obſcuros potiori numero recenſet auctores, vt vix intento etiam oculi coniectu, Lector eruditus deprehendere poſsit, qui qualéſque fuerint ſcriptores illi, qui in rei tanti ponderis confirmationem aſſertionémque allegantur; quorum præter nudum nomen, nihil eſt quod in ſenſum cadat legentium. Quæſo enim, quando ſignata ibi notabili ſerie aſpicis nomina Ranulphi Ceſtrenſis, Ioannis Lunidi, Conſtantini Phrygionis, Anſelmi Rid, Alfonſi de Carthagena, nónne apud te quæris, inſcitiam culpans propriam? Qui ſunt nobiles illi ſcriptores, quorum numquam vſque modò vel ſolum nomen in meis auribus perſonuit? quorum ópera ita nihilominus in pretio & fama ſunt; vt nec eorum programmata meam vſque nunc in notitiam peruenerint, tantæque interim ſunt celebritatis ac auctoritatis, vt in grauis adeo momenti cauſa, pro oraculis illorum dicta habeantur? Anonymos prætereo: v.g. *Chronici Chronicorum*, ſpectabilis nimirum & exquiſitæ farraginis compilatorem incognitum. Item eiuſdem claſsis auctorem *Supplementi Chronicorum*, & *Faſciculi temporum*, æquè ſanè præſtantes ac inſignes Chronographos, quorum ne nomen quidem in hominum memoria permanere promeruit: fabulæ verò, commenta & errata, ſuis ipſis auctoribus famâ præcelluerunt, atque vnà iiſdem omne decus memoriæ & pondus fidei detraxerunt? Diſpicio iam illos qui ali-

quod ſibi monimentum apud poſteros reliquêre. Quis putas eſt Ioannes ille Pariſienſis, quem tantæ dignitatis fecit Gauduuinus, vt ordine quintum in famoſo illo indice collocaret? Nónne Monachus eſt ille Dominicanus, qui Scholaſticus, neutiquam hiſtoricus, librum *de poteſtate Regia & Papali* infeliciſsimè ſcripſit, in diſcordia quæ tum efferbuerat inter Bonifacium VIII. PP. & Philippum Regem cognomine Pulchrum: quam ſuis ipſe facibus potiùs accendit, quàm reſtinxit. Ideo & à Pontifice & à Rege proſcriptus; tametſi illi quàm huic iniquior, Apoſtolicæ ſedis decora quantum potuit obſcurauit, dedecora finxit ac affinxit. Porrò Palmerius, quem etiam ſpectabili loco ponit Gauduuinus: infelix ſanè eſt ille Chronici auctor ab anno Chriſti 449. ad 1449. perducti. De quo ſcriptore Trithemius refert, quod demum de hæreſi conuictus & damnatus*, incendio perierit.

*Sine vlla infamia aut ſuſpicione, aut manifeſta macula teſtes eſſe debẽt, *can. teſtes* 2. q. 2. & gloſ. integer, *cap. forma de verborum ſignificat.*

At inquient aduerſarij, *alios adhibet ſuffragatores Gauduuinus ſolidioris famæ, ac magis ponderoſæ auctoritatis.* Paucos fateor, immò pauciſſimos nuncupat, qui inter Scriptores aliquo non ignobili loco habentur. Nimirum Marianus Scotus, Sigebertus, Martinus Polonus, B. Antoninus, & aliquot pauculi inferioris notæ. Sed prætereaquam auctores iſti iuniores ſunt, quàm vt ferendo teſtimonio in hac cauſa idonei ſint: cùm eorum antiquior Marianus poſt rei notam de qua ſermo eſt, annis ferè trecentis claruerit. Fallitur

litur enim Gauduuinus qui florentem anno 1030. conſignat: nam ille anno 1083. Chronicis ſuis illuxit*, vt ex eorum patet coronide: & anno 1086. Moguntiæ obiit. Quapropter de re quæ geſta dicitur ante annum 850. ferre teſtimonium ex viſis nequaquam potuit. Ex relatis autem authenticè non valuit, quia ante eius tempora nullus prorſus ſcriptor nominatur, qui confictam hanc narrationem litteris prodiderit. Marianus tamen ipſe vt infrà patebit, nihil de hac fabula memorauit. Proximus verò ſignatur ipſi Mariano ab aduerſariis Sigebertus. Sed perperam, vt mox quoque demonſtrabitur. Ab hinc autem vſque ad Martinum Polonum, qui florebat anno 1250. nullus à ſectariis quantumuis infenſis Apoſtolicæ ſedis hoſtibus, omnino ſcriptor deſignatur, qui commenti illius meminerit. Suo itaque demum ſæculo indicatur hic teſtis, ſed monoculus & ſolitarius: à quo vſque ad beatum Antoninum an. 200. effluxerunt, quibus nullus comparuit, qui meminiſſe tam ſordidi figmenti ab ipſis ſegregibus annotetur: quod Platina demum recenſendo, pro explorato errore habuit; exceptores autem iam conſpicuæ fabulæ ita contempſit, vt illos non modò ex vulgi fece prodiiſſe, ſed & ignotos & obſcuros eſſe diſertè admonuerit. Sed cur ita cenſuit? Numquid quòd Antoninum titulo etiam ſanctitatis inſignem fuerit aſpernatus? & Marianum Scotum, quin & Sigebertum, illuſtres ſanè omnium conſenſu Chronologos, viles

*Sigib. lib. de viris illuſtrib. clarum eum ſignat anno Chriſti 1082.

& obſcuros teſtes exiſtimauerit? Minimè quidem. At pro teſtibus non numerauit: quos tam ineptæ quàm compertæ fabulæ, haud quicquam adſtipulari certiſſimè nouerat. Etenim reuerà Sigebertum eſſe à labe tanti errati immunem, clarum eſt ex eo quòd corruptum fuiſſe eius Chronicon, eo loco de quo agitur inde liquet, quod in MSS. antiquiſſimis eiuſdem exemplaribus, nihil prorſus de Papa Ioanne fœmina legitur. Edidit ſanè ante 30. annos ſumma diligentia & fide Sigeberti Chronicon doctiſſimus vir Aubertus Miræus, qui ſic ea de re notat ad ann. 854. *Hoc loco, nulla in Gemblacenſi, Aquicinctino, Lipſiano, aut Orteliano, MSS. Codicibus, quid tale adſcriptum legitur, vt ſunt interdum nonnulla, recentiore manu ad margines adiecta. Itaque certum eſt, hanc de Ioanne Papiſſa fabulam, Sigeberto noſtro falſiſſimè attribui.* Et verò extat adhuc in Gemblacenſi cœnobio, vbi aſceta fuit Sigebertus antiquiſſimum exemplar Manuſcriptum, quod ipſius Sigeberti autographum eſſe proditur. At in eo Codice, præſertim conſpiciendo, Ioannes Molanus celebris ille Doctor Louanienſis (qui hoc ipſum volumen ſe contrectaſſe teſtatus eſt) aſſerit nullá penitus Ioannis fœminæ fieri mentionem. Idipſum probatur de corrupto ab Apoſtolicæ ſedis hoſtibus in vulgatis editionibus, Mariani Scoti Chronico. De quo ſic teſtatur idem Miræus. *Quo ad Marianum Scotum attinet, quem aduerſarij quoque nobis obiiciunt, Chronicon eius in pergameno, charactere vetuſtiſ-*

ſimo exaratum, ex Bibliotheca Gemblacenſi, ad me miſit R. V. Ludouicus Somberus, illius loci Abbas, &c. *In eo nulla prorſus Ioannæ Papiſſæ mentio, ne ad oram quidem.* Hæc ille vir grauiſſimus ac pereruditus. Idé is planè teſtatur qui Coloniæ anno 1574. typis vulgauit *Metropolim Alberti Krantij*: aſſerit enim nullam memoriam Ioannis Papæ fœminæ in antiquiſſimis quos vidit Codicibus Mariani deprehendi ſignatam. Porrò quod ſpectat ad ſanctum Antoninum, neutiquam ſuum eam in rem (quod ab eo iniuſtè exigunt hæretici) ſymbolum impendit; qui narrationem illam confictam, éxque inani rumore ægrè duntaxat refert, quin hanc ſe haud crediſiſſe palam inſinuat: quam & non notatam à Vincentio & Ioanne columna; quos præuios ſcriptores paſſim ſequebatur, idcirco admonet expreſſe: poſitáque duntaxat hypotheſi (quam procul à ſua indicat eſſe perſuaſione) per illa verba, *Sed & ſi fuit verum*; calumniatoribus Pontificatus Chriſtiani, hac etiam ſuppoſitione præmiſſa, piè ac Theologicè reſpondet. Qui & ab exordio apertè innuit ſe non in ea ſententia fuiſſe, at Martini duntaxat Poloni ſolius ac vnici notatotoris referre cantilenam. *Poſt hunc Leonem* (ait) *Martinus in Chronico poſuit Ioannem natione Anglicum.* Quem tamen ipſemet B. Antoninus vt ſuppoſititium in catalogo breui Pontificum, à ſe præfixo eidem quod in margine indigitauimus capiti, prætermiſit. Solus igitur in hac arena manet Martinus, à quo vnico, * oſores Apoſtolicæ

Tom. 2. Chronicor. tit. 6. c. 1. §. 6.

* Teſtimonium vnius, in nulla cauſa ſufficit *gloſ. fin, in cap. ſuper eo 22. & cap. licet vniuerſis 23. de teſtibus.*

ſedis poſterioribus temporibus hauſiſſe hanc fabulam, Onuphrius Panuinus in *Annotationibus ad Platinam* benè oſtendit. Qua in eruditiſſima diſſertatione hanc ita neruosè fabulam refellit, vt pudor ſit immò piaculum graue, poſt eius lectionem, tam ſtolidum ac ſcurrile impiúmque figmentum vndique à doctis exploſum, in memoriam reducere. Ceterùm Onuphrius, auctorem primum huius fabulæ Marianum exiguæ eſſe auctoritatis *, modicæ fidei, at magnæ ſimplicitatis ſcriptorem, per inductionem multorum exemplorum patentium demonſtrat: poſt quæ notata ſubiungit. *Ab hoc igitur, haud multùm occupato, ſed potius ſimplici ſcriptore, Joannis fœmina fabulam, omnes quotquot ſcripſerunt hauſêre.* Sed qualis quæſo ille auctor, qui rem ſolus narrat, ante ætatem ſuam, ferè 400. annis haud confectam quidem, ſed recèns cùm ſcribebat inani ex rumore confictam? Adde quod quæ refert vnicus Martinus ille minimè vidit, ſed nequidem legit, quia ante illum nemo hoc figmentum tam anile, tam ridiculum ſcripto prodiderat. Quod & ipſe ſatis candidè innuit dum nullum ſibi præeuntem ſignat auctorem, ſed ſolum modo ex volatili fama & vulgari autumatione, nullo ſubnixa teſtis oculati *, aut ſe tantillum anteriori ſuffragio, hoc commentum prodiiſſe & ſe mutuatum ſignificat. *Hic* (inquit) *Ioannes, vt aſſeritur, fœmina fuit.* Sed à quo bone Martine, id aſſeritur? Rumoris huius qui ab eo tam debili ex fama narratur, teſtis adſti-

* Teſtis qualitas multum attenditur in probatione facienda, *cap. in noſtra. tit. de procurat.*

* Non debet teſtes dicere teſtimonium, niſi de iis quæ præſentialiter & veraciter nouerunt, *can. teſtes* 3. q. 9.

ſtipulatórq. qui ſibi adſit,in hac ſcena certè comparet nullus & nemo. Vnde grauiter Lipſius in epiſtola Franciſcum Suuertium anno 1593. data, 5. Kalend. Martij (cuius autographum ſe aſſeruare teſtatur Miræus) ſic ſcribit. *De quæſtiuncula quod petis ſuper Pontif. Ioanne fœmina, vt nugantur, vides quid ſentiam, cùm appello nugas. Reuera fabella eſt, haud longè ab audacia & ineptiis poëtarum. Vis clarè tu & conſortes illi rem videre? Adite librum Gallicè nuper ſcriptum & editum Burdigalis, auctore Florimundo Raymundo Conſiliario Regio, qui totus eſt in hoc argumento. Auctor ad me miſit, & ita plenè exſecutus eſt, vt nobis nihil reliqui ſit, niſi credere & aſſentiri.* Acquieuerunt ipſimet Raymundo, eruditiores etiam ſegregum Miniſtri, quorum plerique illi confeſſi ſunt*, rem penitus ab illo confectam eſſe: fabulámque illam vndequaque profligatam, quæ tanti pugilis exertis viribus omnino indigna erat.

* Lib. de Antichriſto Lugduni edito anno 1597. cap. 11. §. 6. p. 160.

Verùm Apoſtolatus Gallici Dionyſij Areopagitæ impugnatores, hîc nos operam luſiſſe & perdidiſſe oleum fortè inſimulabunt: probare etenim nos perſtuduiſſe, quod planè apud ipſos ſuperuacaneum eſt; neq. enim ſe negare relationem de Papiſſa Ioanne meram nugam ac fabulam eſſe. Et hoc quidem poſtremum, verum eſt. Sed tamen quæ induxi ſuperiùs, me fruſtra præſtituiſſe prorſus inficior. *contraria enim contrariis oppoſita magis eluceſcunt*. In hoc cardo rei quæ inter nos vertitur, totus ſitus eſt, quòd velint

cam\] eſſe inter ſententiam veterum quam tuemur, de Areopagitę Dionyſij Apoſtolatu Gallico; narratiunculámq. de Ioanne Papa muliere conuenientiam*: vt parib. auctorum teſtimoniis, vtrumque vt aiunt commentum innitatur. Conſenſum igitur auctorũ, ad rem certã de Dionyſij Apoſtolatu conſtituendam, ſufficienti præſidio nobis nequaquam opitulari. Quando Pontificis Ioannis fœminæ inſeſſio, æquali teſtium conſpiratione fulciatur, & tamen vt exploratum commentum repudietur ab omnibus, qui quicquam doctrinæ, pietatis, pudoris atque prudentiæ habent. Opus igitur mihi, dicent, incumbit hanc æquiparationem penitus amoliri, oſtenderéque ex oppoſito traditionem de ſancto Dionyſio rei geſtæ hiſtoriam eſſe probatiſſimam, cum ex aduerſo manifeſtum ſit autumationem de Ioanne Papiſſa prorſus erraticam, nihílque aliud quam fabulam compertiſſimam eſſe. At verò hoc ipſum reale diſcrimen iam ſuprà multipliciter patefecimus. PRIMÒ, ex eo quòd ipſa ſancti Dionyſij traditio non ſolis ſcriptorum quáque ætate celebrium teſtimoniis confirmetur; ſed præclariſſimis inſuper, toto orbe facti euidentiſſimi veſtigiis, atque monimentis comprobetur. Auctoritate Eccleſiaſtica, Regia, Pontificia, ſynodica; omnium gentium conſenſu, quin etiam & diuina adſtipulatione ſæpiſſimè prodita ac teſtata, communiatur: quibus omnibus fulturis confictarelatio de Ioanna Papiſſa, ex aduerſo deſtituitur.

* Addunt inſuper, quòd vtriuſque cõmenti paritas hinc conſpicua ſit: quod ſicut fabulam de Ioanne Papiſſa ii patefecerũt qui commenti illius initium ac originem prodidêre; ſic figmenti de Epiſcopatu Pariſienſi Dionyſij Areopagitæ inde euidentiã ſe elicere ac expromere, quòd cõmentitiæ eiuſmodi perſuaſionis ortum & auctorem certò certiùs indigitent: Hilduinum nempe fabulæ huius architectum; ante cuius ætatem nemo quod ſcripſit ea de re tradiderat, vel crediderat. At principium ſic petunt, immò ſupponunt (pace eorũ dixerim) quod non eſt verum, vt patet ex demõſtrationibus toto hoc libro expoſitis,

SECVNDÒ, ex eo quòd impares omnino ſint teſtes qui huius fabulæ relatores ſunt, dignitate & auctoritate, meritis, celebritate, quod fusè ordinéque demonſtratum eſt. TERTIÒ, ex eo quòd longè impares ſunt præfatæ fabulæ narratores, iis qui de Apoſtolatu Gallicano ſancti Dionyſij Areopagitæ teſtimonium ferunt, numero ac multitudine. Nam traditioni huic (quam ex debito veritati obſequio & patriæ amore propugnamus) ſuffragium perhibent præter collectiua ſynodorum ſymbola, & plurimorum illuſtrium, quos breuitatis cauſâ prætermiſimus ſcriptorum agmina, centum ſupra quinquaginta teſtes ex omni natione, ætate ſelectiſſimi; dignitate, doctrina, sâctitate, ac nominis gloria præeminentiſſimi. Ab æmulis verò pauciſſimi nominantur, & ij quidem *incerti & obſcuri* nominis, vt Platina eos perſpectos habens aptè cognominauit. Si enim series efficta à Gauduuino gratis pro rata recipiatur, vix ad minimam tantillámque eorum partem qui à nobis ſtant, perueniet. Quorum ſi plurimos eóſque præcipuos dempſeris, qui quod ipſis tribuitur nullatenus dicunt, pauciſſimi remanebunt, qui vel exilem numerum queant conficere. At vt præclarè docet ſanctus Hieronymus *lib. 3. Comment. in Matthæum*, paruus numerus nihil eſt ſi centenario numero comparetur. Si igitur comparatione centenarij, paruus numerus, quaſi pro nihilo computatur: certè duplicati & triplicati, longéque ampliùs multi-

quibus oſtendimus, longè ante Hilduinum natum, ſic in Eccleſia Catholica teſtatum & creditum fuiſſe.

plicati numeri centenarij, quem habemus, reſpe-ctu, exiguus omnino auctorum quos æmuli ſibi ſuffragari volunt numerus, pro nihilo cenſeri debet. Ceterùm non teſtium centurias, ſed myriades in cauſa quam tuemur, poſſidemus. Nec enim permulti nobis ſuffragantur duntaxat præſtantis nominis ſcriptores: at gentes & regna, & tribus & populi & linguæ & nationes nobis conglobatim militant, illorúmq. apices ac lumina nobis in aſſertione noſtra vltrò patrocinantur. Gallicanam enim Eccleſiam pleriſque ab hinc ſæculis in ea eſſe noſtra ſententia Boſquetus ipſe non ſemel confitetur, ſcilicet *part.* 1. *pag.* 49. 52. *&* 59. Sed & Græcam Eccleſiam, ſeu gentem nobis eſſe conſentaneam, immò præambulam & anteſignanam *part.* 1. *pag.* 49. *&* 52. cuius auctoritate dicit etiam Hilduinum ad Apoſtolorum tempora noſtrum Dionyſium retuliſſe. Porrò Romanam inſuper Eccleſiam, hanc noſtram aſſertionem complecti, immò traditionem profiteri, docere, aſtruere, manifeſtum fit ex ſacris Pontificum eius reſponſis Epiſtolis ac diplomatibus Apoſtolicis & factis glorioſis ſupra inſinuatis. Item ex ſacroſanctis Apoſtolicæ ipſius ſedis diptychis, libris ritualibus, liturgicis, lectionariis, precatoriis. Item ex hagiologiis, Kalendariis, annalibus, & quibuſque aliis ſacris monimentis, myſticíſque hymnis, capitulis, collectis, reſponſis, lectionibus, ipſáque epiſtola quæ ex actis Apoſtolorum de eodem Dionyſio Areopagita legitur in tremendis

amendis myſteriis, diuinorúmque officiorum antiquiſſima formula, publico vſu frequentantur, & ſolenni ritu ad Dei gloriam, Martyríſque eius Dionyſij beatiſſimi Areopagitæ honorem, & fidelium inſtructionem celebri more concinnuntur. His autem ex Eccleſiæ Catholicæ oraculis ac venerandis vocibus, fides eius de eadem traditione palam affatímque exhibetur. Nec enim *Eccleſia* (vt præclarè ait ſanctus Auguſtinus) *aliter canit, & aliter credit.* Sed quod canit, hoc & credit. Et reuera quod ipſa canit de ſancto Dionyſio Areopagita Galliæ Apoſtolo, in diuinis officiis, hoc ipſum in Synodis, duce Spiritu ſancto, quo regitur, candidè profitetur: vt potiſſimum videre eſt in Oecumenico Concilio Florentino, vbi Orientalis Eccleſia Occidentali coniuncta, acta beatiſſimi Areopagitæ quæ perhibent illum Gallicano Apoſtolatu diuinè perfunctum, inſigni fuiſſe martyrio Pariſiis laureatum, in teſtimonium pro Spiritus ſancti emanatione producta ſunt, vt authentica, híncq. inde abſque contradictione recepta, ſicut patentiſſimæ conſona veritati, & Eccleſiæ traditioni perpetuæ. Vincimus igitur aduerſæ partis aſſertores, tantum numero, quantum infinitum, finito præcellit: quantum videlicet Eccleſiæ vniuerſalis (quæ Chriſti corporis plena connexio eſt) collecta ab initio annunciati in orbe Euangelij, ex omni populo nationéque multitudo, paucorum aliquot hominum claſſiculam ſuperat, & totum ingens

particulam excedit. At ſatis hoc de diſcrimine: ad alia iam haud minus conſpicua progredior.

QVARTÒ itaque differunt noſtri teſtes ſuamet ipſa fide & teſtimonij conſtantiâ, ab iis qui fabulæ Ioannis Papæ fœminæ ſuffragantur. Regula eſt Euangelica pro falſis teſtibus deponentes in iudicio habendos eſſe, * *quorum teſtimonia inter ſe minimè conueniunt*. At verò inde falſitas narratiunculæ de Papiſſa fœmina explorata ſit, quòd qui de ea meminêre, nulla in re ſibi inuicem conſentiant. Modica variatio ſeu diuerſitas facilè teſtibus condonatur, ex iurium præſcripto, * quando nimirum non in ipſa rei ſubſtantia, ſed in quibuſdam duntaxat acceſſoriis ſeu circumſtantiis inuicem non conſonant: non autem quando in omnibus hinc inde pugnant, & ſibi mutuò aduerſantur. Certè in cauſa ſancti Dionyſij quam exequimur, auditi teſtes de recula aliquando diſcrepant: v. g. de nomine Imperatoris ſub quo Gallias diuino ore edocuit, & pretioſo cruore conſecrauit. At epocham nihilominus præcipuam omnes immotam ſtatuunt ac retinent. Conſentiunt enim fuiſſe miſſum à * Clemente, beatiſsimo Apoſtolorum Principis ſucceſſore. In rei autem ſubſtantia & circumſtantiis, tam perſonæ, loci, quàm agonis & generis mortis ipſius Dionyſij & ſociorum, vnanimi ſententia concordant. Dicunt enim atque teſtantur, Dionyſium illum à Paulo illuminatum, à Clemente in Galliam deſtinatum, Lutetiam Pa-

* Marc. 14. 56. 59.

* cap. *cùm tu* 16. de teſtib. item gloſ. fin. in cap. *tertio loco*, de probat.

* Sub Clemente Papâ imperârunt Domitianus, Nerua, & maiori ex parte Traianus, cui Hadrianus eodẽ ſub prænomine ſucceſſit. Ergo tempora iſta ſunt vno quaſi ne-

riſiorum acceſsiſſe, cum ſymmyſtis duobus indiuiduis Ruſtico Preſbytero & Eleutherio Diacono, ibíque demum prædicatam Chriſti gloriam, ac initiatam Eccleſiam Martyrio illuſtriſsimo obſignâſſe. Diuerſis ſiquidem tormentorum generibus à Feſcennino Præfecto excruciatum, hebetatis demum ſecuribus ſeu dolabris, cum iiſdem ſodalibus inclytis capite obtruncatum, ſacrum deciſum verticem propriis collegiſſe manibus, necnon ad eum vſque locum deportâſſe, quò à Deo clarificatus etiamnum in gloria quieſcit. In his profectò articulis, qui rei totius ſubſtantiam continent, nullus eſt qui aliis refragetur: ſed in eadem ipſa placita omnes verbo aperto conſpirant, vnóq. conſenſu ſumma illa rei capita ſuo calculo muniunt, ſibíque inuicem in iiſdem adſtipulantur. At ex oppoſito fabulæ de Ioanne Papiſſa obtruſores, ſibi inuicem in reipſa & omnibus eiuſdem circumſtantiis aduerſantes*, nulláque in rei particula concordant, ſed quaſi datâ operâ diſſentiunt, & quot ſunt capita tot abeunt in ſenſus, ſícque ab inuicem turpiter dilabuntur. Enimuerò maior eorum pars de re ipſa dubitat, omnéſque ab vno Martino Polono pendent, qui rem ex rumore* incerto, per *dicitur, fertur, aſſeritur, narratur, refert*, nullo præuio alio ſignato auctore. Tantis verò ambagibus ſeſe ille implicat, vt totam ipſe narrationem, confictam, ex repugnantiis quas commiſcet, ſuo ipſo contextu (quem excutit ſyllabatim Bellarminus

xu eiuſdem Pontificatus colligata. qua de re ſuprà ex profeſſo diſſeruimus, in ſolutione argumenti 5.

* Teſtis qui contradicit non valet, c. 3. loco de probationibus.

*Vacillans teſtis dubitãdo tenetur crimine falſi. *can. ſi teſtes* §. *in teſtibus* 4. q. 2. illique non datur fides. *gloſ. in cap. ſuper his*, 8. *de teſtibus.*

lib. 3. de Romano Pontifice cap. 24.) ſatis clarè patefaciat. At inde tam is quàm ſequaces eius digreſſi ad circumſtantias tragicè digladiantur. Alij enim dicunt Ioannam quam intrudunt Papiſſam, fuiſſe ante adeptum quem comminiſcuntur Pontificatum, dictam *Agnetem*. Alij *Gelibertam*. Alij *Iſabellam*. Alij *Margaritam*. Alij *Iuettam*. In Papatu autem alij Ioannem dictum volunt ſeptimum, alij octauum, alij nonum. Quoad eius ortum nonnulli ſcribunt natam fuiſſe in Anglia & ſignatè quidem Moguntiæ. Alij in Germania incerta ciuitate. Litteris operam dediſſe quidam aſſerunt Pariſiis: alij verò Athenis. Quoad mores, aliqui illam fuiſſe tradunt vita ac doctrina commendabilem, inſinuántque iis dotibus ſenſim prouectam, iiſdem demum gradibus Petri ſolium conſcendiſſe. Alij ex aduerſo, vitâ perditam, magicis deditam præſtigiis, iis artibus dicunt illam, in ſacerdotij faſtigium irrepſiſſe. Seductam à Monacho Fuldenſi quidam aſſerunt: alij tradunt ab adoleſcente Clerico, ex Gymnaſio Pariſienſi Athenas vſque (emporium nempe litterarum diu ante euerſum & iamiam deletum) traductam. Eandem electam deinde ſucceſsiſſe Leoni IV. aliqui ſcribunt. Alij ſuffectam aiunt Leoni V. Alij Martino primo; alij Benedicto III. Cœpiſſe præeſſe aliqui ſignant anno 854. Alij anno 894. Sediſſe verò ſunt alij qui dicant, annis duobus cum dimidio. Alij vno & quinque menſibus. Alij denique ſedem quatuor dun-

taxat menſibus tenuiſſe. Porrò impręgnatam volunt quidam à Cardinale anonymo: quidam à famulo cubiculario. Tandem admonitam de turpi exceſſu per propudioſum partum impendenti, aliqui fuiſſe tradunt ab Angelo. Alij è contra à diabolo detectam, qui horribili vt referunt boatu, illi frequenti conſiſtorio præſidenti inclamauerit.

Papa pater patrum! Papiſſæ pandito partum.

Alij nec admonitam nec denunciatam contendunt: ſed ipſam ex improuiſo publicè partum in via effudiſſe; dum ſcilicet ſolenni more equitando per vrbem procederet. Alij dicunt in aula peperiſſe. Alij in ipſa Eccleſia, dum diuina celebraret. Mortuam alij dicunt in ipſo partu. Alij ſuperuixiſſe, atque detruſam in carcerem, diu poſtea turpiſſimo exitu exhalâſſe animam. Sed nec prætereundum, quod partum eius contigiſſe aliqui dicant, in Litania maiori (id eſt die S. Marci.) Alij autem ſolenniori die, ſcilicet in feſto corporis Chriſti. Quam celebritatem, nonniſi 400. circiter effluxis annis, à tempore quo conſtituunt hoc confictum portentum, notiſſimum eſt ab Vrbano IV. fuiſſe inſtitutam.

En quàm turpiter confligantur falſi ridiculæ huius fabulæ aſſertores: quæ patrem mendacij diabolum ipſum, architectum omnis falſitatis ac impoſturæ, patronum etiam habet, eiúſque teſtimonio firmatur, ac dicterio horrendo illuſtratur. Hic verò iam quæſo hiſtoriæ Apoſtolatus

Gallici, ſancti Dionyſij Areopagitæ, negatores: an non magna nobiſcum agant iniuria, cùm traditionem hanc tam puram, tam piam, tam certam & conſtantem Eccleſiæ non modò Gallicanæ, ſed Græcæ, ſed Romanæ: æquè confictam audent ſuggerere, ac fabulam iſtam putidam ac impiam de Ioanne fœmina Pſeudopontifice? Precor enim dicant, quænam ſit inter hiſtoriam glorioſi noſtri Areopagitæ (quam ex Patrum conſtanti fide & Eccleſiarum orbis generali traditione ac conſenſu omnium Chriſtiani orbis, populorum, vindicamus) & exitioſum hoc infaméque commentum de Papiſſa Ioanne, conuenientia? quænam teſtium paritas, aut teſtimoniorum conformitas, aut rerum ipſarum inter ſe proportio: vt traditionem Eccleſiaſticam prælibatam, in Liturgia etiam ſacroſancta Romana inſinuatam * fabulæ tam propudioſæ, quàm compertæ, aliquo cum rationis fuco poſſint æquiparare? Neminem adhuc Gallia adeo infeſtum ſenſit gloriæ ſuæ æmulum, exterum nullum aduerſarium ſuſtinuit; qui figmentum fabulámque nominare auſus ſit, fidem quam ex perpetuo ſedis Apoſtolicæ documento ac approbatione, Orentíſque cum Occidente plenario perenníque conſenſu, ab ante tot ſæcula profeſſa eſt: immò nec qui leuiuſculam commenti labem, traditioni illi tam antiquæ, tam probatæ, tam receptæ, támque illuſtri, vrſus ſit inurere. Infelicitati extremorum horum temporum, hoc vituperium &

* Nam in Miſſali Romano legitur in natali S. Dionyſij 9. Octobris epiſtola ex act. c. 17. deſumpta: quâ ipſe Areopagita, eius hîc conuerſio à S. Luca deſcribitur: idem eſſe inſinuatur, cum Pariſienſi ipſo, cuius illa die Martyrium ſolenni memoria celebratur. At ſi fabula eſt hæc traditio,

contemptus Antiquitatis venerandæ debet profectò deputari; qua laxatis in omnem nutum habenis, quiſque ferè, ſibi ſapit, aut deſipit; pio minimóque piaculo ducit, euellere terminos, quos patres poſuêre.

Præteriit etenim euanuítque verè aurea atque deſiderabilis illa ætas, qua oracula illa Apoſtolicæ ſedis vbiq. perſonabant atq. præualebant. I. *Nihil nouitati liceat; quoniam* (aiebat Leo Magnus ſcribens ad Epiſcopos prouinciæ Viennenſis) *ſemper eſt antiquitas honoranda.* II. *Apud nos inconuulſis radicibus viuit antiquitas,* (ſcribebat Gelaſius Epiſcopis Dardaniæ) *cui decreta Patrum ſanxêre reuerentiam.* Sed & diuinæ veritatis ac gloriæ patentiſſima inſignia, robur ſacroſanctum inuiolabiléque indidêre. Caluinus * quamuis ægrè ferret annuere Petrum Apoſtolorum primatem Romæ extremo ſpiritu fuiſſe perfunctum; coactus tamen per Patrum concordem ſententiam de eius Romano exceſſu; demum hanc confeſſionem proprium in præiudicium emiſit. *Tamen propter conſenſum ſcriptorum, non pugno quin Romæ mortuus fuerit.* A pari igitur neceſſe eſt tandem vt aduerſarij vltro vel inuiti fateantur, Dionyſium Areopagitam, Lutetiæ Pariſiorum, certamine extremo, palmam victoriæ & gloriæ coronam retuliſſe, ob conſenſum Patrum manifeſtum. Sic enim docuerunt ſummi Pontifices, ſic crediderunt Reges, ſic tradiderunt Patres, ſic ſcripſerunt Theologi, Hiſtorici, Græcíque ac Latini Chronologi pro-

falſa etiam illa eſt inſinuatio. proinde ex aduerſariorum ſententia ipſe facet Codex Liturgicus Catholicæ Eccleſiæ, fabulis & cōmentis exploratis infectus eſt. Antiqua etiam Miſſalia Galliæ eādem epiſtolā habebant: quæ ſignatur in Turonenſi edito an. 1533. Et Pariſ. an. 1531. quibus concordant antiqua MSS.

* lib. 4. Inſt. c. 16. §. 15.

diderunt, ſic Synodi prædicârunt; ſic vniuerſalis Eccleſia tam Orientalis qàm Romana, in generali Concilio congregata vno conſenſu ſe ſentire demonſtrauit: ſic hactenus in Liturgia, in myſticis præconiis, in diuinis officiis, in ceteris quibuſque ſacris religionis monimentis, ſeſe prorſus perſuaſum habere apertiſſimè prodidit, atque irrefragabiliter edocuit, etiamnúmque ſe credere & docere, modis omnibus quibus ſenſum poteſt exprimere declarat. His autem omnibus prædicamentis, fabulam Ioannis Papæ fœminæ, tot inſtructam figmentis, quin ex tot conflatam mendaciis, obſignari, noſtri antagoniſtæ, ſine frontis pudore, aut certè nominis iactura, & reatu animæ ſuæ, nec audent, nec poſſunt iactitare. Dicant enim quando iſta qualiſcumque narratio prolata, quin & probata fuerit in Conciliis, admiſſa laudatáque à ſummis Pontificibus, lecta in Eccleſiis, in ſacrificio tremendo recitata, decantata in Eccleſiaſticis officiis, prædicata à doctoribus, à Theologis aſſerta, à Sanctis confirmata, à populis recepta & credita fuerit, quemadmodum iſta traditio de noſtro Areopagita eſt, iámque pridem fuit. Hanc ideo confictam relatiunculam æquiparare nequeunt tam authenticæ traditioni, niſi ſeipſos velint atra ſpontanei piaculi macula inficere, quâ non quidem ſcientiæ, ſed conſcientiæ deliquium, ſe ſponte hac in re paſſos, poſteritati ipſi aduerſum ſe conteſtentur. Maximè cùm humana non ſolùm traditione ac fide, illa de

Apoſto-

Apoſtolatu ſancti Dionyſij perennis communíſque vniuerſo Chriſtiano orbi perſuaſio inoleuerit, ſed diuina quæ ſuprema omnium eſt auctoritate iamdudum inualuerit.

Dicebat afflatu ſuperno inſpiratus S. Ioannes prædilectus IESV diſcipulus. *Si teſtimonium hominum accipimus: teſtimonium Dei maius eſt.* Hinc nos ita inferre licet. Si Scriptores, in libris quod credimus, dicentes, legimus: Antiſtites, Cardinales, Pontifices ſummos, cum Conciliis etiam, ita docentes ac decernentes attendimus, ſuſpicimus. Reges, Imperatores, idem profitentes cernimus: Eccleſias, Patres, populos, nationes ita vno conſenſu credentes conſpicimus, audimus ac ſequimur. Proculdubio conſentaneum eſt omnino pietati, atque iuſtitiæ, diuinam ipſam auctoritatem iis accedentem longè maiori efficacia nos afficere, atque compellere, vt traditioni ſuperna etiam poteſtate confirmatæ, intrepidè, indubitanter ac ſine vlla hæſitatione acquieſcamus, totáque animi vi ac propenſione lubentiſſimè in hanc regulam concedamus. Areopagitæ etenim Dionyſij, Apoſtoli Galliæ, Lutetiæ præantiſtitis ac protomartyris, germanitaté, vnitaté, idétitatem, opera, decora, inſignia, diuina virtus per ſuæ operationis magnifica indicia, obſignauit; ipſamet eiuſdē Martyris patrata natalis nocte, prope ſepulchrum eius, ad librorū eius tū ex Oriente aduectorum auctoramentum, quæ ſigna in Græcæ nationis per Legatos non adulantis, ſed

1. Ioan. 5. 9.

admirantis & adorantis conſpectu, edita ſunt: virtutémque ſancti Martyris eiuſdem Areopagitæ (inquit Sigebertus *) ibidem per ſacra pignora & opera præſentis, propatulo prodiderunt. Sic igitur *Domino confirmante & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis*, & Eccleſiasticæ noſtræ noſtræ traditionis vindicata veritas, & quæſtionis qua de agitur, omnis ambiguitas ſublata fuit. Quæ dubitatio, ſi qua eſſe poſſet, innumeris aliis prodigiis ibidem diuina ope per tot ſæcula editis (quorum illuſtriſſimum in perſona Stephani Papæ III. diſcimus ipſomet diplomate ſuo Apoſtolico referente, eíque Ludouico pio Imperatore adſtipulante, peractum) auſpicato præciſa, immò radicitus euulſa, ſine detrimento diuinæ gloriæ & veritatis repullulare nequit. Vnde quicumque plantam illam malignam, diuina eradicatam manu, rurſus excolere ſatagit, cupítque ſemel mortuam reuiuiſcere, Dei ordinationi reſiſtit: ideóque fruſtra, quod aggreditur pertentat ac contendit. Neque enim qui plantat, neque qui rigat aliquid perficere poteſt conatibus ſuis, niſi Deus incrementum dederit. *At negare ſeipſum non poteſt*, vt Apoſtolus docet. Proindéque obſignatam à ſe veritatem numquam deſtruit: neque iam frequentibus miraculis ſtabilitam, aduerſis vnquam ſignificationibus, concutiet, propriámque neutiquam euacuabit teſtificationem. Habent obtruſores fabulæ de Ioanne fœmina pſeudopontifice diabolum, cuius dicta

* In Chronico anno 824. *Legati Michaelis imperatoris inter cetera munera detulerunt Ludouico Imp. libros Dionyſij Areopagitæ de Hierarchia, id eſt de ſacro principatu, petente ipſo Ludouico de Græco in Latinum tráſlatos. Qui libri Pariſius in ipſo S. Martyris feſto miſſi, cum gaudio ſuſcepti ſunt. Quod gaudium virtus S. Martyris auxit decem & nouem ægrotis in ipſa nocte ibi ſanatis.* Hæc Sigib.

referunt, adſtipulatorem. Verùm ſententiæ Patrum quam tuemur, traditionis Eccleſiaſticæ quam aſtruimus, Deum ipſum aſſertorem habemus. Quo pro nobis ſtante, aduerſantium, apertis maiorum placitis, & Eccleſiæ documentis Regúmque pragmaticis, quoſcumque impetus minimè formidamus, ſed floccipendimus. Deus enim qui operatur mirabilia, hos tumentes fluctus & procelloſos flatus iam à cymba noſtra longè depulit, à Pariſienſi naui quam incaſſum quatere tentant, ſuâ potentiâ compeſcuit. Ipſe etenim germanitatem Dionyſij Areopagitæ, identitatem eiuſdem nimirum cum noſtro Pariſienſi protomyſta ſua adoranda ſyngrapha obſignauit: dum hanc ſententiam ſignorum patentibus ſigillis pleriſque confirmauit. Ideóque meritò gloriari hinc poſſumus, quod verè *digitus Dei eſt hic.* Eccleſia autem Catholica hanc Apoſtoli noſtri actorum hiſtoriam, qua ipſe idem Pariſienſis qui & Athenienſis hierarcha aſſeritur, non modò in plenaria Synodo œcumenica collaudauit, ſed & huius auctoritate ſacratiſſimi monimenti, proceſſionem Spiritus ſancti à Patre & Filio, Græca Latinæ aſſentiente quæ aderat & vna conuenerat Eccleſia, productis iiſdem probatiſſimis actis, manifeſtè comprobauit.

Faceſſant igitur illa ingrata Deo diſſidia, quibus priſcus Chriſtianorum conſenſus temeratur, Maiorum deridetur fides, Eccleſiæ traditio contemnitur, auctoritas concutitur: minuitur Galliæ

præcipua gloria, ſcandalum in mentibus fidelium excitatur. Quis enim non offenderetur iam audiens tam antiquam traditionem à Patribus ſemper creditam, & tanta conſtantia ad poſteros tranſmiſſam, totius orbis Chriſtiani communibus votis receptam: nec modò Eccleſiaſtica, ſed etiam diuina auctoritate firmatam & corroboratam; iam non modò in dubium reuocari; ſed pro commento, quo tot ſæculis tam Oriens quàm Occidens turpiter faſcinatus fuerit iam haberi, à nouis illis quos redarguimus cenſoribus: qui quod nullus & nemo per tot tempora aggreſſus eſt, demum primi audent, dum hiſtoriam tam probatam, traditionem tam celebrem, tam conſtantem (quam perpetuam patefecimus in Eccleſia hactenus viguiſſe) inter fabulas deputant, omniúmque propudioſiſſimæ impoſturæ non dubitant adæquare. Quo conatu non aduertunt ſanè, vti fundamenta Eccleſiarum Galliæ concutiant, originem Chriſtianæ hoc in regno religionis adeò obnubilent, vt nemo iam indicare poſſit quando, quomodo, per quos, & quibus Euangelij primum lumen huic cœperit affulgere. Audiui nuper religioſum virum, exhorreſcentem ſuper noui eiuſmodi critici iudicium: qui iis de rebus cum eo verba faciens, dixit *meras eſſe nugas & fabulas, quæcumque de origine religionis Chriſtianæ in Gallia iam olim ferebantur, & de ſingulis Eccleſiarum Apoſtolis nunc vſque tradita & credita fuerant.* Quo vno exitiali pronuntiato, abrogatur non modò Gallicanæ Eccleſiæ antiquitas, atque no-

bilitas : ſed & omnium traditionum certitudo in dubium vertitur, ipſáque Catholica religio, vt fuit à Patribus ſuſcepta, & ab iis ad nos vſque tranſmiſſa, magnum in diſcrimen coniicitur. Sed à circulo ad centrum iam regredior.

Dicunt æmuli noſtri, originem Pariſienſis Eccleſiæ quam accepiſſe ab Apoſtolico viro Dionyſio Areopagita, aſſentiente ſibi vniuerſa Eccleſia profitetur, falſam & commentitiam eſſe: hánceque inſignem traditionem meram eſſe fabulam. Quibus vno verbo reſpondemus, DEVM *veritatis* non poſſe ſua teſtificatione approbare mendacia: neque Eccleſiam ipſius ſponſam, quam Apoſtolus *columnam* eſſe docet, & *firmamentum veritatis*, per relationem fabulæ (qualem volunt aduerſarij eſſe ſancti Dionyſij, citatam, laudatam, receptámque in vniuerſali Concilio hiſtoriam) dogmata ſacroſancta religionis approbare, neque conſueuiſſe, neque potuiſſe. Ex amaro enim fonte (ait ſanctus Iacobus) aqua non hauritur dulcis, neque ex falſitatis ciſterna corrupta, pura veritas vena dimanat. Certè in Concilio Florentino Oecumenico, agebatur de cauſa ipſius *Spiritus veritatis* : cuius proceſſionem per falſæ vt volunt aduerſarij traditionis monimenta haud decebat vel fas erat aſtruere. neque enim tantum dogma per fabulam ſtabiliri poterat. Acta ſanè ſancti Dionyſij Areopagitæ, Galliæ Apoſtoli, ibi ſolenniter lecta & laudata centum quadraginta & ampliùs Patres cùm Græci tum Latini, præſi-

Pſal. 30. 6.

1. Timot. 3. 15.

Ep. c. 3. v. 11.

dente Eugenio Papa, Ioſeph Patriarcha, cum Ioanne Paleologo Imperatore pręſente, ſummo conſenſu pro authenticis habuerunt *: rem igitur iis contextam tabulis illibatis haud eſſe fabulam (vt eſt Ioannis Papiſſæ execrabile figmentum,) ſed veram & ſynceram hiſtoriam eſſe, hoc ipſo Synodico iudicio, celebríque hoc vſu & facto declarârunt. Illius igitur veritatem nefas eſt de cetero reuocare in dubium: multominus hanc inter commenta turpiſſima reiicere. Id enim fieri profectò nequit, niſi Eccleſia patenter erraſſe dicatur, quam tamen Chriſtus Dominus, à Spiritu veritatis promiſit perpetuò dirigendam: & ideò eſſe decreuit ab omnibus audiendam, quicumque inter fideles iure voluerint vſquam cenſeri. Quamobrem quando in Concilio potiſſimùm generali, aliquid ſynodicè actum aut decretum eſt in quacumque controuerſia, docet ſanctus Auguſtinus * *cauſam eſſe finitam*: ampliúſque non licere de re eadem dubitare Chriſtiano.

* Seſſ. 7.

* Cont ep 2. Pelagij l. 4. c. vlt. & l. 3. cont. Iulian. c. 1.

Excipient autem hîc fortaſſe aduerſarij reſpondendo *Concilia in facto decipi ac labi poſſe*. Sed fruſtra hoc elabi artificio contenderent. Etenim hîc non agebatur de mero facto, ſed de grauiſſimo dogmate, quod per acta ſancti Dionyſij probatum fuit. Igitur ex Concilij ſententia illa acta, vt ſyncera & intemerata citata ac producta, ad auctoritatem faciendam, pro certis & authenticis habita ſunt. Hócque titulo tantum à commento aliena, quantum ipſum dogma quod ex horum

tenore firmabatur ab errore diſtat, veritáſque differt à mendacio. Adde quòd nec in facto, quoad approbationem ipſam actorum ſancti Dionyſij deceptum fuiſſe Concilium, patet ex demonſtrationibus ſuprà per ſeriem inductis: quibus liquidò comprobatur, ipſamet geſta etiam à parte rei ab æmulis controuerſæ, vera, ac germana eſſe.

Accedit (vt præſignatum eſt) diuina quoque auctoritas, qua expreſſa in his actis auita traditio, de Dionyſio Areopagitæ ex Græcia in Galliam transgreſſu, extremóque Pariſiis conſummato agone, quam apertè confirmata eſt, vt locum hic iure habeat præclara iſta Richardi à ſancto Victore expoſtulatio. *Domine ſi error eſt quod credimus: à te decepti ſumus. Iſta enim in nobis iis ſignis & prodigiis confirmata ſunt, quæ nonniſi à te fieri potuerunt.* Lib. de Trinit. c. 2. Nec hic locus habet altera aduerſariorum euaſio, qui vt diuinæ auctoritatis adhibita teſtimonia quæ negare non poſſunt, eludant: DEVM quidem mirifica opera quæ à Sigeberto, aliíſque grauibus hiſtoricis narrantur, edidiſſe fatentur: ſed hęc deuotioni piæ plebis beneficia impertiuiſſe; & ſimplicitati eorum, qui pignora illa vel volumina ipſis appoſita, vel ſepulchrum ad quod concurſus fiebat, ſancti Dionyſij Areopagitæ eſſe credebant, ſeſe indulgendo illorum ignorantiæ inflexiſſe. Quod nihil aliud dicere eſt quàm DEVM ſummam veritatem, ſummam iuſtitiam, deceptioni fidelium vltro patrocinatum,

errorémque quin & fabulam, quam eſſe dicunt auitam traditionem de S. Dionyſij Areopagitæ in Gallias aduentu, Apoſtolicáque in iis prædicatione, & conſummata Pariſiis paſſione, ac in ſepulchro glorificatione: fouiſſe atque prouexiſſe auctoritate ſua patentiſſima; ídq. non ſine propriæ gloriæ ac veritatis manifeſto detrimento. Quod impium prorſus eſt vel ſomniare. Nec dubium enim quod miracula potiùs præbuiſſet Deus ad errorem detegendum, & deceptionem illam generalem fidelium extirpandam, quàm fulciendam & confirmandam. Quemadmodum Sulpitius narrat diuino nutu & afflatu ſanctum Martinum, fictitium Martyrem quem deceptus colebat populus cognouiſſe, atque etiam propalâſſe. Ceterùm Sanctus ipſe Dionyſius haud ſemel in ſuo templo apparens diuinitus conſpectus eſt. At numquam conqueſtus legitur de errore illo populari: quo volunt laruâ Areopagitæ iniuriâ fuiſſe veſtitum. Notabilis præ ceteris fuit illa apparitio, quâ ipſe in cœtu Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ſociorúmque ſuorum Stephano III. Papæ ægrotanti ſua in Eccleſia viſus fuit. Tunc certè opportunitas illi erat anilem hanc fabellam, vt vocant æmuli proſcribendi. Non dubium igitur quòd ſi commentum fuiſſet eiuſmodi, ſanctus Dionyſius Pontificem quem alloquebatur de corrigendo tam ſtolido errore illum admonuiſſet, & non in ea perſuaſione quâ cum Pipino Rege, & tota Gallia, im-
mò

mò vniuerſa Eccleſia illum imbutum ſciebat, ipſum reliquiſſet. Sed vt altare erigeret in memoriam Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli (ſcilicet didaſcali ſui) tantùm illi commendauit. Qui Romam redux Stephanus, in memoriam beati ipſius Areopagitæ ſoſpitatoris ſui, (qui in Gallia ſibi apparuerat) Eccleſiam & aſceterium excitauit, cui ſcholæ Græcorum cognomentum indidit. Dicant iam aduerſarij, quæſo, ſi Ioannis Pſeudopapiſſæ, verus quiſpiam Pontifex Romanus conſpicuum vſpiam monimentum ita extruxerit: & quis aliquando viderit?

ARGVMENTVM XIIII.

Ex tranſitus ſancti Dionyſij Areopagitæ è Græcia in Galliam neglecta, vt vult Boſquetus, ab Hiſtoricis commemoratione.

Vbi etiam tractatur de illius tranſmigrationis cauſa, tam pia, quàm neceſſaria.

TANDEM (inquit Boſquetus lib. 1. pag. 49.) *varias primis Eccleſiæ temporibus Epiſcoporum tranſlationes ab Hiſtoricis diligenti cura notatas adducunt* (ij quos ſequitur) *& nuſquam inter illas Areopagitæ Athenis in Galliam tranſlatio legitur; quæ ſi reuera contigiſſet, propter viri dignitatem obſeruanda fuerat.*

RESPONSIO.

Apologetici huius contextus planè irritum reddit hoc Boſqueti (quod alieno ſtruit nomi-

ne, ſeu potiùs vmbratili veſtit titulo) argumentum. Enimuerò tranſmigrationem Dionyſij Areopagitæ ab Oriente in Occidentem, è Græcia in Galliam, ex Athenis Lutetiam luculenter teſtatam à priſcis Scriptoribus, tam Græcis quàm Latinis, liber hic plenè aſtruit, ac confirmat. Relegenda, hac de re, præclara teſtimonia ſuprà inducta Ariſtachi, Euſebij Cæſarienſis, B. Michaëlis Syngelli, ſanctíque Methodij qui res geſtas ſancti Dionyſij Areopagitæ, eiúſque martyrium Pariſiis actum, ex antiquis monimentis Græciæ, & Athenienſis ipſius Eccleſiæ tabulis ſacris, immò Orientalis Eccleſiæ diptychis ſcripto prodiderunt, antequam Hilduinus ſua Areopagitica ordiretur. Item & Suidæ & Simeonis Metaphraſtæ, Nicephoríque & aliorum qui ſubinde ſcripſerunt claris documentis. Idipſúmque ex Latinorum ſuffragiis, eodem Hilduino longè antiquiorum. Pontificum ſcilicet ſummorum Anacleti, Innocentij, Gregorij Magni, Stephani III. & Pauli I. qui ante natum Hilduinum idem ſenſerunt & tradiderunt. Regum etiam Chriſtianiſſimorum Dagoberti, Clodouæi II. Pipini, & Caroli Magni. Sanctorum Antiſtitum Eugenij & Venantij, Fortunati; beatorúmque Preſbyterorum Geneſij & Bedæ Venerabilis. Qui omnes inſignes teſtes tranſmigrationis ſancti Dionyſij ex Athenienſi Cathedra, ad Pariſienſem, omni acceptione digni ſunt, maiores verò omni exceptione; Hilduiníque ætatem & ſcripta, longè

anteceſſerunt. Quorum auctoritate exploratum ſit, quàm à vero aliena ſit Boſqueti de ſilentio authorum ea de re, obiectio. In qua ideo non indicauit vllos priſcos nomenclatores virorum Apoſtolicorum, qui eorum varias de gente in gentem tranſitiones *diligenti,* vt ait, *cura* notauerunt, & nuſquam tamen tranſgreſſum Areopagitæ Athenis in Galliam commemorauerunt: quia nullum poterat deſignare auctorem, qui quod ſupponit ſpeciali ſuo exemplo indicaret. At reſpexit fortè ad Nicephorum qui *lib.3.cap.1.* vbi narrat Apoſtolicos viros pleroſque, Apoſtolos imitatos, diuini verbi ſemen per totum orbem diſperſiſſe, déque vno populo ad populum alterum tranſiiſſe. Ibidémque Dionyſium Areopagitam nominat Athenienſium Epiſcopum: at de eius tranſmigratione nullam fecit mentionem. Sed peruia eſt reſponſio. Hîc enim Nicephorus ſubmonet, prolixiorem ſe fore, ſi omnes Apoſtolicos viros ſigillatim recenſeret, qui ab ipſa origine Apoſtolicæ ſucceſſionis, Euangelium in vniuerſo orbe promulgauerunt: breuitatis igitur cauſa ſe recenſionem ſuam conſtringere. Nec opus erat vt eo loco, quo meminit ſancti Dionyſij Areopagitæ Epiſcopi Athenarum, annotaret illum inde poſtea tranſmigrâſſe, Occidentíſque auras ſuo illuminâſſe progreſſu: id enim diſertè prænotauerat *lib. 2. cap. 20.* vbi poſtquam eiuſdem conuerſionis factæ à beato Paulo enarrauit hiſtoriam, atque etiam deſcripſit intimam

eiuſdem cum diuino illo Apoſtolo habitudinem, à quo cæleſtia theoremata illa didicit, quæ poſtmodum libris admirabilibus prodidit: deinde & glorioſam eiuſdem retulit Epiſcopatus Athenienſis (quem ipſius beati Pauli ordinatione ſuſceperat) adminiſtrationem; trãſitum diuinum eius in Occidentem, Apoſtolicámq. illic eiuſdem prædicationem, atque in extrema ſenectute ibidem inclytum martyrium ſignatè exprimit. *Dionyſius porrò* (inquit) *cùm pietatis doctrinam præclarè & liberè prædicâſſet, multóſque annos in Occidente Chriſti gloriam extuliſſet, ad multam vſque progreſſus ſenectutem, denique pro eodem corona martyrij decoratus eſt: de quo legitur, quod deciſum caput duabus manibus ſuſtulerit, ídque ad duo hinc vſque milliaria vectitarit, pignúſque tantum in manus obuiæ mulieris depoſuerit.* Hæc Nicephorus, qui ſanè (ſicut nec anteriores vt indicauimus Græci ſacri Scriptores) de Dionyſio Areopagita, ad nos ex Athenis tranſmigrante, & apud nos laureato (quod orbis vniuerſus nouerat atque teſtabatur) nequaquam tacuit, ſed apertè meminit.

Hîc ſuſpiciendi ſunt verò alij plerique, qui tranſitum Dionyſij Areopagitæ de Athenis Lutetiam ſtupent atque mirantur. *Quorſum enim Dionyſius Areopagita* (inquiunt) *vir planè Apoſtolicus, ciuitatem Græciæ celeberrimam*, Athenas nimirùm, *vnde*, vt ait Cicero*, *humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges, ortæ atque in omnes terras diſtributæ ſunt, lubens dimiſerit: tantæ videlicet ciuitatis Antiſtes, vt Pariſiorum Lutetiæ tum oppiduli vixdum co-*

* pro Flacco.

gniti fieret primus Epiſcopus? Quibus ſeriò reſpondemus, ferè cum Eſpencæo, non bonas opes, ſed *bonum opus*ⁿ appetebat, Epiſcopatum ſiue Athenienſem dimittens, ſeu Pariſienſem aſſequens Dionyſius noſter. tum enim non mitra, ſed Martyrium, à ſacris hominibus cœli nunciis quærebatur, qui omnia quæ in mundi pretio ſunt, *arbitrabantur detrimenta* (ita loquitur Apoſtolus) *modò Chriſtum lucrifacerent*, ciúſque augerent gloriam, & humani generis parerent felicitatem. Vbi maius oſtium patebat apertum, meſſiſque vberior animarum ſeſe ipſis offerebat ſeges, eò ocyus tranſcurrebant; quin *ad ſimilitudinem fulguris corruſcantis, toti æſtuantes, flammei, alatique & oculati ipſimet aduolabant.* Omnia etenim Dei ignea ſunt, *qui facit nuncios ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.*

ⁿ 1. Timoth. 1. — Philipp. 3. 7. — 1. Cor. 16. 9. — Ezech. 1. — Heb. 1. 17.

Sed inſtant argutores noſtri. *Maior apud Athenas in Græcia, quàm apud Pariſios in Gallia meſſis tum parata erat: magiſque decebat Dionyſium Areopagitam in vrbe omnium diſciplinarum alitrice, & Philoſophorum genitrice, cæleſtes animi dotes quibus pollebat expendere, quibus Chriſti clarificaret nomen, prædicaret gratiam, ſtabiliret fidem: quàm tranſgredi ad barbarum populum, vbi magnorum laborum minima erat expectatio, ſed ingens ingrata culturæ ſterilitas, metuenda erat. Nec æquum inſuper erat, vt tantus vir, neglecta propriæ patriæ ſalute, ad extremas ferè Occidentis oras, gerulus diuinæ lucis, & gratiæ ac æternæ ſalutis, pertranſiret.* Ita illi. Sed leues ſunt iſtæ om-

nes illorum argutiæ. Quas hic ideo ſigillatim expendere, ſed breui manu explodere ſtatuimus.

Dico igitur primò, ſi in Græcia, maior quàm in Gallia, meſſis parata erat, etiam plures ad hanc meſſem colligendam parati erant operarij. Sol vt ab Oriente vergit in Occidentem, ſic fides ab Oriente in Occidentem defluxit. Euangelij præconium ab Hebræis delatum eſt ad Græcos, à Græcis ad Latinos. Vnde primi Occidentis Doctores ac Præſules Hebræi, vel Græci comperiuntur: Gregoriúſque Turonenſis (quem aduerſarij in faſtis Eccleſiarum Galliæ deſcribendis magni facere ſolent) Martialem Lemouicorum Protomyſtam, ex Oriente ad nos prodiiſſe ſidus fidei & gratiæ, ſatis patenter inſinuat dum hinc progrediendo, duos Preſbyteros in Galliam traduxiſſe ſignatè refert, *lib. de gloria Confeſſ. cap.* 27. Pothinúſque ab Euſebio celebratus, Irenæúſque idipſum ſatis ſuo templo probant. Quin & Benignus, Andochius, Tyrſus, aliíque innumeri S. Polycarpi Smyrneorum Hierarchæ diſcipuli, qui vt ſidera ſalutifera; ex Oriente in Occidentem, ad Galliis opem ferendum, ab anteceſſoribus ſuis, naſcentis adhuc ferè religionis curatoribus, fortunatiſſimo delectu miſſi tranſmigrârunt. Et verè quidem ſanctus Gregorius ex Euangelio docuit homil. 40 *. gentilem populum in Lazaro adumbratum fuiſſe, qui *de micis, quæ cadebant de menſa diuitis* (priùs ſcilicet edocti

* Ad Lucam cap. 16. 15.

nimiùm vſque populi) ſaturari cupiebat. Prodigus autem ille à S. Luca, cæleſti penicillo depictus, optabat fieri *ſicut vnus de mercenariis, qui erant in domo Patris ſui*, cap.15. *Quanti enim* (dicebat) *mercenarij ſunt in domo Patris mei, qui abundant panibus? ego autem fame pereo.* Sic noſtrates populi, vicem ſanè ſuam deplorare potuiſſent, ſi penuriam ſuam, & Orientalium abundantiam, quò ad annonam ſalutis æternæ, vllo modo cognouiſſent. Reuera ſi adeò non fuiſſent cæci, ſalutis nuncios ſibimetipſi vltrò maturâſſent adſciſcere. Sed DEVS ſummè bonus, ac optimus, qui vt Pſalmiſta concinit, *iumentis dat eſcam ipſorum, & pullis coruorum inuocantibus eum*: Gentiles noſtros minimè etiam de propria ſalute curantes, præuenire in benedictionibus ſuis miſericorditer diſpoſuit. Ideóque non permiſit vt paruuli pane indigerent, & nemo eſſet, qui frangeret eis. Pulchrè quin & diuinè omnino Apoſtolus, de ſalutis humanæ œconomia, ita per comparationem inferebat. *Si delictum Iudæorum diuitiæ ſunt mundi, & diminutio eorum, diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum?* Græcorum ad quos ex Hebræorum ſuperabundanti copia, verbi Dei & chariſmatum plenitudo redundauit, ad Latinos defluxit vbertas. Talis tantúſque enim in Græcia erat, nunciorum Euangelij concurſus, vt præ agminum militiæ cæleſtis denſitate, neceſſe iam ipſis eſſet *tranſire de gente in gentem, & de regno ad populum alterum*: quò talenta gratiæ, ſibi

Pſal.146.9.
Pſal.20.3.
Thren.4.4.
Rom.11.
Pſal.104.13.

credita, myſtico fœnore, oportuniùs atque conducibiliùs augmentarent. Hæc profectò cauſa fuit, cur aliàs ad orbis auras, Euangeliſtæ Apoſtolici ſeſe paſſim conferrent, ſeu potiùs à ſancto Spiritu impellerentur: vt nunciarent Chriſti nomen iis populis qui hactenus non audierant, vbi nondum quiſquam ſtructuram myſticæ pietatis fabricæ ædificauerat, religionis fundamenta collocarent, populis iacentibus in tenebris & vmbra mortis, procul à luce quæ meridiano iam Sole in Græcia præfulgebat, lumen afferrent ſalutis & gloriæ; magíſque indigis gratiæ & veritatis ocyus opitularentur. De his cæleſtis beneficij præconibus, ſupremo afflatu per orbem diſperſis, qui *vbi erat impetus ſpiritus gradiebantur;* graphicè hæc memoranda prodidit Euſebius Cæſarienſis lib. 3. Hiſtor. Eccleſ. cap. 37. vbi de Apoſtolorum diſſerit diſcipulis. *Plures eodem tempore innotuerant, qui primum ſucceßionis gradum habuerunt, & tanquam ſummorum virorum diuini diſcipuli exiſtentes, cuncta paßim Eccleſiarum fundamenta iacta ædificarunt, & prædicationem ac ſalutaria regni cælorum ſemina, per vniuerſum orbem, qua quà patet* (igitur & in Gallia) *ſuperſeminantes auctiora, reddiderunt. Etenim quamplurimi tum viuentium diſcipulorum, vehementiore philoſophiæ amore erga diuinum verbum affecti, primum ſalutare mandatum adimplentes, facultates ſuas egenis diſtribuerunt ac deinde peregrè profecti* (ſic Dionyſius Areopagita, Ignatij ſymmyſta fecit, de cuius coætaneis ibi loquitur Euſebius) *opus*

Ezech. 1.

opus Euangeliſtarũ perfecerũt. Hoc eſt illis qui de doctrina fidei nihil prorſus audiuerant Chriſtum prædicare, & diuinorum Euangeliorũ tradere ſcripturam, magno ſtudio ſatagerunt. Hi autem fidei fundamentis, nouis quibuſdam ac peregrinis locis à ſe iactis, alios illìc paſtores conſtituerunt: atque illis culturam eorum qui recèns fuerant adducti commendârunt, ac tum alias ipſi ad regiones ac gentes. (Sic Dionyſius proceſſit ad Gallicam) *gratia & cooperatione Dei adiuti acceſſerunt.* Hæc Euſebius generaliter de diſcipulorũ Chriſti Apoſtolorum, ex quibus fuit Dionyſius Areopagita, varia per orbẽ diſperſione ac frequenti tranſmigratione: quibus verbis ipſiuſmet noſtri Dionyſij Apoſtolicos excurſus, ac profectionem ex natali ſolo ad exteras gentes ita nitidè deſcribit: vt ipſius tranſitus & decurſæ palæſtræ agonem, ſpeciali videatur delineatione exprimere voluiſſe.

Dico ſecundò, patriæ ſuæ Dionyſium, quoad ſatis neceſſe fuit opitulatum eſſe: cui laboris primitias copioſas impendit. Diu jetenim Athenienſi Eccleſiæ, cui à Paulo diuino magiſtro ſuo præpoſitus fuerat, atque ſollicitè præfuit. Nec ſtationem ſuam dimiſit ſua voluntate, ſed Ioannis Apoſtoli ab exilio tum reducis conſilio, immò vt * Methodius & Metaphraſtes notanter ſcribunt, diuino nutu & afflatu. Etenim quaſi per manum à Deo ab Athenis deductus eſt Romam, & inde Luteriam perrexit ſpeciali iuſſu Clementis Chriſti Vicarij œcumenici. Com-

* B. Methodius in Martyrio ſancti Dionyſii Areopagitæ ſcribit ipſum Athenas Romam *hinc in Galliam caleſti diuináque voluntate, vt à Deo delectũ per viam deductum veniſſe* Metaphraſtes in vita eiuſdẽ. *ſupernò oraculũ fuiſſe ipſi redditum.*

pulſus igitur fuit hanc ſubire prouinciam vir illc diuinus: & quoniam, vt Apoſtolus docet, *quæ*
Rom.13.2. *à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Ideo ipſe Dionyſius, vt non ſuo diſceſſit è natali ſolo, vel Epiſcopali ſolio, inconſultè, ita nec improuidè. Siquidem ſuum in locum paſtorem egregium Athenis conſtituit, Publium ſcilicet, qui vt Euſebius teſtatur vſque ad mortem pro Chriſti gloria, & tutela ac ſalute crediti ſoli gregis decertauit.

Dico tertio, ex Hippolyti catalogo, & Dorothei Synopſi Chriſti Septuaginta duorum diſcipulorum, quam commentariis inſtruximus ſatis apparere: Dionyſio ex Græcia ſupernum per decretum abeunte, Græciam haud fuiſſe deſtitutam ſtrenuis Euangelij aſſertoribus, qui ora ſcirent obſtruere leonum, nempe Philoſophorum (frementium contra Chriſti fidem & gloriam) poſſent efferatam comprimere rabiem. Ioannes Apoſtolus adhuc in humanis erat, qui Epheſi reſidens poſt exilium vſque ad mortem, *totas* (vt
* In Catal. ſcribit * ſanctus Hieronymus) *Aſiæ fundauit rexitque Eccleſias*. Florebántque tum maximè Ignatius & Polycarpus, Apoſtolici planè viri, maiórque diſcipulorum numerus adhuc ſuperſtes erat, qui mundi ſapientiam eiúſque faſtum in Græcia præclaris triumphis proſtrauerant. In iis igitur locis bellatorum cœleſtium agmina ſuperfluebant, quibus Occidentis regiones admodum indigebant, ad monſtra impietatis quibus opprimebantur refrenanda. Stoici fortè perſtrepebant

adhuc paululum Athenis in Græcia. Sed Druidæ, nefandorum rituum myſtagogi Gallias ſua exitiali ſapientia dementabant, quæ ampliſſimæ regionis populos dæmonum tyrannidi & inferorum nexibus miſerè mancipabat. Portentis his proterendis Atticus hic Alcides Dionyſius diuinitus deſtinatus, auſpicatò ad nos demum acceſſit; monſtríſque tam horrendis, carnalís ſapientiæ & diabolicæ impoſturæ archimyſtis, profligatis, Chriſti ſalutare imperium inito agone feliciſſimo apud nos conſecrauit. Aptè igitur hîc verba S. Leonis (quæ de beati Petri ab Antiochia Romam tranſitu protulit) omnino referri poſſunt ad ſanctum Dionyſium Areopagitam, ex Athenis Lutetiam tranſmigrantem. *Diuinis ordinationibus ſibi præuiis trophæum crucis Gallicis arcibus intuliſſe: vbi conculcandæ erant philoſophorum opiniones, diſſoluendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, confutandi dæmonum cultus, omniúmque ſacrilegiorum impietas deſtruenda.* Non tam ampla profectò iam patebat in Græcia laborum Apoſtolicorum ſeges: vbi fides iam ex victoria Apoſtolorum, innumerabiliúmque Martyrum palmis & coronis triumphabat, Chriſtíque Eccleſia purpurata iam vbique glorioſè regnabat. Maius igitur vbi (diuino præditus acumine) aſpexit Dionyſius apertum ad prædicandum Chriſti Euangelium oſtiũ, pluréſque Chriſti crucis inimicos armatos, eò animoſiùs proceſſit: *haud veritus enim* (vt acta eius habent authentica) *incredulæ gentis expete-*

Serm. 1. de Ss. Apoſt. Petro & Paulo.

re feritatem illuc intrepidus acceßit, & Pariſius Deo ducente peruenit, quo eum anteibant diuinis præordinationibus, & honor Apoſtolicæ dignitatis, & gloria paßionis.

Dico denique: Pariſiorum ciuitatem, cùm ad eam faces cæleſtis luminis ſanctus Dionyſius Areopagita primùm tulit, non adeò fuiſſe ignobilem & tenuis famæ, vt volunt nuperi noſtri critici. Sanè tempore Iulij Cæſaris, eo erat iam hæc ciuitas in ſplendore, vt Galliæ in eius ſinu generale belli Concilium collocaretur. Sic enim ipſe Cæſar ſcribit Comment. lib. 6. *Concilium Lutetiam Pariſiorum transfert. Confines erant ij Senonibus, ciuitatémque patrum memoriâ contraxerant.* Hanc ſibi charam, quinetiam præclaram, ſubinde prædicat Iulianus Imp. in Miſopogone. Situ autem non ſolùm felicem, ſed commerciis quoque famoſam, multitudine ciuium ſpectabilem iam fuiſſe, cùm ad eam accederet beatus Areopagita, teſtatur peruetuſtus auctor anonymus, qui vitam beati ipſius Dionyſij *ſcienter*, vt notat Papirius Maſſonus*, deſcripſit: vbi inter cetera ſic habet. *Lutetia Pariſiorum oppidum idem erat fertile, conſitúmque & ornatum arboribus, vitibus autem & vuis (vt quod fontibus allueretur, & ſuis ſuppeditaret) erat nobile. In iis etiam menſariorum negotiis innumerabili copia, vrbis & finitimorum munitum erat.* &c. Sed qualiſcumque fuerit tum illa ciuitas, parum refert. quam ex modicæ inſulæ ambitu, ad hanc qua excreuiſſe cernitur, ſtupendam toto orbe perue-

* In deſcriptione Fluminum Galliæ, ſub titulo Sequana pag. 229.

niſſe amplitudinem: adeóque ex paruis admodum initiis prouectam ad illum iampridem micat ſplendorem, concedere non abnuero. Quandoquidem ipſa Roma ex obſcuris natalibus vilibúſque cunabulis, ad hanc gloriam euaſerit, quâ orbis ſublimis apex effulſit. Sunt qui arbitrentur Pariſienſis vrbis ſuccedaneum illud decus, ex facto Clodouei prodiiſſe, qui illic, vt teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 2. *regni ſedem conſtituit.* Et verò Clodoueum hoc decoramento admodum illuſtrâſſe auxiſſéque Lutetiam, nullatenus inficior. Sed tamen antea non parum conſpicuam fuiſſe, ſuo iure, Lutetiam ipſam, non dubito. Poſitam enim ibi à Clodoueo regni ſedem, vt in loco magis apto, adeóque magis ſpectabili & augusto, cōſentaneum mihi videtur opinari. Primam igitur Lutetiæ Pariſiorum admirandæ prouectionis cauſam, ex Chriſti fortunatiſſima acquiſitione & cultu, Dionyſiíque & ſociorum prædicatione & martyrio emanâſſe indubitanter exiſtimauero. Sic enim ſatis manifeſtè inſinuat S. Leonis Papæ IX. (quæ data notatur anno nono eiuſdem Pontificatus) reſcriptio: qua inter cetera felices fortunatóſque Francos, Pariſienſéſque imprimis, ex eo prædicat; quòd Athenæ dudum ſol & deliciæ orbis, tam diuino ornamento exutæ, ſuo tanto ex ſpolio Lutetiam Pariſiorum immensùm ditauerint, hincque profectum Dionyſium ipſum Areopagitam, vt Gallias Chriſto ſubigeret: Pariſienſes quorum præantiſtes atque

Apoſtolus fuit, *viuum recipere, prædicantem audire, triumphantem cælo tranſmittere, promeruerint*. Ceterùm Dei arcanum conſilium, in hac Dionyſij Areopagitæ ad nos ex Athenis tranſmigratione, piè omnino miratur ac eleganter enunciat Iacobus Faber Stapulenſis, hoc vbi Pariſienſes Academicos inſigni monimento affatur. *Inſuper non ſine diuina ordinatione & ſumma prouidentia* (inquit) *id effectum eſſe mihi viſum eſt, vt hic ſacratiſsimus, & longe diuina ſapientia illuſtriſsimus pater, primùm Athenienſium Antiſtes, Atticam rexerit Eccleſiam, & ciuitatem, primariam omnium, parentem litterarum illuminauerit. Quâ illuminatâ, mox in Gallias à beatiſsimo Clemente, Apoſtolus miſſus, ſedem apud Pariſiorum inſignem vrbem (ſeu Parrhiſium, ſeu Lutetiam appellarint) delegerit. Quæ melius Dionyſia, à Dionyſio primo ſuo Antiſtite & Apoſtolo, primo ſuſceptore, ac regeneratore, quàm ab Iſide aut luto, vt volunt nonnulli, potuiſſet appellari. Primùm enim dum ad vitæ fontes erexit in Chriſto paruulam (ſolent enim primi ſuſceptores, indere nomina) primus ab ea mortem effugauit & induxit vitam. Quam in Chriſtiano cultu, ſuo ſanguine, & omnium tormentorum molitionibus libenter ſuſceptis, tandem confirmauit. Vnde & victor mundo triumphato, ad Deum qui ipſum miſerat conſcendit. Tunc Deus illum locum piorum ſtudiorum fontem præordinauit: vt ad quem in certum euentus rei argumentum, ex Athenis virum ſupra omnem ſapientiam doctum direxerit. Vos igitur Dionyſia bonarum litterarum omnium Academia, eadem & Pariſienſis, quam vnus idémque*

Pater ſociam fecit Athenis & ſororem: veſtro adplaudite Apoſtolo, veſtro primo Antiſtiti & parenti, primo ad vitam ſuſceptori & illuminatori, & eius ſacras diſciplinas in honore ſuſcipite, atque in eis ipſis, dies noctéſque proficite. Hæc auctor ille doctiſſimus ac eloquentiſſimus, in præfatione eruditiſſimorum ſcholiorum, quæ edidit in opera ipſiuſmet beati Dionyſij Areopagitæ. quem vt magnam Aquilam ex Athenis Lutetiam, ex Græcia in Galliam, fauſtis eiuſmodi auſpiciis diuino ex nutu ac præcepto tranſuolantem, Angelicus Doctor S. Thomas ita ſuſpicit ac miratur, vt in eo præclarum illud Iſaiæ vaticinium impletum fuiſſe cenſeat. *Vocaui ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*, cap. 46. verſ. 11. Vocatum enim à Deo, ait fuiſſe Dionyſium ipſum beatiſſimum *ad prædicationis effectum, eóque fine, à Græcia in Franciam deductum vt eam* ſua diuina doctrina *illuminaret*. Opus hoc ſiquidem Dionyſio Areopagita perdignum erat, Lutetiam vt diuinis conſiliis iam vrbium reginam deſtinatam, Chriſti obſequio ac cultui conſecraret, ínque mox futura ſede Chriſtianiſſimi Francorum Regni, cæleſtis Regis diuinas leges promulgaret, Imperiúmque eiuſdem conſtitueret ſalutiferum. Decebat tam diuinum bellatorem ſingulari hac victoria potiri, hoc immortali pollere triumpho, quo Galliæ non modò ſubiugator, ſed perpetuus opitulator fieri promereretur. Cuius patrocinium, tam Reges quàm Regni popu-

puli ; eiuſdem nobili Apoſtolatu ac glorioſo Martyrio partum, miraculis inſignitum, per tot inde ſæcula experti ſunt: vt huic inclyto Protectori ſuo (poſt DEVM) Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Carolus Caluus, ſapientiſſimus Robertus, ſanctus Ludouicus; Francorum Imperij ſtabilitatem in fide, Regúmque eius Chriſtianiſſimorum fortitudinum in bello, victoriam in prælio, gloriam in triumpho, ſecuritatem in pace, felicitatem in gubernatione, in ſucceſſione firmitatem, immortalitatem in ſobole; perenni beneficio acceptam, gratè referant ſuis ſuprà citatis, tam piis quàm præclaris præconiis, Chriſtianiſſimæ etiam Eccleſiæ ſacra confeſſione obſignatis. quæ Dionyſium ipſum Areopagitam, ita ſuum Apoſtolum agnoſcit, atque colit tutelarem vt etiam ſpecialem: perennémque apud DEVM adiutorem celebret atque veneretur, dum in ſacra liturgia modulatur.

Huius patrocinio
Tota gaudet regio,
Regni ſtat potentia, &c.

ARGVMENTVM XIV.

Deſumptum ex ipſo cognomine Areopagitæ, quod aliqui auctores ſancto Dionyſio Pariſiorum protomyſtæ, diſertè non tribuunt.

DIONYSIVM Pariſiorum Apoſtolum à Clemente miſſum, res tam teſtata eſt fatente vel

vel, inuitè Boſquetus lib.1.pag.49. vt qui hoc impugnant, ipſo iudice omni ſubſidio deſtituantur, præterquam dictis Seueri & Gregorij: ſed ſuprà refutatis, & ab eodem Boſqueto depreſſis & eneruatis. Sed hæc miſſio (vt idem innuit ibidem) Dionyſium noſtrum continuò Areopagitam haud efficit: diſtinguit enim Boſquetus inter ætatem & dignitatem, quæ ſubinſinuat res ipſas non coniunctas eſſe. Poſito igitur quod à Clemente miſſus fuerit in Galliam Dionyſius: ſupereſſe adhuc de titulo Areopagitæ, ait, diſiunctam quæſtionem. Quoniam nimirum priſci auctores qui Dionyſij Pariſienſis commeminerunt, eundem haud cognominarunt Areopagitam.

RESPONSIO.

Si S. Dionyſius Pariſienſis, ſub Decio aut Diocletiano miſſus aſtrui poſſet ab æmulis: plenũ ſibimet canerent ex hac eius ſera ætate triũphum; hócque vel vnico argumento dignitatem illi Areopagiticam & Apoſtolicam gloriam omninò abrogarent. Nec iniuriâ. quoniam diu ante Decij vel Diocletiani tempora, Areopagitam Dionyſium, Pauli Apoſtoli diſcipulum, occubuiſſe Martyrem ſub Hadriano, prorſus compertum eſt. Impoſſibile igitur eſſet, vt is ille fuerit Dionyſius, quem ducentis poſt Areopagitæ mortem fermè annis conſtaret, in Galliam ad Chriſti diſſeminandum ſalutarem doctrinam ablegatum. Hoc igitur vt

pulſus igitur fuit hanc ſubire prouinciam vir illc diuinus: & quoniam, vt Apoſtolus docet, *quæ*
Rom.13.2. *à Deo ſunt, ordinata ſunt.* Ideo ipſe Dionyſius, vt non ſuo diſceſſit è natali ſolo, vel Epiſcopali ſolio, inconſultè, ita nec improuidè. Siquidem ſuum in locum paſtorem egregium Athenis conſtituit, Publium ſcilicet, qui vt Euſebius teſtatur vſque ad mortem pro Chriſti gloria, & tutela ac ſalute crediti ſoli gregis decertauit.

Dico tertio, ex Hippolyti catalogo, & Dorothei Synopſi Chriſti Septuaginta duorum diſcipulorum, quam commentariis inſtruximus ſatis apparere: Dionyſio ex Græcia ſupernum per decretum abeunte, Græciam haud fuiſſe deſtitutam ſtrenuis Euangelij aſſertoribus, qui ora ſcirent obſtruere leonum, nempe Philoſophorum (frementium contra Chriſti fidem & gloriam) poſſent efferatam comprimere rabiem. Ioannes Apoſtolus adhuc in humanis erat, qui Epheſi reſidens poſt exilium vſque ad mortem, *totas* (vt
* In Catal. ſcribit * ſanctus Hieronymus) *Aſiæ fundauit rexitque Eccleſias*. Florebántque tum maximè Ignatius & Polycarpus, Apoſtolici planè viri, maiórque diſcipulorum numerus adhuc ſuperſtes erat, qui mundi ſapientiam eiúſque faſtum in Græcia præclaris triumphis proſtrauerant. In iis igitur locis bellatorum cœleſtium agmina ſuperfluebant, quibus Occidentis regiones admodum indigebant, ad monſtra impietatis quibus opprimebantur refrenanda. Stoici fortè perſtrepebant

adhuc paululum Athenis in Græcia. Sed Druidæ, nefandorum rituum myſtagogi Gallias ſua exitiali ſapientia dementabant, quæ ampliſſimæ regionis populos dæmonum tyrannidi & inferorum nexibus miſerè mancipabat. Portentis his proterendis Atticus hic Alcides Dionyſius diuinitus deſtinatus, auſpicatò ad nos demum acceſſit; monſtríſque tam horrendis, carnalís ſapientiæ & diabolicæ impoſturæ archimyſtis, profligatis, Chriſti ſalutare imperium inito agone feliciſſimo apud nos conſecrauit. Aptè igitur hîc verba S. Leonis (quæ de beati Petri ab Antiochia Romam tranſitu protulit) omnino referri poſſunt ad ſanctum Dionyſium Areopagitam, ex Athenis Lutetiam tranſmigrantem. *Diuinis ordinationibus ſibi præuiis trophæum crucis Gallicis arcibus intuliſſe: vbi conculcandæ erant philoſophorum opiniones, diſſoluendæ terrenæ ſapientiæ vanitates, confutandi dæmonum cultus, omniúmque ſacrilegiorum impietas deſtruenda.* Non tam ampla profectò iam patebat in Græcia laborum Apoſtolicorum ſeges: vbi fides iam ex victoria Apoſtolorum, innumerabiliúmque Martyrum palmis & coronis triumphabat, Chriſtíque Eccleſia purpurata iam vbique glorioſè regnabat. Maius igitur vbi (diuino præditus acumine) aſpexit Dionyſius apertum ad prædicandum Chriſti Euangelium oſtiũ, pluréſque Chriſti crucis inimicos armatos, eò animoſiùs proceſſit: *haud veritus enim* (vt acta eius habent authentica) *incredulæ gentis expete-*

Serm. 1. de SS. Apoſt. Petro & Paulo.

re feritatem illuc intrepidus acceßit, & Pariſius Deo ducente peruenit, quo eum anteibant diuinis præordinationibus, & honor Apoſtolicæ dignitatis, & gloria paßionis.

DICO denique: Pariſiorum ciuitatem, cùm ad eam faces cæleſtis luminis ſanctus Dionyſius Areopagita primùm tulit, non adeò fuiſſe ignobilem & tenuis famæ, vt volunt nuperi noſtri critici. Sanè tempore Iulij Cæſaris, eo erat iam hæc ciuitas in ſplendore, vt Galliæ in eius ſinu generale belli Concilium collocaretur. Sic enim ipſe Cæſar ſcribit Comment. lib. 6. *Concilium Lutetiam Pariſiorum transfert. Confines erant ij Senonibus, ciuitatémque patrum memoriâ contraxerant.* Hanc ſibi charam, quinetiam præclaram, ſubinde prædicat Iulianus Imp. in Miſopogone. Situ autem non ſolùm felicem, ſed commerciis quoque famoſam, multitudine ciuium ſpectabilem iam fuiſſe, cùm ad eam accederet beatus Areopagita, teſtatur peruetuſtus auctor anonymus, qui vitam beati ipſius Dionyſij *ſcienter*, vt notat Papirius Maſſonus*, deſcripſit: vbi inter cetera ſic habet. *Lutetia Pariſiorum oppidum idem erat fertile, conſitúmque & ornatum arboribus, vitibus autem & vuis (vt quod fontibus allueretur, & ſuis ſuppeditaret) erat nobile. In iis etiam menſariorum negotiis innumerabili copia, vrbis & finitimorum munitum erat.* &c. Sed qualiſcumque fuerit tum illa ciuitas, parum refert. quam ex modicæ inſulæ ambitu, ad hanc qua excreuiſſe cernitur, ſtupendam toto orbe perue-

* In deſcriptione Fluminum Galliæ, ſub titulo Sequana pag. 229.

niſſe amplitudinem : adeóque ex paruis admodum initiis prouectam ad illum iampridem micat ſplendorem, concedere non abnuero. Quandoquidem ipſa Roma ex obſcuris natalibus vilibúſque cunabulis,ad hanc gloriam euaſerit, quâ orbis ſublimis apex effulſit. Sunt qui arbitrentur Pariſienſis vrbis ſuccedaneum illud decus, ex facto Clodouei prodiiſſe, qui illic, vt teſtatur Gregorius Turonenſis lib. 2. *regni ſedem conſtituit.* Et verò Clodoueum hoc decoramento admodum illuſtrâſſe auxiſſéque Lutetiam, nullatenus inficior. Sed tamen antea non parum conſpicuam fuiſſe, ſuo iure, Lutetiam ipſam, non dubito. Poſitam enim ibi à Clodoueo regni ſedem, vt in loco magis apto, adeóque magis ſpectabili & auguſto,cõſentaneum mihi videtur opinari.Primam igitur Lutetiæ Pariſiorum admirandæ prouectionis cauſam, ex Chriſti fortunatiſſima acquiſitione & cultu, Dionyſiíque & ſociorum prædicatione & martyrio emanâſſe indubitanter exiſtimauero. Sic enim ſatis manifeſtè inſinuat S. Leonis Papæ IX. (quæ data notatur anno nono eiuſdem Pontificatus) reſcriptio : qua inter cetera felices fortunatóſque Francos, Pariſienſéſque imprimis,ex eo prædicat; quòd Athenæ dudum ſol & deliciæ orbis , tam diuino ornamento exutæ, ſuo tanto ex ſpolio Lutetiam Pariſiorum immensùm ditauerint, hínceque profectum Dionyſium ipſum Areopagitam, vt Gallias Chriſto ſubigeret : Pariſienſes quorum præantiſtes atque

Apoſtolus fuit, *viuum recipere, prædicantem audire, triumphantem cælo tranſmittere, promeruerint*. Ceterùm Dei arcanum conſilium, in hac Dionyſij Areopagitæ ad nos ex Athenis tranſmigratione, piè omnino miratur ac eleganter enunciat Iacobus Faber Stapulenſis, hoc vbi Pariſienſes Academicos inſigni monimento affatur. *Inſuper non ſine diuina ordinatione & ſumma prouidentia* (inquit) *id effectum eſſe mihi viſum eſt, vt hic ſacratiſsimus, &* longe *diuina ſapientia illuſtriſsimus pater, primùm Athenienſium Antiſtes, Atticam rexerit Eccleſiam, & ciuitatem, primariam omnium, parentem litterarum illuminauerit. Quâ illuminatâ, mox in Gallias à beatiſsimo Clemente, Apoſtolus miſſus, ſedem apud Pariſiorum inſignem vrbem (ſeu Parrhiſium, ſeu Luteтiam appellarint) delegerit. Quæ melius Dionyſia, à Dionyſio primo ſuo Antiſtite & Apoſtolo, primo ſuſceptore, ac regeneratore, quàm ab Iſide aut luto, vt volunt nonnulli, potuiſſet appellari. Primùm enim dum ad vitæ fontes erexit in Chriſto paruulam (ſolent enim primi ſuſceptores, indere nomina) primus ab ea mortem effugauit & induxit vitam. Quam in Chriſtiano cultu, ſuo ſanguine, & omnium tormentorum molitionibus libenter ſuſceptis, tandem confirmauit. Vnde & victor mundo triumphato, ad Deum qui ipſum miſerat conſcendit. Tunc Deus illum locum piorum ſtudiorum fontem præordinauit: vt ad quem in certum euentus rei argumentum, ex Athenis virum ſupra omnem ſapientiam doctum direxerit. Vos igitur Dionyſia bonarum litterarum omnium Academia, eadem & Pariſienſis, quam vnus idémque*

Pater ſociam fecit Athenis & ſororem: veſtro adplaudite Apoſtolo, veſtro primo Antiſtiti & parenti, primo ad vitam ſuſceptori & illuminatori, & eius ſacras diſciplinas in honore ſuſcipite, atque in eis ipſis, dies noctéſque proficite. Hæc auctor ille doctiſſimus ac eloquentiſſimus, in præfatione eruditiſſimorum ſcholiorum, quæ edidit in opera ipſiuſmet beati Dionyſij Areopagitæ. quem vt magnam Aquilam ex Athenis Lutetiam, ex Græcia in Galliam, fauſtis eiuſmodi auſpiciis diuino ex nutu ac præcepto tranſuolantem, Angelicus Doctor S. Thomas ita ſuſpicit ac miratur, vt in eo præclarum illud Iſaiæ vaticinium impletum fuiſſe cenſeat. *Vocaui ab Oriente auem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ*, cap. 46. verſ. 11. Vocatum enim à Deo, ait fuiſſe Dionyſium ipſum beatiſſimum *ad prædicationis effectum, eóque fine, à Græcia in Franciam deductum vt eam* ſua diuina doctrina *illuminaret*. Opus hoc ſiquidem Dionyſio Areopagita perdignum erat, Lutetiam vt diuinis conſiliis iam vrbium reginam deſtinatam, Chriſti obſequio ac cultui conſecraret, ínque mox futura ſede Chriſtianiſſimi Francorum Regni, cæleſtis Regis diuinas leges promulgaret, Imperiúmque eiuſdem conſtitueret ſalutiferum. Decebat tam diuinum bellatorem ſingulari hac victoria potiri, hoc immortali pollere triumpho, quo Galliæ non modò ſubiugator, ſed perpetuus opitulator fieri promereretur. Cuius patrocinium, tam Reges quàm Regni popu-

puli; eiuſdem nobili Apoſtolatu ac glorioſo Martyrio partum, miraculis inſignitum, per tot inde ſæcula experti ſunt: vt huic inclyto Protectori ſuo (poſt DEVM) Carolus Magnus, Ludouicus Pius, Carolus Caluus, ſapientiſſimus Robertus, ſanctus Ludouicus; Francorum Imperij ſtabilitatem in fide, Regúmque eius Chriſtianiſſimorum fortitudinum in bello, victoriam in prælio, gloriam in triumpho, ſecuritatem in pace, felicitatem in gubernatione, in ſucceſſione firmitatem, immortalitatem in ſobole; perenni beneficio acceptam, gratè referant ſuis ſuprà citatis, tam piis quàm præclaris præconiis, Chriſtianiſſimæ etiam Eccleſiæ ſacra confeſſione obſignatis. quæ Dionyſium ipſum Areopagitam, ita ſuum Apoſtolum agnoſcit, atque colit tutelarem vt etiam ſpecialem: perennémque apud DEVM adiutorem celebret atque veneretur, dum in ſacra liturgia modulatur.

Huius patrocinio
Tota gaudet regio,
Regni ſtat potentia, &c.

ARGVMENTVM XIV.

Deſumptum ex ipſo cognomine Areopagitæ, quod aliqui auctores ſancto Dionyſio Pariſiorum protomyſtæ, diſertè non tribuunt.

DIONYSIVM Pariſiorum Apoſtolum à Clemente miſſum, res tam teſtata eſt fatente

vel

vel, inuitè Boſquetus lib.1.pag.49. vt qui hoc impugnant, ipſo iudice omni ſubſidio deſtituantur, præterquam dictis Seueri & Gregorij: ſed ſuprà refutatis, & ab eodem Boſqueto depreſſis & eneruatis. Sed hæc miſſio (vt idem innuit ibidem) Dionyſium noſtrum continuò Areopagitam haud efficit: diſtinguit enim Boſquetus inter ætatem & dignitatem, quæ ſubinſinuat res ipſas non coniunctas eſſe. Poſito igitur quod à Clemente miſſus fuerit in Galliam Dionyſius:upereſſe adhuc de titulo Areopagitæ, ait, diſiunctam quæſtionem. Quoniam nimirum priſci auctores qui Dionyſij Pariſienſis commeminerunt, eundem haud cognominarunt Areopagitam.

RESPONSIO.

Si S. Dionyſius Pariſienſis, ſub Decio aut Diocletiano miſſus aſtrui poſſet ab æmulis: plenũ ſibimet canerent ex hac eius ſera ætate triũphum; hócque vel vnico argumento dignitatem illi Areopagiticam & Apoſtolicam gloriam omninò abrogarent. Nec iniuriâ. quoniam diu ante Decij vel Diocletiani tempora, Areopagitam Dionyſium, Pauli Apoſtoli diſcipulum, occubuiſſe Martyrem ſub Hadriano, prorſus compertum eſt. Impoſſibile igitur eſſet, vt is ille fuerit Dionyſius, quem ducentis poſt Areopagitæ mortem fermè annis conſtaret, in Galliam ad Chriſti diſſeminandum ſalutarem doctrinam ablegatum. Hoc igitur vt

aſtruerent totis extentis neruis aduerſarij conni-tebantur : ídque vnum tota ſua farragine Boſquetus, ſi non probare, ſaltem perſuadere omni contentione laborauit : ac sùs déque ſeſe vertit, dum ſatagit queíſque artibus poteſt, Dionyſium Pariſienſem, deductum ab Apoſtolorum veſtigiis, longè ab eorum ætate, ad inferiora nimirum illa Decij, immò Diocletiani tempora, detrudere. Sed fruſtra, cùm ſe id moliri præſentiſceret : teſtimoniis innumeris præclariſſimis, auctorum qui vnoquoque ſæculo (vt à nobis oſtenſum eſt) Galliarum Apoſtolum Dionyſium, à ſancto Clemente & non alio Pontifice deſtinatum aſſeruerunt, præuideret reſponderi non poſſe; cautè hoc diuerticulum captauit, quo iam ſuccifis viribus ſuis, ſeſe vtcumque tegeret, atque fugam iniret, non honeſtam quidem, at minus turpem. Qua in re potiùs commiſeratione dignus eſt, quàm ſeria vlla reſponſione. Tam futilis eſt enim illa tergiuerſatio, vt ſuaptè inertia concidat, & à ſuomet auctore refellatur. Quæſo enim abeo, cur tanto æſtu, tantóque ſudore, probare contenderit Dionyſium Pariſienſem, non magis ad Clementis, quàm Apoſtolorum (quorum Clemens ipſe cum Dionyſio Areopagita ſymmyſta fuit) æuum ſpectare, ſed duobus ſæculis tam hoc quàm illos fuiſſe poſteriorem? Nempe quòd benè animaduertebat, ſemel vbi hoc probatum conſtaret, Dionyſium Pariſienſem S. Clementis fuiſſe legatum, nihil ſubinde

afferri poſſe, quo ipſum Areopagitam non fuiſſe euinceretur: ſed conſonantiam illam nominis & conuenientiam temporis, ætatem vtique Pariſienſis Dionyſij Apoſtolicam; perſonæ arguere, iiſdem claræ titulis, vnitatem ac identitatem. Quæ enim iam repugnantia euinceret, non potuiſſe Dionyſium Pauli Apoſtoli diſcipulum, eiuſdem aſſeclæ, Clementis, coadiutorem, cùm Romam veniſſet, ab eodem in Galliam propter Apoſtolicæ virtutis & gratiæ præſtantiam, tranſmitti, ad ampliſſimam illam prouinciam Chriſti imperio ſubigendam? ſed alium ab illo ætate, dignitate, ſacris chariſmatibus, longe inferiorem, tanto ineundo operi (quod Apoſtolo dignum fuerat) fuiſſe trecentis poſt ortum lumen gratiæ annis, ab inferiore quoque plurimum Pontifice (cuius ne nomen quidem à Boſqueto ſignari valuit) adlectum? Verùm dato quod negari nequit, Dionyſium Areopagitam à ſancto Clemente in Galliam mitti potuiſſe; illúmque Dionyſium, qui Gallias illuſtrauit Euangelij ſolis facibus, eadem ætate qua fulgebat Areopagita, vnum eundémque cum illo prorſus eſſe itidem potuiſſe. Iam clarum ex ſuppoſita conceſſione euadit, hoc nullam amplecti implicantiam.

Tamen cauillari incidenter videtur Boſquetus. non iam diſquirendum vtrùm à Clemente Dionyſius Areopagita in Gallias potuerit amandari. Sed num reuera fuerit ablegatus? Nec itidem an Pariſienſis Dionyſius vnus idémque cum Areopa-

gita eſſe potuerit, ſed an reipſa is idem cum illo prorſus fuerit. Atqui primum hoc vltimum ſupponit & includit. vtrumque verò tam clarè quàm ſol in meridie lucet, toto hoc Apologetico à nobis probatum eſt, quemadmodum ex ipſius ſeriei inſpectione abundè patet.

Sed fortè geſtit excipere Boſquetus. Plerique teſtes ſuprà inducti Dionyſium Pariſienſem Præantiſtitem, miſſum quidem à Clemente fatentur: attamen non eum Areopagitam nominant. RESPONDEO, nihil inde contra nos concludi. Teſtes ſiquidem illuſtriſſimi quos vnaquaque Eccleſiæ ætate, pro aſſertione noſtra firmanda produximus, affirmant omnes Pariſienſem Dionyſium fuiſſe miſſum à Clemente. Nullus autem ex hac claſſe intemeratorum teſtium, negat vel reuocat in dubium, quòd is fuerit ipſemet Areopagita, cuius gloria in Actis Apoſtolorum & Hiſtoria Eccleſiaſtica conſpicua eſt. Permulti qui Areopagitam non ſyllabatim nominant, Athenienſem tamen, Ionicum, Græcum, Pauli Apoſtoli diſcipulum, Magnum etiam Dionyſium, hunc noſtrum clarè pronuntiant: Ceterùm omnium horum certè longè maxima pars, Areopagitam ipſum Pariſienſem Dionyſium apertè vocitat, diſertè aſſeuerat, hancque in ſententiam Græci cum Latinis conueniunt: Orientalis cum Occidentali Eccleſia conſentit; Pontifices in ſuis Apoſtolicis litteris, Epiſcopi in epiſtolis, Synodi in actis & decretis, Cæſares in ſuis Authenticis,

Reges Chriſtianiſſimi ſuis in diplomatibus, Principes in munificis tabulis, Scriptores quique periſtres, Theologi, Hiſtorici, Chronographi ſuis in Codicibus enuntiant, aſſerunt, atque teſtantur. Nec priuati modò Doctores cuiuſque nationis: ſed & Eccleſiæ quas Spiritus ſanctus in Pſalmis vocat *vniuerſas familias gentium*, hoc ip- Pſal. 21. 28.
ſum conſonis vocibus, in precibus, quas etiam in diuinis myſteriis offerunt, profitentur. Immò Catholica, Apoſtolica & Romana Eccleſia eandem in ſententiam à ſe toties declaratam; ſacris ſuis in diptychis, diuinis Liturgiis, támque dogmaticis quàm ritualibus libris, immò etiam in Conciliis proditam, aſſertam, poſt tot ſæcula prædicat, aſtruit, retinet, amplectitur, ac tuetur: vt iam non ſine graui Chriſtiani nominis iniuria, Galliæ dedecore, antiquitatis venerandæ opprobrio, piarum aurium læſione, patentis veritatis repudio, vniuerſæ Eccleſiæ ſcandalo, contrarium afferri aut aſſeri poſſit. vel enim auctoritates à nobis per ſingula ſæcula adductæ in probationem illius quam propugnamus auitæ traditionis atq; ſententiæ (quam gregalem appellare opinionem non veretur Boſquetus: quia eſt Chriſtianorum communis perſuaſio atque profeſſio) conſiderantur ſolùm vt teſtimonia, vel vt iudicia. Si vt teſtimonia, regula Eccleſiaſtica eſt, imò Euangelica, (eſt enim ex Euangelio ipſo deſumpta*, & Chriſti diuino ore *Matth. 18. 16.
dictata) teſtimonium duorum vel trium teſtium

probatæ vitæ & fidelis conuerſationis, regulariter ſufficere ad deciſionem cauſæ, *tit de teſtibus, cap. ſuper eo, & cap. licet vniuerſis, eodem titulo.* Quanto magis igitur pluſquam mille teſtium immaculatorum quidem, at doctrina, pietate, dignitate, integritate, illuſtrium valent ſuffragia, ad communis cauſæ huius deciſionem: hoc eſt poſſeſſionis Areopagiticæ gloriæ, quá Dionyſio Pariſienſi Protomyſtæ vendicauimus plenam aſſertionem, & inuiolabilem confirmationem? Placitum ſanè canonicum eſt inter Doctores, *teſtium auctoritatem, aliquando proponderare teſtium multitudini*: aliquando vice verſa, *præferendam eſſe dignitati quorundam teſtium, aliorum numeroſitatem*, hócque à ſapientis Iudicis arbitrio pendere. *gloſ. fin. in cap. in noſtra 32. de teſtibus.* Sed hac in controuerſia, ſtat à noſtris partibus vndequaque, teſtium tam auctoritas (maiores enim vllo titulo dignitatis, iis quos adduximus produci nequeunt:) quàm numerus; plures enim, in nulla vnquam controuerſia, quiſpiam indigitauit. Pro nobis igitur ex ipſa iuris diſpoſitione pronuntiandum eſt, atque contra *tantam nubem teſtium*, omni maiorum exceptione, cùm nihil opponi queat: hoc ſolum reſtat vtique, vt iuxta illorum ſuffragia, definitiua omnino ſententia proferatur. Iudicium enim innititur veritati, *gloſa condemnat. cap. 1. de re iudicata.* Veritas autem *teſtium fide dignorum* oraculis indicatur, atque aſtipulatione firmatur. Quatuor autem modis efficiuntur idonei aſtruendæ

veritati teſtes: ſcilicet numero, dignitate, auctoritate, & fama perpetua eorundem teſtium. *can. ſi teſtes. §. ſæpè etiam. 4. q. 3.* Atqui hæc omnia conueniunt teſtibus à nobis productis inſignia. Ergo veritatem illorum teſtimonia produnt, atque de hac quam ſuffragiis ſuis indicant obfirmántque veritate, nemini licet ex iuris legibus deinceps ambigere. Sed verò ſi ipſæ quas protulimus, in eiuſdem ſententiæ quam tuemur ſubſidium atque fulcimentum auctoritates, vt iudicia conſiderentur: ſicut non dubium eſt, ferendi iudicia, eos quos audiuimus Pontifices, Reges, Antiſtites auctoritatem omnimodam habuiſſe; Doctores verò & Scriptores cuiuſque æui præcipua ſapientiæ laude florentes, cùm in vnam ſententiam conueniunt, auctoritatem iudicij magiſtralis habeant. Iudicium enim integrum dicitur, quod plurimorum ſententiis confirmatur. *can. extra conſcientiam diſt. 64.* vnde & Sapientum dicta admittuntur in cauſarum deciſionibus, *cap. cùm omnes. §. cùm igitur, tit. de conſtitutionibus:* & contra Prudentum placita atque reſponſa Sapientum diſputare, temerarium eſt, vt elicitur *ex cap. prudentum 23. de offic. deleg. & ex gloſ. 1. in cap. vt officium. §. verum, de hæreticis. lib. 6. Clement. 1. de ſent. excom. gloſ. continent, in extrauag. quia quorundam, Ioannis 22.* tot habent iis ex regulis contra ſe aduerſarij noſtri Iudices, quot teſtes: quia eorum conſenſus plenum format (vt axiomata iſta ſacra decernunt) inte-

grúmque iudicium. Potiſſimum cùm maxima eorum pars ex domeſticis non ſit, ſed exteris queiſque nationibus, haud ſolùm Atticis, Romanis, Italíſque & Germanis, ac Hiſpanis quoque & Anglis, Francorum gloriæ perpetuis æmulis: aliiſque cuiuſque gentis Scriptoribus præcipuis, haudquaquam certè proprium in detrimentum nobis adulantibus, ſed ſoli veritati obſequentibus, quæ eos ducebat, afficiebátque ipſo ſuo amore; vt quæ eiuſdem perpeti traditione acceperant, conſtanti euidentia facti cognouerant, de Dionyſij Areopagitæ ex Græcia in Gallias migratione, impletóque ibidem apud Lutetiam Pariſiorum glorioſo Apoſtolatu & martyrio, indelebilibus monimentis, per omne æuum poſteris teſtatum facerent, atque pro certo & comperto iiſdem ſuo conſenſu, ſua fide, ſua auctoritate obſignatum relinquerent. Sepoſitâ procul dubio ſumma ſcripturarum diuinarum auctoritate, & dogmatum analyſi orthodoxorum; vix quicquam quoad hiſtoricam ſpectat veritatem, in Eccleſia habemus, quod euidentiori ſit traditione firmatum, ampliori piorum Scriptorum teſtificatione ſuffultum, populorúmque Chriſtianorum maiori propagatum ab initio ad nos vſque conſenſu; quàm Dionyſij Areopagitæ Gallicus Apoſtolatus, & Pariſienſis triumphus. Et tamen aduerſarij pertinaciter priuatæ ſuæ opinioni contra orbis Chriſtiani perenne teſtimonium, ac vniuerſale iudicium, inhæreſcunt, nulliſque

liſque viribus freti, quas iis poſſint præſidiis aſſertionis noſtræ opponere, eiſdem nihilominus audent imbecilliter refragari.

Demus eis gratis aliquid quod prætendunt. Aliqui Scriptores Pariſienſem Dionyſium Areopagitam non nominant. Fateor. Ergo inferunt Areopagita idem non eſt. Ridiculè. Minimè enim hoc ſequitur corollarium, ex antecedente eiuſmodi. Aliàs ſic argumentari etiam iiſdem liceret de Paulo Apoſtolo, ac de Dionyſio eius diſcipulo. Chriſtus cognominauit *Saulum*, quem proſtratum virtute, erexit gratiâ; *Tarſenſem, Act.* 9. ſicut Spiritus ſanctus Athenienſem Dionyſium, *Areopagitam* ſubinde nuncupauit, *Act.* 17. Ergo quoties tam in ſacris Scripturis, quàm piorum Auctorum codicibus, ſine adiuncto Tarſenſis cognominis, Saulus commemoratur, inferendum fuerit, alium eum eſſe ab illo, qui iubente Chriſto ab Anania baptizatus eſt. Quis eiuſmodi ineptiam ferat? ex qua fit vt defectu expreſſionis cognominis ipſa perſona alteretur, aliúſque Saulus à ſeipſo propter reticentiam cognomenti exiſtimandus veniat? Dicent: Eundem eſſe Saulum ad quem Ananiam Chriſtus luſtratorem miſit, cum eo quem ſegregandum in Apoſtolatum gẽtium, cum Barnaba iuſſit Spiritus ſanctus, facilè cognoſcimus ex aliis characteribus, quamquam cognomenti Tharcenſis index non deinceps adhibeatur. Putà, hoc aduertimus ex geſtorum congruentia, aliorúmque prædicamentorum no-

titia, quæ tum ibi, tum alibi ſignata in Scripturis de eo apparent. At ego reſponſionem eiuſmodi aduerſus illos retorqueo. Quamquam aliqui Scriptores cùm de Dionyſio viro Apoſtolico, miſſo in Galliam à S. Clemente, & Pariſiis coronato, verba faciunt, Areopagitæ illi cognomentum haud vbique adſcribant, quod nuſquam negant illi competere. Tamen illum verè eſſe ipſum Areopagitam diſcimus, quia longè plures alij, illum eundem eſſe paſſim affirmant, cùm referunt ac aſſerunt, ipſum Areopagitam Athenis Romam afflatu diuino tranſmeâſſe, hinc à Clemente in Galliam directum, ſemina æternitatis diuinæ veritatis prædicatione, ibidem diffudiſſe, Pariſienſem Eccleſiam Apoſtolica cultura plantâſſe, fuſóque cruore ſacratiſſimo irrigatam Chriſto Domino conſecrâſſe. Hæc eſt enim ſumma teſtimoniorum ferè innumerabilium, quæ ad hanc probandam identitatem, per ſingulas Eccleſiæ centurias induximus: inter quæ longè plurima etiam ſunt, quæ manifeſta deſignatione & cognominatione Pariſienſem noſtrum Protomartyrem, eundem eſſe Areopagitam indicant & comprobant; dum non modò illum *Magnum Dionyſium*, *Ionicum*, *Athenienſem*; *Pauli diſcipulum*, *Apoſtolorum Synchronum* vocitant: ſed expreſsè etiam *Areopagitam* dicunt, ſcribunt, & teſtificantur. Quem titulum & honorem ipſimet noſtro Apoſtolo ac protomyſtæ, Eccleſia Catholica, non modò in ſuis annalibus, verùm etiam in di-

uinis præconiis, in tremendis myſteriis, in ſacris ſuis diptychis intemeratè adſcribit. Eſſe autem talem illum quem dicimus, non ſolùm nomine at reipsâ, geſtis vtique ſcriptis, meritis gloriáque immortali, ipſimet vni eidémque propria; eadem Catholica Eccleſia tam perenni traditione docuit, quàm patenti etiamnum aſſeueratione altè prædicat, atque ſeriò profitetur.

Ceterùm vt aduerſarios ex proprio principio refellamus, ſic placet, imò licet, contra eos ad hominem arguere. Elias qui apparuit cum Moyſe Apoſtolis in tráſfiguratione Domini; nominatim eſſe haud deſignatur ille ipſe Propheta, qui fuit in diebus Achab, cognominatus Theſbites, 3. *Reg.* 17. 1. Ergo alius iſte eſt ab illo. Iterúmque eodem modo Iubet argumétari. Simon quem vocauit Dominus de naui, *Matth.* 4. 18. & de vndis eripuit, *Matth.* 14. 30. his Euangelij locis non nuncupatur *Bar-Iona.* Igitur alius eſt ab eo qui ſic pòſt nominatus, IESVM filium Dei confeſſus eſt, *Matth.* 16. 16. Ac ita rurſus. Ioannes Apoſtolus cognominatur paſſim in Euangelio, *diſcipulus ille quem diligebat Ieſus.* Auctor verò libri Apocalypſis inſcribitur ſimpliciter Ioannes, minimè autem Apoſtolus, aut diſcipulus. Itaque hic ab illo diuiſus eſt: à quo perſonalitate, vt ipſa cognominatione expreſſa, differt. Si ita eſt, quotieſcunque etiam Alexander non ſubnotatur Magnus, filius Philippi non debet exiſtimari. Et Cæſar niſi prænominetur Iulius, primus ipſe Imperator cenſendus non

fuerit. At quis ita hebes, vt neſciat quotieſcunque abſolutè Alexander enunciatur, antonomaſticè Magnum Alexandrum intelligi: & ita cum ſingulari vocabulo proferimus Cæſarem, Iulium illum Imperij fundatorem, nos hoc ipſo Cæſaris quod geſtis illuſtrauit nomine, per excellentiam deſignare. Sic planè cùm Dionyſium legimus Apoſtolorum adiutorem, Eccleſiarum Galliæ ipſorum ætate fundatorem, diuinorum librorum auctorem, magnum Pauli Apoſtoli diſcipulum, B. Clementis primarium Legatum; ipſum nobilem Areopagitam (etſi alicubi expreſsè hoc cognomine non denotetur) eſſe non ambigimus, tum quòd prædicata omnia ſuperiora nulli alteri æquiuoco conueniant: tum quòd hic, alibi paſſim idem eſſe Areopagita manifeſtè inſinuetur.

Argvmentvm XV. et Vltimvm.

Ex eo elicitum, quòd ex vnius Dionyſij aſſertione, Eccleſiæ tam ſupernæ quàm ſubcæleſti minus decus, quàm ex aßignatione duorum, obueniat.

CONQVERITVR acriter, præter morem, de auitæ quam tuemur ſententiæ (nimirum veræ traditionis aſſertoribus) auctor præſignatus noni argumenti, ſicque de illa expoſtulando, inſtat iterum. *Reclamant tamen, & vt duos Dionyſios in vnum redigant vehementer contendunt, nec contra rem diſcuti.* (At ecce ſuprà accuratè illam diſcuſſimus) *aut in quæſtionem vocari patiuntur; quaſi*

Pariſienſium parum interſit, prouidere, vt quam Apoſtolo ſuo gratiam debent, eam alieno ne tribuant, aut in Eccleſiam tenuu ſit iniuria, cùm duos ſanctitate præſtantes Epiſcopos habeat, alterum detrahere. Ita ille pius ac modeſtus diſputator.

RESPONSIO.

Si diſtinctio illa quam adhibendam eſſe inter Dionyſium Areopagitam, & noſtrum Pariſienſem Epiſcopum ac Martyrem, contendunt nouæ opinionis aſſertores, veritate niteretur, iuſtitia nos obſtringeret, vt huic quæ propria eſſent præconia, illíque quæ peculiaria forent, ſeiunctim adſcriberemus. Iuſtitiæ enim officium eſſe non neſcimus, *vnicuique reddere quod ſuum eſt*. Sed quoniam illa quam æmuli inuehere conantur Dionyſij combinatio, diuiſióque, eſt prorſus explotatæ veritati aduerſa (ſicut patet ex toto huius libri contextu) abſque reatu grauiſſimo mendacij & iniuſtitiæ, à nobis admitti nequit. Fuerunt olim qui duos Cephas conſtituere ſatagebant*, iiſque fauebant illi etiam pij Scriptores, qui indecorum exiſtimantes Cepham Eccleſiæ ſublimiorem apicem, Petrum ſcilicet Apoſtolorũ principem, à Paulo poſtremo vocatione omnium Apoſtolorum, reprehenſum fuiſſe, excipiebant, vt labem hanc vel admodum exilem à Petro Apoſtolorum ſummo amouerent: Cepham illum cui Antiochiæ *Paulus in faciem reſtitit, quia reprehenſibilis erat*, Gal. 2. nõ fuiſſe ipſum ſupremũ Eccleſiæ ducẽ;

* Quemadmodũ igitur, ſi quis iam diceret. Cephas ille qui fundauit Antiochenam Eccleſiam (& inde Romanam) nõ erat ille Apoſtolorum Coryphæus: ſed vnus duntaxat, ex 72. Chriſti diſcipulis, eodem vocabulo præditus: piorum quorumcũq. læderet aures, atque omnium vnanimi ſententia confeſtim exploderetur. Nec enim ferri poſſet futili hac nuperáque diſtinctione Antiochenã, imò Romanam ipſam Eccleſiam, titulo ſuæ generoſitatis, quam ab Apoſtolorũ principe mutuatur, ſpoliari.

cui Chriſtus redeundo ad Patrem, paſcendas ſuas commiſit oues. Sed vnum ex Septuaginta duobus diſcipulis. Ita Clemens Alexandrinus apud Euſebium *lib. 2. Hiſtor. cap.* 12. & Dorotheus *in Synopſi.* Sed fruſtrà. Nam Eccleſia diſcretionem illam quæ veritati repugnabat (quamquam Petri ſui capitis immunitati accommodam) ſtrenuè repudiauit; Petrúmque à Paulo reprehenſum candidè fateri maluit, quàm à veritate patenti tantillùm deflectere. Vnum igitur eundémque, etiam cum imminutione aliqua gloriæ ſui primi Paſtoris, fuiſſe hactenus docuit Cepham, quem Chriſtus Vicarium ſuum conſtituit: cum illo, quem Paulus coram omnibus reprehendit. Sic vice verſa, cùm aliqui pridem, ſecundam & tertiam epiſtolam ſancti Ioannis expungerent ex ſerie ſcriptorum S. Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ; dicentes duos fuiſſe Ioannes, in ipſo Chriſtianæ religionis ortu. Alterum Apoſtolum & Euangeliſtam: quem Euangelij, nomine Ioannis prænotati, & Apocalypſis, & primæ epiſtolæ canonicæ auctorem fatebantur. Alium fuiſſe vnum ex antiquis Chriſti diſcipulis, quem Ioannem ſeniorem (vt eſt in limine vtriuſque ſecundæ ſcilicet & tertiæ epiſtolæ) inſcriptum nuncupabant; huícque illas epiſtolas ideo tribuendas contendebant, Papiæ, apud Euſebium *lib. 3. cap.* 39. relationem ad ſuum intentum detorquentes: Eccleſia hanc diſtinctionem omnino reſpuit; vnum eundémque Ioannem Apoſtolum & Euan-

Ita prorſus è limine ipſo iudicij repellẽdi ſunt, qui Pariſienſi Eccleſiæ, natiuã gloriam detrahentes: illam à Dionyſio fundatã quidem fatentur. At ipſum eſſe Areopagitam (vt hactenus traditum atq. creditum eſt) perfractè inficiantur. Nõ alio fine, quã vt natalitium eius decus obnubilent, & quam ab Apoſtolica origine habet nobilitatem, fucata eluſione expungãt: nóſque, neſcio quo liuore deturbent auita noſtra hæreditate. Argutias quorum optimo iure contemnimus, nimirum ipſomet titulo hæreditariæ proprietatis ſuffulti. Quod firmat nonnihil ipſum Prætorianũ reſpõſum, à iuriſperitis admodũ celebratũ, quo poſſeſſoribus antiquis denũciatus (frequente quan-

geliſtam (qui etiam vocitatus fuerit ſenior) au-ctorem tam ſecundæ & tertiæ epiſtolæ, Ioannis titulo prænotatæ, quàm primæ fuiſſe definiens. Nec enim pati potuit, cum detrimento veritatis atque iuſtitiæ, gloriam Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ imminui, vt alteri tribueretur, quod huius eſſe iuris agnoſcebat. Hîc certè in iiſdem terminis exiſtimus. Agitur de Eccleſiæ Athenienſis ac Pariſienſis fundatore, de Græciæ ſidere Apoſtolico, Galliæque illuminatore. Aduerſarij nobiſcum fatentur Dionyſium Eccleſiam Athenienſem, Dionyſium & Pariſienſem fundâſſe: Græciæ Dionyſium fuiſſe lumen, Dionyſium itidem ſidus fuiſſe Galliæ: ſed diſcrimen perſonale eſſe volunt interponendum. Quoniam Dionyſium, qui primus Athenienſem rexit Eccleſiam, Areopagitam illum eſſe prætendunt, quem à ſancto Paulo *ſcientia ſalutis* fuiſſe imbutum S. Lucas narrat *in Actis Apoſtolorum cap.* 17. Porrò Dionyſium qui Cathedræ Pariſienſis primus fuit Antiſtes, omnino ab eo alium, ipſóque, ætate longè poſteriorem, comminiſcuntur: atque ad figmentum faciliùs inducendum, maiorem Eccleſiæ, aiunt acceſſum iri gloriam, ex duorum Dionyſiorum diſtinctione, quàm ex vnius aſſertione. Vt verò nos ſuam pelliciant in decipulam, adiuncto fuco iuſtitiæ ſuperaddunt; *non parùm intereſſe Pariſiẽſium prouidere, vt quam Apoſtolo ſuo gratiam debent, eam alieno non tribuant.* Quibus ipſi Pariſienſes reſpondemus, Eccleſiam non quærere gloriam ex

cumulis æmulorum inuidia.) *Poſſidere, ſicut poſſidetis.*

Luc. 1.

mendacio. Entia non eſſe multiplicanda ſine neceſſitate. Non eſſe iuſtitiæ conſentaneum, vt poſſeſſorem rei ſuæ proprietate deturbes, alium ei cognominem ſupponere; cui quæ illius ſunt contra ius omne adiudices, atque ex eius exuuiis inueſtias, confictum ipſi æquiuocum. Probauimus tam vbertim quàm perlucidè ſuprà, eodem æuo Apoſtolico, à Dionyſio excitatam Pariſienſem Eccleſiam, quo Athenienſem. Item ex Græcia in Galliam diuino nutu, Clementíſque Apoſtolici iuſſu Dionyſium Areopagitam tranſmigrâſſe; relictáque Publio Athenienſis Eccleſiæ curâ, Pariſienſem in Galliæ ſinu Eccleſiam, flamine gratiæ, flumine Euangelij, ſanguinéque Martyrij ſtruxiſſe, coagmentâſſe, decorâſſe: immò vniuerſam Galliam ſuo fortunâſſe Apoſtolatu feliciſſimo. Idque inſinuauimus ſemper in Eccleſia creditum, ab ipſa Eccleſia traditum, declaratum, definitum, quæ ad hanc vſque diem ſpretis aduerſariorum quiſquiliis*, inuiolabili conſtantia in illa quam tuemur auita ſententia perſeuerat, háncque omnibus quibus poteſt modis inculcat, aſtruit, defendit, Patrum teſtimoniis, rei geſtæ veſtigiis, Pontificum reſcriptis, Regum pragmaticis, Synodorum auctoritate, Sanctorum documentis, Scriptorum cuiuſque ætatis præſtantiſſimorum conſonis ſuffragiis, omniúmque orbis Chriſtiani nationum perpetuo conſenſu; Orientis ſcilicet cum Occidente, tam mira quàm rara, at in hoc perſpecta, conſpiratione. His itaque

* Vide, ferè à pari differentem Bellarminum, lib. 3. de ſacramen. Euchar. c. 8. § *Huc accedit.*

que poſitis identitatis quam aſſerimus fulcimentis, tótque expoſitis illius micantis veritatis luminibus ; haud poſſumus illam quam effingunt aduerſarij dualitatem perſonarum (cùm vnitas tot titulis eluceat) admittere, nec debemus fictili diuerſitate receptâ, Dionyſio Areopagitæ maximam laudis partem detrahere, quam ex Apoſtolatu Gallico, nobiliſſimæque Eccleſiæ vrbis regiæ Pariſiorum procreatione, pretioſo cruore edita, ipſemet vir diuinus & planè Apoſtolicus iure optimo promeritus eſt. Gloriatur Paulus Apoſtolus, Dionyſij Magiſter, *in laboribus pluri-* 2.Cor.11.23. *mis* quos recenſens ſcribit ad Romanos, *ſe in vir-* Rom.15 19. *tute Spiritus ſancti ab Ieruſalem per circuitum vſque ad Illyricum*, id eſt, omnes medias peragrandoprouincias; Arabiam, Syriam, Cyprum, Pamphyliam, Achaiam, Tyrum, & alias pleraſque regiones (quaſi fulmen, fide Chriſti omnes illuſtrans,& charitate inflammans) peruaſiſſe. Si quis autem labores eius minuere voluiſſet, ex quibus ſuam ipſe metiebatur mercedem: adeovt non alibi quàm in ſola Palæſtina, illum prædicâſſe, & vnam tantùm Eccleſiam inſtruxiſſe, quiſpiam perſuadere niſus fuiſſet: quid tum putatis facturum illum fuiſſe aut dicturum? niſi quod ipſe alibi ait: *Melius eſt mihi mori, quam vt aliquis gloriam* 1.Cor.9.15. *meam euacuet, quæ eſt in Chriſto* IESV. Non ſecus, quàm ſuum didaſcalum initiatorémque, exiſtimate Dionyſium Areopagitam, eadem in cauſa, ſuis detractoribus reſponſurum. Ita ſiquidem

credo de iis ad ipſoſmet expoſtulabit.

PAVLVS *quidem plus omnibus Apoſtolis, ego plus omnibus viris Apoſtolicis, ſine iactantia, laboraui, in iis quæ in obedientiam Gentium, verbo & factis, per me effecit Chriſtus. Nec enim Atticam ſolam curaui paſtorali officio (quod mihi ipſe iniunxerat diuinus legatus Paulus) regionem. Inſuper Phrygiam, & Lacedæmoniam peragraui, multóſque in Græcia populos meo Seruatori per Euangelium progenui. Hinc Romam profectus, ampliandi eius regni deſiderio, maiorémque ab eius œcumenico Vicario Clemente, ſymmyſta pridem meo, aſſumptus in ſollicitudinis partem; nimirùm Galliam præcipuam Romani Imperij prouinciam,* Apoſtoca legatione ſortitus, diuinis ardoribus quibus feruebam, illam accendi; magnámque eius partem liquefactam eius in amorem & obſequium tranſmutaui, quæ me auctore, tota deinde conuerſa euaſit* in eius gregis

* Spectabilis ſanè eſt admodum illorum argutia qui dicũt. Venerit Athenis Lut tã necne, Dionyſius Areopagita: certè quiſquis fuit Dionyſius ille qui primus extitit Pariſiorũ Põtifex, perperã Galliæ Apoſtolus vulgò vocitatur. Neque enim hoc verum eſt: cùm ante eius in Gallias ingreſſum, plerique Apoſtolici viri, eo non inferiores, ipſas Gallias Chriſti fide primi imbuerint. Nam Martialis miſſus à ſancto Petro, Aquitaniæ Apoſtolus celebratur; Saninianus & Potentianus Galliæ Celticæ; Sixtus & Sinicius Belgicæ; Viennenſis & Narbonenſis Creſcens, Trophimus, Paulus Sergius, aliíque Chriſti vel Apoſtolorum diſcipuli, haud minores Dionyſio Pariſiorum ſub Clementis Pontificatu, Protomyſta. QVIBVS RESPONDEMVS, ſanctum Dionyſium non ideo cognominari Galliæ Apoſtolum, quod primus in ea Chriſti Euangelium, prædicauerit. Sed quod Galliarum Apoſtolatum, hoc eſt curam illarum generalem Apoſtolico iure, more ac munere, à ſancto Clemente, Apoſtolorum principis ſucceſſore obeundum ſuſceperit, vt ex eius geſtis & aliis claris monimentis ſuprà inductis liquidò patet. Adde quòd ſi valet aduerſariorum argumentatio. Ergo à pari, ſanctus Paulus *Doctor Gentium* dici non debet, qualem ſe ipſe nominat, Timoth. 2.7. Nam & beatus Petrus de ſe ait, plenario in Apoſtolorum conſeſſu Actorum 15 *Deus ab initio elegit per os meum gentes, audire verbum Euangeij & credere.* Et alij Apoſtoli omnes gentium Doctores extiterunt, ipſáque in Græcia Eccleſias fundauerunt nobiles v. g. Ioannes Epheſi reſidens Eccleſias Aſiæ, Andreas Achaiæ, ſine quorum tamen iniuria Paulus Doctoris gentium titulo ſpecialiter honoratur. Non quod ſolus vel primus gentes docuerit, ſed quod vt ipſe ait, *plus cæteris laboranerit.* Idem de Dionyſio dici poteſt reſpectu aliorum Galliæ Apoſtolorum. Etenim quòd plus illis omnibus laborauerit & non vnius ciuitatis vel prouinciæ, ſed totius Galliæ ſollicitudinem, a Clemente Chriſti Vicario Petríque herede ſibi iniunctam obierit: ideo ſibi titulum Apoſtoli Galliæ peculiari iure ac honore promeruit. Quæ & ratio fuit cur aliis omnibus Apoſtolicis in Gallia Legatis, hic vnus celebrior fuerit. Id vel ipſe fatetur Boſquetus lib. 1. cap. 25. §. 47.

illuſtriorem portionem, *præcipuúmque florem Eccleſiaſtici germinis. Cuius radicem in Gallia plantaui felici manu, Lutetiam, tum Pariſiorum arcem, deinde futuram ſub meis auſpiciis Chriſtianiſsimi Imperij apicem, & Theoſophiæ Chriſtianæ ſedem. Tunc enim me æternæ vitæ ibi verba docente, Deus locum illum, piorum ſtudiorum fontem, & potentiſsimi Regni caput præordinauit; ad quem me direxit eo arcano ex Athenis, vt iis vnus idémque Pater, Lutetiam ſociam facerem & ſororem: Romanæque Eccleſiæ, (cuius me voluit primarium eſſe Legatum) illam itidem primogenitam per me filiam generaret. Quam in Chriſtiano cultu, igneo meo ſermone, multo ſudore, ipſóque fuſo ſanguine, & omnium tormentorum molitionibus ac perpeſsionibus, libenter ſuſceptis, tandem efformaui, vnde & victor mundo triumphato, ad Deum conſcendi. Quid vultis igitur meam dedecorare coronam? nam dum laborum potiorem partem aufertis, præcipuam meam imminuitis gloriam. Athenienſem ſolam me dicitis Eccleſiam rexiſſe, haud erexiſſe Pariſienſem. Græciæ exilem illuſtrâſſe partem, nunquam Galliam aſpexiſſe. Epiſcopatum vnius ciuitatis vſque ad mortem geſsiſſe. Apoſtolatum inclytæ Gallicæ gentis me negatis vnquam ſuſcepiſſe, ac impleuiſſe. Scilicet me ſolum ex viris Apoſtolicis vultis fuiſſe deſidem, iiſdémque orbem circuncurſantibus,* ad ſimilitudinem fulguris coruſcantis, *me intra angulos vnius oppidi, ſicut ſaxum in pariete immotum, incluſúmque delituiſſe; ſuſceptum gratiæ non adauxiſſe talentum: ſed in terram natalem (cuius fines non ſim egreſſus) illud ignaui ſegnitia infodiſſe* Ezech. 1.

ſe. *Decus Gallicæ illuminationis ad me nihil ideo pertinere: competere verùm alteri meo æquiuoco, qui nequaquam Apoſtolorum alumnus, at longè ab eorum remotus ætate, ampliſſimam illam prouinciam, quam nullus eorum ſubegit (iis ſcilicet ſeu fortior, ſeu felicior) Chriſto ſubdiderit, Lutetiâmque vrbium reginam, Regi gloriæ reddiderit obſequentem. Si res ita ſe habet:* EGO QVIDEM VOBIS NON SVM PATER, NEQVE MIHI VOS FILII. *At videte quæſo ne dum me parentem abnegatis, ſpurios vos ipſos prodatis, indignôſq. perhibeatis qui meam cenſeamini in ſobolem. Patris honor eſt filiorum gloria: & filiorum virtus Patris laus eſt atque lætitia. Regiæ vrbis Pariſiorum Eccleſia, digniſſimam ſe ſemper præbuit Apoſtolicæ quâ manat originis, atque generoſæ ſtirpis perennem propaginem ab hinc emittens, me parentem ſuum ſemper agnouit, atque, vt à meis titulis præcipua ſibi vendicauit honorum inſignia: ita ego ex*
*Philip.4.1. *eius decore ac gloria*, coronam mihi pulchrioris ornatus adaptaui. Cur matris veſtræ honorificationi ſponte derogatis, dum parentis veſtri minuitis dignitatem? Tametſi veſtris non ſubiacet meum decus liuoribus. Ego ſiquidem feliciſſimus iam Chriſti Regni poſſeſſor, ſupernæque Jeruſalem perpetuus municeps, Apoſtolorum cohæres, Martyrum ſocius, Angelorum conciuis beatorúmque omnium particeps, ſublimi inter eos euectus præmiorum gradu, eo perfruor honore, qui nulli ſubſit inuidiæ, nullóque mortalium poſſit liuore temerari. Eius*
Apoc.2.10. 1.Pet.5.4. *largitor eſt ac perennator Chriſtus, pro quo* certaui vſque ad mortem, *qui mihi triplicem* coronam immarceſſibilem, *ob tria meritorum inſignia impoſuit.*

I. Apoſtolatus, *propter Gallicam fortiter exactam legationem. II.* Doctoratus, *ob diuina illa, quæ ipſo afflante conſcripſi ſapientiæ cæleſtis monimenta. III.* Martyrij, *ob victoriæ trophæa, quæ ex ſupremo certamine, ipſius pro nomine inito, Pariſiis demum reuexi. Fremant igitur quantumuis dæmones vel homines, nullam ex iis lauream, mihi poterunt vnquam vllis conatibus eripere. Scripta indelebilia non oblitterabunt, quæ mea eſſe, perperam nuperi negant dogmatizatores. Agonis nec eradicabunt iidem hoſtes, præclara quæ Pariſiis in orbis conſpectu nitent veſtigia. Apoſtolatus iura porro non conuellent ſcioli illi, qui auſpicatiſſima meæ culturæ ſigna Gallicis liliis ſuperno indita influxu, fruſtra tentant eradere. Præualent etenim contra inanes illorum molitiones, tam cæleſtia quàm terrena præſidia; diuina vtique ac humana teſtimonia, iis impreſſa codicellis, quibus Gallos* primitias mei Apoſtolatus eſſe in Domino *certum prorſus ac manifeſtum cunctis fieri, tam iuſtis quàm neceſſariis vindiciis; demum Chriſtus ipſe voluit.*

Hæc è ſuperna illa ſede effari, mihi videtur magnus noſter Dionyſius, verus Areopagita; Pauli Apoſtoli, vaſis electionis, gentium Doctoris, orbis magiſtri egregius ſymmyſta, Oecumenicus Galliæ Apoſtolus, Pariſienſis Eccleſiæ Pater, Paſtor & ſponſus: cuius toto hoc opuſculo memoriam, honorem & gloriam DEO O.M. nobis opitulante propugnauimus; támque illum noſtrum eſſe, quàm nos ſuos, ex traduce diuini ſeminis, quo nos Chriſto progenuit, luculenter

oſtendimus. Magis ſcilicet æqui atque recti ſtudioſi (abſque inuidia hoc dici poſſe non diffido) quàm illi qui potiorem eius laudem in alium transferre, vmbratili ſub iuſtitiæ prætextu, qui veritate deſtituitur; poſt tot ſæculis firmatam fidem contendunt, adeóque contra tam clara Patrum oracula, inſigniúmque ſcriptorum teſtimonia, quin & ſedis Apoſtolicæ iudicia, & vniuerſalis Eccleſiæ placita, etiamnum connituntur. Malum omen cauſa eorum habet, quod in diuiſione fundatur. Dicunt Philoſophi dualitatem eſſe deſtructionem vnitatis, eſt enim principium diuiſionis; diuiſio autem deſtructionis, quia rem deſtruit quiſquis diuidit. Hinc illam haud eſſe infantu-
3.Reg.3. li matrem diuino afflatu Salomon * diiudicauit, quæ ſecandum illum flagitabat, vt dimidia mortui parte potita, viui integritate vera genitrix fraudaretur. Quam pueruli genuinam declarauit parentem, viſceralis ille affectus; quo viuum petens ſeruari filiolum, & æmulæ ſuæ potiùs tradi illæſum, quam ſibi dari medium, & diuidi vt aduerſaria volebat, Regem, enixè materna voce, obſecrauit. Duæ perſimiles hoc in litigio conflixêre partes. Altera quæ Dionyſium diuidi, ſeu diſcerni, vt mediam Areopagitæ gloriam, mediam Pariſienſi tribuat fucata ac vmbratili diſtinctione, quæ nullum habet in re fundamentum, exigit. Altera quæ diuidendum negat Dionyſianum decus, ſed id integrum vni eidémque ſuppoſito, neutiquam diuerſo minimé-

que diſſimili, ſed indiuiduo ac inſeparabili; Areopagitæ ſcilicet Dionyſio, qui idem prorſus eſt cum Pariſienſi (vt per hanc copioſam diſquiſitionem euidenter declaratur & accuratè probatur) adſcribi iure ipſo depoſcit. Dualitas quam aduerſa pars inuehere ſatagit, cum diuiſione deſtructionem inducit. Si enim ſemel adhibeatur illa quam nititur ſtatuere diſtinctio, peribit Galliæ in ſuum Apoſtolum deuotio: quem hactenus vt verùm Areopagitam, Apoſtolorúmque aſſeclam & S. Clementis legatum perenni affectu coluit. Enimuerò ſi ipſa nunc ab hac eius exiſtimatione auellatur: nec illi, nec alteri, quem aduerſarij ſine iure ſupponunt, vlla præſtabit propriæ venerationis officia. Deceptam enim tot ſæculis fuiſſe, hac in re, admodum ipſam pudebit. Et cùm auitæ traditionis ſemel ſublata fuerit auctoritas, recentiorum longè minoris momenti apud Francos perſuaſio fiet: parúmque de gentis vniuerſæ honorando Apoſtolo (quem ambiguum infauſto ac propudioſo hoc conatu nuperi cenſores efficere geſtiunt) quo par eſt cultu impoſterum curabunt. Sícque ingrata erga illum prorſus reddetur Gallia, cui poſt Devm ob eximium inuectæ ſalutis munus eſt potiſſimum deuincta perpetuæ gratitudinis iure & debito venerationis. Periculoſa eſt igitur tantum nupera illa diuiſionis ſuggeſtio: quantum identitatis & vnitatis priſca quam tuemur aſſeueratio, ſecura honeſta & conducibilis eſt,

vtpote veritati atque iuſtitiæ, æquitati, ac religioni (quemadmodum clarè oſtendimus) firmiter innixa. Hâc enim ſententiâ rata & conſtanti, vt hactenus fuit permanente; ſalua manet Maiorum fides, illibata antiquæ traditionis auctoritas, Galliæ integrum ſeruatur decus, eiúſque Apoſtoli Dionyſij perdurat intemerata dignitas & gloria. De roſis igitur atque liliis ſemper coronamenta plectam illi glorioſiſſimo CHRISTI Athletæ DIONYSIO, MAGNO, INCLYTO, VICTORI, VERE AREOPAGITÆ, VERE GALLICO, de inuidia hominum, de ſæculorum omnium vetuſtate triumphanti. Siquidem vt egregiè Morellus cecinit.

Hic eſt ille proculdubio DIONYSIVS HEROS
Quem geſtare caput cernis vtraque manu.
Quem PAVLVS *docuit dicentem iura, regentem*
Vrbis Athenarum iudiciale forum.
Quémque fide tanta, formauit robore tanto,
Pro CHRISTO, *vt dederit colla ſecanda lubens.*
Eſt idem ille ſuum quem grata LVTETIA MYSTEN
Agnoſcit primum, Pontificémque colit.
Ipſa vetuſtatis veſtigia tectáque clamant,
Hoc & idem concors vóxque fidéſque Patrum.

Finis Apologiæ pro Hilduino Areopagiticæ.

APPENDIX

APPENDIX

DE SACRIS RITIBVS A SANCTO DIONYSIO AREOPAGITA

Ex Apoſtolica diſciplina traditis vel teſtatis.

AT verò poſt exactã cauſæ huius diſquiſitionem, accuratámq. deciſionem: ipſius huius operis propria ſeries exigebat, vt ad ſecundam quæſtionem, quæ circa ſcripta S. Dionyſij Areopagitæ verſatur, progrederemur. Verùm quia illa ipſa tractatio copioſum requirit examen, magnámque in diſſertationem ſeſe neceſſariò extendit: intra huius iam profuſi nimiùm voluminis ſepta concludi non potuit. Ideóque in iſtius Apologetici proœmio, hanc de libris ſancti Dionyſij quæſtionem, cum alia quam de corpore eius Ratiſponenſes aſcetæ ſine vllo iure aliquot à ſæculis mouerunt; ad ampliora diſſerendi ſpatia, referendam decreuimus, ac vtramque in commentario noſtro *ad Martyrologium Gallicanum* proprio loco, nempe in ipſius noſtri Areopagitæ natali die 9. Octobris, accuratè

hanc illámque promiſimus. quod & nos præſtituros (ipſo cœptis fauente in cuius confidimus gratia) iterum pollicemur.

Interim verò quia hic liber, *de Myſticis Galliæ Scriptoribus* prænotatus, de *Chriſtianis* tractat coniunctim *Ritibus*, ab iis ad diuinæ religionis decorem initiatis, inuectis vel teſtatis: iure ſuo id etiam hæc collectio depoſcebat, vt traditas vel teſtatas ac beato Dionyſio, Pauli Apoſtoli percelebri ſymmyſta, ac inclyto Galliæ Apoſtolo, diuinas theorias ſacráſque praxes, enumeraremus atque dilucidaremus. Sed illa explicatio ita medullitus tractationi de ſcriptis ipſius ſanctiſſimi Dionyſij cohæret, vt ab ea nullatenus diuelli poſſit: cùm ritus ipſos ſcripta illa fulciant, in iíſque proditi ac expoſiti conſpiciantur. Vnde etiam anſam arripuerunt Nouatores, eoſdem S. Dionyſij libros impugnandi: quaſi qui eius non ſint germani fœtus, ſed ſuppoſititij partus, illuſtri eius nomine, *ad fouendas ſuperſtitiones*, vt aiunt *Papales* (ſic vocitant etiam traditiones Apoſtolicas) auctoritate tanti viri qui Pauli fuit aſſecla inſignis, per fucum cohoneſtati. Ceterùm haud mirum eſt ſi Pauli diſcipuli ſibi infeſtos libros, ita exhorreant, cùm & Magiſtri ipſius diuina ſcripta Ebionitæ antiqui hæretici, teſte ſancto Irenæo lib. 1. cap. 26. ſolerent penitus execrari: nouiſſiméque Lutherani eiuſdem ad Hebræos excellentiſſimam epiſtolam, non veriti ſint repudiare vt ſpuriam: vnáque ſynceriſſimas aliorum Apoſto-

lorum litteras, nimirum epiſtolam Iacobi, epiſtolam Iudæ, ſecundam Petri, & tertiam Ioannis, vt falſas & ſuppoſititias reſpuere, ac damnare non reformidarint; non alia videlicet cauſa permoti, quàm eo quòd in iis Apoſtolicis codicellis pleraque continentur, quæ impia illorum paradoxa funditus euertant, atque falſa dogmata refellant tam fortiter quàm apertè. Certè de Dionyſio noſtro chariſſimo Pauli alumno, verè aptéque dixit Leonardus Leſſius præſtãtiſſimus Theologus Societatis IESV*: Neminem poſt Apoſtolos eo ſublimiùs atque ſynceriùs, de maximis religionis dogmatibus, ſcriptis in codicibus diſſeruiſſe: vt de tribus in ſimpliciſſima diuinitate hypoſtaſibus ſeu perſonis, de earum proceſſione & diſtinctione, de vnitate eſſentiæ, de indiuiſa operatione, de admirabili vnione naturæ diuinæ & humanæ in vnam hypoſtaſim; de Angelis, de natura boni & mali. Item de auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacramento, quod ex ſententia ſui inclyti præceptoris appellabat τελετῶν τελετὴν, quaſi diceret ſacramentorum omnium perfectionem & conſummationem. Neminem etiam qui huius, ceterorúmque omnium ſacramentorum efficaciam, & eorum quæ in ſacramentis geruntur myſteria, & occultas ſignificationes, theorias & praxes quáſque Eccleſiaſticas profundiùs inueſtigauerit, & copioſiùs patefecerit. Doctiſſimus *Demochares* tom. 4. *de ſacrificio* c. 14. totam Chriſtiani ſacrificij theoriam & celebrationem ex diuini

*In epiſtola data ad Petrum Lanſelium eiuſdem ſacri inſtituti profeſſorem, pro ſancti Dionyſij operum ac perſonæ vindiciis.

huius Doctoris Apoſtolicis documentis elicit ac confirmat : indicátque tam breui quàm perapta epigraphe, Miſſæ vt hodiéque celebratur, cum Liturgia à S. Dionyſio ex theorematibus Apoſtolicis perſcripta, perſpicuam conformitatem ; hoc nimirum ſub ſpectabili programmate. *Ritus celebrandi Miſſam, ex beato Dionyſio, quos Eccleſia adhuc obſeruat.* Hóſque viginti numero recenſet & deſcribit. Idem fermè eruditiſſimus Pammelius tom. 1. Liturgicωn ex eodem Magno Dionyſio oſtendit : videlicet hoc præfixo titulo. *Liturgia ſancti Dionyſij Areopagitæ, primi Pariſiorum Epiſcopi, Galliarum Apoſtoli.* Qua ſub capitali prænotatione hos ritus ex ſerie refert, atque ex ſcriptis diuinis ſancti ipſius Doctoris depromit.

I. Sacri vnguenti, quo altaria & Sacerdotes conſecrantur, myſterium, *ex cap. 4. Eccleſ. Hierarchiæ.* II. Soli Pontifici licitam huius vnguenti & altaris & ſacerdotum conſecrationem, *ex eod. lib. & cap.* III. Altaris conſecrationis ritum, *ex eodem.* IV. Conſecrationum quæ ſacros ordines contingunt myſterium, *ex eodem lib. cap. 5.* V. Formulam precum ante myſteria, *ex epiſtola ad Demoph. cap. 6.* VI. Synaxeos Liturgiam, *ex eadem epiſtola cap. 3.* VII. Sacerdotum prærogatiuam eſſe, quod eorum propria ſit diuinorum tractatio, *ex eadem epiſtola.* VIII. Ritum conſecrationis monaſticæ, *ex eadem cap. 6.* IX. Ritum ſacrorum graduum, & quibus permiſſus ſit aditus ad ſacra myſteria, *ex lib. Eccleſ. Hierarch. cap. 6. &*

epiſtola præſignata. X. Hymnorum etiam ritum docuit ſanctus Dionyſius. Nam librum excellentem (qui excidiſſe fertur) edidit de diuinis Hymnis, cuius ipſemet commeminit lib. de cæleſti Hierarchia c.7. XI. Porrò nos ſuperiùs Apologiæ Areopagiticæ cap.7. art.2.pag.471.& ſequentibus Ritum, agones Sanctorum à Deo glorificatorum, in tremendo myſterio, cum propriis elogiis commemorandi, à ſancto Dionyſio prodiiſſe inſinuauimus. Quem idcirco præfationum Liturgicarum auctorem fuiſſe aſſeruit Honorius Auguſtodunenſis, Berno Augienſis & Radulphus Tungrenſis. XII. Ritum verò omnium maximum inuocandæ diuinæ Trinitatis eumdem beatum Dionyſium, primum Pariſiis tam verbo quàm exemplo docuiſſe, ſuprà etiam indicauimus in Lino, Ritu 1. cap. 4. pag. 179. ex antiquo monimento, quod extat etiamnum Lutetiæ in Benedictina baſilica, collegiata ac parœciali, ſub adorandæ Triadis titulo à B. Dionyſio primitus cõſecrata: in cuius ſacelli perueteris ſpeculari, hæc cernitur rei geſtæ ſignata à Patribus indigitatio. *In hoc ſacello, cœpit ſanctus Dionyſius inuocare nomen ſanctiſſimæ Trinitatis.* Quatenus verò id accipiendum ſit, ſanctum vtique Dionyſium illic incœpiſſe inuocare nomen ſanctiſſimæ Trinitatis ſuprà notato capite expoſuimus. Nec hîc prætermittendum, cùm in colloquio Piſſiacenſi habito anno 1561. ex hoc monumento ſpectabili Apoſtoli Galliæ Dionyſij præfatus

Democharis inter Pariſienſes Theologos collocutores non poſtremus, argumentum duxiſſet contra Bezam pro Chriſtiani ſacrificij doctrina ac traditione Apoſtolica, Bezam rem tam ſeriam illico in riſum, vt perpetuus hæreticorum mos eſt, conuertiſſe. Exclamaſſe ſiquidem effusè illudendo. O *vitreum & nimis fragile argumentum!* Tametſi ineptiſſimè grauem ita obiectionem, in ridiculum detorquebat. Neque enim argumentum ſumebat aut inſtruebat Demochares ex vitro, ſed ex Patrum fide, & patenti ſancti Dionyſij Areopagitæ documento ac exemplo, per rei illic ab eo factæ conſpicua admodum veſtigia; perenniáque & multiplicia, quæ etiamnum per Maiorum continuam abhinc ad nos vſque traducem propagata patebant, & in ſacræ ædis antiquiſſimæ, non modò ſpecularibus, ſed & parietibus, atque adeo ipſis fundamentis ab ipſo Apoſtolo Galliæ Chriſtianæ religionis Lutetiæ Pariſiorum primo auſpicatore ibidem (vbi primùm Chriſtiano ritu litauit, ſpectante ac teſtante orbe) collocatis, inuiolatéque cum ea quam tradidit fidei & religione norma formáque conſeruatis, conſpicua ab hinc manent ſacra inſignia. Sed Beza vultu duntaxat, ridentis ſpeciem aſſumebat. Seſe enim hoc argumento cùm ſentiret non leuiter perſtringi; aſtutè prorſus reſponſum quod obuium non habebat, in cachinnum ſoluit, quo interim elaberetur. Hoc etenim adhibito fuco, (opportunè ſiquidem at ſcurriliter ſimula-

tó riſu) ſeſe à gemino cautè ſubduxit amfractu. Siquidem Apoſtoli Galliarum Dionyſij reſpuere auctoritatem ſemper apud Francos ſacroſanctam habitam, Francus ipſe qui eſſet palam nō audebat, ne fidei à Dionyſio traditæ eo ipſe ſeſe proderet deſertorem. Hac autem admiſſa, hinc bino ſe animaduertebat telo peti. Nimirū ſacrificij Chriſtiani per Apoſtolicum virum, Pauli celebrem diſcipulum, diuino ex eius ore accepto, ac inde Gallis tradito ritu: & inuocationis ſanctiſſimæ Trinitatis emanato, ex eadem Apoſtolica ſchola, theoremate ac exemplo. Porrò Caluiniſtæ quorum in hoc colloquio Beza anteſignanus erat, ſacrificium Euchariſtiæ à Chriſto inſtitutum, ab Apoſtolis & Apoſtolorum diſcipulis frequētatum & (quemadmodum ſanctus Irenæus teſtatur) toto orbe propagatum, enixè amoliuntur. Altariáque quæ Paulo in epiſtola ad Hebræos teſte*, ab initio in Eccleſia extitêre, quocumque poſſunt graſſari ſubruunt ac euertunt. Porrò preces ad ſolum Patrem per Chriſtum, more Arianorum ſemper dirigunt, quem nec Spiritum ſanctum, perſonaliter nuſquam obſecrant: Trinitatem verò nunquam inuocant, cuius nomen eraſerunt, ex publicis formulis. Vnde & verſiculum, *Gloria Patri & Filio, & Spiritui ſancto*; quem Patres *Hymnum glorificationis*, vocitabant, & ad Catholicos ab Arianis ſecernendos frequentabant in diuinis Officiis, ſuppreſſerunt, nam vſu apud ſe proſcripſerunt. Quæ compulit

* Heb. 13. 10.

ratio Eſpenceum inſignem illum Theologum Pariſienſem, qui infauſtis illorum molitionibus ſeſe ab ipſorum prima eruptione, pari doctrina, quo zelo magnanimiter oppoſuit, obiecítque murum aduerſus eos pro domo Domini, vt inter polemicos quos edidit tractatus, opuſcula duo contexeret, alterum inſcriptum: *De inuocatione Filij & Spiritus ſancti*: alterum, *De orationibus ad ſanctam Trinitatem.* quem libellũ à noſtri S. Dionyſij auctoritate, theorematíſque eiuſdem diuinis incipit: ſic enim præfatur. *A Dionyſio noſtrate Apoſtolo* (inquit) *incipiam. Is de diuinis nominibus tractans, & ab horum facilè primo bono auſpicatus, vbi, ait, primum auctorem boni & ſupremè bonam Trinitatem inuocauerimus, omnes ſuas benigniſsimè exponentem prouidentias. Oportet enim nos votis imprimis ad ipſam prouehi, & è vicino diſcere, benigniſsima illa inſita munera. Nam ipſa quidem adeſt omnibus, non autem illi adſunt omnia. Vbi verò ipſam caſtiſsimis precibus animóque purgato, pernio, & ad diuinam idoneo coniunctionem inuocamus, tunc nos quoque illi adſumus.* Quam illuſtrem Apoſtoli noſtri doctrinam pro ritu Chriſtiano inuocationis ſanctiſſimæ Trinitatis, ſubindicat idem Eſpenceus à S. Ioanne Damaſceno laudatam & explicatam, lib. 1. de fide orthodoxa c. 3. Rurſus verò idem nobilis Theologus Eccleſiaſticæ hymnodiæ ritum à S. Dionyſio traditum obſeruat, in opuſculo ſuo, *de diuina ſacrorum Bibliorum & Patrum poëſi*. Sic enim ibi eiuſdem Dionyſij commeminit. *Sed &*

Cle-

Clementi æqualis, Areopagita Dionyſius Pauli diſcipulus ſcripſit, Theologiam, hoc eſt oracularem Scripturam, in deſcribendis ſpiritibus incorporeis, poëticis fictionibus affatim vti, &c. Citat autem auctor idem * *opus ſuum de diuinis, præceptoris autem ſui Hierothei de amatoriis hymnis, vtrumque theſaurum hactenus abſconditum, & fortè perditum.* Idem verò eruditiſſimus Theologus *lib. 1. de Euchariſtia & eius adoratione*, agnoſcit adducítq. eumdem diuinum Dionyſium, in teſtium de cultu latrico Euchariſtiæ anteſignanum, adeóque Patrum Græcorum ritum hunc ſanctum Apoſtolicúmque affirmantium coryphæum, *ex cap. 3. part. 2. & 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ*. Ad cuius ſacratiſſimæ praxis confirmatiorem ex Apoſtolico documento & vſu, citatur idem S. Dionyſius Areopagita, à præſtantiſſimis Catholicæ fidei vindicibus, ac S. R. Eccleſiæ Cardinalibus Bellarmino lib. 2. de Miſſa, cap. 15. Perronio lib. 2. de Euchariſtia, auctore 12. pag. 271. & ſeqq. & lib. 3. cap. 4. inſcripto, *de ritu oſtendendæ in ſacris myſteriis Euchariſtiæ*: necnon à præeminentiſſimo Cardinale Duce DE RICHELIEV inclyto quoq. doctrinæ Patrum aſſertore, *in apologetico, pro fide Catholica, contra libellum pſeudo-Miniſtrorum quatuor Caluiniſtarum cap. 6. ſect. 3.* vbi ex eiuſdem ſancti Dionyſij Areopagitæ noſtri Apoſtoli auctoritate, myſticum probat morem eleuationis incruentæ hoſtiæ in diuino ſacrificio. Baptiſmi autem & Confirmationis Apoſtolicos pleroſque ritus paſſim elicit, atque probat

* De cæleſti Hierarchia c. 7.

ex eiuſdem diuini Doctoris ſcriptis Ioſeph Vicecomes vol. 1. *obſeruationum Eccleſiaſticarum.* Quin & Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus omnem ſacramenti Chriſmatis traditionem manantem à Chriſto, traditam ab Apoſtolis, à ſancto Dionyſio eorum ſymmyſta teſtatam ex eiuſdem ſacratiſſimis documentis tam verè quàm intrepidè aſſeuerat in reſponſo ad ſcriptum Wirtembergenſium *. Hîc enim ſignanter ait. Quoad ſacri vnguenti, myſterium attinet, in diuinis quidem litteris id non extare: Traditum tamen à diſcipulis verbi; ſicut qui à D. Paulo inſtitutus eſt ſanctiſſimus Dionyſius in ſacris ſcriptis ſuis tradidit **: quem quidem virum (inquit) proximo ſecundùm Apoſtolos loco Eccleſia Dei veneratur. ὃν δὴ ἄνδρα μετὰ τοὺς Ἀποστόλους τοῦ Θεοῦ Ἐκκλησία γεραίρει. Huius igitur auctoritate in tanto aſſerendo dogmate fretus, Wirtembergenſes è Lutheri ſchola hæreticos, Chriſmatis ſacramentum (quod æquè ſanctum ac baptiſma S. Auguſtinus * eſſe docebat) repudiantes; præfatus Patriarcha grauiter perſtringit, atque iiſdem pio faſtu inſultat. Tum verò profanas eorum nouitates, eò ipſo proſcribit, quod à tam diuini viri, cuius Paulus orbis Magiſter inſtitutor fuit, doctrina Apoſtolica planè deſultent, eidémque ex aduerſo refragentur. Vnde ipſos à ſe procul abire iubet; neq. enim cùm nouarum rerum in religione auctoribus qui à veteris Theologiæ regulis ſponte deficiunt, atque Dionyſij Areopagitæ vene-

* Vide acta & ſcripta Theologorũ Vvirtembergenſium & Patriarchæ C.P. D. Hieremiæ ſup. Auguſtana confeſſ. hinc inde miſſa, editaque Vvirtembergæ anno Domi 1584.

** cap 2. Eccleſ Hierarch.

* Lib. 2. contra Litt. Petil c. 104.

randis ſcriptis (ipſiſmet Apoſtolicas traditiones perperam conuellentibus perquam infeſtis) haud ſecus quàm Iudæi ab Euangelio, abhorrent, irreligioſè obuerſantur: nullum de fidei myſteriis atque dogmatibus ſeſe miſcere poſſe ſermonem de cetero proteſtatur. Et iure quidem æquiſſimo. Quanto enim magis ſancti Dionyſij nomen doctrináque illis inuiſa ſunt, tantò ſyncerè Catholicis ipſius glorioſa memoria & cæleſtes (ita illos Eccleſia nominat) libri, in maiori pretio ac reuerentia eſſe debent. Portò qui illius ſe produnt oſores, eo ipſo pro manifeſtis Eccleſiæ perduellibus & hoſtibus auitæ fidei veniunt exiſtimandi. Meritò igitur ſugillauit Euſebium Cæſarieſem præclariſſimus Cardinalis Perronius, quòd ille cùm Arianæ hæreſeωs labe infectus eſſet, S. Dionyſij Areopagitæ libros (quos genuinos alio loco demonſtrabimus) data opera ſuo in Catalogo nõ conſignauerit, ſed quos interiiſſe voluiſſet, haud recenſitos in ſacrorum ſcriptorum ſerie, ſilentio affectato prætererit: nimirum eo quòd in iis, orthodoxam de indiuidua Trinitate doctrinam plenè præclaréq. traditam conſpiciebat, cuius ipſe fidei famoſus aduerſator erat. Sed verò eadem prorſus ratione inſimulandi ſunt neoterici ſectarij, à quibus nulla alia de cauſa ſancti Dionyſij Areopagitæ ſacri apices repudiantur, quàm quòd in ipſis doctrinam Catholicæ Eccleſiæ de ſacrificio Euangelico, de ſacramentis, de cæleſti & ſubcæleſti principatu, de Chriſti in Eu-

Lib. 2. de Euchariſtia cõtra. Morn. auct. 12. pag. 271. edit. 2.

chariſtia adoratione, de panis & vini in corpus & ſanguinem eiuſdem conuerſione, de Chriſtianæ Liturgiæ ordine, de ritibus & cæremoniis Eccleſiaſticis, de Cleri & plebis trifaria diſtinctione, de gradibus & officiis ſacris, de cœlibatu, de vitæ monaſticæ regula, de feſtis, de ieiuniis, de orationibus precibúſque pro defunctis fidelibus; de Angelorum ac beatorum ſpirituum pia interpellatione, de pœnitentia, de fide & operibus, aliíſque orthodoxis dogmatibus, traditionibus, theoriis & obſeruationibus Eccleſiaſticis diſertè accuratéque proditam, deſcriptam ac confirmatam videant: ſuas verò his Apoſtolicis theorematibus aduerſas perſuaſiones, opiniones ſpurias nimirum tam priuatas quàm nuperas (quæ nihil aliud ſunt quàm exploratæ ac deploratæ hæreſes) ipſis in ſacris eiuſdem beati Dionyſij Areopagitæ, Pauli ſymmyſtæ præcipui, diuini Galliæ Apoſtoli codicibus apertiſſimè damnatas, ac profligatas, ipſimet è diametro contueantur. Hic altè infixus eorum præcordiis hæret ſanè ſtimulus, quo in furorem aduerſus obuia quæque Areopagitæ noſtri inſignia, ſibi adeo infeſta, confeſtim agitantur. Dolent enim quam acerbiſſimè ab illo diuino ſcriptore, charo Pauli alumno, purpurato Chriſti teſte longè perilluſtri, viro planè Apoſtolico, Apoſtolicarúmque traditionum intemerato cuſtode atque deſcriptore ſecus quàm volunt & docent Chriſtianam religionem hoc in regno omnium Chriſtianiſsimo initia-

tam & traditam, Eccleſiam Gallicam inſtitutam, Catholicam verò genuinis ita lineamentis depictá, cauſámq. eius aduerſus errores ſuos tam egregiè peroratam fuiſſe: quàm ſuam, longè diu antequam erumperet in medium, ſectam vndequaque damnatam ac depulſam, in iiſdem libris palam conſpici. Iis igitur, vel ipſo quo innato omnibus Chriſti Eccleſiæ inimicis feruent erga Apoſtolicum Dionyſium odio, ſatis perſpicuè prodentibus, quantum Areopagitica hæc arma, ſibi reuera infeſtiſsima animitus horreant: maiori vtique illa nobis eſſe debent in pretio ac veneratione. Quod enim de cæleſti Catholicæ fidei munere atque depoſito, dicebat (in lib. de verbis Domini ſanctus Auguſtinus,) *nullus ipſâ fide Catholicâ maiores diuitias, nullos honores, nullam huius mundi maiorem ſubſtantiam* nobis ſuppetere: hoc ipſum profectò de ſcriptis, oraculis, exemplis, monimentis Magni Dionyſij Areopagitæ Apoſtoli noſtri, qui fidem ipſam naſcétem nobis attulit ac tradidit, oréque ſacratiſsimo prædicatam, calamo cæleſti exaratam, ſanguine profuſo confirmatam, in poſſeſsionem inuiolabilem ſuo quaſi teſtamento reliquit; eadem ratione dici poteſt. Nullum enim maioré theſaurũ poſſe à nobis reor poſsideri, quàm ſi fidei & religionis quam nos cæleſtis ipſe nuntius ſuperno auſpicatũ docuit, incorrupta à nobis ſeruetur hæreditas. Quod certè demum fiet, ſi quemadmodum à Maioribus religioſè obſeruatum fuit, ita de Dionyſij glorioſiſ-

ſimi parentis noſtri nomine gloriemur, victoria ac triumpho exultemus, memoria afficiamur, vt interim germanam eius ſobolem nos ſedula ipſius imitatione præbeamus; lineamenta eiuſdem haud fucata ſimilitudine tam glorioſæ propaginis inanibúſque titulis, ſed viua & animata conformitate præferamus. Huius verò ſanctam in nobis effigiem genuinè exprimemus, ſi fidem eiuſmet intemeratam teneamus, charitatem per intentum ſanctarum actionum ſtudium æmulemur, ſpem itidem ſacra eius conſectando veſtigia per immaculatum conuerſationis tramitem noſtris inſitam affectibus oſtendamus. Sic enim eius & legitimi filij, & hæredes fortunatiſſimi, iure merito efficiemur. Verè tum in eo nobíſq. locum habebit illa appoſitiſſima ſancti Gregorij, de Apoſtolorum in die iudicij, populos illos quos Chriſto tantis ſudorib. lucrati ſunt, eidem deniq. tunc ſunt oblaturi, laude, lætitiáque, & adductarum per illos ad Dominum felicitate gentium, conſideratio ac exhortatio*. *Ecce enim dicit Dominus, negociamini dum venio. Quale ei animarum lucrum de noſtra negociatione* (inquit, Paſtores Apoſtolorum ſucceſſores, ad eorum ſupremum prouocans aſpectum) *monſtrabimus? Quot eius conſpectui animarum manipulos de prædicationis noſtræ ſegete illaturi ſumus? Ponamus ante oculos noſtros illum tantæ diſtrictionis diem quo iudex veniet*, &c. *Ecce in maieſtate terribili, inter Angelorum & Archangelorum choros videbitur, Ibi Petrus cum Iudæa conuerſa, quam poſt ſe tra-*

* Homil. 17. in Euang.

xit apparebit. Ibi Paulus conuerſum, vt ita dixerim mundum ducens. Ibi Andreas poſt ſe Achaiam, ibi Ioannes Aſiam, ibi Thomas Indiam, in conſpectu ſui iudicis conuerſam ducet. Ibi omnes Dominici gregis arietes, cum animarum lucris apparebunt. Igitur & DIONYSIVS AREOPAGITA, Pauli aſſecla, Clementis Petri ſucceſſoris Apoſtolicus legatus, ipſéque Galliæ primarius Apoſtolus cum ipſa ſua Gallia, quam fuſo ſanguine Chriſto peperit, comparebit: hic ſequentes ſe fideles, qui ſibi, vt docuit, tam fide quàm opere adhæſerunt, Domino cuius multiplicauit talenta præſentabit; exultánſque ſuper ſacrificium eorum obedientiæ, oblationem illorum, quam tanto æſtu charitatis ardebat exequi Paulus eius cæleſtis magiſter, cum ingenti gaudio, throno Regis gloriæ ſiſtens demum perficiet: illud in ſe gregéque à ſe collecto propheticum quaſi proprio iure replicans, feliciter tandem impletum: *Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Dominus in ſignum*, Eſa.8.18. In ſignum vtique illius Apoſtolatus & gloriæ: cuius coronis eſt opus noſtræ vocationis, & munus beatificationis æternæ.

FINIS.

IN EO ET PER EVM
QVI
A eſt & Ω.

Omnia iudicio Eccleſiæ Catholicæ, & ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, ſubiecto ſanto.

INDEX RERVM

ET VERBORVM INSIGNIVM QVÆ IN HOC OPERE continentur.

A

ABAILLARDVS qua de re cum Monachis Dionyſianis diſputauit, poſtea recantauit: ſed nunquam S. Dionyſium Pariſienſem, Areopagitam negauit. 45. *& ſeqq.*
Abaillardi altercatio cum Dionyſianis aſcetis ſuis ſymmyſtis, & eius palinodia. 458. 459. 460
Abaillardi epiſtola ad Adamum Dionyſianum Abbatem. 461
Abbas Fuldenſis, Auguſtæ Archicancellarius. 1027
Abbatum Pratenſium intextus eſt Martyrologio loci proprio, Catalogus. 1041
Academia fuit dudum inſignis Hieroſolymis. 78
Academici Cancellarij, iidem & Eccleſiaſtici. 78
Accuſator & Iudex eſſe ſimul nemo poteſt. 357
Accuſator tenetur periculo talionis. 373
Accuſatus abſolutus, immunis manere debet. 3?2
Acta Sanctorum Apoſtolorũ Petri & Pauli, variè ſub nomine Lini euulgata ſunt, & quæ ſyncera. 186. & 187
Acta pleraque Apoſtolorum corrupta. 321
Acta corrupta ſancti Dionyſij, aliqua dudum percurrerunt. 377
Acta Martyrum Galliæ à ſedis Apoſtolicæ ſcriniis iam olim repetita. 447
Acta S. Dionyſij ante ſcripta Hilduini, Romæ antiquiſſima ſeruabantur. 499
Acta ſancti Luciani Martyris Bellouacenſium Apoſtoli pura & vindicata. à pag. 516. ad 519
Acta ſancti Ionij ſyncera afferuntur & aſſeruntur. à pag. 519. ad 522
Acta S. Nicaſij Neuſtriæ Apoſtoli authentica. 525
Acta ſancti Eugenij diuino ſigno

& ſynodico iudicio probata fuerunt. 539
Acta S.Eugenij pura & vindicata. à p.530. ad 542
Acta S. Eutropij indubitata promuntur. à p.542. ad 552
Acta Sanctorum Clementis, Frotonis, Georgij, Manſueti, Eucharij ac Valerij profert ſuum in detrimentum Boſquetus. 554
Acta pſeudographa Sanctorum reprobata. 855
Acta pſeudographa SS. Fuſciani & Victorij, à Boſqueto producta. 857. 858. 861
Actiones in quibus indultum eſt Archiepiſcopo ſacro Pallio vti. 259. 260
Adam Abbas S. Dionyſij. 461. & 706
Adam à S Victore Sequentiæ de S. Dionyſio concinnator. 715. 716
Adelaidis Reginæ pietate, virginale collegium Montis Martyrum extructum ac dedicatum eſt. 710. 711
Adelulfus Rex. 731
Adoratio Euchariſtiæ à S. Dionyſio tradita. 1193
Adrianus I. PP. 493
Adtonius Epiſcopus Engoliſmenſis in Catalogo omiſſus. 1096
Aduentus, ſeu Aduentinus VI. Epiſc. Pariſ. 1089
Ægidius Monachus Vallis Regiæ. 677
Ægidius de Pontæſia. 741
Ægeas Marcelli Martyris Pater. 849
Ægroti 19 contactu librorum S. Dionyſij vna nocte in eius Eccleſia ſanati. 694. 695
Æmilianus præſes. 1042
Æneas Pariſ. Epiſcop. priuilegia Monaſterij S. Dionyſij rata eſſe voluit. 673
Ætas primorum Epiſcoporum diuino munere cur in longum tempus producta. 1104. 1105
Ætius Francos repellit vltra Rhenum. 846
Agones Martyrum ſcripſit Iacobus Faber Stapulenſis. 765
Aiſtulphus Longobardorum Rex hoſtis S. R. E. 479
Albertus Linus Veronenſis, 655. quo ſæculo claruit. 656
Albertus Miræus. 1025
Alboſledis ſoror Clodouæi. 297
Alexander cùm dicitur, abſolutè, hic magnus qui fuit intelligitur. 1171
Algerus contra Berengarium quid refert de S. Dionyſio. 745
Altare Apoſtolorum Petri & Pauli diuino monitu erectum. 1145
Altaris palla multiplex. 204
S. Ambroſius cantum ex Eccleſiæ Græcæ diſciplina, in ſuæ Eccleſiæ obſeruantiam deriuauit. 1013
Amelius Antiſtes Burdegalenſis. 595
Ameſius perditionis miniſter quã falſo docuit à Chriſto non fuiſſe Epiſcopos inſtitutos. 43
Ameſius Franekeranæ Academiæ Profeſſor Caluiniſticus, impugnans Eccleſiæ Hierarchiam fuſè redarguitur, à pag. 70. ad 128. Idem etiam refellitur ſacras impetens cæremonias à pag. 128. ad 149
Ameſij Caluiniſtæ tria circa cæremoniarum inſtitutionem & vſum paradoxa impia. 130. 131

Amicitia antiqua inter Galliæ Eccleſias & Aſiæ, vnde orta. 1070
Ampulla olei, diuina ope ſuſcepti per ſanctam Genouefam: mirifica. 584
S. Anacletus fuit Athenienſis: & quid inde. 891
Anacletus Athenienſis Roman. Pont. acta S. Dionyſij ſuſcipit, & Athenas dirigit, 445. 501
Ananias Pontifex Hebræus. 1113
Anaſtaſius Bibliothecarius ſedis Apoſtolicæ Bibliothecam iuſſu Nicolai I. reſtaurat. 653
Anaſtaſius Bibliothecarius quàm ſtrenuè Areopagitam noſtrum defendit. à p. 653. ad 655
Andreas Rhodi Epiſcopus. 650
Andreas Quercetanus, vulgo *Du Cheſne* percelebris ſcriptor. 484. 809. 810
Andreas Du Val Sorbonæ decus præclarum. 1103
S. Andreas Achaiam Chriſto præſentabit in die iudicij. 1199
Andronicus ſenior Imper. 739. 740
Anfredus Nonantulanus Abbas. 363
Angeli quos mulier in Eccleſia vereri debet, ſunt Sacerdotes. 63. 69
Angeli aſſiſtunt quando Chriſtus immolatur. 65
Annales, antiqui Pariſienſes, S. Dionyſium Areopagitam Pariſienſis Eccleſiæ auctorem indubiè teſtantur. 561
Annales antiqui Pariſienſes quid de Dionyſio Areopagita tradant. 773
Annus quo ſcripſit Hilduinus ſua Areopagitica. 436
Annus Eccleſiaſticus pridem diuerſimodè inchoatus. 1031
Anni Conſulum, Imperatorum, Pontificum controuerſi. 310
Anni quot effluxerunt à nece Apoſtolorum ad Pontificatum Clementis. 886
Anni quot fluxeruut à morte S. Petri ad B. Clementis Pontificatum. 899
Anſegiſus Senonenſis Archiepiſcopus cur ſecundus Papa appellatus. 254
Anſelmus Leodienſis. 677
Anteros Papa Martyrum acta in ſcriniis recondidit. 499
Antilutherum quis ſcripſit. 758
Antiochiæ Petrus ſedit annos quinque, non ſeptem. 157
Antiphonarium ſancti Gregorij eiuſdem eſt germaniſſimum opus. 478
Antiquam Eccleſiarum originem patres magnifaciunt. 1074
Antiquitas index eſt ac vindex veritatis. 375
Antiquitatis in Eccleſia ſacroſancta eſt ac eſſe debet auctoritas. 1135
Antiquorum dicta Hilduinus ſecutus, ad eorum ſcripta lectores ſuos remittit. 370
Antoninus Pius. 902. 904
S. Antoninus commentum de Ioanne Papiſſa & dubiè retulit, & huic non aſſenſit. 1123
Antonius à Prato Cardinalis. 767
Apamea Græca ciuitas ſita eſt in Hellade. 424
Apocriſiarius Nicephori CP. Patriarchæ fuit ad Paſchalem II. Methodius. 435. 436
Apoſtolatus Gallici S. Dionyſij, Areopagitæ negatio, quanta affert incommoda, excitátque

ſcandala. 1139.& ſeqq.1182. & 1183
Apoſtolatum Hebræorum Petrus exequutus eſt immediatè poſt Chriſtum, inde ad gentes pertranſiit. 155.156
Apoſtolica ſedes toto orbe mirabilis. 439
Apoſtolicæ ſedis præcipua tutela Regi Chriſtianiſſimo competit. 33
Apoſtolicæ ſedis atteſtatio noſtrā de ſancto Dionyſio ſententiam vndequaque confirmat. à pag. 439.ad 507
Apoſtolicę veteres Eccleſiæ (demptâ Romanâ) primæ ſuæ ſucceſſionis ſeriem rectam oſtendere nequeunt. 1100.1101. in marg.
Apoſtolicam qui ſpernunt ſedem excommunicandi. 253
Apoſtolicos viros diſperſos narrat Euſebius. 429
Apoſtolus Franciæ, & Francorum Legiſlator S. Dionyſius à B. Ludouico appellatur. 637. & 736
Apoſtoli cæremonias ſacras in Eccleſiam inuexerunt, & quales præſertim. 133.134
Apoſtoli fuerūt Chriſti oues, quos cum agnis Petro commiſit. 167
Apoſtoli prædicauerunt vbique. 964
Apoſtoli omnes Doctores fuerūt gentium. 1178. in marg.
Apoſtoli gentes à ſe conuerſas in die iudicij Domino præſentabunt. 1198.1199
Apoſtolorum aſſeſſores fuerunt Hieroſolymitani Preſbyteri. 48
Apoſtolorum 12. Eccleſia dudum nominabatur Eccleſia quę nunc eſt S. Genouefæ. 569
Apoſtolorum diſcipuli, viri erant planè Apoſtolici. 952.953
Apoſtolorum prædicatio pari proceſſu in Galliis coruſcauit. 965
Apoſtolorum ſex corpora Toloſæ à Carolo Magno collocata. 969
Apparitio S. Dionyſij facta Stephano Papæ inſignis. 480
Aquileienſe ſchiſma vnde conflatum. 1010.1011
Aquiſgranenſe indictum à quo inſtitutum: & ſubinde tranſlatum Dionyſiopolim, 667
Ara Virgini pariturę, Carnuti à Druidis ſacrata: ſicut à Stoicis Athenis altare inſcriptum fuit ignoto Deo. 152
Aræ & cruces in crypta peruetcri Montis Martyrum. 799
Arabes fœminæ velant faciem & manus. 183. Ita & Iudeæ. *Ibid.*
Aralate baptiſterium à S. Dionyſio ſtatutum. 178. Item Pariſiis ab eodem. 179
Archicapellanus Ludouici Pij fuit Hilduinus Abbas. 405
Archidiaconus oculus Epiſcopi. 122
Archidiaconus diſpenſator pauperum. *Ibid.*
Archidiaconus dudum vnicus erat, qui nunc maior appellatur. 124
Archidiaconi origo, dignitas, officia. à p.117 ad 128
Archiepiſcopale nomen cum pallio tribuitur. 233.245.246
Archiepiſcopus qui ſedi renunciauit pallio ampliùs vti non poteſt. 270
Archiepiſcopus debet cum pallio ſepeliri, & cur. 277. 278. 279

Archiepiſcopus Athenarum fuit S. Dionyſius. 395
Archiepiſcopi nomen haud modernum in Gallia. 395
Archiepiſcopi qui S. Areopagitã Pariſiorum protomyſtam fatentur. 815
Arelatenſis primatus vnde ortus. 915
Arelatenſis Synodica. *Ibid.*
Arelatenſis Eccleſiæ priuilegium vetus. 916
Arelatenſis Eccleſiæ quàm priſca cunabula. 934. 935. 950
Arelatenſis prima Synodus. 1084
Areopagitæ titulus quo iure Pariſienſi Dionyſio tribuatur. 1164. 1165. 1166
Argumentum ductum ab æmulis ex Martyrologio dicto Vſuardi eſſe prorſus inane oſtenditur, à p. 1025. ad 1057
Argumentum ſumptum ex ſententia Ioannis Erygenæ diſcutitur. à p. 1057. ad 1073
Argumentum aduerſariorũ quod ex interpontificio veteri Eccleſiæ Pariſienſis ſibi ſuppetere aiunt, excutitur & refellitur. à p. 1074. ad 1106
Argumentum de cognomento Areopagitæ diſcutitur ac dirimitur. à p. 1160. ad 1172
Argumenta Hilduini quibus probat accuratè, Dionyſium Pariſienſem, eſſe ipſum Areopagitã Critici recentiores hactenus diſſimularunt: quin & ante illos nemo eſt qui ipſis Hilduini probationibus reſponderit. 371. 372. 373
Argumenta aduerſariorum tam noua quàm vetera diſſoluũtur. à pag. 825. ad 1184
Argutiæ Boſqueti quàm malè cõſonæ. 924. 925. 948. 949
Aribo Moguntinus Antiſtes. 680
Arietes gregis Domini ſunt paſtores. 1198. 1199
Ariſtarchus Grammaticus. 421
Ariſtarchus Poëta. *Ibid.*
Ariſtarchus Mathematicus. *Ibid.*
Ariſtarchus Etruſcus. *Ibid.*
Ariſtarchus Theſſalonicenſis S. Pauli ſectator. 422
Ariſtarchus Chriſti diſcipulus. *Ibid.*
Ariſtarchus Apameæ Epiſcopus. 423
Ariſtarchus Chronographus Græcorum, quis fuit & quo tempore vixerit. à p. 418. ad 425
Ariſtarchi noui quàm parum perſpicaces. 305. *& ſeqq.* 329. *&c.*
Ariſtarchi Græcorum Chronographi epiſtolam, in qua inſignia habentur de S. Dionyſio miſit ad Ludouicum Pium Hilduinus. 420
Ariſtides Athenienſis. 428
Ariſtides vnde accepit quæ de agone retulit ſancti Dionyſij Areopagitæ. 445. 501
Ariſtidis relatio vnde hauſta. 891. eius Apologia admodum celebris. 892
Ariſtotelis libros cur miſit ad Pipinum Regem Stephanus III. Papa. 627
Armandi Cardinalis Ducis de Richelieu præeminẽtiſſimi ſuſpicienda de ſancto Dionyſio ſententia. à pag. 789. ad 792
Arnaldiſtæ Schiſmatici. 710
Arnoldus Vvion. 810
Aſſertio Apoſtolatus S. Dionyſij

quam pia, religioſa, honeſta & vtilis. 1184
S. Athanaſius ante Epiſcopatum Archidiaconus erat. 126
Athenarum nomẽ ſuppreſſit Ado in ſignando Dionyſij Areopagitæ natali,& cur? 1007
Athenarum præconia. 1148 1149
Athenarum Lutetia Pariſiorum quomodo facta eſt ſoror ac ſocia. 1158. 1159
Athenis S. Dionyſius paſſus non ſignatur in Roſuueydi Martyrologio. 1007
Athenienſis Eccleſiæ ortus & prima ſucceſſio. 427
Athenienſium ad notitiam mitti extrema ſua acta voluit ſanctus Dionyſius. 443
Attalus acta Martyrum Lugd. & Vienn. ad Pium Papam detulit. 448
Atticus Alcides. 1155
Aubertus Miræus doctiſſ. ſcriptor. 1122
Auctores quàm obſcuri & incerti ſunt, qui fabulam Pſeudopapiſſæ ſcriptitant. 1119 1120. *& ſeqq.*
Auguſtinus alter, dictus Hugo Victorinus. 707
S. Auguſtinus Eccleſiæ ſuæ annis 40. præfuit. 1093
Auguſtodunenſis Eccleſia poſt Lugdunenſem prima eſt in Prouincia Lugdunenſi. 214
Aures Catholicæ, magiſterio Eccleſiæ obediunt. 139
Autiſſiodorenſis Chronici quis auctor. 717
Aymonij continuator. 1040

B.

S. BALSEMIVS Martyr, Pincerna cur dictus Domini, 18
Baptiſmus naſcente Eccleſia in obuiis quibuſque aquis datus & ſuſceptus. 176
Baptiſmus ſolemnis in die Paſchæ & Pentecoſtes. 79
Baptiſmus Sacramentum illuminationis. *ibid.*
Baptiſta Mantuanus, de S. Dionyſio Areopagita Galliæ Apoſtolo luculenta carmina cecinit. 343. 344. 755. 756.
Baptiſterium in ciuitate dudum vnicum, poſtea multiplicatum. 178
Baptiſterium olim dictum fuit illuminatorium. 181
Baptiſteria quando primùm erecta, à p. 176. ad 181
Baptiſteria Galliæ antiquiſſima, Arelatenſe, Pariſienſe, Ebredunenſe, Meldenſe, Remenſe, p. 178. ad vſque 181
Baronius Cardinalis Martialem Aquitaniæ Apoſtolum, Chriſti fuiſſe Diſcipulum aſtruit. 331.
Baronius deceptus eſt, in quo credidit periiſſe geſta S. Dionyſij à Methodio collecta, 654
Baronius Cardinalis quando & à quo creatus. 783. Quid cenſuit & docuit de S. Dionyſio. *ibid. & ſeqq.*
Baronius & Bellarminus Cardd. amicitiâ coniunctiſſimi, 787
Bartholomæi Epiſcopi Laudun. elogia. 700
S. Bartholomæi tranſlatio quando facta. 1036
S. Baſilij duplex Natalis more Græco ac Latino. 1002. & 1009.

& 1010.
Balleus hæreticus. 1062
Baſſo & Tuſco Coſſ. paſſos beatos Petrum & Paulum mendoſe ſignatum in Martyrologio Pratenſi. 1035
Beda errorem correxit leuem, 460
Beda Venerab. ſelectum Spiritus ſancti organum. 464.
Beda in Ephemeride diſertè Dionyſium Pauli Diſcipulum, Galliæ doctorem celebrat. 465
Bedæ Martyrologium tempore S. Bernardi, circa natalem S. Dionyſij adhuc incorruptum erat. 459. & 462. ac 463.
Bellarmini obiectiones aliquot contra S. Martialis Epiſtolas ſoluuntur. à p. 331. ad 341
Bellarmini de Sulpitio cenſura. 90
Benedictiones diuerſæ, eorúmque ritus. 53
Benedictiones Pontificales à ſancto Martiale inuectæ. 301. & *ſeqq.*
S. Benedicti Eccleſia à quo fundata Pariſiis. 562
Beneficia quæ Gallia percepit ex S. Dionyſij patrocinio. 1160
SS. Benignus, Andochius, & Tyrſus. 150
S. Bernardus, dalmaticam qua ornatus miniſtrauerat Eugenio III. ſacrificanti pro munere reliquit Parthenonæ montis Martyrum.
Berno Abbas Augenſis quid tradit de Miſſa S. Dionyſij. 475
Bethlehem noua. 292
Bethlehemitani Monaſterij in agro Senonenſi fundatio. 288. 289. 290
Bezæ ſcurrilitas & vulpina aſtutia. 1190. 1191
Bibliotheca Monaſterij S. Victoris. 582
Bibliotheca Floriacenſis. 934
Bibliotheca Thuana. 1016
Bibliotheca Pratenſis. 1029
Bibliothecæ Patriarchales antiquæ. 1054
Biſontinæ Eccleſiæ origo. 169
Biuarius refellitur. 522
Bonifacius IV. PP. 586
Bonifacij VIII. PP. & Philippij Pulchri Regis diſcordia. 1120
Bos æneus candens. 895
Bracteum geſtauit in capite S. Iacobus frater Domini. 191
Breuiarium Gotthicum, 531
Breuiarium S. Iſidori. 532
Breuiarium MSS. Sanctonenſe. 551
S. Brigitæ erga B. Dionyſium deuotio. 725
Briuatenſes Canonici & Comites. 959
Budæi æmulus fuit Eraſmus. 769

C

CÆLITES, ſibi eſſe aduerſos, Caluiniſtæ vel inuiti fatentur. 969. 970
Ceremonia quid. 130
Ceremoniæ ſacræ defenduntur contra Ameſium. à p. 128. ad 148
Cæremoniæ quæ ſunt immediatè cultus Dei, à ſolo Deo inſtitui poſſunt. 145
Cæremoniæ quæ diſponunt ad cultum Dei, vel ſunt eiuſdem adminicula ab Eccleſia licitè ac laudabiliter inſtitutæ ſunt, & ab Apoſtolo generaliter cõmendã-

tur. p. 145. 146. & ſeqq.
Cæremoniarum diſpoſitionem Eccleſiæ arbitrio Chriſtus reliquit. 142
Cæremoniarum ſacrarum multiplex vtilitas. 144. 147
Cæſar, abſolutè cùm nominatur, Iulius ipſo nomine deſignatur, 1171
Caius Iulius Ruffus Conſul. 1035
Calamus aureus ad hauſtum Dominici ſanguinis. 482
Caluinus falsò docuit vnum tantum preſbyterum habuiſſe olim poteſtatem abſoluendi. 103
Caluinus admittit ſine cæremoniis religionum non poſſe ſubſiſtere. 129
Caluiniſtæ S. Trinitatem non inuocant neque rogant Filium & Spiritum ſanctum. 1191. 1192
Calumnia inſignis Boſqueti retunditur. 1058. 1059
Cancellarius vrbis Romæ à Romanis, Cancellario Papæ dudum oppoſitus. 86
Cancellariorum ſacrorum fuerunt antiquitus tria præcipua officia. 75. 78
Cancellarij publici ne fiant Clerici prohibentur. 79
Cancellarij nomen vnde ductum. *ibid.*
Cancellarij Epiſcopales. 80
Cancellariorum Eccleſiaſticorum origo & munera. à 75 . ad 80
Capetius hiſtoricus. 966
Capicerij Eccleſiæ S. Stephani de Græcis dignitas antiqua. 564
Caput Eccleſiæ Gallicanæ fuit S. Dionyſius. 863
Cardinalis eminentiſſ. de Richelieu Apologeticum pro fide, 1193
Card. Perronius Euſebium Arianiſmi notat. 1195
Cardinalis Turnonius. 290
Cardinales ſacerdotes proprio in titulo, ex antiqua praxi Eccleſiæ ſunt Parœci. 48
Cardinales qui affirmatiuam de Dionyſio Areopagitâ ſententiam docent ac tuentur. 815
Carithena V. & M. 1018
Carnutenſe Lectionarium & Martyrologia antiqua. 524
Carolus magnus *Nomen Domini*, in numiſmatibus Francorum primus imprimi iuſſit. 50
Carolus Magnus Miſſalia fecit reformari & hagiologia, accurata recenſione. 398. 399
Carolus Magnus vltimum vale dicendo B. Dionyſio, Galliæ regnum illi commiſit. 401
Carolus Magnus S. Dionyſij Areopagitæ & ſociorum corpora in expeditione contra Saxones fecit pro auxilio præſenti deportari. 631
Carolus Magnus quando obiit. 1036
Carolus Magnus S. Dionyſij patrocinio ſe ingentia beneficia conſecutum proteſtatur. 636
Caroli Magni ingens deuotio erga S. Dionyſium, cui inſignia regia paulò ante mortem conſecrauit, vt Regni tutelari. 633
Carolus Caluus templum S. Dionyſij regno ſuo antepoſuit tam actu quam affectu. 667. 668
Caroli Calui quam ardens fuit in S. Dionyſium dilectio ac profuſa deuotio oſtenditur. à p. 661. ad 671
Caroli Calui mira erga templum S. Dionyſij affectio. 668

Caroli Calui corpus poſt ſeptennium à morte fuit diuino admonitu ex Vercellis tranſlatum ad Monaſterium S. Dionyſij in Francia. 670
Caroli Calui epitaphium. 670
Carolo Caluo vnde inſita vehemens affectio in memoriam & baſilicam S. Dionyſij. 667
Carolus IV. Imper. 723
Carolus IX. Rex Chriſtianiſſimus Philippo Regi Hiſpaniarũ corpus S. Eugenij Toletani dono dedit. 533. 534
Carolus Martellus. 1038
Caroli V. Regis deuotio erga ſanctum Dionyſium ſpecialiſſima. 743.
Caroli Sigonij cenſura de Seuero Sulpitio. 905
Caſſiodori faſti Conſulares. 936
Caſtra Cæcilia in Luſitania. 522
Catalogi Apoſtolorum & Epiſcoporum, non geſtis ſed nominibus conſtare ſolent. 1077
Catechumeni arcebantur ab Euchariſtia. 23
Catechumenis præerat Archidiaconus. 122
Cathedra Petri centrum Eccleſiaſticæ vnitatis. 1079
Cathedræ & tribunalia ſunt Epiſcopis à Deo conceſſa. 97
Cathedræ Petri Eccleſia incardinata eſt. 1079
Cathedraticæ multæ Eccleſiæ in Gallia à S. Dionyſio inſtitutæ ſunt. 403.404
Centenario comparatus paruus numerus, nihil eſt. 1129
Ceolfridus Abbas cuius diſcipulus fuit V. Beda. 468
Cephas, Martialis cognominabatur. 330
Cephas qui propriè dictus eſt, vnus fuit Petrus Apoſtolorum primus. 1173
Çephas duos Eccleſia non agnouit, abſolutè dictos. 1133
S. Cerannius Epiſcopus Pariſ. Martyrologium plenum conſcribere ſtuduit. 585
Ceruus tutus diuina ope inter canum impetus & latratus. 603
Chriſmatis Sacramentum à ſancto Dionyſio expoſitum, eſt ſanctum æquè ac ipſe baptiſmus. 1104
Chriſtianiſſimi nomen & primogeniti, vnde fluxit. 913
Chriſtiani, niſi Paſtoribus ſuis obediant fiunt infidelibus deteriores. 73
Chriſtus auctor ſingularis eſt omnium Sacramentorum. 26
Chriſtus Dominus cæremoniis vſus eſt. 131. 132
Chriſtus aquam vino immiſcuit in ſacro calice. 132
Chriſtus inſtituit Chriſmatis Sacramentum. 132
Chriſtus communicat S. Dionyſium, ante extremum eius agonem. 743. 746
Chriſti & B. Virginis Imagines à S. Luca depictæ nonnullæ memorantur. à p.149. ad 154
Chriſti paſſionis epocha. 310. 311
Chronicon Alexandrinum, 1008
Chronica Eccleſiaſtica pleraque ante Euſebij hiſtoriam percurrebant. 425
Chronici Chronicorũ farrago. 1119
Chronologia quàm ruditer & durè à Gregorio Turon. delineata. 927, 928. 929
Claudius Robertus. 808. *& ſeqq.*
Claues cur Stephanus Papa ſuper

altare Monaſt. ſancti Dionyſij reliquit cum pallio. 481
Clauus vnus ex dominicis à quo repoſitus Dionyſiopoli. 667
S. Clemens B. Dionyſio conceſſit Apoſtolatum ſuper gẽtem Occidentalem. 402
S. Clemens de colligendis Martyrum actis admodum fuit ſtudioſus. 442
S. Clemens humilitatis fuit ſtudioſiſſimus. 877
S. Clemens à B. Petro ordinatus. 878
S. Clemens cur primus Papa à S. Petro numeratur, à nonnullis veteribus. 722
Clemens II. longè remotus à primi ætate. 852
Clemens IV. 1099
SS. Clemens, Linus, Cletus Apoſtolorum quomodo ſimul ſucceſſores dicantur. 840. 879
S. Clementis recognitiones eiuſdẽ ætate corruptæ. 340
S. Clementis qui B. miſit Dionyſiũ abhinc Pariſiis, quàm facta ſit memoria inſignis. 487. 488
S. Clementis crypta Pariſiis. 487
S. Clemẽtis cultus Pariſiis priſcus ac celebris. 488
S. Clementis in crypta cur ſepulti quondam Epiſcopi Pariſienſes. 489
S. Clementis Eccleſiam Pariſiis Carolus Magnus ampliauit. 489
S. Clementis antiquam Eccleſiam Theologi Pariſ. annuali concurſu honorant. *Ibid.*
S. Clementis (nondum pontificatu ſuſcepto) magna fuit auctoritas. 879
S. Clementis Pontificatus certa eſt epocha, Apoſtolatus S. Dionyſij Areopagitæ. 1130. 1131
S. Clementis nomen eraſum ex quibuſdam Martyrologiis in natali S. Dionyſij, patet ſignatum in antiquioribus diptychis, 1015. 1016
Clementis & Dionyſij coniuncta memoria in peruetuſta epigraphe inſculpta cryptæ Montis Martyrum. 799. 800
S. Clementem B. Petro primum ſucceſſiſſe qui tradunt. 876. mediatè qui docent. *Ibid.*
Clericus Lemouicenſis petulans imperitúſque declamator in Synodo Lemouicenſi. 850. *& ſeqq.*
Cletus ſub Petro Apoſtolo fuit Corepiſcopus. 93. 172
Clodoueus Magnus Monaſterij Ferrariarum in tractu Vaſtinienſi inſtaurator. 289. *& ſeqq.*
Clodoueus II. baſilicę S. Dionyſij parem honorem deferri ſtatuit ei quem Conſtantinus Apoſtolorum Liminibus Romę voluit impendi. 615
Clodoueus regni ſedem Lutetiæ Pariſiorum conſtituit. 385
Clodouei Regis charta percelebris pro Monaſterio Bethlehemitico. 288. 291
Cluniacenſis Abbas olim propitium Archidiaconum habuit. 493
Clypiacenſis conuentus ſub Childerico II. p. 1094
Coadiutores Epiſcoporum vnde orti. 93. 94. 95
Codex vetus Canonum Gallicanę Eccleſiæ. 21
Codex paſſionalis Caſtrenſis Ec-

cleſiæ. 521.524
Codex Martyrum quo S. Gregorius vtebatur quantùm differt ab eo quod Roſuueydus edidit. 983.& ſeqq.
Cœleſtinus IV. 1099
Cognomenti reticentia, non inducit neceſſariò alterationem ſuppoſiti. 1169.& ſeqq.
Collatio Fonsbellaquenſis. 758
Collatio Pariſienſis. 1060
Collationis pallij litteræ Apoſtolicæ. 226.227
Colloquium Piſſiacenſe. 1189. 1190
Colonienſe exemplar Martyrologij, eſt incertæ notæ & fluxæ auctoritatis. 995.998.999
Columbæ volitantes ſuper porticum Eccleſiæ S. Dionyſij in Henrici M. conuerſione. 782
Cometis in ſigno libræ apparitio tempore Ludouici Pij. 407
Comprouinciales Epiſcopi ſunt ſui Metropolitæ ſuffraganei. 89
Concilium Lateranenſe ſub Innoc. III. 118
Concilium Remenſe ſub Nicolao II Papa. 1072
Concilia in mera quæſtione facti decipi poſſe. 1142
Concilia in dogmate ſtatuendo nec fallere, nec falli poſſunt. Ibid.
Concilia Areopagitam Lutetiæ protomyſtam docentia. 814
Concordia neceſſaria inter teſtes. 1130
Confeſſio ante Euchariſtiæ ſumptionem, quando & à quo & cur fuit inſtituta. p.22.& ſeqq.
Confeſſio Iſagoge ſacrificij Chriſtianâ quo inſtituta. 28
Conradus Abbas Vſpergenſis Areopagitam Dionyſium, Galliæ Apoſtolum luculenter prædicat. 721.722
Conſtantinopolitana Eccleſia origine inter Patriarchales poſtrema eſt. 1078 1079
Conſtantinus Imperat. excubitor factus baſilicæ Apoſtolorum. 454
Conſuetudines variæ ab Eccleſia in diuerſis gentibus tolerantur. 470
Conſuetudines diuerſæ citra fidem ab Eccleſia Catholica tolerantur. 10.3
Conteſſerationis cum ſede Apoſtolica Pallium ſymbolum eſt. 210. 211. 219
Controuerſia ſuper caput ſancti Dionyſij inter Monachos eius cœnobij & Capitulum Pariſienſe. 744
Conuentus Francorum ſub Pipino celebris in quo dignitas S. Dionyſij ætáſque Apoſtolica egregiè declarata fuit. 621
Cornelij Papæ conſtantia. 1081
Coronæ Apoſtolicæ veneratio, ſeu Petri primatus celebris facta à Paulo agnitio. 57. & ſeqq.
Coronam & ſceptrum Reges Imperium auſpicando è S. Dionyſij ſacrario ſuſcipiebant, ad illúdque moriendo remittebant. 697. 698
Corruptio textus actorum ſancti Dionyſij noua. 842. 843
Cratepolius textor Catalogi ſanctorum Germaniæ. 724
Creſcens vir Apoſtolicus bis in Martyrologio ſignatur. 1004. quaſi diuerſus, cùm ſit idem.

Creſcentem vnum ex 72. Chriſti diſcipulis fuiſſe tradunt Hippolytus & Dorotheus. 2
Creſcentem Pauli aſſeclam, ab eo in Galliam ablegatum, tradunt Patres tam Græci quàm Latini, ex ipſo Pauli teſtimonio, à p. 2. ad 8
Creta Centurbia. 37
Crux S. Stephani de Grecis à quo erecta primùm. 567
Crux pro ſede diœceſis. *Ibid.*
Crucis & nominis Chriſti inſcriptio in numiſmatibus, cur à Regibus Chriſtianiſſimus expreſſa. 50
Crucis ſignum ab Apoſtolis inſtitutum & frequentatum. 134
Crucis ſignum ſaxis diuinitus impreſſum. 290
Cruces palliis ſacris tam Græcorum quàm Latinorum Antiſtitum iam olim intextæ. 202. 206. 207
Crucem figere ius Epiſcopi diœceſani. 567
Crucem Domini Heraclius Perſis extorſit. 987
Critici nuperi quàm infauſtis auibus ludant, in antiqua traditione de Sanctorum geſtis exagitanda. 305. 306
Critici nuperi temeraria ſententia. 1140
Crypta S. Mariæ Campeſtris. 573
Crypta Montis Martyrum deſcripta. à p. 799. ad 801
Curatorum ſacerdotum quando ordo cœperit. 39. *& ſeqq.*
Criſpinianus. 1008
S. Cyprianus ſua auctoritate errorem Gregor. Turon. refellit. 934. 935
S. Cyriaci Monaſterium. 458. 785

D

DACICVM bellum. 893
Dagobertus liberatus à periculo damnationis ope S. Dionyſij. 604
Dagobertus templum ſuum Dionyſio Areopagitæ conſecrauit. 795
Dagoberti Regis teſtimonia de S. Dionyſio. à p. 596. ad 615
Dagoberti ætate certum erat S. Dionyſium Pariſ. Apoſtolorum temporibus claruiſſe. 601. 602
Dagoberti epitaphium. 615
Dagoberto apparet S. Dionyſius & ereptionem ac exaltationem ei pollicetur. 604
Damaria vxor S. Dionyſij. 741
Damaſus Papa confeſſionem in Miſſæ introitu inſtituit. 28
Danielis hebdomadæ. 310
Dauid ſepulchrum in Iudæa erat conſpicuum. 1114
Decipere & decipi quantum ab inuicem interſunt. 355
Decipere ſemper ſcelus eſt, quando cum proximi detrimento hoc fit. *Ibid.*
Decius & Gratus quando ſimul Coſſ. 851
Decius quando & vti interfectus fuit. 851
Decij Germanici cum fratre Conſulatus fictitius, 851. 852
Deus aſtipulator eſt veritatis Eccleſiaſticæ traditionis de Apoſtolatu S. Dionyſij Areopagitæ, 1138. 1139. 1143
Dei ore dedicata S. Dionyſij Baſi-

lica. 737. 739
Dei omnia, ignea ſunt. 1149
SS. Deigenitricis Eccleſia Pariſiis. 568
SS Deigenitricis&omnium Martyrum feſtiuitas. 1038
Dexter Chronicon ſuum S. Hieronymo nuncupauit. 402
Diaconium dictum altare. 116
Diaconus circumluſtrator & perſcrutator, quare dictus. 118
Diaconi ſtant ſedentibus Preſbyteris. 99. 101
Diaconi ſeptem ſtabant ad altare tempore ſacrificij ex Apoſtolorum inſtitutione. 111
Diaconi ſeptem Abbati Dionyſiano vt aſſiſtant ſacrificanti, quis PP. conceſſit. 482
Diaconij rurales. 112
Diaconi Regionarij. 113. 119
Diaconi Cardinales. *Ibid.*
Diaconi Palatini. 119. Baſilicarij. *Ibid.* Stationarij, Teſtimoniales. *Ibid.*
Diaconi quid ſunt in Eccleſia Dei. 114. & 162
Diaconi geſtare Epiſcopum prohibentur. 123
Diaconi reliquias Sanctorum ferre debent. 123
Diaconis quo iure competit calicem Domini diſpenſare. à p. 16. ad 22
Diaconorum officia. 17. & *ſeqq.*
Diaconorum antiqua officia. 111 112
Dies quibus vti pallio, Archiepiſcopo licèt. 261
Dignitates Eccleſiáſticas quàm impiè Ameſius inſectatur. 74
Diocletiani ferale edictum. 1083.
Diogilum, vicus. 533
S. Dionyſius, in Eccleſia viros à mulieribus per tabulatum interpoſitum ſegregauit. 67
S. Dionyſius inſcriptus in feretro *Archiepiſcopus* ob ſuſceptum Galliæ Apoſtolatum. 223
S. Dionyſius Areopagita Galliæ Apoſtolus &c. primus in ea fuit diuinorum officiorum ac myſteriorum rituum, dictator & interpres. 343. & 1184. & *ſeqq.* fuit Athenæi auriga ſenatus. 343. venit in Galliam ſæculo primo defluente ac ſecundo ineunte. *Ibid.*
S. Dionyſus pro veritate mortuus, glorificari per mendacium non indiget, aiebat veræ eius gloriæ aſſertor Hilduinus. 79
S. Dionyſius, lucifer matutinus Galliarum à Paſchaſio vocitatus. 390
S. Dionyſius quomodo præfationum Liturgicarum auctor dicitur. 471
S. Dionyſius quem nouum ritum in Miſſa initiauit. 473
S. Dionyſius antiquus & venerabilis Pater à S. Greg. appellatus. 476
S. Dionyſius Pariſienſis vt Pauli Apoſtoli diſcipulus perpetuo crederetur, quomodò Maiores prouiderunt. 486
S. Dionyſius Pariſienſis Miſſæ ſacrificium docuit. 561
SS. Dionyſius & ſocij ſunt perantiqui Patroni Galliæ. 602
S. Dionyſius Pariſ. cur magnus à Dagoberto vocitatus. 607. 608
S. Dionyſius Areopagita, cognomento Magni, communi Eccleſiæ more deſignatus. 607. 608
S. Dionyſius cur appellatus Archiepiſcopus & totius Galliæ

primas. 641
S. Dionyſius Francorum Legiſlator nuncupatus à S. Ludouico. 637
S. Dionyſius domat ignes: & cur. 683
Dionyſius Ionicus. 709
S. Dionyſius, Cantuarienſis Eccleſiæ Patronus. 733. 734
S. Dionyſius magnam patriæ ſuæ partem ad fidem conuertit. 746
S. Dionyſius inuiſit Hiſpaniam. 889
S. Dionyſius quo anno miſſus in Galliam. 896
S. Dionyſius paſſus eſt non ſub Traiano, ſed ſub perſecutione Trajani: vt id intelligi oporteat. 900
S. Dionyſius Libycus Martyr cum ſociis. 1042
S. Dionyſius ſæpè in ſuo templo apparuit. 1144
S. Dionyſius cur de Græcia in Galliam tranſmeauit. 1153. 1154
S. Dionyſius 12. ſpeciales ritus tradidit. 1188. 1189
S. Dionyſius hymnorum diuinorum librum contexuit. 1193
S. Dionyſius Galliam Chriſto præſentabit in die Iudicij. 1199
S. Dionyſij minorare famam, qui negant Apoſtolatum eius Gallicum, nituntur. 378
S. Dionyſij Areopagitæ frequēter Euſebius meminit. 426. 427
S. Dionyſij apparatus cæleſtis. 480
S. Dionyſij ſpatula cur in ſacrario S. Pauli Romæ collocata. 486
S. Dionyſij Areopagitæ cur libros miſit dono ad Pipinum Paulus I. PP. 490. 491. 492
S. Dionyſij reale pro Gallico ſuo Apoſtolatu teſtimonium indicatur & aſtruitur. à p. 561. ad 574
S. Dionyſij baſilica antiqua Burdegalis. 595
S. Dionyſii baſilicæ diuina dedicatio. 611. 612
S. Dioniſii quàm fortunatus fuerit Galliæ Apoſtolatus. 637
S. Dionyſii Eccleſiam cur voluit Carolus Magnus haberi *Gallicarum matricem*. 641
S. Dionyſii patrocinio quam certa ſpe confidebat Carolus Caluus. 668
S. Dionyſii fortitudo à B. Fulberto ſingulariter commēdata. 692
Dionyſij Corinthiorum Epiſcopi, corpus ab Innocentio III. datum Monaſterio S. Dionyſii in Francia. 719
S. Dionyſii apud Anglos gloria. 731. 732. *& ſeqq.*
Dionyſii vox memorabilis, patiente Domino. 753
S. Dionyſii caput truncatum deportantis, pictura à Molano contra Oecolampadium defenſa. 777
S. Dionyſii vita Venetiis ſeruata Græcè ſcripta, ipſum Areopagitam prodit. 794
S. Dionyſii Pariſiorum Protomyſtæ tituli triumphales. 804
S. Dionyſii ſub auſpiciis nata nominis Ieſu ſocietas, quantos progreſſus fecerit. 806
S. Dionyſii quam diſtenta Apoſtolica ſollicitudo. 889
S. Dionyſii tormenta diuerſa. 895
S. Dionyſii vnde duplex conſignatio in Adone proceſſit. à p. 1009. ad 1016
S. Dionyſii ſepulchrum apud Pa-

riſios tantùm, conſpicuus ac celebris eſt. 1111 1112
S. Dionyſij Areopagitæ Gallicum Apoſtolatum diuinus digitus obſignauit. 1138. 1139
S. Dionyſij Areopag. Gallicus Apoſtolatus approbatus eſt Domino cooperante & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis. 1138. 1139. 1140
S. Dionyſij è Græcia in Galliam tranſitio authenticis eſt teſtimoniis obfirmata. 1146
S. Dionyſij ad vrbem Pariſiorum acceſſus, ipſi vrbi & vniuerſæ Galliæ auſpicatiſſimus vt fuerit. 1158
S. Dionyſii Areopagitæ triplex corona. 1181
S. Dionyſii pia ad nuperos criticos expoſtulatio. à p. 1178. ad 1181
S. Dionyſij ſcriptorum excellentia, eiúſque ſapientiæ ſublimitas. 1187
S. Dionyſij ſcripta cur ita horreant heretici. 1194. *& ſeqq.*
S. Dionyſii Areopagitæ qui natiui ſunt filii. 1198
S. Dionyſio infeſtiſſimus eſt Boſquetus: qui eius gloriam vndequaque nititur deprimere. 1102
S. Dionyſium Areopagitã cum ſociis Lutetiæ martyrio conſummatum Menologium Græcorum diſertè tradit. 413
S. Dionyſium B. Gregorius Apoſtolis ferè æquiparauit. 477
S. Dionyſium poſt ſanctam Deigenitricem & Apoſtolos Carolus Caluus Imper. primum venerabatur. 661
S. Dionyſium miſſum à S. Clemente veteres magno conſenſu docent. 875
Dionyſium bis inuiſiſſe Romam nihil repugnat. 887
S. Dionyſium Areopagitam eundem eſſe cum Pariſienſi, quænam probant Martyrologia, 1022. 1023
Dionyſiorum duorum 3. Octobris natales concurrunt apud Græcos. 1042
Dionyſios duos Martyrologium ipſum quod dicitur vetus Romanum reipſa non diſtinguit. 1000. *& ſeqq.*
Diptycha Græcorum antiquiſſima eſſe probantur. 415. & 416
Diptycha ſacra, ethnicorum rabie deleta. 1083
Diſcipulorũ Chriſti diſperſio. 165
Diſparitas quanta ſit inter commentum de Ioanne Papiſſa fœmina, & hiſtoriam S. Dionyſij Areopagitæ oſtenditur. à pag. 1109. ad 1145
Diſtichum Erygenæ de S Dionyſio. 671
Diuiſio eſt origo deſtructionis. 1182
Dominæ noſtræ Campeſtris à quo initiata ſit Eccleſia. 562
Dominicale quid ſit. 68. 70
Dominicus à Ieſu. 810
Domitiani acta reſciſſa. 881
Druidis vnde indita Virginis parituræ prænotio. 152
Duo pallia ſimul non conceduntur. 273
S. Dynamius Antiſtes Engoliſmenſis. 1096. 1097

E

EBBO Heildeshemenſis Antiſtes ex Metrop. Remenſi. 406

Ebroas ſuper Ittonam. 709
S.Ebrulphi Monaſterium. 708
Ecbatana ciuitas Myſiæ. 529
Eccleſia in Sacerdotibus conſtat. 73
Eccleſia quomodo eſt caſtrorum acies ordinata. 71.72.73.74
Eccleſia Regnum Dei eſt. 70
Eccleſia Romana, in Petra exaltata eſt. 440
Eccleſia S. Dionyſij Areopagitæ. 713
Eccleſia non aliter canit & aliter credit. 1129
Eccleſiæ Dei conſuetudo ſacroſancta eſſe debet. 139
Eccleſiæ contra placita diſputare inſolentiſſimæ inſaniæ eſt. 951
Eccleſiam non poſſe cæremonias inſtituere abſque peccato, impiè docet Ameſius. 137. *& ſeqq.* vbi refutatur.
Eccleſiæ in Celtis antiquiſſimæ. 910
Eccleſiæ ſuos cenſus referentes audiendæ & credendæ. 387
Eccleſiarum conſuetudo ſeruanda, in vſu & geſtatione pallij. 271
Eccleſiarum quę in diuinis officiis traditionē de S. Dionyſio antiquam profitentur, inſigniorum indiculus. 396
Eccleſiarum generoſitas, vnde oſtenditur. 1074
Eccleſiarum præcipuarum origo, & ſucceſſio. 1078. 1079. 1080
Eccleſias omnes errâſſe, vox impia. 397
Edgardus Rex. 731
S.Eduuardus Rex. *Ibid.*
Eleuatio incruentæ hoſtiæ. 1193
Elias dictus Theſbites. 1171
S.Eligius tenſam S.Dionyſij iuſſu Dagoberti Regis fabricauit. 641
Emanuelis Comneni Nouell. 1018
S. Emeranni Monaſt. Ratiſpon. 685
Energumeni à ſumptione Euchariſtiæ prohibiti. 23
Epagatus Martyr quando laureatus. 929.930
Ephemeris Bedæ opus illius eſt genuinum. 465
Epheſi conuenit S. Ioannem B. Dionyſius. 881. & 883
S. Epiphanij teſtimonio aperto refragatur Boſquetus. 339
Epiſcopalium benedictionum vnde ortus ritus. 302
Epiſcopatus quondam erat ad Martyrium proxima diſpoſitio. 1081
Epiſcopatum qui deſiderat Martyrium deſiderat. *Ibid.*
Epiſcopus Preſbyteros ſolus ordinat. 42
Epiſcopus inter Preſbyteros in omnibus primatum tenet. 43
Epiſcopus ſolus ſedet, Preſbyteri conſident. 99.100.101
Epiſcopum proprium ex ſingulari priuilegio pridem habuit ſancti Dionyſij Monaſterium. 494
Epiſcopi ſententiæ quam hic liber tuetur protectores. 816
Epiſcopi (ne eorum nomen vileſcat) non ſunt in pagis minoribúſque oppidis conſtituendi, 38
Epiſcopi per ſingulas ciuitates, Preſbyteri per ſingulas Eccleſias conſtituendi ſunt. 42
Epiſcopi in vnaquaque ciuitate vnici erant Apoſtolorum tempore.

pore. 44
Epiſcopi qui ſedem non habebant olim in Conciliis ſubſignati. 94
Epiſcopi Græci omnes Pallium geſtant, vituperando more, turpique commercio. 197
Epiſcopi Galliarum erga ſedem Apoſtolicam fuerunt ſemper deuotiſſimi ac obſequentiſſimi. 253.254
Epiſcopi æquales ſunt omnes ratione ordinis. 255
Epiſcopi & proceres Francorum in conuentu ſub Pipino profitentur S. Dionyſium virum Apoſtolicum à B. Clemente fuiſſe miſſum. 621.628
Epiſcopi Franciæ noſtrum S. Dionyſium eſſe Pauli Apoſtoli diſcipulum, publico monimento, cum Roberto Rege profeſſi ſunt. 687
Epiſcoporum ordo quadripartitus eſt. 255
Epiſcoporum ordo ad originem recenſus, quid efficit. 1074
Epiſcopis non Metropolitis, indultum fuit quibuſdam pallium. 213
Epiſtola Ariſtarchi ad Oneſiphorum, quid de S. Dionyſio Areopagita continebat. 418
Epiſtola S. Dionyſij duodecima præter vndecim vulgatas, vbinam reperitur. 748.749
Epiſtola S. Dionyſij ad Apolophanem, à quo Latinè reddita. 896
Epiſtola in feſto S. Dionyſij Pariſienſis legitur vbique de Areopagita ex actis Apoſtolorum. 113. 135.
Epiſtolæ S. Martialis contra hæreſes, fidei ſuffragantur. 340.341
Eraſmus Budæo, falcem ſummiſit. 769
Eraſmi præclara contra Nouatores ſententia. 825
Ericus Monachus Antiſſiod. 671
Errore vulgi diffamata eſt fabula de Ioanne Papa muliere. 1117
Euangeliſtæ officium. 45
Euangelij inſignia ex Templo S. Dionyſij Reges ſumebant cum ſceptro & corona. 697.698
Eucharistiæ circa vſum nonnulla diſpoſuit S. Paulus. à p. 10. ad 26. *& ſeqq.*
Euchariſtiam porrigebat Diaconus abſente vel iubente Presbytero. 123
S. Eugenius Toletanus protomyſta erat Diſcipulus S. Dionyſij Areopagitæ. 531. 532. 535. 536
S. Eugenius B. Areopagitæ ſectator anteà fuit Apoſtolorum Diſcipulus. 539. 540
S. Eugenius poëtica facultate excultus fuit. 578
Eugenius III. conſecrat Eccleſiam montis Martyrum. 711
Eugenio III. ſacrificanti miniſtrârunt S. Bernard. & Petrus venerabilis. 711
Eugenius II. PP. 1060
S. Eugenij hymnus de B. Dionyſio. 576. 577
S. Eugenium aſſeclam ſuum S. Dionyſius in Hiſpaniam, Euangeliſtam miſit. 402
Eulogius Alexander Patriarcha. 982
Euſebius Cæſar. ſecutus eſt ſacros auctores qui ante ſe Chronica Eccleſiaſtica ſcripſerant. 425
Euſebius vnde hiſtoriam hauſit S. Dionyſij. 431

Euſebius ſuo in Martyrologio traditionem Eccleſiaſticam de Dionyſio Areopagita confirmat, & in hiſtoria etiam. à p. 425. ad 432
Euſebius Epiſcopus Dorylæi. 941
Euſebius cur de ſcriptis S. Dionyſij non meminit. 1195
S. Euſtachius Præfectus Equitum ſub Veſpaſiano. 893. Inde cum vxore & filiis Martyr nobilis. *ibid.*
S. Eutropius fuit B. Dionyſij Areopagitæ ſodalis. 542. *& ſeqq.*
S. Eutropius Perſa fuit. 551
S. Eutropius quotannis in Gallia prædicauit. 898. Quando primùm ſancto Dionyſio adhæſit. 899
S. Eutropij acta à Calixto II. nondum Pontifice Conſtantinopoli reperta. 446
S. Eutropij martyrium deſcripſit B. Dionyſius, & Athenas mitti curauit. 446
S. Eutropium à Clemente miſſum Gregorius Turonenſis diſertè ſcribit. 546
S. Euurtius Subdiaconus fuit Melciadis Papæ. 1103
Exceptio firmat ius in ceteris. 788
Excommunicandi ius habet Abbas ſancti Dionyſij. 685
Exemplaria vulgaria, Concilia patrum curabant, ſed recurrebant ad authentica primarum ſedium autographa. 1054
Exomologeſis ante Euchariſtiam præmittenda. 27
Explicatio myſteriorum pallij pontificalis ex eius forma & figura. 205. 206. 207.

F

FABIANVS PP. quid circa acta Martyrum colligenda ſtatuerit. 498
Fabula Papiſſæ Ioannis, ab aduerſariis in exemplum producta: accuratè excuſſa, & funditus euerſa. à p. 1106. vſque ad 1145
Fabulæ de Ioanne pſeudopapiſſa relatores, in omnibus ſibi inuicem contradicunt circumſtantiis, & reipſa. 1132. 1133
Falſitas inſtrumenti quomodo probatur. 857. 858
Fardulphus Abbas, gerulus S. Dionyſij Areopagitæ lipſanorum in caſtris Caroli Magni. 631
Faſciculus temporum. 1119
Faſti Siculi. 1008
Fertur. paſſim vſurpat Gregor. Turon. pro *refertur.* 977
Feſcenninus Præfectus. 527. 540
Feſcenninus Siſinius. 882
Feſcenninus Conſul cum Teberio. 894
Feſcenninus Conſul fuit ſub Hadriano; quo ſæuiente paſſus eſt Pariſiis S. Dionyſius Areopagita. 1044
Feſtum ſuſceptionis reliquiarum Pariſiis eſt duplex antiquum. 571
Fides maximè in teſtibus exigitur. 1117
Fides vt ſol ab Oriente in Occidentem defluxit. 1150
Fidei inſigne, pallium eſt. 207. 234. 236
Fidei Catholicæ quàm ingens theſaurus. 1097
Fide Oriente, claruiſſe S. Dionyſium Galliæ Apoſtolum credi-

dit Clodouęus filius Dagoberti. 616
Flauianus XIII. Epiſcopus Pariſ. 1091
Flodoardi de interpontificatu Remenſi præmonitio. 1084
Florus, Martyrologium poſt Bedam auxit. 1014
Flotimundus Raymundus fabulam de Ioanne pſeudopapiſſa doctiſſima lucubratione confutauit. 1115. 1125
Fœminæ Chriſtianæ ſyncerus ac genuinus apparatus. 65. 66
Fœminæ à viris in Apoſtolorum Eccleſia interiecto tabulato ſecretæ erant. 67
Fœminarum quadruplex velamen ex Apoſtolica diſciplina. 68
Fonds de S. Lin à Beſançon. 178
Forma noua dandi pallium à ſancta Sede præſcripta. 229. 230
Forma iuramenti pro pallio ſuſcipiendo. 230
Forma noua traditionis pallij. 231. 232
Formula petendi pallij. 216
Formulæ antiquæ tradendi pallij Pontificales. 225. 226
Fortunatus Pariſ. Clerum mirè collaudauit. 475
Fortunatus hymnos ſingularum feſtiuitatum compoſuit. 594
Fortunati hymnus de S. Dionyſio authenticus aſſertur & aſſeritur. à p. 591. ad 595
Fotinus à S. Clemente miſſus. 717
Fragmentum Epiſtolæ Ioannis Scoti ad Carolum Caluum. 1066. 1067
Francia Theutonica vox. 775
Franciſcus Belforeſtus. 633. & 809
Franciſcus Biuarius Chronici Lucij Dextri defenſor. 402
Franciſcus Boſquetus Prætor Narbonenſis auctor nuperus qui S. Dionyſij Areopagitæ Gallicum Apoſtolatum in omni ſua farragine hiſtoriarũ impugnat; ex profeſſo refellitur totâ noſtræ pro Hilduino Apologiæ ſerie. à p. 355. ad 1182
Franciſcus Boſquetus Epiſtolam Innocentij I. ad Decentium inſigni corruptela deprauauit. 552. 553
Franciſcus Boſquetus ſibi non ſtat, ſed frequenter repugnat. 921. 924. 925
Franciſcus Boſquetus incidit in foueam quam fecit. 945. & 961
Franciſci Boſqueti Eccleſiæ Gallicanæ traditiones priſcas ſugillantis, artes, ac methodi. 513. 514. 546. 547. 548
Franciſcus Gauduuinus auctor Commentarij de Præſulibus Angliæ. 1118
Franci quando primùm è Germania in Gallias eruperunt. 845
Franci quando Lutetiam Pariſiorum primùm ſubegerunt. 846
Francorum Regnum fundamentum eſt Imperij Chriſtiani. 347
Francorum pro Rege orantibus, quæ ſpiritualia ſtipendia à Pontificibus ſummis conceſſa. 35
Francorum antiquum priuilegium ex S. Dionyſij titulo. 401
Francorum à nomine degenerant qui S. Dionyſium Areopagitam non colunt, Franciæque Apoſtolum eſſe negant. 828. 829

Francorum antiquum priuilegium. 730. 735
Franco Rotom. Archiepiſcopus quid de S. Dionyſio cenſuit & docuit. 678
Fredegarius Scholaſticus. 480. 621
Fredegundis Regina. 866
Fredulphus Abbas S. Dionyſij. 436
B. Fulbertus Archiepiſcopo Turonenſi quid reſpondit ſuper defectu pallij, 248. 249
B. Fulbertus Epiſcoporum Galliæ generalis ſua ætate fuit magiſter: idémque feliciſſimus Roberti Regis præceptor. 325. quid ſenſit de S. Dionyſio. 689. 690. 691.
B. Fulberti Carnotenſis Epiſcopi elogia. 690. 691
Fuldenſe Monaſterium. 1027
Funccius Lutheranus auctoritatem Pontif. Rom. primis etiam ſæculis magnam fuiſſe agnoſcit. 440
Furaldus *Abbas Monaſterij ter beatiſſ. Dionyſij Areopagitæ in Leonis PP. & Caroli Magni* præſentia ſubſcriptus cern tur in Synodo Sueſſionenſi. 641

G

GALENI libri corrupti ipſo viuente. 1050
Gallia non alium Cæſarem habet quàm Regem. 32
Gallia aſilum Pont. Rom. 710
Gallia Græcis Galatia, & vnde. 775
Gallia Lugdunenſis ſeu Celtica quintuplex. 909
Galliç intima conteſtatio de identitate S. Dionyſij Pariſienſis Epiſcopi & Areopagitæ. à p. 382. ad 405
Galliæ decora non decet Gallum hominem minuere. 951
Galliam bis ingreſſus eſt S. Saturninus. 971. 972
Galliarum diuerſæ nationes iam olim Chriſto ſubditæ. 282. 913
Galliarum primus Sacerdos. 702. 776
Gallicam Eccleſiam miris efferebat laudibus S. Gregorius. 470.
Gallicana Eccleſia quàm arcto nexu Romanæ eſt deuincta. 943
Gallici moris Liturgiæ celebrandæ auctor fuit S. Dionyſius. 473. 474
Galli primitiæ ſunt Apoſtolatus S. Dionyſij in Domino. 1181
Galtherus Epiſcop. Camerac. S. Dionyſ. appellat *totius Franciæ Primatem.* 702.
Galtherus Epiſc. Laudun. 713
Galtherus Huntus abbreuiator Hiſtoriæ Scholaſticæ. 714
Gauſlenus Bituricenſis Archiepiſcopus pereruditus. 326
S. Gatianus miſſus fuit à S. Clemente. 717
S. Gatianus Dionyſij Areopagitæ ſynchronus ac ſymmyſta fuit. 955
S. Gatianus annis 50. ſedit Epiſcop. 1093
Gelaſius PP. Miſſale Pariſienſe S. Dionyſij paſſionem referens probauit. 474
Genebrardus Apologiam pro Origene fecit. 340
Genebrardus Græcorum Menologium Latinè edidit. 415
Genebrardus quid ſenſit & docuit de S. Dionyſio. 779. 780
Geneſius Presbyter S. Genoueſæ

ſpiritualis didaſcalus, ſcripſit eius vitam annis 18. poſt eius mortem. 580. 581
Geneſij antiqui Preſbyteri graue de S. Dionyſio Areopagita teſtimonium. à p. 580. ad 585.
Gennadij de Sulpitio elogium. 906
S. Genoueſa ædiculam ſuper tumulum B. Dionyſij fabricauit. 602
S. Genoueſa quando obiit. 1097
S. Genoueſæ antiqua fuit in monte Pariſ. Parœcia. 569
S. Genoueſæ ſuaſu Pariſiis Eccleſiam Apoſtolorum Clodouæus erexit. 1089
S. Genoueſæ bina tranſlatio. 1037. 1038
S. Genoueſam velo ſacro inſigniui Villicus Epiſcopus. 1095
Gentes omnes in Chriſtum crediderunt. 912
Gentilium populus figuratus in Lazaro vlceribus pleno, qui de micis menſæ diuitis ſaturari cupiebat. 1150. 1151
S. Genulphi acta quàm antiqua & authentica. 938. 939. 957
S. Gerardus Abbas Bronienſis. 537
Germaniæ ceruicoſitas. 845
Germaniæ illuminationi inſtuduit S. Dionyſius. 889
Germanicus Cæſar. 851
S. Germanus Autiſſ. in Britanniam maiorem quando profectus eſt. 1097
Gerſon Doctor Chriſtianiſſimus. 743
Gloria in Excelſis Deo, carmen Angelicum, ab Angelis in Gallia quando & vbi recitatum. 289
Gotthi quando Gallias inuaſerunt 322
Grecia poſt Apoſtolos maius Dionyſio iubar non aſpexit. 409
Græcia Galliæ in Chriſto pædagoga. 1150. 1151
Græci primum ſchiſma in Eccleſia excitarunt. 425
Græci vnde hauſerunt, Martyrij S. Dionyſij, acti Lutetiæ notitiam. 444. 445
Græci Gallos conſanguinitate ſpirituali complectuntur, docet Gerſon. p. 745
Græci quid in ſuis Menæis de S. Dionyſio teſtentur. 413. & 768
Græci Areopagitam Lutetiæ occubuiſſe teſtantur. 1112
Græcorum antiquiſſima de Dionyſio Areopagita in Gallia laureato, perſuaſio fuit. 418
Græcorum cognomentum cur indidit Stephanus III. PP. Monaſterio quod Romæ fundauit. 485. & 574
Græcorum adſtipulatio in afferenda traditione de Dionyſio Areopagita Pariſiis laureato, magnum pondus habet. 458
Græcos tempore Ludouici pij ſuppetias à Gallis petiiſſe, Boſquetus haud bene ſomniauit. 361. & ſeqq. & 1057.
Gregorius XIII. Martyrologium Rom. ad autographa recenſeri accuratè fecit. 456
S. Gregorius Liturgiæ Pariſienſis ſeriem approbauit. 474
S. Gregorius vnum Pariſienſem Dionyſium cum Areopagita eſſe, in antiphonario ſuo clariſſimè inſinuauit. 476
Gregorius Turonenſis memoria lapſus eſt in relatione de ſociis

S. Saturnini, eiúſque ac illorum ætate. 774
Gregorius XIII. Pontif. SS. & ſapientiſſ. 1024
Gregorius IV. quando Pontificatum iniit. 1039
Gregorij Turon. pia excuſatio. 976
Gregorius Turon. minimè attentus fuit aut accuratus Chronologus. 927. 928
Gregorij Turonenſis tandiù verſata de S. Dionyſio ſententia ad iuris ſummos apices expenditur: indéq; ſtructum argumentum planè diſſoluitur. à p. 920. ad 980
Gregorij Turon. ſimplicitas tribus conſpicuis exemplis indicata. 974. 975
Gregorij teſtimonium contra technas Boſqueti defenditur. 547. 548. 549. *& ſeqq.*
Gregorij libros gloſſematibus aſperſos Boſquetus ad effugium captandum ſupponit. 548
Gregorium tum laudat, tum arguit ac damnat Boſquetus. 923. 924. 926
Guillelmus Comes Burgundiæ. 446

H

HADRIANVS Athenienſibus multa erogauit. 892
Hadriani aduerſus Chriſtianos ſæuitia. 895
Hadriani in perſecutione, reuera paſſus eſt ſanctus Dionyſius. 900. 901
Hadriani perſecutio, cur à quibuſdam non commemoretur. 900
Hadrianum adoptauit Tiberius, 901
Hæreditas pallij. 189
Hæreſis definitio. 383
Hæreſes inde ortum habent quod Petri primatus denegatur. 59
Hæretici cur Papam ita dirè inſectentur. 57. 58. 59
Hæretici tripudiant, dum Catholici inter ſe digladiantur. 305. 306. 307
Hæreticorum omnium, inſitum ſemper fuit præcordiis, odium ſedis Apoſtolicæ & Pontificis Romani. 57
Hæreticis inconſultè nonnulli noui critici opitulantur, dum contra Catholicos de leuioribus hiſtoriæ periodis, ardentiori zelo confligunt. 328. 329
Hagiologium Corbolienſe. 403
Hagiologia Victorina MSS. 521. & 580. 581. *& ſeqq.*
Hagiomachi Caluiniſtæ quã Galliæ funeſti. 293
Halitcarius Cameracenſis Epiſc. 363
Harigeri Lobienſis Abbatis de Hilduino, eiúſque Areopagiticis ſententia. 678. *& ſeqq.*
Hebræi ante Chriſti Incarnationem in Gallia degentes, Gallis parituræ Virginis arcanum prodiderunt. 153
Helinandus hiſtoricus. 720
Hemericus prior Sandionyſianus. 719
Henricus I. Rex conuocat regni proceres ad diſcutiendam S. Dionyſij vel poſſeſſionem, vel tranſlationem. 725
Henricus II. Imp. 723. 725
Hẽricus de Muleto Abbas S. Dionyſij. 530
Henricus Abbas S. Dionyſij Areopagitæ. 718

Henricus Stephanus raræ eruditionis Typographus. 759
Henrici Magni eximia pietas erga S. Dionyſium Galliæ Apoſtolum. 780.781
Henricus præſes. 849
Hercoldus vir primatius. 533
Heribertus Roſuueydus, meritò claræ eſt memoriæ. 983
Heriberti Roſuueydi Martyrologium dictum vetus expenditur, & fucatum oſtenditur apertiſſimè, à p. 981. ad 1021
Hermiæ Græci hiſtorici teſtimonium à Græcis non admiſſum in Concilio Florentino. 652
Heſperiis S. Dionyſius prædicauit. 890
Hierarchia S. Dionyſij illæſa ab igne diuinitus ſeruata. 683
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ pulchra diſpoſitio. 457
Hierarchiam S. Dionyſij vertit in ſtylum Latinum Anaſtaſius Bibliot. 653
Hieremias Patriarcha CP. 417. 1194
S. Hieronymus Damaſi Papæ Cācellarius fuit, ſeu Protoſcriniarius. 77
Hieronymus Bignonius Regis in Senatu Galliarum primarius Aduocatus. 809
S. Hieronymi auctoritas contra Boſquetum. 558
S. Hierotheus, Hymnos Deo cecinit amatorios. 1193
S. Hilarius gladio Spiritus ſancti vnitatem Eccleſiæ defendebat. 692
Hildebaldus Metrop. Colonienſis. 529
Hilduinus quando Græciam inuiſit. 405.406
Hilduinus quo fine Græciam perluſtrauit. 377.378
Hilduinus, ab irato Ludouico Imperat. relegatus in Saxoniam poſtea honorificè reuocatur. 405.406.407
Hilduinus multa prætermiſit, ex quibus ampliora ſumere potuit patrocinia. 560
Hilduinus alia Areopagitica ſcripſit carminē, nondum excuſa. 761
Hilduini elogia à Trithemio attributa. 760
Hilduini Areopagitica vt patenti veritati conſona, fuerunt mox ac prodierunt, ſine vlla hæſitatione ſuſcepta. 377
Hilduini elogia, à viris antiquis illuſtribus pronunciata. 380
Hilduini opuſcula tā edita quàm inedita. 761.762
Hincmarus Remenſ. Archiepiſc. quod ſenſerit & ſcripſerit de ſancto Dionyſio Areopagita. 657. ad 661
Hirſaugienſis Monaſterij encæniis interfuit Hilduinus. 406
Hiſtorici & Chronologi Græci ac Latini, qui ſententiam quam tuemur tradunt atque defendunt. 817.818.819
Honeſtus S. Saturnini diſcipulus bonus dictus. 967
Honoris & oneris ſimul pallium eſt inſigne. 275
Huebertus adminiſtrator Epiſcopij Meldenſis. 658
Hugo Rex Monaſterij S. Dionyſij diſciplinam per S. Odilonem reparauit. 693
Hugo à S. Victore Saxo fuit. 707. Idem Gallicum Dionyſium Areopagitam aſſeruit. 708

Hugo à S. Victore explanauit S. Dionyſij cœleſtem Hierarchiam. 708
Hugo Abbas Dionyſianus. 685
Hugo Menardus doctiſſimus aſceta Pratenſis. 1026
Humilitas ſplendidior gemma in ornatu Pontificis. 87
Humilitatis ſtudium in ſummis Pontificibus. *Ibid.*
Humbertus Card. Berengarij debellator. 823
Hunnica incurſio faſtos Epiſcopales Eccleſiarum Galliæ diripuit. 1084
Hymnus de S. Eugenio ex breuiario S. Iſidori. 532
Hymnus Fortunati de S. Dionyſio. 592. 593
Hymnos ſingularum feſtiuitatum texuit Fortunatus. 594
Hymnus S. Eugenij Tolet. de B. Dionyſio Areopag. 576. 577
Hymni ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis vſitati. 577 578

I

IACOBVS Faber Stapulenſis Theologus Pariſienſis quibus titulis celebris. 765
Iacobus Galtherus in tabulis Areopagitam Dionyſium, Pariſienſem eundem eſſe conſignat. 797. 798
Iacobus Alphæi apud Græcos eſt die 9. Octob. celebris. 1018
Iacobus Dubletius. 810
S. Iacobi minoris brachium. 667
Ianitor piſcatoris vt factus eſt Magnus Conſtantinus. 444
Iatini Meldorum in Chriſto cunabula. 443
Iatinum Meldorum Normani diripuerunt. 658
Icciodorenſis Abbatia. 959
Idiota Catholicus, præſtat docto ac faceto hæretico. 823
S. Ignatius Societatis Ieſu Patriarcha. 865. 866. 867
Imaginum Saluatoris & beatiſſ. eius genitricis, quis inuentor. 149
Inchadus Epiſcopus Pariſ. 474
Indictum (Gallicè *Landict*, melius, *l'Indict*) à quo fuit Dionyſiopoli ſtatutum. 667
Ingelramnus Comes Ambianenſis. 866
Initium fidei à ſede Apoſtolica Eccleſiæ acceperunt. 193
Innocentius I. PP. acta S. Dionyſij probauit Liturgiæ Pariſ. inſuta. 474
Innocentij III. cur anniuerſarium fit quotannis in Templo S. Dionyſij. 719
Inſtrumentum qui producit, ipſum contra ſe productum reſpuere non poteſt. 1046
Interpontificia vnde orta. 1080
Interpontificia initio naſcentis Eccleſiæ frequentia ſatis erant. 1082
Interpontificia in Eccleſia Romana aliquando contigerunt diuturna. 1099
Interulæ Virginis Deiparæ collocatio facta in eius baſilica Carnut. à Carolo Caluo. 665. 666
Inuentio inſignium reliquiarum in Eccleſia S. Stephani de Græcis. 570
Ioachinus Alexand. Patriarcha. 941
Ioannes XI. PP. perpetuum pallij vſum Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſit. 194. 198

Ioannes

Ioannes I. Epiſc. Pariſ. in ſedis huius tabulis eſt omiſſus. 1094
Ioannes Rex impensè coluit S. Dionyſij memoriam. 742
Ioannes Druſius. 906
Ioannes Apoſt. vt cognominatus. 1171
Ioannes Picart Victorinus aſceta doctiſſ. 585
Ioannes Feleatius Iuriſconſultus. 905
Ioannes Sariſberienſis. 1071
Ioannes Saracenus cur nouam tranſlationem operum ſancti Dionyſij aggreſſus eſt. 1072. 1073
Ioãnes Fuccius Lutheranus Magdeburgenſes perſtringit. 184
Ioannes Palæologus Imp. 1142
Ioannes Pariſienſis Dominicanus. 1120
Ioannis Apoſtoli & ſenioris conficta geminatio. 1174. 1175
Ioannes Scotus Erygena cur à pueris necatus. 1072
Ioannes Erygena quo tempore claruit. 1061. 1062. An Bedæ fuerit diſcipulus. *Ibid.* damnatus fuit eius liber in Concil. Vercellenſi. 1062. 1072. ſemina hæreſis dedit Berengario. *Ibid.* Etiam dum adhuc viuebat ſuſpectus fuit de fide apud ſedem Apoſtolicã. 1061. 1071. librum eius de naturæ diuiſione Florus refutauit. 1071
Ioannis Erygenæ verſio operum S. Dionyſij, non bene fuit accepta. 412
Ioannis Scoti verſio Hierarchiæ S. Dionyſij ob tranſlatoris perditã famam diu iacuit in Gallia, ſepulta. 1071
Ioannis Scoti deprauata à Boſqueto & in aduerſum inflexa ſenſum epiſtola. 1067. 1068
Ioannis Scoti Erygenæ exuſtus fuit liber de Euchariſtia in Conc. Remenſi. 1072 Iterúmque damnatus in Vercellenſi. *ibid.*
Ioãnem Erygenam Scotum Boſquetus inſignem Gallum exiſtimat. 1060. 1064
Ioannis Molani laus profecta à Baronio. 778
S. Ionas Presbyter, idem qui & Ionius. 520. *& ſeqq.*
Iordanus Epiſcopus Lemouicenſis. 327
Ioſeph Patriarcha CP. 1142
S. Irenæus quando coronatus. 929. 930
S. Irenæi ætas, dignitas, auctoritas. 910. 911
S. Irenæi tituli ac præconia. 952
S. Irenæum hominem Dei S. Auguſtinus appellabat. 909
Ittona fluuius. 709
Iudæi peſtiferos homines per totum orbem tranſmiſerunt è Hieroſolymis, qui Apoſtolorum prædicationi contradicerent. 280. 281
Iudæi Iconienſes. 964
Iudicium integrum quale ſit. 1167
Iudicia ſæcularia Epiſcopis prohibita. 95. 96
Iudoci Clicthouei præclaram habuit exiſtimationem Cardinalis Perronius. 738
S. Iuliani nomen in actis S. Dionyſij non legitur, nec vice verſa. 870. 871
Iuliani Toletani Chronicon. 972
Iulio II. ſacros faſtos dedicauit Baptiſta Mantuanus. 756. 757

Iuramentum cur & quo iure exigit Romanus Pōtifex à Metropolitis. 218.219
Iuridica poteſtas ad Epiſcopos ſpectat. 99.100
Iuriſdictio Epiſcopi interna & externa. 97.98.& ſeqq.
Iuriſperiti inter Hebræos & Proto-Chriſtianos. 107
Iuriſperiti Ciuiles ſententiæ noſtræ Patroni. 819
Iuſſio Regis, ſacra abſolutè etiam à Patribus vocitatur. 350
Iuſtus Viennenſis Epiſcopus. 448

K

KALENDARIVM ſimplex, eſt abbreuiatum Martyrologium. 988
Kalendarium defunctorum. 1040
Kalendarium S. Prudentij Epiſcopi Trecenſis. 1023
Kalendaria Hebræorum, Græcorum, Syrorum, & Latinorum. 415
Kalēdaria quæ Genebrardus vulgauit. 988

L

LAMINAM Pontificalem geſtauit in fronte S. Ioannes Apoſt. 191
S. Landericus priuilegium inſigne Monaſterio S. Dionyſij contulit. 616.673.684
Linea veſte vtebatur S. Iacobus dictus frater Domini. 191
Lana ex qua pallia ſacra contexūtur, vnde ſumitur, 200
Lantfrancus, antagoniſta Berengarij, quomodo eum exarmat ac profligat. 823
Lapides adiutorij ſunt Eccleſiæ principantes. 1054
Lateranenſis Eccleſiæ priuilegia baſilicæ S. Dionyſij communicata. 496
Laudis pallium, pro ſpiritu mœroris. 279
S. Laurentius. 849.850.851
S Laurentij craticula. 667
S. Laurētij vera Martyrij epocha. 975
S. Laurentium fuiſſe S. R E. protoſcriniarium, ſeu Cancellarium qui tradant? 84
Laurentius Bochellius. 1018
Lectionaria, Carnotenſe. 524. & Rotomagenſe. 528
Lemouicenſis Eccleſia eſt antiqua inter ſeniores Galliæ. 313
Leo III. PP. quando ad Carolum M. acceſſit. 641.642
Leo III. PP. 495
S. Leo IX. Pont. Max. Areopagitam eſſe Dionyſium Pariſ. & agnouit & docuit. 685.686
S. Leonis IX. ſignum Papale. 685
Leodienſis Synodus acta probauit S. Eugenij, diſcipuli S. Dionyſij, & quid inde colligere eſt. 677.& ſeqq.
Leontius Epiſcopus inſtaurator baſilicæ S. Eutropij à Fortunato laudatus. 543.544
Leontius Archiepiſcopus Burdegal. 595
Leonardus Leſſius. 807
Lethaldus Monachus auctor vitæ ſancti Iuliani. 868. 869.& ſeqq.
Leuitarū tribus, ordo, diſtinctio, officia. 109
Leuitis poſſeſſiones datæ. 907
Leuthaldus Monachus quàm feſtiuus ſit irridens nouos criti-

cos. 515
Lex ſupplicationis, apud veteres, eſt apud nos Canon Liturgicus. 12. *& ſeqq.*
Lex Moſaica typus fuit Euangelicæ. 108
Legem credendi vt ſtatuat lex ſupplicandi. 13
Liber iuſtorum fuit apud priſcos Hebræos. 185
Liber iuſtorum apud Hebræos. 475
Liber Hilduini debet cuiuis docto placere. 795
Libri Hierarchiæ S. Dionyſij cum 10. eius epiſtolis Conſtantinopoli Pariſios ſolenniter delati, & à Deo miraculis 19. in illorum ſuſceptione clarificati. 365. 366. 367
Limina Apoſtolorum cur Epiſcopi præfixis temporibus inuiſebant. 61
Limina ſancti Dionyſij. 496
Linus fuit Domini diſcipulus ex 70. 163
Linus Petri Apoſtoli coadiutor in ſede Romana fuit. 91. 172
Linus quomodo Pauli fuit ſectator & Petri Vicarius, à p. 161. ad 168
Linus quandò à B. Petro miſſus in Galliam. 170. 171. *& ſeqq.*
Liparis inſula. 1037
Lipſij cenſura de Ioannis Papæ fœminæ autumatione. 1125
Lippomanus Epiſcopus Veronenſis excellentiſſimus ſcriptor hiſtoriæ Sanctorum, nefas eſſe maximum, dubitare de identitate Dionyſij Areopagitæ cum Pariſ. pronunciauit. 771
Litorius ſucceſſor ſancti Martini. 1080
Litteræ Ludouici Cardinalis à Borbonio Archiepiſcopi Senonenſis declaratoriæ, ſuper extraordinario pallij vſu. 267
Locrius. 861
Loculi Sanctorum ſignabantur. 602
Lotharius primus Imper. 725
Lucas Euangeliſta S. Pauli fuit ſcriba & aſſecla. 76
S. Lucas imagines Chriſti & ſanctiſſimæ eius matris Mariæ primus depinxit. 149. *& ſeqq.*
S. Lucas B. Pauli indiuiduus comes. 580
B. Lucianus Martyr Euchariſtiæ quotidianus immolator. 301
Lucius Fonteius Capito Conſul. 103
Ludouicus Pius Hilduino per imperiale mandatum iuſſit Areopagitica contexere. 352. 357
Ludouicus Pius libros S. Dionyſij authenticos è Græcia mitti ad ſe curauit. 364
Ludouicus Pius qua impulſus cauſa Hilduino, vt ſcriberet Areopagitica mandauit. 408. 409
Ludouicus Pius aſſerit ſanctum Dionyſium inſigni Apoſtolatu Gallias fortunaſſe. 646
Ludouicus Pius ſe & maiores ſuos immenſa beneficia ope ſancti Dionyſij obtinuiſſe profitetur. 352. 646
Ludouici Pij reſtitutio, quando facta eſt. 360
Ludouicus Cardinalis à Borbonio, Abbas S. Dionyſii. 267
Ludouicus Rex VII. brachium S. Eugenij Alphonſo Caſtell.

Regi conceſſit. 534
Ludouicus Craſſus voluit abdicato regno monachatum in cœnobio ſancti Dionyſij profiteri. 699
S. Ludouicus quàm magnificè S. Dionyſium honorificauerit, à p.733. ad 739
Ludouicus Seruinus pro auitis traditionibus orat in Senatu. 556.557
S. Ludouici Regis, & Cleri Galliæ litterarum inſignis ad Cardinales tenor, ſede vacante. 401
Ludouici Iuſti Galliarum Auguſti nomine XIII. pietas ſuſpicienda. 663 783
Ludouico VII. Hugo à S. Victore dicauit ſuam explanationem Hierarchiæ S. Dionyſij. 708
Lupus Ferrariarum Abbas. 294 379
Lutheranos & alios Nouatores Græci ſolenni reſponſo damnauerunt. 767
Lutetia ante aduentum S. Dionyſij magis quàm ceteræ Galliæ ciuitates ſpurcitiis Idololatriæ inquinata erat. 746
Lutetia meliùs Dionyſia à Dionyſio, quàm Lutetia vel Pariſius denominaretur. 765
Lutetia centrum Gallici Apoſtolatus. 888
Lutetiæ Pariſiorum priſca nobilitas, & aucta ſubinde gloria. 1156. 1157
Lutetiæ conuerſio & Galliæ illuminatio opus dignum erat S. Dionyſij Areopagitæ. 1159
Lutetiam prædicat beatam Syncellus ob S. Dionyſij Martyrium & ſepulchrum. 433
Lutetiam Germanorum ciuitatem quàm ridiculè faciant deprauata acta S. Dionyſij à Boſqueto producta. 845

M

Macarivs cognominatus eſt Dionyſius Areopagita ſpecialis Regni Regúmque Francorum defenſor, ex Græcorum ac Latinorum vſu. 365
Maccolus Presbyter laudatiſſimus. 297
Machinis tribus ſanctus Dionyſius Galliam Chriſto ſubiugauit. 437
S. Macra Virgo & Martyr. 989. 990
Magdeburgenſes impiè irrident S. Linum, ipſi ridiculoſiſſimi. 184.185
Magnus Dionyſius Areopagita. 609.610.687.717
Magni titulo Eccleſia S. Dionyſium honorauit. 747
Magni epithetum S. Dionyſio Areopag. tributum. 607. 608.609
S. Mariolo cùm legeret hierarchiā S. Dionyſij quid acciderit. 681.682
Maiores cauſæ ſedi Apoſt. reſeruantur. 503
S. Malachias pallium vt peteret Romam venit. 247
Mallo III. Epiſc. Pariſ. compendiosè depictus. 1088
Malmundarium Monaſt. 529. 989.992.994
Manus communicando velare iniunctum erat fœminis in primitiua Eccleſia. 70

Manu, Eua mortem viro ſuo ſibique conciuit. *Ibid.*
Manu nuda non licebat mulieri S. Euchariſtiam ſuſcipere. 69
MSS. Codd. Boſquetus quos optimæ notæ nuncupat, nullius ſunt notæ. 832. 833. 859
Mappa mundi. 933
Marcaſius Lacus in quem proiectum fuit corpus S. Eugenij. 533
Marcellina cum filiis in Gallias profecta ad Chriſti regnum promouendum. 849
S. Marcelli Eccleſia primùm dicta fuit S. Clementis, & cur. 487. 488
S. Marcelli 9. Epiſcop. Pariſ. res geſtæ compendio deſcriptæ. 1090. 1091
Marcianus Arelat. Epiſcop. factus ſectarius Nouatiani. 935
Marcus 5. Epiſcopus Pariſ. breui effigie expreſſus. 1088. 1089
Marcus Euangeliſta fuit S. Petri Amanuenſis. 76
Marci Baſilica. 1089
S. Marci reliquiæ. *Ibid.*
Margarita Venerabilis Regina vxor S. Ludouici. 739
S. Mariæ Virginis effigies inſignes à S. Luca efformatæ. 150. 151
S. Mariæ Deigenitricis linea ſubucula Conſtantinopoli tranſlata in Galliam, apud Carnutum quando & à quo repoſita. 665. 666
Marianus Scotus nihil ſcripſit de fabula Papiſſæ Ioannis. 1122. 1123
Marianus Scotus quando claruit. 1121. Nihil de Papiſſa Ioanna ſuis in ſcriptis commeminit. *Ibid.*
S. Martianus Epiſcopus Terdon. 945
S. Martialis ex Oriente venit. 1150
S. Martialis fuit ſemper inſignis inter Apoſtolos Galliæ. 315
Martialis, Cephas fuit ſubnominatus. 330
S. Martialis quid de Trinitate docuit. 337
S. Martialis hiſtoriam, omnes Catholici iamdudum probauerunt, quam ſuſurrones contra Patrum ſtatuta clanculum corrodebant. 327
S. Martialis exiſtentia contra Molineum ex inſtituto defenditur. à p. 303. ad 324.
S. Martialis Eccleſia perantiqua Pariſiis. 314
S. Martialis memoria apud maiores fuit percelebris, & frequens fuit ad eius limina concurſus. 313
S. Martialem fuiſſe virum Apoſtolicum ex 72. diſcipulis 5. Concilia & Apoſtolica ſedes definierunt. 316. 317
Martiales duos fuiſſe ſubindicare videtur Cardinalis Bellarminus. 338
Martinus Epiſcopus Viennenſis diſcipulus Apoſtolorum. 1005
Martinus Kemnitius Lutheranus. 1072
Martinus Delrio. 807
Martinus Polonus dubius videtur in fabulæ de Ioanna Papiſſa recitatione. 1124. 1131
Martinus Polonus qualis ſcriptor & teſtis. 1121. 1123. 1124
S. Martini pietas à Fulberto prædicata. 692
Martyr fictitius à ſancto Martino

propalatur. 1144
Martyres Gallici, Polycarpo coætanei. 911
Martyrum corrupta acta, canonibus proſcripta. 398.855.857
Martyrum agones recitari in Miſſa ordinauit ſanctus Dionyſius. 472.473
Martyrum paſſionis ſacellum ab Eugenio III. quando dedicatum. 713
Martyrium Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ peractum ſole ipſo lucidius eſt. 1110.1111.1112
Martyrij ſui acta ſcribi & Romam tranſmitti præcepit diſcipulis ſuis ſanctus Dionyſius. 445
Martyria vt probaret mandauit Iuſto Viennenſi Epiſcopo Pius primus Pontif. *450
Martyrologium Romanum editum à Baronio, & ante eum à Galeſinio. 455.456.457
Martyrologium vetus Romanum Romæ aſſeruatum, vnum tantum Dionyſium tam Pariſienſem quàm Athenienſem conſignat. 458
Martyrologium peruetuſtum Bedæ vnum notat Dionyſium Athenarum & Pariſiorum Antiſtitem. *Ibid.*
Martyrologium vetus Corbeienſe. 880
Martyrologium Pariſienſe, typis adhuc recentibus impreſſum. 1033
Martyrologium Rotomag. vetus. 526
Martyrologium Monaſterij Foſſatenſis. 395.518
Martyrologium Oriẽtalium. 416
Martyrologium Bedæ antiquiſſ. 785
Martyrologium Pariſienſ. MSS. 1050
Martyrologium Lingonenſe Vltraiectenſe, Leodienſe. 1050. 1051
Martyrologium Pratenſe dictum Vſuardi quàm corruptũ. 1039. 1040. 1045
Martyrologium de quo ſcribit S. Gregorius omnino aliud eſt à veteri dicto, à Roſuueydo edito. 983.984.985. *& ſeqq.*
Martyrologium Pratenſe ab æmulis productum ipſis eſt plerumque aduerſum. 1047 1048
Martyrologium Leodienſe MSS. 518
Martyrologium Notkeri editum. *Ibid.*
Martyrologium citat ſuum paſſim Euſebius, & ad illud ex hiſtoria ſua remittit. 490
Martyrologium Romanæ Eccleſiæ, non eſt Martyrologium Vſuardi. 1055.1056
Martyrologij Adonis diſquiſitio, à p.1009 ad 1015
Martyrologij textum primitiuum quidam nuperi nomenclatores alterârunt. 1016
Martyrologij Aquileienſis corruptio ex ſchiſmate prodiit. 1011
Martyrologij conſcribendi ritus Apoſtolicus. 53.54.55.56
Martyrologio Græcorum vetuſtiſſimo ab Euſebio Cæſarienſi conſcripto nixus, Areopagitam aſſeruit Dionyſium Pariſ. Hilduinus. 410.411
Martyrologia Carnutenſis Eccleſiæ vetera. 524

Martyrologia, bis eundem cœlitem ex diuerſis rationibus, haud infrequẽter conſignant. 1000. 1001. 1002. 1003
Martyrologia propria Eccleſiæ ſingulæ pridem habuere, quorum nonnulla ſuppetunt exemplaria. 1050
Maſſus IV. Pariſiorum Pontifex propriis characteribus expreſſus. 1088
Matthæus Paris, non Pareſienſis. 729
Matthæus Gallenus Vveſtcapellius. 761
Matthæus Vveſtmonaſterienſis. 528. 1065
Maurinus Martyr. 993
Mauri formidabili incurſu Siciliam inuaſerunt. 362
Maximianus truculẽtiſſimus Auguſtus. 858
Mediolanenſis Eccleſia Græcos ritus auctore S. Ambroſio mutuauit. 1011. 1012
Mediolanenſes diu à ſedis Apoſtolicæ obedientia deſciuerunt. 1013
Mendacij infirmitas. 507
Menologium Græcorum quid habet de Dionyſio Areopagita. 413
Menologij Græcorum ſynceritas. 414
Menſæ benedictionis ritus Chriſtianus, vnde ortus. 51. 52
Metaphraſtes vitas Sanctorum non tam conſcripſit quàm collegit. 651
S. Methodius CP. Patriarcha res geſtas S. Dionyſij eleganter, ac accuratè deſcripſit ex antiquis monimentis. 434. 435
SS. Methodius & Michael Syncellus Cõſtantino Copronyno cur exoſi? 259
SS. Methodius & Michael Syncellus, quando ſcripſerunt S. Dionyſij res geſtas. 361
SS. Methodius & Syncellus ante Hilduinum Areopagitica ſcripſerunt. 435
Metropolitis Gallis à ſummis Pontificibus indultum iampridem fuiſſe pallium exemplis probatur. 221. 222
Metropolitani apud Græcos ab Archiepiſcopis diſcernuntur. 255
Meulantum ad Sequanam. 529
B. Michael Syncellus encomium ſcripſit luculentum S. Dionyſij Areopagitæ Pariſiis coronati. 432
Michaël CP. Imp. legationem cur miſit ad Ludouicum Pium cum S. Dionyſij libris. 362. 363
Miniſtri Caluiniſtæ ab Alcide Gallico præpotenti dextera profligati. 790. 791
Miraculis Deus veritatem plerumq; indicat, at falſitatẽ numquam confirmat. 1138. 1143. 1144
Miſſæ ſtudioſus fuit S. Dionyſius. 772. 773
Miſſæ ritus à S. Dionyſio deſcripti. 1188
Miſſam dixit Pariſiis S. Dionyſ. 561. 568.
Miſſam quotidie Apoſtoli & viri Apoſtolici celebrabant. 300. 301. 302
Miſſales præfationes quot ſunt canonicæ. 473
Molanus Oecolampadium fulminat. 777. 778
Molani pietas & doctrina. 1056

S. Sanctini, eiúſque ac illorum ætate. 774
Gregorius XIII. Pontif. SS. & ſapientiſſ. 1024
Gregorius IV. quando Pontificatum iniit. 1039
Gregorij Turon. pia excuſatio. 976
Gregorius Turon. minimè attentus fuit aut accuratus Chronologus. 927. 928
Gregorij Turonenſis tandiù verſata de S. Dionyſio ſententia ad iuris ſummos apices expenditur: indéq; ſtructum argumentum planè diſſoluitur. à p. 920. ad 980
Gregorij Turon. ſimplicitas tribus conſpicuis exemplis indicata. 974. 975
Gregorij teſtimonium contra technas Boſqueti defenditur. 547. 548. 549. *& ſeqq.*
Gregorij libros gloſſematibus aſperſos Boſquetus ad effugium captandum ſupponit. 548
Gregorium tum laudat, tum arguit ac damnat Boſquetus. 923. 924. 926
Guillelmus Comes Burgundiæ. 446

H

HADRIANVS Athenienſibus multa erogauit. 892
Hadriani aduerſus Chriſtianos ſæuitia. 895
Hadriani in perſecutione, reuera paſſus eſt ſanctus Dionyſius. 900. 901
Hadriani perſecutio, cur à quibuſdam non commemoretur. 900
Hadrianum adoptauit Tiberius, 901
Hæreditas pallij. 189
Hæreſis definitio. 383
Hæreſes inde ortum habent quod Petri primatus denegatur. 19
Hæretici cur Papam ita dirè inſectentur. 57. 58. 59
Hæretici tripudiant, dum Catholici inter ſe digladiantur. 305. 306. 307
Hæreticorum omnium, inſitum ſemper fuit præcordiis, odium ſedis Apoſtolicæ & Pontificis Romani. 57
Hæreticis inconſultè nonnulli noui critici opitulantur, dum contra Catholicos de leuioribus hiſtoriæ periodis, ardentiori zelo confligunt. 328. 329
Hagiologium Corbolienſe. 403
Hagiologia Victorina MSS. 521. & 580. 581. *& ſeqq.*
Hagiomachi Caluiniſtæ quã Galliæ funeſti. 293
Halitcarius Cameracenſis Epiſc. 363
Harigeri Lobienſis Abbatis de Hilduino, eiúſque Areopagiticis ſententia. 678. *& ſeqq.*
Hebræi ante Chriſti Incarnationem in Gallia degentes, Gallis pariturae Virginis arcanum prodiderunt. 153
Helinandus hiſtoricus. 720
Hemericus prior Sandionyſianus. 719
Henricus I. Rex conuocat regni proceres ad diſcutiendam S. Dionyſij vel poſſeſſionem, vel tranſlationem. 725
Henricus II. Imp. 723. 725
Hẽricus de Muleto Abbas S. Dionyſij. 530
Henricus Abbas S. Dionyſij Areopagitæ. 718

Henricus Stephanus raræ eruditionis Typographus. 759
Henrici Magni eximia pietas erga S. Dionyſium Galliæ Apoſtolum. 780.781
Henricus præſes. 849
Hercoldus vir primarius. 533
Heribertus Roſuueydus, meritò claræ eſt memoriæ. 983
Heriberti Roſuueydi Martyrologium dictum vetus expenditur, & fucatum oſtenditur apertiſſimè, à p.981.ad 1021
Hermiæ Græci hiſtorici teſtimonium à Græcis non admiſſum in Concilio Florentino. 652
Heſperiis S. Dionyſius prædicauit. 890
Hierarchia S. Dionyſij illæſa ab igne diuinitus ſeruata. 683
Hierarchiæ Eccleſiaſticæ pulchra diſpoſitio. 457
Hierarchiam S. Dionyſij vertit in ſtylum Latinum Anaſtaſius Biblioth. 653
Hieremias Patriarcha CP. 417.1194
S. Hieronymus Damaſi Papæ Cãcellarius fuit, ſeu Protoſcriniarius. 77
Hieronymus Bignonius Regis in Senatu Galliarum primarius Aduocatus. 809
S. Hieronymi auctoritas contra Boſquetum. 558
S. Hierotheus, Hymnos Deo cecinit amatorios. 1193
S. Hilarius gladio Spiritus ſancti vnitatem Eccleſiæ defendebat. 692
Hildebaldus Metrop. Colonienſis. 529
Hilduinus quando Græciam inuiſit. 405.406
Hilduinus quo fine Græciam perluſtrauit. 377.378
Hilduinus, ab irato Ludouico Imperat. relegatus in Saxoniam poſteà honorificè reuocatur. 405.406.407
Hilduinus multa prætermiſit, ex quibus ampliora ſumere potuit patrocinia. 560
Hilduinus alia Areopagitica ſcripſit carmine, nondum excuſa. 761
Hilduini elogia à Trithemio attributa. 760
Hilduini Areopagitica vt patenti veritati conſona, fuerunt mox ac prodierunt, ſine vlla hæſitatione ſuſcepta. 377
Hilduini elogia, à viris antiquis illuſtribus pronunciata. 380
Hilduini opuſcula tã edita quàm inedita. 761.762
Hincmarus Remenſ. Archiepiſc. quod ſenſerit & ſcripſerit de ſancto Dionyſio Areopagita. 657. ad 661
Hirſaugienſis Monaſterij encæniis interfuit Hilduinus. 406
Hiſtorici & Chronologi Græci ac Latini, qui ſententiam quam tuemur tradunt atque defendunt. 817.818.819
Honeſtus S. Saturnini diſcipulus bonus dictus. 967
Honoris & oneris ſimul pallium eſt inſigne. 275
Huebertus adminiſtrator Epiſcopij Meldenſis. 658
Hugo Rex Monaſterij S. Dionyſij diſciplinam per S. Odilonem reparauit. 693
Hugo à S. Victore Saxo fuit. 707. Idem Gallicum Dionyſium Areopagitam aſſeruit. 708

Hugo à S. Victore explanauit S. Dionyſij cœleſtem Hierarchiam. 708
Hugo Abbas Dionyſianus. 685
Hugo Menardus doctiſſimus aſceta Pratenſis. 1026
Humilitas ſplendidior gemma in ornatu Pontificis. 87
Humilitatis ſtudium in ſummis Pontificibus. *Ibid.*
Humbertus Card. Berengarij debellator. 823
Hunnica incurſio faſtos Epiſcopales Eccleſiarum Galliæ diripuit. 1084
Hymnus de S. Eugenio ex breuiario S. Iſidori. 532
Hymnus Fortunati de S. Dionyſio. 592.595
Hymnos ſingularum feſtiuitatum texuit Fortunatus. 594
Hymnus S. Eugenij Tolet. de B. Dionyſio Areopag. 576.577
Hymni ab Apoſtolis & viris Apoſtolicis vſitati. 577 578

I

IACOBVS Faber Stapulenſis Theologus Pariſienſis quibus titulis celebris. 765
Iacobus Galtherus in tabulis Areopagitam Dionyſium, Pariſienſem eundem eſſe conſignat. 797.798
Iacobus Alphæi apud Græcos eſt die 9. Octob. celebris. 1018
Iacobus Dubletius. 810
S. Iacobi minoris brachium. 667
Ianitor piſcatoris vt factus eſt Magnus Conſtantinus. 444
Iatini Meldorum in Chriſto cunabula. 443
Iatinum Meldorum Normani dirripuerunt. 658
Icciodorenſis Abbatia. 959
Idiota Catholicus, præſtat docto ac faceto hæretico. 823
S. Ignatius Societatis Ieſu Patriarcha. 865. 866. 867
Imaginum Saluatoris & beatiſſ. eius genitricis, quis inuentor. 149
Inchadus Epiſcopus Pariſ. 474
Indictum (Gallicè *Landict*, melius, *l'Indict*) à quo fuit Dionyſiopoli ſtatutum. 667
Ingelramnus Comes Ambianenſis. 866
Initium fidei à ſede Apoſtolica Eccleſiæ acceperunt. 193
Innocentius I. PP. acta S. Dionyſij probauit Liturgiæ Pariſ. inſuta. 474
Innocentij III. cur anniuerſarium fit quotannis in Templo S. Dionyſij. 719
Inſtrumentum qui producit, ipſum contra ſe productum reſpuere non poteſt. 1046
Interpontificia vnde orta. 1080
Interpontificia initio naſcentis Eccleſiæ frequentia ſatis erant. 1082
Interpontificia in Eccleſia Romana aliquando contigerunt diuturna. 1099
Interulæ Virginis Deiparæ collocatio facta in eius baſilica Carnut. à Carolo Caluo. 665. 666
Inuentio inſignium reliquiarum in Eccleſia S. Stephani de Græcis. 570
Ioachinus Alexand. Patriarcha. 941
Ioannes XI. PP. perpetuum pallij vſum Patriarchæ Conſtantinopolitano conceſſit. 194.198

Ioannes

Ioannes I. Epiſc. Pariſ. in ſedis huius tabulis eſt omiſſus. 1094
Ioannes Rex impensè coluit S. Dionyſij memoriam. 742
Ioannes Druſius. 906
Ioannes Apoſt. vt cognominatus. 1171
Ioannes Picart Victorinus aſceta doctiſſ. 585
Ioannes Feleatius Iuriſconſultus. 905
Ioannes Sariſberienſis. 1071
Ioannes Saracenus cur nouam tranſlationem operum ſancti Dionyſij aggreſſus eſt. 1072. 1073
Ioãnes Fuccius Lutheranus Magdeburgenſes perſtringit. 184
Ioannes Palæologus Imp. 1142
Ioannes Pariſienſis Dominicanus. 1120
Ioannis Apoſtoli & ſenioris conficta geminatio. 1174. 1175
Ioannes Scotus Erygena cur à pueris necatus. 1072
Ioannes Erygena quo tempore claruit. 1061. 1062. An Bedæ fuerit diſcipulus. *Ibid.* damnatus fuit eius liber in Concil. Vercellenſi. 1062. 1072. ſemina hæreſis dedit Berengario. *Ibid.* Etiam dum adhuc viuebat ſuſpectus fuit de fide apud ſedem Apoſtolicã. 1061. 1071. librum eius de naturæ diuiſione Florus refutauit. 1071
Ioannis Erygenæ verſio operum S. Dionyſij, non bene fuit accepta. 412
Ioannis Scoti verſio Hierarchiæ S. Dionyſij ob tranſlatoris perditã famam diu iacuit in Gallia, ſepulta. 1071
Ioannis Scoti deprauata à Boſqueto & in aduerſum inflexa ſenſum epiſtola. 1067. 1068
Ioannis Scoti Erygenæ exuſtus fuit liber de Euchariſtia in Conc. Remenſi. 1072 Iterúmque damnatus in Vercellenſi. *ibid.*
Ioãnem Erygenam Scotum Boſquetus inſignem Gallum exiſtimat. 1060. 1064
Ioannis Molani laus profecta à Baronio. 778
S. Ionas Presbyter, idem qui & Ionius. 520. *& ſeqq.*
Iordanus Epiſcopus Lemouicenſis. 327
Ioſeph Patriarcha CP. 1142
S. Irenæus quando coronatus. 929. 930
S. Irenæi ætas, dignitas, & auctoritas. 910. 911
S. Irenæi tituli ac præconia. 952
S. Irenæum hominem Dei S. Auguſtinus appellabat. 909
Ittona fluuius. 709
Iudæi peſtiferos homines per totum orbem tranſmiſerunt è Hieroſolymis, qui Apoſtolorum prædicationi contradicerent. 280. 281
Iudæi Iconienſes. 964
Iudicium integrum quale ſit. 1167
Iudicia ſæcularia Epiſcopis prohibita. 95. 96
Iudoci Clicthouei præclaram habuit exiſtimationem Cardinalis Perronius. 738
S. Iuliani nomen in actis S. Dionyſij non legitur, nec vice verſa. 870. 871
Iuliani Toletani Chronicon. 972
Iulio II. ſacros faſtos dedicauit Baptiſta Mantuanus. 756. 757

Iuramentum cur & quo iure exigit Romanus Pōtifex à Metropolitis. 218.219
Iuridica poteſtas ad Epiſcopos ſpectat. 99.100
Iuriſdictio Epiſcopi interna & externa. 97.98.& ſeqq.
Iuriſperiti inter Hebræos & Proto-Chriſtianos. 107
Iuriſperiti Ciuiles ſententiæ noſtræ Patroni. 819
Iuſſio Regis, ſacra abſolutè etiam à Patribus vocitatur. 350
Iuſtus Viennenſis Epiſcopus. 448

K

KALENDARIVM ſimplex, eſt abbreuiatum Martyrologium. 988
Kalendarium defunctorum. 1040
Kalendarium S. Prudentij Epiſcopi Trecenſis. 1023
Kalendaria Hebræorum, Græcorum, Syrorum, & Latinorum. 415
Kalēdaria quæ Genebrardus vulgauit. 988

L

LAMINAM Pontificalem geſtauit in fronte S. Ioannes Apoſt. 191
S. Landericus priuilegium inſigne Monaſterio S. Dionyſij contulit. 616.673.684
Linea veſte vtebatur S. Iacobus dictus frater Domini. 191
Lana ex qua pallia ſacra contexūtur, vnde ſumitur, 200
Lantfrancus, antagoniſta Berengarij, quomodo eum exarmat ac profligat. 823
Lapides adiutorij ſunt Eccleſiæ principantes. 1054
Lateranenſis Eccleſiæ priuilegia baſilicæ S. Dionyſij communicata. 496
Laudis pallium, pro ſpiritu mœroris. 279
S. Laurentius. 849.850.851
S Laurentij craticula. 667
S. Laurētij vera Martyrij epocha. 975
S. Laurentium fuiſſe S. R E. protoſcriniarium, ſeu Cancellarium qui tradant? 84
Laurentius Bochellius. 1018
Lectionaria, Carnotenſe. 524. & Rotomagenſe. 528
Lemouicenſis Eccleſia eſt antiqua inter ſeniores Galliæ. 313
Leo III. PP. quando ad Carolum M. acceſſit. 641.642
Leo III. PP. 495
S. Leo IX. Pont. Max. Areopagitam eſſe Dionyſium Pariſ. & agnouit & docuit. 685.686
S. Leonis IX. ſignum Papale. 685
Leodienſis Synodus acta probauit S. Eugenij, diſcipuli S. Dionyſij, & quid inde colligere eſt. 677.& ſeqq.
Leontius Epiſcopus inſtaurator baſilicæ S. Eutropij à Fortunato laudatus. 543.544
Leontius Archiepiſcopus Burdegal. 595
Leonardus Leſſius. 807
Lethaldus Monachus auctor vitæ ſancti Iuliani. 868. 869.& ſeqq.
Leuitarū tribus, ordo, diſtinctio, officia. 109
Leuitis poſſeſſiones datæ. 907
Leuthaldus Monachus quàm feſtiuus ſit irridens nouos criti-

cos. 515
Lex ſupplicationis, apud veteres, eſt apud nos Canon Liturgicus. 12. *& ſeqq.*
Lex Moſaica typus fuit Euangelicæ. 108
Legem credendi vt ſtatuat lex ſupplicandi. 13
Liber iuſtorum fuit apud priſcos Hebræos. 185
Liber iuſtorum apud Hebræos. 475
Liber Hilduini debet cuiuis docto placere. 795
Libri Hierarchiæ S. Dionyſij cum 10. eius epiſtolis Conſtantinopoli Pariſios ſolenniter delati, & à Deo miraculis 19. in illorum ſuſceptione clarificati. 365. 366. 367
Limina Apoſtolorum cur Epiſcopi præfixis temporibus inuiſebant. 61
Limina ſancti Dionyſij. 496
Linus fuit Domini diſcipulus ex 70. 163
Linus Petri Apoſtoli coadiutor in ſede Romana fuit. 92. 172
Linus quomodo Pauli fuit ſectator & Petri Vicarius, à p. 161. ad 168
Linus quandò à B. Petro miſſus in Galliam. 170. 171. *& ſeqq.*
Liparis inſula. 1037
Lipſij cenſura de Ioannis Papæ fœminæ autumatione. 1125
Lippomanus Epiſcopus Veronenſis excellentiſſimus ſcriptor hiſtoriæ Sanctorum, nefas eſſe maximum, dubitare de identitate Dionyſij Areopagitæ cum Pariſ. pronunciauit. 771
Litorius ſucceſſor ſancti Martini. 1080
Litteræ Ludouici Cardinalis à Borbonio Archiepiſcopi Senonenſis declaratoriç, ſuper extraordinario pallij vſu. 267
Locrius. 862
Loculi Sanctorum ſignabantur. 602
Lotharius primus Imper. 725
Lucas Euangeliſta S. Pauli fuit ſcriba & aſſecla. 76
S. Lucas imagines Chriſti & ſanctiſſimæ eius matris Mariæ primus depinxit. 149. *& ſeqq.*
S. Lucas B. Pauli indiuiduus comes. 580
B. Lucianus Martyr Euchariſtiæ quotidianus immolator. 301
Lucius Fonteius Capito Conſul. 103
Ludouicus Pius Hilduino per imperiale mandatum iuſſit Areopagitica contexere. 352. 357
Ludouicus Pius libros S. Dionyſij authenticos è Græcia mitti ad ſe curauit. 364
Ludouicus Pius qua impulſus cauſa Hilduino, vt ſcriberet Areopagitica mandauit. 408. 409
Ludouicus Pius aſſerit ſanctum Dionyſium inſigni Apoſtolatu Gallias fortunâſſe. 646
Ludouicus Pius ſe & maiores ſuos immenſa beneficia ope ſancti Dionyſij obtinuiſſe profitetur. 351. 646
Ludouici Pij reſtitutio, quando facta eſt. 360
Ludouicus Cardinalis à Borbonio, Abbas S. Dionyſii. 267
Ludouicus Rex VII. brachium S. Eugenij Alphonſo Caſtell.

Regi conceſſit. 534

Ludouicus Craſſus voluit abdicato regno monachatum in cœnobio ſancti Dionyſij profiteri. 699

S. Ludouicus quàm magnificè S. Dionyſium honorificauerit, à p. 733. ad 739

Ludouicus Seruinus pro auitis traditionibus orat in Senatu. 556. 557

S. Ludouici Regis, & Cleri Galliæ litterarum inſignis ad Cardinales tenor, ſede vacante. 401

Ludouici Iuſti Galliarum Auguſti nomine XIII. pietas ſuſpicienda. 663 783

Ludouico VII. Hugo à S. Victore dicauit ſuam explanationem Hierarchiæ S. Dionyſij. 708

Lupus Ferrariarum Abbas. 294 379

Lutheranos & alios Nouatores Græci ſolenni reſponſo damnauerunt. 767

Lutetia ante aduentum S. Dionyſij magis quàm ceteræ Galliæ ciuitates ſpurcitiis Idololatriæ inquinata erat. 746

Lutetia meliùs Dionyſia à Dionyſio, quàm Lutetia vel Pariſius denominaretur. 765

Lutetia centrum Gallici Apoſtolatus. 888

Lutetiæ Pariſiorum priſca nobilitas, & aucta ſubinde gloria. 1156. 1157

Lutetiæ conuerſio & Galliæ illuminatio opus dignum erat S. Dionyſij Areopagitæ. 1159

Lutetiam prædicat beatam Syncellus ob S. Dionyſij Martyrium & ſepulchrum. 433

Lutetiam Germanorum ciuitatem quàm ridiculè faciant deprauata acta S. Dionyſij à Boſqueto producta. 845

M

Macarivs cognominatus eſt Dionyſius Areopagita ſpecialis Regni Regúmque Francorum defenſor, ex Græcorum ac Latinorum vſu. 365

Maccolus Presbyter laudatiſſimus. 297

Machinis tribus ſanctus Dionyſius Galliam Chriſto ſubiugauit. 437

S. Macra Virgo & Martyr. 989. 990

Magdeburgenſes impiè irrident S. Linum, ipſi ridiculoſiſſimi. 184. 185

Magnus Dionyſius Areopagita. 609. 610. 687. 717

Magni titulo Eccleſia S. Dionyſium honorauit. 747

Magni epithetum S. Dionyſio Areopag. tributum. 607. 608. 609

S. Maiolo cùm legeret hierarchiã S. Dionyſij quid acciderit. 681. 682

Maiores cauſæ ſedi Apoſt. reſeruantur. 503

S. Malachias pallium vt peteret Romam venit. 247

Mallo III. Epiſc. Pariſ. compendioſè depictus. 1088

Malmundarium Monaſt. 529. 989. 992. 994

Manus communicando velare iniunctum erat fœminis in primitiua Eccleſia. 70

Manu, Eua mortem viro ſuo ſibique conciuit. *Ibid.*

Manu nuda non licebat mulieri S. Euchariſtiam ſuſcipere. 69

MSS. Codd. Boſquetus quos optimæ notæ nuncupat, nullius ſunt notæ. 832.833.859

Mappa mundi. 933

Marcaſius Lacus in quem proiectum fuit corpus S. Eugenij. 533

Marcellina cum filiis in Gallias profecta, ad Chriſti regnum promouendum. 849

S. Marcelli Eccleſia primùm dicta fuit S. Clementis, & cur. 487.488

S. Marcelli 9. Epiſcop. Pariſ. res geſtæ compendio deſcriptæ. 1090.1091

Marcianus Arelat. Epiſcop. factus ſectarius Nouatiani. 935

Marcus 5. Epiſcopus Pariſ. breui effigie expreſſus. 1088.1089

Marcus Euangeliſta fuit S. Petri Amanuenſis. 76

Marci Baſilica. 1089

S. Marci reliquiæ. *Ibid.*

Margarita Venerabilis Regina vxor S. Ludouici. 739

S. Mariæ Virginis effigies inſignes à S. Luca efformatæ. 150.151

S. Mariæ Deigenitricis linea ſubucula Conſtantinopoli tranſlata in Galliam, apud Carnutum quando & à quo repoſita. 665.666

Marianus Scotus nihil ſcripſit de fabula Papiſſæ Ioannis. 1122.1123

Marianus Scotus quando claruit. 1121. Nihil de Papiſſa Ioanna ſuis in ſcriptis commeminit. *Ibid.*

S. Martianus Epiſcopus Terdon. 945

S. Martialis ex Oriente venit. 1150

S. Martialis fuit ſemper inſignis inter Apoſtolos Galliæ. 315

Martialis, Cephas fuit ſubnominatus. 330

S. Martialis quid de Trinitate docuit. 337

S. Martialis hiſtoriam, omnes Catholici iamdudum probauerunt, quam ſuſurrones contra Patrum ſtatuta clanculum corrodebant. 327

S. Martialis exiſtentia contra Molineum ex inſtituto defenditur. à p. 303. ad 324.

S. Martialis Eccleſia perantiqua Pariſiis. 314

S. Martialis memoria apud maiores fuit percelebris, & frequens fuit ad eius limina concurſus. 313

S. Martialem fuiſſe virum Apoſtolicum ex 72. diſcipulis 5. Concilia & Apoſtolica ſedes definierunt. 316.317

Martiales duos fuiſſe ſubindicare videtur Cardinalis Bellarminus. 338

Martinus Epiſcopus Viennenſis diſcipulus Apoſtolorum. 1005

Martinus Kemnitius Lutheranus. 1072

Martinus Delrio. 807

Martinus Polonus dubius videtur in fabulis de Ioanna Papiſſa recitatione. 1124.1131

Martinus Polonus qualis ſcriptor & teſtis. 1121.1122.1124

S. Martini pietas à Fulberto prædicata. 692

Martyr fictitius à ſancto Martino

propalatur. 1144
Martyres Gallici, Polycarpo coætanei. 911
Martyrum corrupta acta, canonibus proſcripta. 398.855.857
Martyrum agones recitari in Miſſa ordinauit ſanctus Dionyſius. 472.473
Martyrum paſſionis ſacellum ab Eugenio III. quando dedicatum. 713
Martyrium Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romæ peractum ſole ipſo lucidius eſt. 1110.1111.1112
Martyrij ſui acta ſcribi & Romam tranſmitti præcepit diſcipulis ſuis ſanctus Dionyſius. 445
Martyria vt probaret mandauit Iuſto Viennenſi Epiſcopo Pius primus Pontif. *450
Martyrologium Romanum editum à Baronio, & ante eum à Galeſinio. 455.456.457
Martyrologium vetus Romanum Romæ aſſeruatum, vnum tantum Dionyſium tam Pariſienſem quàm Athenienſem conſignat. 458
Martyrologium peruetuſtum Bedæ vnum notat Dionyſium Athenarum & Pariſiorum Antiſtitem. *Ibid.*
Martyrologium vetus Corbeienſe. 880
Martyrologium Pariſienſe, typis adhuc recentibus impreſſum. 1033
Martyrologium Rotomag. vetus. 526
Martyrologium Monaſterij Foſſatenſis. 395.518
Martyrologium Oriētalium. 416
Martyrologium Bedæ antiquiſſ. 785
Martyrologium Pariſienſ. MSS. 1050
Martyrologium Lingonenſe Vltraiectenſe, Leodienſe. 1050. 1051
Martyrologium Pratenſe dictum Vſuardi quàm corruptū. 1039. 1040. 1045
Martyrologium de quo ſcribit S. Gregorius omnino aliud eſt à veteri dicto, à Roſuueydo edito. 983.984.985. *& ſeqq.*
Martyrologium Pratenſe ab æmulis productum ipſis eſt plerumque aduerſum. 1047 1048
Martyrologium Leodienſe MSS. 518
Martyrologium Notkeri editum. *Ibid.*
Martyrologium citat ſuum paſſim Euſebius, & ad illud ex hiſtoria ſua remittit. 490
Martyrologium Romanæ Eccleſiæ, non eſt Martyrologium Vſuardi. 1055.1056
Martyrologij Adonis diſquiſitio, à p.1009 ad 1015
Martyrologij textum primitiuum quidam nuperi nomenclatores alterârunt. 1016
Martyrologij Aquileienſis corruptio ex ſchiſmate prodiit. 1011
Martyrologij conſcribendi ritus Apoſtolicus. 53.54.55.56
Martyrologio Græcorum vetuſtiſſimo ab Euſebio Cæſarienſi conſcripto nixus, Areopagitam aſſeruit Dionyſium Pariſ. Hilduinus. 410.411
Martyrologia Carnutenſis Eccleſiæ vetera. 524

Martyrologia, bis eundem cœlitem ex diuerſis rationibus, haud infrequẽter conſignant. 1000. 1001. 1002. 1003
Martyrologia propria Eccleſiæ ſingulæ pridem habuere, quorum nonnulla ſuppetunt exemplaria. 1050
Maſſus IV. Pariſiorum Pontifex propriis characteribus expreſſus. 1088
Matthæus Paris, non Pareſienſis. 729
Matthæus Gallenus Vveſtcapellius. 761
Matthæus Vveſtmonaſterienſis. 528. 1065
Maurinus Martyr. 993
Mauri formidabili incurſu Siciliam inuaſerunt. 362
Maximianus truculẽtiſſimus Auguſtus. 858
Mediolanenſis Eccleſia Græcos ritus auctore S. Ambroſio mutuauit. 1011. 1012
Mediolanenſes diu à ſedis Apoſtolicæ obedientia deſciuerunt. 1013
Mendacij infirmitas. 507
Menologium Græcorum quid habet de Dionyſio Areopagita. 413
Menologij Græcorum ſynceritas. 414
Menſæ benedictionis ritus Chriſtianus, vnde ortus. 51. 52
Metaphraſtes vitas Sanctorum non tam conſcripſit quàm collegit. 651
S. Methodius CP. Patriarcha res geſtas S. Dionyſij eleganter, ac accuratè deſcripſit ex antiquis monimentis. 434. 435
SS. Methodius & Michael Syncellus Cõſtantino Copronyno cur exoſi? 259
SS. Methodius & Michael Syncellus, quando ſcripſerunt S. Dionyſij res geſtas. 361
SS. Methodius & Syncellus ante Hilduinum Areopagitica ſcripſerunt. 435
Metropolitis Gallis à ſummis Pontificibus indultum iampridem fuiſſe pallium exemplis probatur. 221. 222
Metropolitani apud Græcos ab Archiepiſcopis diſcernuntur. 255
Meulantum ad Sequanam. 529
B. Michael Syncellus encomium ſcripſit luculentum S. Dionyſij Areopagitæ Pariſiis coronati. 432
Michaël CP. Imp. legationem cur miſit ad Ludouicum Pium cum S. Dionyſij libris. 362. 363
Miniſtri Caluiniſtæ ab Alcide Gallico præpotenti dextera profligati. 790. 791
Miraculis Deus veritatem plerumq; indicat, at falſitatẽ numquam confirmat. 1138. 1143. 1144
Miſſæ ſtudioſus fuit S. Dionyſius. 772. 773
Miſſæ ritus à S. Dionyſio deſcripti. 1188
Miſſam dixit Pariſiis S. Dionyſ. 561. 568.
Miſſam quotidie Apoſtoli & viri Apoſtolici celebrabant. 300. 301. 302
Miſſales præfationes quot ſunt canonicæ. 473
Molanus Oecolampadium fulminat. 777. 778
Molani pietas & doctrina. 1056

Molinęus contra Boſquetum pro traditione præiudicat. 559
Molineus fatetur traditionem antiquam eſſe quæ annos 600. excedit. 559
Molineus Sanctorum hoſtis immaniſſimus. 304. Eorumdem irriſor. *Ibid*. B. Martialem eſſe ſanctum vmbratilem calumniatur. 305. quàm impius Apoſtolicæ ſedis Pontificum deriſor & hoſtis. *Ibid*. ægrè ferens S. Dionyſium coli Patronum Regni Franciæ, redarguitur. à p. 633. ad 639. perperam arguit à temporis diſſidio, ad falſitatem hiſtoriæ. 312. Eiuſdem calumnia ſuper conceſſione pallij à Pontifice, quàm putida. 272
Monimenta ſacra edicto ferali Diocletiani fuêre exuſta. 1083
Monſtrum cum Martyre aduerſarij conferunt, vt auitam de S. Dionyſio traditionem concutiant. 1107. 1108
Mornæus. 881. Idem falſitatis conuictus in colloquio Fonſbellaqueenſi. 758. Idem refutatur à Cardinale Perronio. 1063
Moſis & Pauli myſticæ figuræ combinatæ. 15
Mont-ioye S. Denys, militaris Francorum exclamatio, quid ſonat. 638
Mont-ſainct-Ion. 520
Muliebre velamen multiplex. 62. 63. 68
Myſterium fidei, Euchariſtia eſt per excellentiam. 16. *& ſeqq*.
Myſterium fidei, quid ſit portare in conſcientia pura. 16. *& ſeqq*.
Myſteria per pallium deſignata. 202
Myſteria Chriſtianæ ſapientiæ poſt Apoſtolos nemo magnificentiùs quàm S. Dionyſius explicauit. 1187

N

NANTHILDIS Regina vxor Dagoberti. 614. 615
Narbo ſpecioſa. 937
Natalis Domini feſtiuitatis prima in Galliis celebratio, à p. 285. ad 290
Natalis Domini à Clero cum Epiſcopo tranſigendus. 298. In villis nullatenus prætereundus. *Ibid*.
Natalis S. Dionyſij vnde duplicatus. 1010. & 1014. 1015
Natalis conſignatio, paſſionem eo loco actam non ſupponit. 1007
Natali in Dominico qui non cõmunicauerit, pro Catholico deinceps non habendus. 299
Naturæ Deus patitur, aut machina diſſoluitur, vox celebris S. Dionyſij, verſibus reddita. 796
Necrologium Pratenſe. 1040
Nibelungus Comes. 621
Nicaſianus Codex MSS. 526
Nicaſius Rotom. miſſus fuit à S. Dionyſio. 774
S. Nicaſij acta. 525. & præconia. 527. 528
S. Nicephorus Patriarcha CP. auctor Chronici. 258
Nicephorus hiſtoricus tranſmigrationem S. Dionyſij Areopagitæ è Græcia in Occidentem commemorát. 1147

Nicephorus Calliſtus carminibus ſuum prodit odium aduerſus Latinos. 740.741
Nicolaus I. PP. bibliothecam ſedis Apoſtolicæ inſtaurauit. 653
Nicolaus Manciacutius. 876
Nicolaus Vedelius Caluiniſta. 941
Nicolaus Harpheldius. 732
Nomen Domini in omni actu à fidelibus inuocandum, ſanctus Paulus inſtituit. 49
Normanni Monaſteria incendebant cum Eccleſiis & bibliothecis. 1030
Normani diuina poteſtate depulſi ſunt à S. Dionyſij Monaſterio. 669
Normanorũ prima incurſio. 1037
Normanica alia incurſio. 992
Notarios inſtituit ſacros S. Clemens, & quo fine. 442
Nouatianum, mendosè nimis facit Valentino ſynchronum Gregorius Turonenſis. 931. 932
Nouitas noxia, & tamen vulgo accepta. 376
Nubes ſolo vento plerumque inflantur. 904

O

OBSECRATIONES ſolennes in Miſſa pro Regibus à ſancto Paulo commendatæ, à 30. ad 35
Obſecrationum ſacerdotalium ſacramenta quæ dicantur. 21
Occidentis Apſtolatum S. Clemens conceſſit B. Dionyſio. 730.735
Occidentis cum Oriente conſenſus de Apoſtolatu Gallico Dionyſij Areopagitæ. 500. 501
Occidentis primi Doctores, vel Hebræi, vel Græci fuerunt. 1150
Octaua Natalis Domini antiquior eſt celebritas quàm Circumciſio. 1033
S. Odilo Monachorum Archangelus, quid docuit de S. Dionyſio. 692.693
Odo Ieſſeus. 810
Odo Motheus. 947
Odonis Pariſienſis Epiſcopi concordia cum Ioanne Abbate S. Genouefæ. 569
Oecolampadius à Molano refutatur ſuper ſancti Dionyſij pictura. 777
Oeconomus Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Michaëlis Imp. ad Ludouicum Pium Legatus. 365
Offa Merciorum Rex. 731
Offerre Diaconi prohibentur. 122
Officialis ſeu Eccleſiaſticus iuridicus, quàm antiquam habet in Eccleſia originem. 104. *& ſeqq.*
Officialis, pro ſacro iuridico, nomen & poteſtas. 106
Officiorum diuinorum mutatio periculoſa. 556
Onaſius Tribunus. 177
Onuphrius Panuinus fabulam de Ioanne Papiſſa doctè refutauit. 1124
Oneris ſignaculum Paſtoralis, eſt pallium. 277
Opiniones tres diuerſæ de Imperatore, ſub quo ſanctus Dionyſius paſſus eſt, à p. 875.

ad 902. conciliantur.
Optimæ notæ ſe Codices MSS. (nulla tamẽ nota vel indicio inſignitos) afferre paſſim Boſquetus, pueriliter gloriatur. 554. 555. 832. 835. & 859
Oracula Spiritus ſancti, è ſede Apoſtolica reſonant. 503
Oracula ab Heroum tumulis expetita. 795
Oratio pro defunctis ab Apoſtolis obſeruata & tradita. 134
Ordo duplex eſt, quo Eccleſia ſuſtentatur. 72
Ordo Miſſæ Apoſtolicus. 10. *& ſeqq.*
Ordo Miſſæ, ab initio œcumenicus fuit. 31
Origenis opera, hæretici deprauarunt. 340
Otho I. Imper. 715
Ouiculæ à bono paſtore in humeros reuectæ, ſymbolum eſt Archiepiſcopale pallium. 200

P

PACHIMERIS paraphraſis. 881. 886
Paleotus Cardinalis. 906
Palla altaris. 204
de Pallio libellus delineatus à p. 188. ad 279.
Pallium Pontificale, libello proprio illuſtratur, qui incipit p. 188. In quo opuſculo ſubinde tractatur de Pallij ipſius ſacri auctore, à p. 188. ad 192. de origine eiuſdem, à prænotata p. 192. ad 198. de materia & forma, à p. 199. ad 202. de illius tam myſtica quàm vocali ſignificatione, à p. 203. ad 210. de eiuſdem petitione, à p. 211. ad 219. de conceſſione, à p. 220. ad 232. de auctoriate Pallij, à p. 233. ad 243. de illius deiectu, à p. 246. ad 257. de eiuſdem ordinario vſu, à p. 258. ad 262. de extraordinario, à p. 263. ad 268. de ipſius multiplicitate, à p. 269. ad 271. de ſingularitate, à p. 272. ad 279.
Pallium, vt contextum eſt, quod Stephanus PP. III. Monaſt. S. Dionyſij dedit. 482
Papa Epiſcoporum eſt Patriarcha, & Patriarcharum Epiſcopus. 57
Pantheon Romanum. 986
Papa tempore S. Cypriani, Epiſcopis Galliæ quãta auctoritate ac poteſtate anteibat. 934. 935
Papa præſidet populo Chriſtiano. 459
Papa ſpeculator ac præſes vniuerſalis Eccleſiæ. 440
Papa vertex Eccleſiæ dictus ab Auito Viennenſi, & princeps Epiſcoporum. 253. 254
Papa Dei eſt Cancellarius. 85
Papa pallium denegare poteſt. 248
Papæ mandatum, neceſſitatem iniungit. 349
Papæ nomen antiquiſſimum, Romanóque Pontificatum olim ſingulare. 940. 941. 942
Papam magis quàm æmulum ſibi, leuari principem, Ethnici Impp. formidabant. 1081
Paradiſiacum pratum. 793
Pariſienſis olim Epiſcopus, pallium ſibi conceſſum non admiſit. 213
Pariſienſis Eccleſia ante annos mille B. Deigenitrici ſacta

erat. 568
Pariſienſis Eccleſia dicta à Pontificibus ſummis *nobilis, glorioſa, & reuerentiâ B. Petri ſedis deuotiſſima.* 449
Pariſienſis Eccleſia nouum ritum prima à S. Dionyſio accepit. 473
Pariſienſis Eccleſia eſt in ſua traditione de parentis ſui qualitate, fide digna. 387.388.389
Pariſienſis Eccleſia facta Metropolitana. 81
Pariſienſes Præſules ſucceſſores ſunt S. Dionyſij Areopagitæ. 779
Pariſienſis & Remenſis Eccleſiarum propria elogia. 475
Pariſienſis Eccleſiæ Miſſales antiquiſſimi quid continebant. 473
Pariſiēſis Eccleſiæ antiquiſſimam fidem de S. Dionyſio Areopagita primo ſuo Epiſcopo, vetuſtiſſimi Codd. quos in eius ſcriniis conſpexit Ludouicus Pius, confirmabant. 385.386
Pariſienſis Eccleſiæ tanta eſt ortus nobilitas, atque ſplendor gloriæ, vt inuidiam nonnullorum mouerit criticorum, qui eam, neſcio quo liuore, deprimere conantur. 1075.*& ſeqq.*
Pariſienſium Epiſcoporum vulgatus Catalogus, mutilus & mendoſus eſt. 1085. 1086. 1097
Pariſienſium Antiſtitum primæ claſſis, genuina ſeries, à p.1086. ad 1091
Pariſius, vrbs regia. 717
Pariſiis Epiſcopalis ſedes vbinam extitit antiquiſſima. 565
Paritas nulla ex inter fabulam de Ioanne Papiſſa, & Apoſtolatū Gallicum S. Dionyſij Areopagitæ. 1126.*& ſeqq.*
Parmenas Protodiaconus. 897
Parœciales Rectores à SS. Paulo & Barnaba ſolenniter conſtituti fuerunt; idque S. Lucas teſtatur. 41.& 42
Parœciales Sacerdotes ſunt Epiſcoporum natiui auxiliarij. 40
Parthenona Montis Martyrum à quo fundata? 698.699
S. Paſchaſius candida fide vitas Sanctorum legebat & tranſcribebat. 864.865
S. Paſchaſij ætas & auctoritas. 391. 392
S. Paſchaſij elogia. 391.392
S. Paſchaſij operâ, vindicata ac elimata fuerūt acta SS. Ruffini & Valerij. 390.& 862
Paſſio S. Dionyſij ab eius ſpectatore conſcripta fuit, & Pariſ. Eccleſiæ tradita. 589
Paſſio ſancti Dionyſij, à Boſqueto producta, & mutila & corrupta eſt. 835
Paſſio S. Dionyſij ex viſis deſcripta, & liturgicis Codicibus inſerta erat peruetuſtis. 474
Paſſiones Sāctorum quæ ſine auctoritate ſunt, proſcriptæ fuêre, agente Carolo Magno. 599
Paſtoralis muneris ſacramētum à Chriſto in Petro collocatū. 201
Paſtores ab Epiſcopis diſtincti, parœci ſunt ex recenſione S. Pauli. 47
Pater diaconiæ. 119
Patres Synodi Pariſienſis ſcribūt ad Eugenium II. PP. 1060
Patrum ſcita veneranda. 328
Patrum de triumphata inſcitia Boſquetus ignominioſè gloria-

tur. 329. 513. 514. 515
Patrum ſcripta hæretici plerumque deprauarunt. 1050
Patriarchæ vindiciarum Areopagiticarum aſſertores. 815
Patriarchis quatuor maioribus quo iure acceſſit pallij gerendi & largiendi vſus. 196. 197. 2:0
Patriarchalium ſedium fluxa eſt ſucceſſio, quæ in ſola Romana Eccleſia eſt perennis. 1079
Patriarchatus Epheſinus vnde ortus? 887
S Paulinus. 905
S. Paulus Apoſtolus, Miſſæ compendium deſcripſit. 13. 14
S. Paulus Apoſtolus fuit fundator Eccleſiæ Viennenſis. 2. *& ſeqq.*
S. Paulus, depoſitum quod & quale ſuis diſcipulis commendauit Timotheo, Tito & Dionyſio? 9
S. Paulus. Apoſtolus ordinem Miſſæ diſpoſuit, & pleroſque Eccleſiaſticos inſignes ritus qui enarrantur, à pag. 10. ad 149
S. Paulus ſub Claudio Imperatore Athenas venit. 393
S. Paulus Apoſtolus voluit, vt in Eccleſia omnia ordine & decenter fierent. 144
S. Paulus ita dictus Doctor gentium, ac B. Dionyſius Galliæ Apoſtolus. 1178. in marg.
S. Paulus cur aſcendit Hieroſolymam videre Petrum, à p. 57. ad 62
S. Paulus quas Prouincias peragrauit. 1177
S. Paulus etiam Galliæ Doctor & Apoſtolus. 744
S. Pauli Apoſtoli elogia. 509. eiúſque diſcipuli Dionyſij. *Ibid.*
S. Pauli Eccleſiam prope templum ſancti Dionyſij, cur Robertus Rex tantopere diligebat. 705, 706. Hanc ideo auxit. *Ibid.* & Sugerius Abbas poſtea ampliauit. 705
S. Pauli Apoſtoli capillos ſacro munere miſit Viennam Ioannes VI. PP. 5
S. Pauli peregrinationes, curſus & occaſus. 158
S. Pauli Eccleſia cur fundata à Regibus iuxta Eccleſiam S. Dionyſij. 486
S. Pauli & Moſis imagines myſticæ cum verſiculo notabili. 15
S. Pauli Canonici apud S. Dionyſium. 703. 704. 705
S. Paulo B. Dionyſius quamdiu adhæſit. 394
S. Paulum Apoſtolum, Eccleſiam Gallicanam conſecrâſſe probatur. à p. 1. ad 8
Paulus I. Papa erector Scholæ Græcorum ad Martyres, cur reliquias S. Dionyſij hîc collocauit. 485
Paulus, 7. Antiſtes Pariſ. 1089
Paulus Narbonenſis Apoſtolorum diſcipulus. 936. 937. *& ſeqq.*
Paulus Narbonẽſis ab Apoſtolis miſſus legitur in paſſione S. Dionyſij pro authentica à Boſqueto inducta. 839
S. Pauli Narbonenſis elogia antiqua. 947
Pauli Papæ 31. Epiſtolas ad Pipinum & eius liberos, quis primus edidit. 492. 493

Pelagiani Sulpitium aliquandiu deceperunt. 906

Perſecutiones interpontificia excitarunt. 1080

Perſonam impetrantis, pallium non tranſit. 269

Petalon ſacerdotale S. Ioannes geſſit. 191

S. Petrus caput fuit Apoſtolorum. 256

S. Petrus ſynaxes quotidie Romæ peragebat. 301. 302

S. Petrus Paulum Doctorē Gentium ordinauit. 158

S. Petrus Apoſtolus pallium inſtituiſſe dicitur à Ruperto. 189. 192

S. Petrus Iudæam Chriſto offeret in die iudicij. 1199

S. Petrus Gentibus primus prædicauit. 1178

S. Petrus cur ex Antiochiâ Romā ſedem ſuam tranſtulit. 157

S. Petrus cur rediit Romam. 884

SS. Petrus & Paulus Apoſtoli cur paſſim cum S. Dionyſio apparuerunt. 480. 612. 613

SS. Petrus & Paulus Galliam per ſuos alumnos aggreſſi ſunt. 938. 939

S S. Petrus & Paulus Apoſtoli cum S. Dionyſio apparent. 480

SS. Petrus & Paulus paſſi ſunt anno Chriſti 69. ſub quibus Coſſ. 1035.

S. Petrus ſacri chori princeps oſtium ad ſalutem primus gentibus reſerauit. 544. & 1182

B. Petrus quid commendauit S. Clementi de B. Dionyſio & Galliis. 753. 754

S. Petri & B. Genouefæ baſilica Pariſiis. 1029

S. Petri ſepulchrum Romæ non alibi viſitur. 1111

S. Petri & ſucceſſorum eius cura Eccleſiæ in Galliis acitæ. 915

S. Petri facta ſua Paulus eſſe ducebat. 280

S. Petri palma & clauus, in Ferrariarum monaſterio dudum ſeruabantur honorificè. 295

S. Petri ſepulchrum fons eſt Pontificatus honoris. 201

S. Petri excurſus & agones. 157. 158. 159. 160

SS. Petri & Pauli Apoſtolorum curſus & occurſus. à p. 154. ad 160

B. Petro ſe fore fideles antiquo more iurabant Epiſcopi Metropolitani. 211

Petrus Cottonius. 807

Petrus exquilinus cur cognominatus à Natalibus. 762

Petrus Abaillardus infelix ſcriptor. 706. quem perperam ſibi fauere ſcribit Boſquetus. 707

Petrus Galeſinius. 905

Petrus Saxius. 934

Petrus Damiani Cardinalis. 1012. 1013

Petrus Lanſelius. 807

Petrus Halloix. 807. 808

Petrus Comeſtor Magiſter Hiſtoriæ ſcholaſticæ quid cenſuit de S. Dionyſio. 713

Petri Comeſtoris inſigne Epitaphium. 715

Petri à Natalibus error ab ipſo animaduerſus tandem correctus. 761. 763

Petri Lombardi epitaphium & ſepulchrum. 489

Phalaris Romanus Hadrianus Imperator. 893

Pharamundus Rex Francorum quando proclamatus. 1091. 1092
Philippus Apoſtolus in Gallia euangelizauit. 964
Philippus Valeſius Rex. 728
Philippus Epiſcopus miſſus in Hiſpaniam. 841
Philippus Ferrarius. 809
Philippus Mornæus hæreticus à Cardinale Perronio profligatus. 1062
Philippo Longo Regi obtulit Ægidius Abbas S. Dionyſij vitam elimatam S. Dionyſij Areopagitæ. 741. 742
Philippi Berthetij præſidis carmina de S. Saturnino elegantiſſima. 973
Photius cur Martyrium S. Dionyſij non retexuit: vbi de eius ſcriptis diſſerit. 631
Phrygianæ Eccleſiæ. 929
Phrygium eſt pallium Pontificale. 194
Piatus Apoſtolus Neruiorum. 861
Pietas præcipua. 328
Pincerna Chriſti, eſt diaconus. 18
Pij Papæ & Martyris epiſt. ad Iuſtum Epiſcopum Viennenſem. 450
Pipinus vnà cum Epiſcopis & Proceribus Francorum præclaro titulo teſtatur S. Dionyſium à S. Clemente miſſum cum ſociis, primum poſt Apoſtolos in Gallias præconem lucis adueniſſe. 620
Pipinus Rex Stephano PP. obuius ad eius genua procumbit. 479
Pipinus quot annis regnauit. 621
Pipinus cultor S. Dionyſij Areopagitæ libros eius à Stephano III. PP. gratioſo muneri ſuſcepit. 627
Pipini Regis diploma inſigne de S. Dionyſio. 619. 620
Pipini ſepultura memorabilis. 622. 623
Piſtenſis ſynodus, ratam habuit Hincmari de S. Dionyſio ſententiam & veterem traditionem. à p. 671. ad 676
Pithœus Gregorium refellit. 965
Pitheus. 1063. 1064
Platina quid cenſuit de Ioannis feminæ pſeudopapæ fabula. 1117. & ſeqq.
Plumbeo ſigillo cur Papa diplomata ſua obſignat. 81
Pœdagogus Clericorum. 120
Pœnitentia de loquacitate. 906
Pœnitentiarij antiquiſſima in Eccleſia functio. 103
Pœnitentes à ſynaxi excludebantur. 23
Poetæ ſacri qui Areopagitam celebrant Galliarum Alcidem. 819
S. Polycarpus ad B. Dionyſium inſignem ſcripſit epiſtolam. 1070
S. Polycarpus in Gallia prædicauit. 954. 955
Pontifex Rom. inter Epiſcopos potentiorem principalitatem habet. 45
Pontifices ſummi qui Pariſienſem Dionyſium, ipſum eſſe Areopagitam iudicant & diſcernunt. 813. & 814
Pontificales benedictiones quàm in Eccleſia antiquæ. 303
Pontificum Romanorum, pallium fuit quondam proprium inſi-

gne. 193. 195
Pontificum Romanorum priorū ſeries verſibus expreſſa. 876
Pontificus diaconus. 975
Portus Arelatenſium. 842. 850
Poteſtas ſuper caput mulieris velamen eſt. 62. 63
Poteſtatis & dignitatis pallium eſt inſigne. 240. 241
Pothinus quando laureatus. 919. Aſiaticæ Eccleſiæ. 929. 930
Prædicatio proprium Epiſcopale eſt officium. 944
Prædicata indicant ſubiecta. 1172
Præfationes liturgicæ antiquiſſimæ. 471
Præſumptionis canonica coercitio. 252. 253
Prætoris reſponſum. 1174
Pratenſe Monaſterium bis à Normanis vaſtatum & incenſum. 1029. 1030
Pratenſe Martyrologium ab aduerſariis prolatum ipſiſmet eſt admodum contrarium. 1047
Presbyteratus eſt opus Dei. 36
Presbyteratus honor. 967
Presbytero vicario conceſſus erat iampridem diaconus. 112
Presbyterorum cura vbi ſufficit ordinandi non ſunt Epiſcopi. 38
Presbyterorum Ciuitatenſium antiquiſſima prærogatiua ætate Apoſtolica iam viguit. 48
Presbyteros ac Diaconos pleroſque S. Clemens B. Dionyſio adiunxit. 403
Prima ſedes Epiſcopalis Pariſiis vbi ſtatuta fuit. 565
Primates qui ſententiæ affirmatiuæ de identitate Dionyſij Areop. ac Pariſienſis, ad ſtipulantur. 815
Principia rerum diligenter conſideranda ſunt. 382
Principis maior auctoritas quàm parentis. 351
Principes Leuitarum. 109
Priuilegia omnia Monaſterij S. Dionyſij fuerunt in Piſtenſi Concilio confirmata. 675. 676
Priuilegia quæ cum pallio dudum conferebantur ſunt ſex. 242. 243
Priuilegia Romanæ Eccleſiæ ſunt ab Epiſcopis reuerenda. 248
Priuilegia Monaſterij S. Dionyſij ſingularia. 482. 494. 495
Probabile quicquid videtur: non ideo tale eſt. 1106
Probationum quatuor ſunt genera. 373
Probitatis, pallium eſt ſignaculum. 237. 238
Protodiaconi ad ſacra munera fuerunt ordinati, non ſolùm ad menſarum miniſteria. 114. 115
Protoſcriniarius S. R. E. ſubinde Cancellarius, demum Vicecancellarius appellatur. 82
Prudentius laudator S. Vincentij. 1034
S. Prudentij Epiſcopi Trecenſis diptycha vnum notant colendum Dionyſium celebri natali die, ſcilicet 9. Octob. 1023
Publius ſucceſſor fuit S. Dionyſij Athenis. 411. 427

Q

QVADRAGESIMÆ ieiunium Apoſtoli inſtituerunt. 135

Quadratus vidit multos à Chriſto Domino ſanatos, atque etiam reſuſcitatos. 427

Quæſtio de ſancto Dionyſio eſt frequenti patentiſſimóque indicio Romanæ Eccleſiæ definita. 504.505

Quæſtionis notabilis de prima ſecundæ S. Thomæ, ſolutio. 728. 729

Quæſtiones tres de ſancto Dionyſio, inſignes, agitari ſolent. 348

Quatuor coronati. 996

Querelæ Boſqueti contra Hilduinum meræ ſunt nugæ. 355. *& ſeqq.* & 831

Quinctianus primùm Ruthenenſis demum Aruernenſis fuit Epiſcopus. 1003

Quintini Viromanduorum Apoſtoli hiſtoria. 861

Quirinus & Pientia Martyres. 774

R

RABANVS vnum Dionyſium agnoſcit, & notat ſuo in Martyrologio. 467

Rabanus in tenera ætate fuit Bedæ diſcipulus. 466

Raſura in inſtrumentis admodum eſt ſuſpecta. 1045

Ratiſponenſis tranſlatio corporis ſancti Dionyſij Areopagitæ conficta, falſitatíſque conuicta. 724 725.726

Ratiſponenſium error. 685.686

Rauennatenſi Metropolitæ antiquum ius eſt pallij. 215

Regalia inſignia cur apud S. Dionyſium depoſita. 738

S. Reguli 2. Epiſcopi Pariſienſis breue at graue elogium. 1086. 1087

Remenſe baptiſterium in Clodouæi regeneratione magnificè præparatum fuit. 181

S. Remigius præfuit 74. annis Eccleſiæ Remenſi. 1093

Remigius Clodouæi Regis in Chriſto pædagogus. 290. & Francorum Apoſtolus. 296

S. Remigij feſtiuitas Kal. Octob. à quo inſtituta? 991

Reſponſorium inſigne Eccleſiæ Santonenſis. 558

Rex abſolutè in iure ſacro, Francorum Chriſtianiſſimus Monarcha nominatur. 32

Rege pro Chriſtianiſſimo in Miſſa vbique orandum, quomodo ab Eccleſia ſtatutum. 34

Reges Chriſtianiſſimi, vnde huiuſmodi titulum, & primogenitorum in Eccleſia acceperunt. 914

Reges Hiſpaniæ, ac Angliæ, qui Dionyſium Areopagitam Eccleſiæ Pariſienſis patrem venerati ſunt. 815

Reges Chriſtianiſſimi qui S. Dionyſium Areopagitam aſſerunt ac venerantur. 814

Reges Remis iniungendi cæleſti liquore, mos antiquus. 751

Reges vt fuerunt in Gallia ac alibi ſub Romanis. 333

Richardus I. Angliæ Rex *cor leonis* dictus, quàm piè affectus erga S. Dionyſium. 731 732

Richar-

Richardi à S. Victore memoranda ſententia. 368
Rigordus hiſtoricus Gothus quid de corpore S. Dionyſij Areopagitæ refert. 725.726
Ritus expurgationis ante Euchariſtiæ ſumptionem, vnde ortus. 22.23.24.*&c.*
Ritus vt mulier in Eccleſia taceat, & velato capite oret à S. Paulo inſtitutus eſt. 62.*& ſeqq.*
Ritus inuocandi in omni actu dominici nominis, vnde fluxit. 49
Ritus tradendi & ſuſcipiendi pallij Pontificalis, à quo, vbi & quando ortus. 188.*& ſeqq.*
Ritus à ſancto Dionyſio traditi vel teſtati, à pag. 1185. ad 1199
Ritus Græcus & Romanus. 1010. 1011. 1012. 1013. 1014. 1015
Robertus S. Mariani Monachus auctor Chronici Autiſſiodor. 717
Robertus Rex noſtrum S. Dionyſium fuiſſe ipſum S. Pauli diſcipulum diplomate authentico aſſeuerat. 687
Robertus Rex magnæ pietatis. 705
Rodericus Ximenius. 966.967
Rolandus S. R. E. Cancellarius ſubinde Alexander III. PP. 82
Rolandus Comes Blauiæ memoriæ S. Clementis Pariſiis amplificator. 489
Rollo Dux Normanorum. 1037
Rollo Princeps Normanorum à quo Præſule fuit in Chriſto eruditus. 678
Romana Eccleſia fideles omnes materno ſinu amplectitur. 441
Romana Eccleſia in colligendis vndiq. Martyrum geſtis quàm ſedula ab initio fuit. 441, 447
Romana Eccleſia iudicante, omnes qui litigant ſilere debent. 506
Romanæ Eccleſiæ origo quàm fauſta, quàm nobilis. 160. 161
Romanam Eccleſiam S. Ambroſius in omnibus ſequi cupiebat. 1012
Romanam Eccleſiam Sanctorum honorificationi ſemper fuiſſe addictiſſimam, malè hæretici improperant. 451
Romanus Pontifex ſingulariter dictus Papa. 940.941.942
Romanũ Martyrologium quàm accuratè iuſſu Gregorij XIII. fuit recognitum. 456
Romanorum fides, vbique ipſa ſub Apoſtolorum ætate annunciata. 179
S. Romualdus à quo PP. cœlitibus aſcriptus. 305
Rotomagum veteres Rodomum nuncupabant. 525
Ruffini & Valerij acta quæ corrupta ſunt, quæ ſyncera. 862. 863
S. Ruſticus fuit apud S. Dionyſiũ Presbyter Vrbicarius, at Vicanus S. Ionius fuit.
SS. Ruſticus & Eleutherius Martyrio affecti cum S. Dionyſio Græcorum diptycha teſtantur. 413

S

SABBATO ſancto quotannis aquis ſalutaribus baptiſte-

rium Ebredunenſe diuinitus replebatur 1·9
Sacerdotes lethalis reatus conſcij tenentur confeſſione ſacramẽtali piacula ſua expiare, ante ſacrificij celebrationem. 29
Sacra iuſſio. 350
Sacramenti veritatis teſſera. 274
Sacraria tria S. Dionyſius Pariſiis inſtituit. 562
Sacrificium quotidie Euchariſticum, tam Apoſtoli quàm Apoſtolici viri immolabant. 300·302
Salomonis iudicium deciſioni cauſæ Areopagiticæ adaptatum. 1182. 1183
Sancta Sanctis, cur clamabat in myſterio Diaconus. 22. & 23
Sanctinus & Antoninus deſcriptores Martyrij S. Dionyſij eius iuſſione fuerunt. 443
S. Sanctini primi Epiſcopi Meld. vitæ & actus, authenticæ texturæ. 658
Sanctum Martyrium quondam dicta Eccleſia Montis Martyrum. 698
Sancti glorioſi, in Gallia miraculis crebris & conſpicuis refulgebant adhuc ſæculo 9. ineunte. 678
Sancti glorificati Angeli ſunt ſimiles. 635
Sanctorum acta quàm vtiliter deſcripta, & poſteris commendata. 185. *& ſeqq.*
Sanctorum omnium feſtum quãdo inſtitutum. 1038. 1039
Sanctos Ignotos prohibent canones coli. 537
Sanctos imperitos Boſquetus inuerecundè nominauit. 329
Sapientium dicta, quanti ſint momenti. 1167
Sapientium contra placita diſputare temerarium eſt. *Ibid.*
Sapharacus Epiſcopus Pariſ. depoſitus. 1094
Sapricius Præfectus Hadriani. 945
S. Saturninus Chriſti etiam legitur fuiſſe diſcipulus. 970
S. Saturnini præconia cecinerunt Apoll. Sidonius & Ven. Fortunatus. 967. 968
S. Saturnini acta triplicia Boſqueto contraria, etſi ab ipſo producta. 960. 961
S. Saturnini ætas ac miſſio Apoſtolica probatur, à pag. 159. ad 978
S. Saturnini vaticiniũ Toloſates non agnoſcunt, à Boſqueto allegatum. 825
S. Saturninum ab Apoſtolorum diſcipulis miſſum Gregor. Turon. tandem agnouit. 921
S. Saturninum miſſum ab Apoſtolis paſſio teſtatur ſancti Dionyſij à Boſqueto vt ſyncera producta. 839
Sauaro Præſes doctiſſimus Boſqueto repugnat. 956. 959
S. Sauinianus an & quomodo à B Trophimo Senonam miſſus. 283
Sanctus Paulus cognominatur ſemel tantum Tarſenſis. 11·9
Scaliger. 9·5
Schola Græcorum Romæ. 485. 725
Schola Græcorum cur Romæ à Stephano III. fundata. 483. 485
Scribæ, minores cauſas dirimebant inter Hebræos. 107
Sedes Epiſcopalis Pariſienſis

tranſlata. 571
Sedes Petri fons Eccleſiaſtici honoris. 198. 219
Sedis Apoſtolicæ dignitas & auctoritas ſuprema. 502. 503
Sedulius. 895
Semen mortuo fratri ſuſcitare. 888
Senex admodum paſſus eſt S. Dionyſius. 896
Senona antiqua vrbium Metropolis. 283
Sententia S. Hieronymi præclara contra Boſquetum & eius aſſeclas. 558
Septenarij Diaconorum numeri myſteria. 114
Septuaginta duos diſcipulos habuiſſe ſanctum Dionyſium, quos vndequaque ablegauit, notatur. 403
Sergius Paulus primus Narbon. Epiſc. Apoſtolorum diſcipulus, à p. 937. ad 947
Sergius Papa Bedam ad ſe iuſſit proficiſci. 468
Sergius Papa. 987
Sero an fides in Gallia ſuſcepta, à p. 905. ad 920
Seruini Regij Aduocati expoſtulatio facta in Senatu pro ſancti Dionyſij Areopagitæ Gallico Apoſtolatu, à p. 792. ad 794
Seueri Sulpitij auctoritas expenſa ſententiáque diſcuſſa, à p. 902. ad 920
S. Seuerini Eccleſia priorem colit tutelarem S. Clementem. 488
Seuinus Archiepiſcopus Senon. Romæ pallio infulatus. 254
Sixtus II. Papa. 848. 850
Siagrius Epiſcopus Auguſt. frater erat Brunechildis Reginæ. 211
Sigebertus Euſebium imitatus eſt. 694
Sigebertus Pariſienſem Dionyſium Areopagitam eſſe teſtatus eſt. 694
Sigebertus in Autographo ſui Chronici nihil ſignatum habet de Ioanne Papiſſa. 1122. 1123
Siluestri Papæ ætate, præſidebat iam ſenex Pariſ. Eccleſiæ S. Marcellus. 1090. 1103
Simeon Metaphraſtes quando vixit. 649. Vita ſancti Dionyſij Areopagitæ ab illo ſcripta magna fuit ſemper apud Græcos exiſtimatione, & in Concilio Florentino ab Eccleſia tam Græca quàm Latina laudata fuit. 650. 651
Simeon Cleophæ quàm longæuus cruci affixus fuit. 897
Simon de Buciaco Pariſ. Epiſc. 563
Siſinnius Feſcenninus. 709
Sit nomen Domini benedictum Carolus Magnus numiſmatibus primus inſculpſit. 50
Sixtus II. quando affectus Martyrio. 975
Societas Ieſu vbi nata. 805
Socij ſancti Dionyſij. 975
Sol, quaſi ſolus; quia vnus immò vnicus. 910
Sol mundi S. Paulus. 743
Solis deliquium in paſſione Chriſti à Sedulio graphicè deſcriptum. 895. & 896
Sollicitudo Archiepiſcopalis quãta eſſe debet, & quomodo ſignificata. 276
Spartianus. 901
Speculum Orientis & Occidentis diuinitus datus eſt ſanctus

Dionyſius. 773
Stabuletum Monaſterium. 989. 992
Stauropegium quid. 567
Stephanus III Papa, cur in Galliam venit. 479
Stephanus Papa III. ſanatur à S. Dionyſio. 481
Stephanus III. Papa vir Angelicus. 351
Stephanus Epiſcopus Leodienſis ſpernens S. Eugenium diuinitus correctus eſt. 537. 538. 539
Stephanus Duranti Toloſanus Præſes ſupremus. 967
Stephanus Diaconus Pauli Narbon. 947
Stephanus Tornacenſis laudat Eccleſiam Pariſ. 475
Stephanus Binet. 802. *& ſeqq.*
S. Stephani Eccleſia antiquiſſima *de Græcis* cognominata fundata à ſancto Dionyſio Areopagita demonſtratur, à p. 561. ad 574
S. Stephani brachium. 667
S. Stephani Eccleſia parœcialis, de monte, quando fundata. 569
S. Stephani natalis dicitur Pariſiis ab antiquo *Duplum Epiſcopi.* 572
Stola S. Iacobi fratris Domini. 191
Stola Pontificalis Stephani III. Papæ. 482
Stylo horrido quæ conſcriptæ ſunt Sanctorum hiſtoriæ ad poſteritatis non ſunt ſtatuendæ memoriam. 865
Succeſſio nota eſt Eccleſiæ. 1078
Succeſſio Epiſcoporum particularium non eſt nota Eccleſiæ veræ abſoluta: ſed ſucceſſio Epiſcoporum vniuerſalium. 1079
Succeſſionis ſola interruptio, nouitatem cuiuſpiam Eccleſiæ non conuincit. 1078
Sueſſionenſis Synodus regalis dicta. 684
Sueſſionenſis Synodus ſeu conuentus, in quo præſens fuit Leo Papa III. & Carolus Magnus, Areopagitam Dionyſium Pariſiorum Præantiſtitem agnouit & probauit. 642. 643
Suffraganei Epiſcopi qui Antiſtitum Cathedraticorum gerunt vices iampridem in Eccleſia inſtituti. 92. 93. 94
Suffraganei Epiſcopi duplici ſunt ſpecie. 89. 90. *& ſeqq.*
Sugerius Abbas Dionyſianus Ludouicum Regem à propoſito Monachatus diſſuaſit. 699
Sugerium quanta habebat æſtimatione S. Bernardus. 703
Suidas Græcus hiſtoricus. 655
Sulpitius, totam hiſtoriam ſacram duobus libellis complexus eſt. 919
Sulpitius Chronicon, non hiſtoriam ſcripſit. *ibid.*
Sulpitij dicta quibus abutitur Boſquetus, ipſemet tandem ſanè explicat. 917. 918
Surius contra Boſquetum defenſus. 962. 963. 964. 965. 966
Surium tenuis fidei iniurioſè facit Boſquetus. 862
Superhumerale veteris Pontificis cui ſucceſſit pallium Archiepiſcopale. 199
Supereminentem, Apoſtolus nominat Regiam poteſtatem. 350

Supplementum Chronicorum. 1119

Suſceptionis reliquiarum faſtiuitas Pariſiis, vnde orta. 570

S. Suuitbertus Friſonum Apoſtolus deuotus fuit ſancto Dionyſio Areopagitæ. 722. 723

Syagrius Auguſtodunenſis Epiſcopi relicto Præſulatu Anachorita factus eſt. 214

Synodalis definitio ſacroſancta eſſe debet. Ita S. Auguſtinus ait. 318

Synodus Græcorum. 1013

Synodus Lemouicenſis. 847. 848. 853

Synodus ſexta. 1074. & ſeptima. *Ibid.*

Synodi, prima Eccleſiæ ætate ad Romanæ Eccleſiæ Pontificem referebantur. 1084

Synodi Leodienſis decretum. 539

Syrmondus doctiſſimus Synodorum Galliæ collector & illuſtrator. 1096

T

TABVLÆ ſupremæ Pipini Regis, quibus Apoſtolicæ ætatis & gloriæ virum Dionyſium Galliæ Apoſtolum profitetur. 611

Tacitus mendaciorum loquaciſſimus. 809

Taraſco Catalauniæ Metropolis. 867

Taraſco ad Garumnam. *ibid.*

S. Taurinus S. Dionyſij Areopagitæ diſcipulus. 709

Templorum profanationis horrores à Sanctorum Patribus deſcripti. 65. 66. 67

Temporum inter Chronographos diſſonantia, rerum geſtarum veritatem hiſtoricam non ſubuertit: hoc conſpicuis oſtenditur exemplis, à p. 308. ad 312

Tertius Iconienſis ſancti Pauli Amanuenſis fuit. 76

Tertullianus cur ſcripſit famoſum librum de Pallio. 199

Teruana. 867

Teſtimonium totum vitiat paruum mendacium. 908

Teſtimonium diuinum quantum ſit humano præferendum, 695

Teſtamentum conficit in Monaſterio S. Dionyſij Pipinus Rex, & ibi triduo poſt moritur & funeratur. 619. *& ſeqq.*

Teſtimonium *maius*, teſtimoniũ diuinum eſt. 1137. *& ſeqq.*

Teſtimonium vnius, in nulla cauſa ſufficit. 1123

Teſtimonia domeſtica minùs põderant quàm externa. 1168

Teſtimonia auctorum irreprehenſorum conſona, quanti ſint ponderis. 1161. 1166

Teſtes vacillantes ſuſpecti, contradicentes reiecti ipſo iure. 1131

Teſtium qui afferuntur pro fabula Ioannis Papiſſæ, & eorum qui pro ſancti Dionyſij Apoſtolatu producũtur quam multiplex ſit diſparitas. 1126. 1127. 1128. 1129. 1130

Teſtium neceſſariæ qualitates. 1117. 1120. 1124. 1166

Teſtium multitudo quando iuuat. 1166

Teſtium dignitas & auctoritas. *Ibid.*

Teſtibus modica variatio condonatur. 1130
Theatrum conuerſionis gentium quis edidit, & quomodo? 775
S. Theodorus Studites quid ſcripſit, quid & quare paſſus eſt. 358
Theologiam vnde hauſit & à quo didicit ſanctus Dionyſius. 746
Theologi, identitatis Dionyſij Pariſienſis cum Areopagitæ affirmatores. 816. 817
Theologorum in rebus ſacris iudicio ſtare oportet. 795
Theophilus Raynaudus. 930
S. Thomas Apoſtolus colitur apud Græcos die 6. Octobris. 1018
S. Thomas offeret Indiam Domino iudicanti. 1199
S. Thomæ Aquinatis conſilium memorabile. 374
S. Thomæ Cantuarienſis deuotio ad S. Dionyſium impiè à Molineo impetita, contra illius virulenta ſcommata defenditur. 733. & 834
S. Thomæ Cantuarienſis Martyrium impiè à Molineo ac ironicè deſcriptum. 733
Thronus vnus, ſedes verò in Eccleſia plures ab antiquo fuêre.
Thronus Epiſcopi, ſacri eſt eius principatus ſignaculum. 100
Timotheus ad quē ſcribit ſanctus Dionyſius quis erat. 394
Timotheum S. Pauli diſcipulum quibus titulis S. Dionyſius honorabat. 749
Titulus Martyrij. 602
Titulus ſepulchralis Pauli Narbonenſis. 944
Tituli diaconales. 113. 114
Tituli & cognomenta perſonalia S. Dionyſij Areopagitæ. 1170. 1180. 1181. 1184
Titus Cretæ Centurbiæ Archiepiſcopus. 37
Toletanis brachium S. Dionyſij Ludouicus VII. conceſſit. 747
Toletani, publica inſcriptione appenſa ſancti Dionyſij Areopagitæ, profitentur B. Eugenium ab illo ad ſe miſſum; fidémque hinc ſeſe ſuſcepiſſe & ſeruaſſe gloriantur. 542
Toletum adiit ac edocuit ſanctus Saturninus, indéque Romam reuerſus eſt. 971
Toloſam ne Caluiniani intercíperent, ſancti Tutelares prępedierunt. 969. 970
Topographia Sanctorum. 747
Traditio de Apoſtolatu Gallico S. Dionyſij Areopagitæ pleno Eccleſiæ conſeſſu & conſenſu fuit approbata. 1141. 1142
Traditio de Apoſtolatu Gallico S. Dionyſij fuit pariter Græcis ac Latinis ab initio communis. 437
Traditio, ſcripturâ eſt antiquior. 523
Traditio de ſancto Dionyſio Areopagita Pariſiorum primo Epiſcopo à mille quingentis annis orta, & hinc propagata vniuerſi orbis conſenſu recepta eſt. 817
Traditio octingētorum annorum quàm ſolida & reuerenda ex ſententia ſancti Hieronymi. 358
Traditiones Apoſtolicas hæretici cur vocitent *Superſtitiones Papales*. 1186

Traditiones à S. Dionyſio ſcriptis conſignatæ. 1196

Traiani prænomen cur Hadrianus tulit. 901

Tranſmigrationes virorum Apoſtolicorum. 1152. 1153

Tribunalia Eccleſiæ Epiſcopis à Chriſto commiſſa. 97

Tres inſignes S. Dionyſij Eccleſiæ ſunt Pariſiis. 573

Tribus de cauſis Areopagitica ſcribi iuſſit Ludouicus Pius. 351. 352. 353

Trina merſio olim in præcepto fuit. 177

Trinitas diuina ſupremè bona. 1192

S. Trinitatis inuocatio à ſancto Dionyſio verbo & facto tradita fuit. 1189. 1190

S. Trinitatis officium, à quo concinnatum fuit. 539

S. Trinitatem Caluiniſtæ numquam inuocant. 1191

Trithemij quàm rara eſt eruditio tam eſt iudicium graue exiſtimandum. 760

S. Trophimi ætas Apoſtolica dignitáſque oſtenſa & propugnata, à pag. 933. ad 936. & à 948. ad 956

S. Trophimi *ex fonte tota Gallia fidei riuulos acceperunt.* 916. 917. 939

Tunica S. Stephani Veſuntione ſeruata. 191

Turonenſis Eccleſia poſt obitum ſancti Martini vacauit 30. annis. 1098

V

VALENTINIANVM non rectè nominat Gregorius Valentinum hæreſiarcham, quem erraticè facit Nouatiano ſynchronum. 931

Valeria Virgo Martyr non vmbratilis. 335. & ſeqq.

S. Valerio Archidiacono Lingonenſi Angelus ſtolam candidā paulo ante eius Martyrium obtulit. 125

Vaſconum Apoſtolus fuit ſanctus Saturninus. 968

Vbinam licet Archiepiſcopo pallium geſtare. 264. 265

Vbique & ſemper Papa vtitur pallio, non item ceteri Pontifices. 264

Velamen muliebre quadruplex. 68

Velamen tam tenue mulieris, eſt potiùs irritamentum libidinis quàm tegumentum pudoris. 182

Velenus hæreticus quàm efrons & petulans, in deneganda S. Petri Romam acceſſione. 1113

Veritas apud Eccleſiæ hoſtes non eſt quærenda. 323

Veritatis firmum eſt labium. 507

Veritatis vis inuicta. *Ibid.*

Vertigine perpetua ſuo in libro Boſquetus agitur. 921. 922

Verſus qui fertur à dæmone editus. 1133

Veſuntionenſis Eccleſiæ cunabula. 169

Vicarius Pontificis iudex in antiqua lege. 106. 107

Vicariorum Apoſtolicæ ſedis per prouincias antiquiſſima conſtitutio. 243. 244

Vice-Cancellarij S. R. E. origo. à pag. 80. ad 89

Vicenſis Epiſcopatus in Catalaunia. 518
Vices Apoſtolicæ ſedis dudum cum pallio concedebantur. 240. 241
Victor Giſelinus. 905
Victorinus decimus Epiſcopus Pariſienſis Sardicenſi & Agrippinenſi Conciliis interfuit. 1091
Viennenſis & Lugdunenſis Eccleſiarum antiquitas. 911
Viennenſis Eccleſiæ Apoſtolica origo, & prima ſucceſſio. 1005
Villicus Pariſienſis Epiſcopus, Papa appellatus. 1096. *& ſeqq.*
Villicus Epiſcopus Eccleſiæ Pariſienſi præfuit, & tamen in ſacris tabulis non ſignatur. 1094. *& ſeqq.*
S. Vincentij Eccleſia Pariſiis. 568
S. Vincentij brachium. 667
S. Vincentij elogium & præcones. 1033. 1034
Vincentij Lerinenſis grauis ſententia. 1052
Vincentij Bellouacenſis ętas, qualitas, ſcripta, à pag. 726. ad 729
Viſbij conſcriptio. 793. 835
Virgæ Epiſcopalis ſignificatio. 59
Virginis beatiſſimæ corpus cum hymnis funeratum ab Apoſtolis. 578
Virgines à proprio Epiſcopo debent ſacrari. 1095
Vita prolixior viris Apoſtolicis, cur à Deo conceſſa. 897
Vitam ſancti Dionyſij Areopagitę, qua Pariſiēſis primus Epiſcopus perhibetur, à fidelibus viris traditam teſtatus Ioannes Erygena Scotus. 1067. 1068. 1070
Vitæ ſancti Dionyſij Areopagitæ agoniſque eiuſdem compendioſa deſcriptio. 1178. *& ſeqq.*
Vitas Sanctorum Metaphraſtes conſcripſit, quæ magna in exiſtimatione ſunt apud Græcos. 359
Viuianus vndecimus Epiſcopus Pariſienſis. 1091. Felix 12. Epiſcopus Pariſienſis. *Ibid.*
Vnitas ſacerdotalis vnde orta. 449
Vnitatis Eccleſiaſticæ ſtructura & nexus. 257. 258. 273
Vola S. Petri Ferrariis in Senonibus ſeruata. 293
Vrbanus IV. inſtitutor feſti corporis Domini. 1153
Vrbes ante pagos illuminabant Apoſtoli. 47. 48
S. Vrſinus Apoſtolorum à diſcipulis ordinatus. 956
Vſuardus an fuerit Pariſiis Monachus in aſceterio Pratenſi. 1015
Vſuardus quando inclaruit. 1037
Vſuardi epiſtola ad Carolum Magnum. 1031
Vſuardi iactatum Martyrologium ab aduerſariis, eius neutiquam eſt. 1025. *& ſeqq.*
Vſuardi Martyrologium Molanus recognouit & edidit. 1032
Vſus quotidianus pallij ſancto Brunoni Archiepiſcopo Colonienſi conceſſus. 268
Vſus ordinarius pallij, à p. 258. ad 263
Vſus pallij extraordinarius, à p. 263. ad 269
Vvandelmarus Abbas ſancti Sanctini

ctini

ctini Meldis quid Hincmaro commiſit. 638
Vvillelmus Malmeſburienſis. 1072
Vvillelmus Epiſcopus Pictauienſis ſcribit ad Hugonem tertium Abbatem Pratenſem. 1040. 1041
Vvillelmus Rex Anglorum. 730. 731
Vvittembergenſes Athelogi quid ſcripſerunt ad Zachariam CP. Patriarcham. 767. 769
Vvitembergenſes Magiſtri Luterani. 1194
Vulgi ignobilitas, imperitia, atque ſtupiditas. 822
Vulgi ſententia, & ſententia vulgaris quantum differunt. 822. 824. 825
Vvarinfridus Abbas Stabulenſis. 679

X

XENODOCHIORVM & Diaconiarum Miniſtri. 119

Z

ZACHARIAS CP. Patriarcha quid reſpondit Vvitembergenſibus Magiſtris Lutheranis. 767. 769
Zacharias Viennenſis Epiſcopus Martyr fuit ſub Traiano. 335. 912
Zelus Romanæ Eccleſiæ in Sanctorum honorandis memoriis. 451. 452
Zenas Legiſperitus ſancto Paulo dilectus. 107

FINIS.

MONITVM AD LECTOREM.

CVM è prælo iam in lucem emitteretur iſte liber, certa docti viri relatione deprehendi, nonnullos qui Areopagiticum honorem B. Dionyſio Pariſienſi, enixius abrogare conantur, Pariſienſis ipſius Eccleſiæ ſacras nobis tabulas demum obiicere. In quibus, cùm, (aiunt) DIONYSIVS Pariſienſis, alius omninò eſſe ab Areopagita indicaretur: fraude tandem cuiuſdam deprauatoris factum eſt, vt genuinâ ſerie Pariſienſis Martyrologij deletâ, in qua DIONYSIVS noſter ſimpliciter Epiſcopus appellabatur: alia lectio in ipſo eius natali (*7. Idus Octob.*) nupera manu exarata, atque ex textu ad columnæ oram tranſpoſita, Areopagitam disertè ipſum Pariſienſem DIONYSIVM nominaret. Recentem itaque volunt eſſe ſententiam iſtam: atque vt nuper aſſutam Pariſiacis diptychis, ſic prorſus alienam, ab antiqua Pariſienſis ipſius Eccleſiæ fide. Ita illi importuni ſanè critici, ardentiorésque nimis argutores, iterum criminantur. Quibus vt omnem cauillationis anſam præciderem: mox, hac intellectâ illorum nouâ ſolertiâ, domum S. Mariæ Pariſienſis adij, precibúſque effeci apud Dominum Des-Comtes eiuſdem Eccleſiæ meritiſſ. Cancellarium vt Martyrologium illud ex quo poſtremum hoc eliciebant aduerſarij argumentum, mihi conſpiciendum exhiberetur. Allatum illicò iuſſu ipſius D. Cancellarij ad me eſt, ipſo præſente, membraneus codex, quo Martyrologium & Necrologium continentur. In quo volumine proximè poſt indiculum ſanctarum reliquiarum quæ ſeruantur in ipſius perinſignis Eccleſiæ ſacrario: notatur à quo donatus, quandóque primùm exaratus iſte liber, vſui eiuſdem Eccleſiæ accommodatus fuerit. Sic enim ibi legitur. *Anno* 1448. *in vigilia Purificationis honorabilis vir Theobaldus de Vitriaco, Canonicus huius Eccleſiæ P. D. N. Regis in ſua Parlamenti Curia Conſiliarius, & Theſaurarius Andegauenſis, dedit nobis ad decorem Cathedrarum chori*, &c. Et quinto ab hinc folio, hæc habentur. *Item dicti* (ipſius D. Theobaldi) *executores, dederunt pueris Eccleſiæ noſtræ, quinquaginta ſcuta auri, quæ expoſita fuerunt ad faciendum certos libros: videlicet iſtud Martyrologium*, &c. Qua ex prænotatione patet non ante annum 1448. volumen iſtud in rerum natura extitiſſe. Proinde non eſſe eius antiquitatis, quæ ad auctoritatē induci poſſit. Nec enim valet æmulorum exceptio, apographum hoc eſſe, ex antiquiori exemplari mutuatum: cùm vetuſtiora non proferant autographa, quæ ſibi vt volunt ſuffragentur. Ceterùm nec id quod afferunt tranſum-

ptum ſuis placitis cohæreat. Quid enim ibi putas legitur, quod ad hanc poſſit referri quæſtionem? Sanè ita habet iſte codex. *Septimo Idus Octobris* A . . . . . . deinde patet raſura vacuúmque ſpatium paucorum quidem verborum. Porrò ad calcem paginæ legitur notatum recenti prorſus epigraphe. *Septimo Idus Octob. memoria S. Abrahæ Patriarchæ, & omnium credentium Patris. Lutetia Pariſiorum, natalis ſanctorum Martyrum* DIONYSII *Areopagitæ Epiſcopi*. Deinde ſubiuncta notula †, lector admonetur redire ad contextum, cuius ſic tenor ſequitur. *Ruſtici Preſbyteri & Eleutherij Diaconi*, &c. At quod hinc inferunt aduerſarij, palàm eſt minimè conſectarium eſſe. Nouam ſcilicet volunt tantùm eſſe in Eccleſia Pariſienſi illam perſuaſionem, qua Dionyſius primus illius Eccleſiæ Pontifex Areopagita exiſtimatur; quantùm eſt non modò nuperus ille codex; at quantum etiam recens apparet illa lectio, immutato contextui ſubiuncta. Verùm ſua hac argutia ipſi plurimùm hallucinantur. Quod enim ſemper Pariſienſis Eccleſia B. DIONYSIVM, quem parentem colit, fuiſſe crediderit Areopagitam illum, Apoſtoli Pauli diſcipulum, vel inde patet, quòd eius acta hæc perhibentia, madente adhuc inclyti eiuſdem agonis cruore deſcripta, ſua ſyngrapha obſignauerit, atque ad Anacletum Papam Clementis ſucceſſorem, ortu Athenienſem, (qui illa ipſa recognita & ſua auctoritate probata, Athenas patrio affectu, ac Paſtorali officio dirigeret) ſupplex atque venerabunda tranſmiſerit. Horum verò authentica exemplaria, ſuo in ſacrario intemeratè conſeruauerit: quæ in *chartis vetuſtiſſimis armarij* Epiſcopalis, ſe vidiſſe, antequam Areopagitica Hilduinus deſcriberet, teſtatus eſt principali reſcripto, Ludouicus Pius Imp. & Rex Chriſtianiſſimus. Quo etiam inſinuat, hymnos & nocturnale Officium prædicti Martyris, iiſdem ſacris geſtorum eiuſdem monimentis conſonaſſe. Ceterùm ab hinc Pariſienſem Eccleſiam, nunquàm mutâſſe illam primam, antiquiſſimámque de identitate ſui DIONYSII cum ipſo Areopagita ſententiam, perſpicuum eſt eius ex vetuſtiſſimis codicillis ritualibus, ſacriſque diuinorum Officiorum libris, quorum duo apud me ſunt conſpicui. Horum vnum ante annos vt minimùm quadringentos exaratum fuiſſe liquet, ex ſubiuncto additamento Officij feſtiuitatis corporis Chriſti, in cuius Officij limine, ita legitur. *Officium nouæ ſolemnitatis corporis Ieſu Chriſti, celebrandæ ſingulis annis Feria quinta poſt Trinitatem.* In hoc verò & altero eiuſmodi volumine diuinorum præconiorum, ad morem & vſum Eccleſiæ Pariſienſis, Officium natalis S. DIONYSII & ſociorum eius (quo ipſe B. Pauli diſcipulus, Apoſtolorum ſocius, S. Clementis Legatus, perhibetur:) idem prorſus eſt cum eo quo etiamnum vtitur ex inueterato more, Pa-

Vide ſupra p. 184. 185. & ſeqq. vſque 404.

trum ſcilicet lege, ipſamet Eccleſia Pariſienſis. Cuius etiam typis excuſum Martyrologium anno 1536. ex antiquis MSS. Codd. diſertè facit DIONYSIVM eiuſdem Eccleſiæ præantiſtitem, Apoſtolicorum temporum vicum. Miſſale porrò primùm editum ex priſcis membraneis Liturgiis anno 1487.* Venetiis, (cùm Lutetiam Typographia nondum vſu eſſet inuecta) apud Ioannem Hamani de Landoya, & Ioannem Emerich: proprium natalis S. DIONYSII Miſſam, quam ex antiquo vſu retinet Pariſienſis Eccleſia, complectitur; in qua, ſequentia illa celebris, *Gaude prole Græcia*, non modò deſcribitur, ſed & epiſtola ex Actis Apoſtolorum cap. 17.* deſumitur: qua qui colitur Pariſiis DIONYSIVS Areopagita, ille à Paulo conuerſus, eſſe inſinuatur. Ex quibus demonſtrationibus aliiſque hoc in libro à me expoſitis; cùm conſtantiſſimum ſit Eccleſiæ ipſius Pariſienſis antiquiſſimam hanc eſſe fidem, intemeratámque profeſſionem, Patrum traditioni à me hoc ipſo commentario probatæ omninò congruentem; hinc proculdubio liquidum euadit futilis quàm ſit aduerſariorum ex recenti illo apographo ducta argutia. Cuius ſi textus alteratus fuerit, priuati cuiuſcumque hominis temeritate, publicæ cauſæ, Patrúmque fidei, nullum inde præiudicium ingenerari poteſt; cùm auita quam tuemur traditio tam fragili fulcro minimè ſit innixa. Verùm deſignata verborum aliquot, hoc in ſolo codice mutatio, nulla mala arte vel intentione facta, à quocumque profecta ſit, hinc apparet, quod nihil contineat quod veritati aduerſetur: imò quod cum antiqua traditione & fide Pariſienſis Eccleſiæ repugnet, ciúſque longè magis authenticis cum monimentis non concordet; liturgicis nempe codicibus & priſcis ſacrorum rituum indiculis. Adde quod ſi etiam locus eraſus priſtinam in ſeriem reſtituatur ex Martyrologio primùm ex antiquis exemplaribus impreſſo anno 1536. nihil penitus præ ſe ferat quod auitæ traditioni toto hoc Apologetico vindicatæ tantillùm obuerſetur. Ita enim ibi legitur. *Septimo Idus Octobris Abrahæ Patriarchæ. Pariſius natalis ſanctorum Martyrum* DIONYSII *Epiſcopi, Ruſtici Presbyteri, & Eleutherij Diaconi. Qui beatus Epiſcopus a B. Clemente Papa in Gallias prædicandi gratiâ directus præfatam vrbem deuenit.* Vbi vides DIONYSIVM noſtrum fuiſſe, Clementis (Pauli diſcipuli) ſymmyſtam & Legatum. Proinde neutiquam ad tempora Decij vel Diocletiani (vt æmuli contra Patrum fidem, hunc detrudere nituntur) deducendum eſſe: at virum planè vt Apoſtolicum percolendum. Adeóque illum ipſum fatendum, qui ignotum Deum, ſibi à gentium doctore manifeſtatum notum nobis fecit: vnde Apoſtoli Galliæ titulum iure promeruit. Quamobrem pòſt Apoſtolos Domini, præcipua ſemper veneratione in Gallia habitus eſt. Nam natalis eius pari cum

* Ars impreſſoria inuenta fuit anno 1440. à Ioanne Guttembergio in ciuitate Argentinenſi, ſed Venetias, antequam Pariſios perueniret progreſſa eſt. Quæ cauſa fuit vt Miſſale Pariſienſe Venetiis primùm excuderetur.

* Ita etiam in veteri & in nouo Romano Miſſali legitur. At æmuli feſtiuè excipiunt, hanc lectionem per myſticam tantùm accõmodationem natali ſancti DIONYSII Pariſ. aſſignari. Sed effugium iſtud prorſus futile eſt: cùm Breuiarium & Martyrologium hanc in hiſtorico & proprio ſenſu accipi indigitent; totúmque huius diei Officium, S. DIONYSIVM qui Pariſiis colitur, ipſum Areopagitam eſſe referat doceat, atque inculcat.

Apoſtolorum ſolennitatibus honorem Maioribus conſueuit celebrari, vigiliáque inſuper cum ieiunio anticipari. Quæ notatur à S. Prudentio Trecenſi Epiſcopo in ſuo Liturgico Codice, & Faſtorum indiculo huic præfixo, *vbique per Gallias* obſeruanda. Porrò in vetuſtiſſimo Martyrologio Foſſatenſi,* quod ſatis prodit antiquam fidem Eccleſiæ Pariſienſis, ipſemet DIONYSIVS expreſsè Areopagita denominatur. Ceterùm ex profeſſo de ipſo Areopagitæ cognomine in reſponſione ad argumentum aduerſariorum XIV. diſſeruimus. Quod verò obiicere ſolent aduerſarij de bino natali ſignato eodem menſe ita etiam à nobis in examine Martyrologij Roſuueydi argumento VIII. & Pratenſis argumento IX. accuratè expenſum & dilucidè explicatum eſt, ac vndique diſſolutum: vt refricare hic quæ ibi adeo copioſè pertractata ſunt, nihil aliud videri poſſit quàm oleum & operam ludere. Hic igitur dicendi metam, iterùm ſtatuemus.

* Citatur ſup. p. 595.

ERRATA.

PAg. 3. lin. 8. lege *ſtadium*, l. 3. *quibus*; p. 7. l. 1. dele *ſe recepiſſe*, l. 2. poſt *conſecratos* lege *ſe recepiſſe*. p. 9. l. 13. lege *ſonat in ipſis*. p. 13. in marg. l. 36. *grates*. p. 15. l. 2. *Tetraſtichon*. p. 32. l. 13. *vllum*. p. 35. l. vlt. *ad noſtrum*. p. 49. in m. l. 12. & 13. *ſon partement*. p. 61. l. 7. *hoc facto*. p 68. l. 3. *qua*, 5. *offunderent*; 6. *percuterent*. p. 73. l. 5. *iudicauimus*. p. 74. l. 17. *Eccleſia prima*. 79. 4. *diſtrictè*. 80. 9. *vt in*. 95. l. vlt. *apodict*. 103. 4. *etenim*. 16. *partes*. 104. 1. *obtento*. 113. m. 1. *incardinarentur*. 129. 1. dele *è*. ib. 26. *ſepultis*. 143. 4. *decreuit*. 165. 17. *lumine*. 166. 18. *ſcilicet* tolle *ſi quid*. 26. *Saulum*. 181. 18. *Metaphraſte*. 213. 22. *Aniciensi*. 246. 23. *at à*. 259. 26. *Catholico*. 256. 6. *œconomo*. 283. 31. *Altino*. 301. 27. leg. *ubi ſic egiſſet in*. 305. l. vlt. leg. *ſcriptor recentior, profeſſor eſt*. 309. 4. *non tamen inquam*. ib. 19. *Lemouicenſium*. 314. 2. *ſanctitate eius*. 320. 11. *aqua portans*. 321. 22. *ſua*. ib. 27. *aduerſus*. 328. 9. *ad illorum*. 369. 21. *qua*. 382. 3. *Cathedratica*. 386. 15. *officio*. 387. 8. *profuderunt*. 393. 25. *quem*. 395. 16. dele, *illum*. 396. l. penult. *elicitur*. 401. 15. *ſic ab*. 434. 6. *eſſet Nicephori*. 439. præ-nota, *cap. V I I*. 431. 14. *relatione*. 432. 20. *poſt quem*. 443. 18. *vſque*. 444. 11. *ſolebant*. ib. 19. *hiſtoricis*. 481. 1. *Claritas*. 491. 27. *Viennenſi*, adde, *in Auſtria*. 521. 13. *priſca eiuſmodi*. 560. 22. *Apologetica*. 563. 9. *Præcones audiebant*. 365. 15. *conſtabat*. 610. l. antepenult. *ab Eccleſia*. 614. 23. *ad ſuperna*. 628. 4. *Dionyſium*. 623. 7. *pro patris*. 632. 5. *cuius meritis*. 633. 17. *Franciam illi commiſit*. 644. vltim. dele, *tam*. 652. 21. *plenario*. 666. 8. *Maria*. 669. 16. dele, *ſibi*. 672. 3. *decreuerunt*. ib. 10. *clarificabat*. ib 18. *conſeſſus*. 673. 6. *imminuebatur*. 675. 3. *omnes fuerant*. ib. 14. *impertitorum*. 683. 5. *camini*. 714. 26. *quem inſcripſit*. 723. 19. *teſtatiſſimum*. 739. 14. *Dominum*. 740. 11. *filo eius finem*. 743. 17. *cognominatus*. 765. 1. *Stapulenſis*. 773. 21. *ibique*. 775. 2. *adlectiſque illi*. 784. 7. *de re differit*. 791. 21. *Polemicos*. 804. 7. *cuius*. 805. 15. *Societas*. 807. 18. *eiuſdem*. 819. 17. *attriti ſunt*.) 830. 27. *poſſint prop*. 843. 14. *recitant*. 857. 23. *anno C*. 296. in m. 2. *parte*. 865. 13. *feſtinè*. 867. 6. *Ambianenſium*. ib. 21. *Tarraſco*. 880. 2. *conſignat*. 881. 26. *certum vaticinium*. 883. 18. *columnarum*. 894. 24. *incolumem*. 905. 10. *acriter, ſed fruſtra*. 906. 5. *textura*. 911. 9. *frugiferos pleroſque*. 932. 27. *in §. poſtremo*. 953. 26. *hoc vtique*. 954. 5. dele *non*. 956. penult. l. *in hac inquam*. 658. l. antepenult. *quod aſſumitur de*. 967. 21. *recta*. 969. *beati*. 976. 7. *eumdem poſuiſſe*. ib. 20. *quos*. ib. 23. *miſſioni*. 996. 18. *feſtiuitatem*. 998. 15. *fides*. 1003. 20. *diuerſus*. 1006. 17. dele, *ibid*. 1007. 12. *cum obiiſſe*. 1012. 1. *S. Ambr. obſer*. 1055. 20. *præfigere*. ib. l. vlt. *Clem. V I I I*. 1076. 12. dele *arbitrari*. 1081. *tantum ſeruiebat*. 1082. 7. *proſternebat*. 1098. 9. *ſuis irrad*. 1103. 4. *qui interceſſerunt*. ib 21. *ſopitos*. 1104. 8. *oportet*. 1109. 2. *quoque*. 1118. 14. *itidem*. 1135. 3. *pro*. 1149. 21. *altrice*. 1157. 18. *agnitione & cultu*. 1161. 1. *Boſqueto*. 1162. 27. *quam illis*. 1186. 1. *enucleare promiſimus*. 1197. 15. *nullas*. Cetera minus grauia, ideóque prætermittenda, viſa ſunt. Vel fortè non occurrerunt; vnde nec emendata.

Digitized by Google

Digitized by Google